IO. GOTTLIEB HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS quondam a Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill. Academ. Frideric. Profeſſoris publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM, PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

78445

TOMVS OCTAVVS:

Continens,

PRAELECTIONES ACADEMICAE IN HVG. GROTIVM DE IVRE BELLI ET PACIS: ET IN SAM. PVFENDORFFIVM DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS.

GENEVAE,

Impenſis FRAT. CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVIIII.

00078445

Digitized with financial assistance from
Government of Maharashtra
on 30 January, 2020

IO. GOTTLIEB
HEINECCII,
IC. ET ANTECESSORIS,
PRAELECTIONES
ACADEMICAE
IN
HVGONIS GROTII
DE
IVRE BELLI ET PACIS
LIBROS III.

EDITIO TERTIA.

PRIORI AVCTIOR MVLTO ET EMENDATIOR.

GENEVAE,
Impenſis FRATRVM CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVIII.

BENEVOLO ET AEQVO LECTORI.

S. P.

SI vmquam poſt hominum memoriam lucem vidit opus, quod non ſolum doctis viris, verum integris gentibus acceptum fuit, ſine dubio eſt viri vere magni, HVGONIS GROTII *de iure belli et pacis*, libris tribus comprehenſum. Adeo ille veritati litaſſe credebatur, vt ab omnis ſectae hominibus gentibuſque, plane a ſe alienis inuicem gratus acciperetur. Maximi reges atque imperatores tum ſuum cuique tribuiſſe ſibi perſuadebant, quum id praeſtarent, quae magnus vir praeceperat. Vt adeo *doctor gentium* optimo maximo iure dicendus ſit, cuius arbitrio earum res ſtant caduntue. Inde quoque factum, vt praeſtantiſſimi quique viri immortalitatem nominis non magis conſequi poſſe, nec immerito, ſtatuebant, quam ſi in opus tale commentarentur, quod ad ſaeculorum finem eſſet perduraturum. Immo triariis quoque haec ad immortalitatem via placuit, quamuis ſucceſſu non adeo felici, quum equidem illorum ſcripta adhuc ſuperſint, verum quotidie riſu ab harum rerum intelligentibus excipiantur. Quis fuerit GROTIVS, quaeque ingenii reliquerit monumenta, ſuperfluum eſſet hic enarrare, quum omnia, quae dici poſſunt, iam dederit vir doctiſſimus, LEHMANNVS in *Hugonis Grotii manibus ab iniquis obtrectatoribus vindicatis*, vt taceam, quae hinc inde ab hiſtoriae iuris naturalis ſcriptoribus prolata ſunt, quae vero cum laudato libro comparari vix merentur. Innumerus fere numerus eorum eſt, qui vel praeclarum opus illuſtrare, vel interpretari, vel augere, vel denique hinc inde confutare voluerint: qui vero eorum rem acu tetige-

rint, noſtrum non eſt diiudicare. Id certum firmumque manet, optimam conſilii rationem eſſe, aut nullos plane, aut paucos legere prius, quam ipſum opus quaſi edidiceris. Inter eos, qui critice ac philologice illuſtrare Grotium ſunt aggreſſi, eminet criticorum ſuperioris ſaeculi facile princeps, Io. Frid. Gronovius, cuius animaduerſiones pleriſque editionibus iungi ſolent, at interpolatas ſaepe vel ſpurias eſſe, conqueſtus eſt gloriae auitae heres digniſſimus, Abr. Gronovius. At quoque fuerunt, qui rebus explicandis vacarent, inter quos reliquis non ſolum praerogatiuam reddet dubiam, verum quoque longo poſt ſe interuallo relinquet viri poſt fata quoque celeberrimi Henrici de Cocceii, commentarius in idem opus abſolutiſſimus, quem propriis animaduerſionibus auctum propediem quam ſplendidiſſime dabit illuſtriſſimus filius, Sam. de Cocceii, litterarum firmiſſimum praeſidium, qui non contentus eruditionis omnis tutelam gerere, ipſe aliquid dare conſtituit, quod admirationi poſteris eſſet tamdiu, quam diu eruditioni ſuus conſtaret honos. † Verum fuere quoque, qui id tantum agere voluere, vt quae Grotius late diſſeruit, vel in breues quaſi theſes contraherent, vel denique vim argumentorum oſtenderent, inter quos palma ſine dubio debetur viro poſt fata quoque magno, Io. Gottl. Heineccio. Fecit id in *praelectionibus*, quas iam vides, beneuole lector, quaſque ad palatum tuum, ſi ſapis, fore nulli dubitamus. Atque certo adfirmare poſſumus, earum ope Grotium et faciliorem intellectu fore, et ſolidiorem, ſi argumenta ſpectes, quae iam vna ſerie exhibentur. Nihil iam ſupereſt, quam vt gratias publice agamus viro integerrimo Rudigero, nouo hoc beneficio ſibi inſigniter obligauit rem publicam litterariam, et in poſterum quoque grata exhibere officia non intermittet. Vale, nobiſque faue Dab. Berol. a. d. x. Iul. cIↄ Iↄ CCXXXXIIII.

IO.

† Tribus Volum. editus Vratiſlau. 1746.

IO. GOTTL. HEINECCII PRAELECTIONES IN HVGONIS GROTII DE IVRE BELLI ET PACIS LIBROS III.

AD PROOEMIVM.

ADGREDIMVR opus, quo nullum vmquam ſol vidit illuſtrius, et quod viuet, quamdiu ſtudiis praeclaris honos inter mortales erit. Maximi ſemper eam magni GROTII lucubrationem fecere eruditi, in quibus PAVLLVS COLOMESIVS in *Operib. pag.* 459. ſcribit, Grotium omnes ingenii vires in hoc opus intendiſſe, eumque de libris his dicere potuiſſe, quod CASAVBONVS ſcripſerat de *Commentario* ſuo *in Perſium*: *in Perſio omnem ingenii conatum effudimus.* Nec male iudicauit COLOMESIVS. Ipſe enim

GROTIVS de hoc opere ſuo in *Epiſt.* 196. ſcribit: *mitto tibi libros de iure belli et pacis, cum non exigua acceſſione. Horum curam tibi et amicis commendo, vt inter mea opera, ſi quid video,* EMINENTIVM.

Antequam ad prooemium perueniamus, quaedam praemittere iuuabit, quae ad libri huius hiſtoriam pertinent. Scripſit illum Grotius iam exſul, quum magna inuidiae tempeſtate aduerſus ſe excitata, ob nouas, quarum inſimulabatur, in ſacris opiniones, et factionem Oldenbarneueldianam, ex carcere ingenioſo vxoris commento exportatus in Galliam profugiſſet. Id enim ipſe indicat *in prooem.* §. 30. In Gallia enim reperto praeſidio, Nicol. Peireſcius id egit, vt rex hoc nouo hoſpite ad rem magnam et illuſtrem vteretur, et hinc facile obtinuit, vt Grotio iſtud opus *de iure belli et pacis*, quale nondum exſtabat, conſcribendum daretur. Praeſtitit hoc ipſum egregie, et hoc opus edidit anno 1625. quumque primum conſilium cepiſſet, illud inſcribendi *ius gentium,* poſtea id conſilium abiecit, et operi praefixit titulum *de iure belli et pacis*, vt hoc titulo inuitati et ſummi rerum adminiſtri in aulis, et duces bellici librum legerent, neque illum tamquam opus vmbratile et ſcholaſticum adſpernarentur. GROT. *Epiſt.* 78. *ad Gall.* COLOMES. *Epiſt. claror. viror. epiſt.* 3.

Ceterum immortale hoc opus aliis bilem mouit, ab aliis cum ſummo plauſu receptum eſt. Nemini id minus placuit, quam pontifici Romano. Quum enim Grotius iura principum et rerum publicarum aduerſus pernicioſas ſacerdotum doctrinas grauiter vbique adſerat, et fundamenta ponat genuinae doctrinae ciuilis, quae papae admodum exoſa, et regno tenebrarum parum proficua ſunt: librum in *indicem librorum prohibitorum* referri iuſſit anno 1627. Vnde ex omnibus Romanenſium academiis exſulat. Vid. BOECLER. *in praefat. Commentar. ad Grotium.*

Deinde et ex Proteſtantibus permultis hoc opus diſplicuit ob varias a receptis eccleſiae doctrinis diſcrepantes ſententias, quas ſaepe inſpergit. Et profecto eodem fere tempore duo magna ingenia turpiter ſe dederunt, quum ſe rebus alienis immiſcerent; Grotius, dum theologicae eruditionis; Salmaſius, dum iuridicae lauream adfectaret. Et hinc eſt, quod tot theologi notas ſcripſerunt ad Grotium, de quibus paullo poſt erit dicendi locus.

Quo magis autem opus ob naeuos quoſdam diſplicuit, eo magis ſe probauit viris ciuilis prudentiae gnaris: eoque factum eſt, vt nullus vmquam auctor claſſicus tot commentariis illuſtratus ſit, ac Grotii libri *de iure belli et pacis.* Sed illam commentatorum turbam nos in certas claſſes, ac veluti in tribus quaſdam, deſcribemus.

I.

I. Fuere, qui id egerunt tantum, vt textum Grotii interpretarentur, et genuinum eius ſenſum eruerent, in eoque genere reliquis omnibus palmam praeripit Io. Frider. Gronovivs, cuius notae ad intelligendum Grotium ſunt vtiliſſimae, et bonae frugis plenae.

II. Fuere, qui Grotium magis illuſtrarent, quam de eius doctrinis diſputarent, eoque in genere regnat Io. Henr. Boeclervs, qui conquiſitis ex omni antiquitate exemplis et teſtimoniis Grotium illuſtrat. Sed nec multum vtilitatis extra ſcholam hi commentarii adferre ſolent, nec integri lucem adſpexerunt. Peruenit enim Boeclerus tantum ad caput vſque ſeptimum libri II. Eiuſdem generis et commentarius Gvil. *van der* Mvelen, operoſus et eruditus, ſed eadem methodo conſcriptus, Vlrici Obrechti, profeſſoris et poſtea praetoris regii Argentoratenſis, Boecleri generi, et Ioannis Tesmari, profeſſoris Marburgenſis.

III. Fuere, qui Grotii doctrinas vel a philoſophia ſcholaſtica, vel a recepta eccleſiae doctrina diſſentientes potiſſimum refellere in ſuis commentariis ſtuduerunt, id quod fecerunt, Io. a Felden, Io. Andr. Osiander, Velthemivs, et Io. Reinhardvs Hedingervs. Verum ex his parum proficit ſtudioſus iuris naturalis et gentium, qui Grotium non eo fine tractat, vt inde theologiam et philoſophiam addiſcat, ſed vt iuris naturalis et gentium genuinis principiis imbuatur. Nec tam periculoſae ſunt illae Grotianae theologiae ſcintillae, vt inde metuendum ſit incendium, ad quod exſtinguendum iſtis commentariis abſonis opus videatur.

IIII. Denique fuere, qui Grotii doctrinas cum genuinis iuris naturae et gentium principiis contulerunt, ea, quae recte poſita erant, inde demonſtrarunt, errores modeſte indicarunt, quae deerant, ſuppleuerunt. Et horum tres potiſſimum ſunt, qui omnes reliquos Grotii interpretes longo poſt ſe interuallo reliquiſſe videntur, Casp. Zieglervs, prof. Wittebergenſis, cuius *Notae in Grotium Wittebergae* 1666. prodierunt, Henr. Henninges, qui *obſeruationibus ſuis politicis et moralibus* in Grotium 1673. editis aulae Brandenburgicae innotuit, a qua negotiis grauiſſimis, maxime legationi ad comitia Ratiſponenſia, adhibitus, vbi non ita pridem mortuus magnum deſiderium principi et toti Germaniae reliquit: ac denique Barbeyracivs, qui et verſione ſua, et notis de Grotio bene mereri ſtuduit. Prae omnibus tamen Zieglervs et Henningesivs commendari merentur.

His de opere Grotii praemiſſis, iam ad ipſa Grotii prolegomena pogredimur, quae ad duas partes poſſunt reduci. Nam

1. Prior eſt generalis, in qua *de iure naturali generatim* diſputat, a §. 1. ad 27.

2. Poſterior ſpecialis, in qua *conſilium ſuum* exponit. §. 28. *ad fin.*
Parte priore agit 1. *de iuris naturalis praeſtantia*, §. 1. 2. 2. *de eiuſdem exſiſtentia.* §. 3-27.

Ad §. 1. 2.

Praeſtantia huius iuris argumentis quam plurimis poteſt demonſtrari, quamuis multi ſint, qui eam in dubium vocent, et iuris prudentiam naturalem plane inutilem ac infructuoſam eſſe rei publicae exiſtiment, et in his HENR. REBHAHN, ICtus Argentoratenſis, qui, cum Boecleri laudibus inuideret, programma anno 1663. edidit, quo id ſtudium plane inutile dixit, et auctor anonymus libelli, Halae editi, ſub titulo *Vrim et Thummim*, qui eaſdem inflat tibias.

Rationes vterque duas potiſſimum vrget. 1. Quod rationes iuſti et iniuſti commodius ex ſcriptura ſacra, quam ex ratione petantur, 2. quod ad cauſſas quaſuis decidendas, promendamque iuſtitiam, ſufficiat ius ciuile humanum.

Sed rationes longe ponderoſiores, vt ita dicamus, huius iuris praeſtantiam docent. Nam, vt Grotius §. 1. dicit, *eſt ius commune, quod inter omnes omnino populos intercedit.*

1. Ius ciuile Romanum magnum vſum in multis gentibus obtinuit, ſed non vbique: numquam in fora Daniae, Sueciae, Poloniae, Ruſſiae, nunquam in Aſiam et Africam penetrauit. At ius hoc naturae vere eſt ius gentium omnium. Quum enim ex ipſa ratione fluat: non poteſt non omnibus gentibus commune eſſe, quae ratione pollent: adeoque ſiue cum Turcis, ſiue cum Iapanenſibus, ſiue cum Scythis agas, non magis poſſunt negare iura naturalia, quam veritates arithmeticas, bis duo eſſe quatuor, quia illa aeque ex ipſa ratione fluunt, ac hae poſitiones arithmeticae.

2. Ius gentium, inter gentium rectores intercedit. Ius Romanum ciues tenet, non ipſos principes et res publicas. Principes enim ſolutos eſſe legibus, ipſum ius Romanum fatetur *l. 31. D. de legib.* Hinc vſum habet ius ciuile in cauſſis priuatis, non publicis, quae ex ſolo iure naturae et gentium decidendae ſunt. Rem illuſtrabo exemplo. Quum Philippus IIII. rex Hiſpan. anno 1665. obiiſſet, Ludouicus, Galliae rex, Belgium Hiſpanicum inuadebat. Cauſſa bello praetexebatur IVS. DEVOLVTIONIS. Brabantini enim eo iure vtuntur, vt viri ad ſecunda vota tranſeuntis bona maneant liberis ex priore ſuſceptis matrimonio, excluſis liberis ex ſe-

ſecundo matrimonio genitis. Quum itaque Philippus IIII. ex priore matrimonio ſuſcepiſſet Mariam Thereſiam, Ludouici vxorem; exiſtimabat, ei iure deuolutionis deberi Belgium. Inde bellum. Vid. ANDR. AVBERI *Traité des Droits de la Reine très-chrétienne ſur divers Etats de la Monarchie d'Eſpagne, à Paris* 1667. 12. Sed abſurda erat ea defenſio. Nam ius deuolutionis eſt ius ciuile Brabantinis proprium, et quo ſoluti ſunt principes. Controuerſiae autem inter gentes non ex iure ciuili huic vel illi genti proprio, ſed ex communi omnium gentium iure decidendae ſunt. Rectores ciuitatum poſſunt iure ciuili vti quoad ſubditos, ſed non inter ſe.

3. Ius naturae ab ipſa natura profectum ex diuinis legibus conſtitutum eſt. Legiſlator eſt Deus, modus promulgandi dictamen rectae rationis. Ergo eſt certum, quum ius ciuile ſaepe incertum ſit. Eſt immutabile, quum ius ciuile ſaepiuſcule mutetur. Eſt ſanctum et diuinum, quum de iure ciuili vſurpari poſſit illud TACITI, *Annal. lib. XIIII. cap.* 44. *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur.*

4. Ius naturale et gentium, vti Grotius ait §. 2. verſatur in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarumque nationum, in omni denique belli iure et pacis. Quam praeclarae hae res ſunt! Non hic agitur de ſtillicidiis et tribus capellis, vti Martialis in ius ciuile ludit, ſed de negotiis publicis gentium cum gentibus, de foederibus, bello, pace, controuerſiis illuſtribus, praetenſionibus, cet. Eſt ergo haec ſcientia fere regnatrix. Et ſi quis Bartolum vel Baldum mitteret ad comitia pacis cauſſa Cameraci inſtituta, vniuerſa ſcientia iuris ciuilis non tantum proficeret, quantum vnus Grotius, vel Henningeſius, vel Pufendorffius, in hac diſciplina verſatus.

Hinc quamuis paradoxum videatur, Euripidem hoc ius rerum diuinarum humanarumque cognitioni praeferre, (vid. §. 2.) id tamen rationem habet, quia eo magis prodeſt rei publicae, quam omnis philoſophia theoretica, eiuſque magis intereſt, pacem ſeruari, bella componi, quam reperiri circuli quadraturam vel perpetuum mobile.

§. 3. 4. 5.

Sequitur altera quaeſtio, quam demonſtrata iuris huius praeſtantia, tractat Grotius. Quum vero duplex hic occurrat error, quum

1. alii negauerint; ius aliquod exſiſtere, alii 2. ius belli eſſe: vtrumque errorem profligare nititur.

I. Qui ius negarent, haud pauci reperti ſunt. Ipſe GROTIVS §. 3. allegat EVPHEMVM apud THVCYDIDEM, qui nihil iniuſtum eſſe ait quod vtile, et §. 4. CARNEADEM, philoſophum Platonicum, qui Romam miſſus, ſe de omnibus rebus in vtramque partem diſputare poſſe, conuocatis ciuitatis proceribus vno die laudauit iuſtitiam, et iuſtum aliquid natura eſſe polita oratione demonſtrauit: altero die ipſe argumenta ſua deſtruxit, et nihil natura iuſtum, nullum ius naturae exſiſtere defendit, Catonis ſuaſu ideo Roma expulſus. Vid. LACTANT. *Inſt. diu. lib. V. cap.* 16. vbi plurima eius argumenta occurrunt.

Sed his adiungi poſſunt alii, veluti ARISTIPPVS *Cyrenaicus*, qui *nihil natura iuſtum honeſtumque eſſe ſtatuit, ſed lege et conſuetudine, addiditque, ſapientem et furtis, adulteriis, et ſacrilegio daturum operam, quum tempeſtiuum fuerit. Neque enim horum quidquam natura turpe eſſe, ſi auferatur vulgaris opinio.* DIOGEN. LAERT. *lib. II. ſegm.* 93. Non abſimilis fuit Epicuri ſententia, quam ita expreſſit Horatius, *lib. I. ſat.* 3. ipſe Epicureus:

Non natura poteſt iuſto ſecernere iniquum:
Sola eſt vtilitas iuſti prope mater et aequi.

II. Hi ergo omnes in vniuerſum aliquid iuſtum eſſe negarunt, ſed fuere etiam, qui ſaltim belli aliquod ius eſſe inficiarentur: eoque pertinent loca ENNII, HORATII, MARII, TERTVLLIANI, quae auctor §. 3. 4. adducit: quaeque eo redeunt, quod leges ſileant inter arma, bellumque, quod vi et fraudibus geritur, nullum ius admittat.

Sed hos auctores vtriuſque generis praeclare refellit auctor, et contra priores demonſtrat, eſſe ius naturae. §. 6-24. contra poſteriores, eſſe etiam ius belli §. 25-27.

Eſſe ius naturae, ſeptem argumentis demonſtrat, quae ordine perluſtrare iuuabit.

§. 6.

Primum argumentum hoc eſt: *cui natura eſt adpetitus ſocietatis tranquillae, ei eſt ius. Homini natura eſt eius modi adpetitus ſocietatis. Eſt itaque ei ius.* Ergo datur ius aliquod naturale et commune omnibus hominibus. Reſoluimus illud in formam ſyllogiſmi, vt eius vis et neruus eo magis adpareat.

Pri-

Prima propoſitio eſt: cui eſt adpetitus ſocietatis tranquillae, ei eſt ius: eaque certiſſima, quia ſocietas nulla ſine iure conſiſtere poteſt. Societas enim conſiſtit in coniunctione animorum, ea fit per pacta, pacta non proſunt niſi ſeruentur. Quis vero pacta ſeruabit, niſi iure aliquo ſe ad id obligari credat? Fingamus, decem latrones coire in ſocietatem. Iniuſtiſſima haec ſocietas eſt, et tamen ſine iure conſiſtere nequit. Coëunt enim per pacta, ſtipulantur ſibi inuicem mutuum auxilium, mutuam taciturnitatem, commune lucrum: ſi iſti homines in ſe iniuſtiſſimi haec pacta non ſeruant, diſſoluetur ſocietas. Hinc recte CICERO *de offic. lib. II. cap.* 11. *Iuſtitiae tanta vis eſt, vt nec illi quidem, qui maleficio et ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiae viuere, cet.* Eſt ergo certiſſimum, ſocietatem ſine iuſtitia conſiſtere non poſſe: quumque iuſtitia nulla ſit ſine iure, certiſſima quoque eſt propoſitio: cui eſt adpetitus naturalis, ei eſt ius.

Propoſitio ſecunda non minus certa eſt. Hominem enim natura adpetere ſocietatem tranquillam, experientia docet, nec facilius poteſt iſte adpetitus probari, quam ſi conſideremus hominem vel in ſolitudinem, vel ad gentem barbaram et feris truculentiorem deportari. An non mori illi ſuauius videbitur, quam vel extra ſocietatem hominum, vel inter homines ſine ſecuritate in perpetuo periculo viuere? Sequitur itaque, vt et concluſio ſit certiſſima. Ergo eſt aliquod ius commune, quod ex ſocietate fluit, id eſt, ius naturae.

§. 7.

Sed priuſquam ad ſecundum argumentum progrediatur: obiectionem remouet, §. 7. Argumentatus erat a naturali adpetitu, quo homines ad ſocietatem feruntur, ad exſiſtentiam iuris. Poſſet obuerti, et bruta ad ſocietatem ſui generis ferri, veluti columbas, formicas, et praecipue apes, adeoque et his ius naturae eſſe; quod quum ſit abſurdum, abſurdam quoque eſſe conſequentiam, quod, qui natura ad ſocietatem feruntur, ius naturae habeant.

Sed reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter deſiderium et impetum naturalem. Deſiderium eſt affectus voluntatis tendens in aliquem finem, et adpetens ſimul media, quae ad hunc finem ſimul idonea ſunt. Et tale deſiderium eſt in ſolo homine, quia ſolus voluntate gaudet, et ratione, qua media inueniat.

Impetus vero eſt naturalis tendentia ſine ratione et conſcientia.

Sic

Sic e. g. lapis tendit deorſum, ſed nec voluntate deorſum cadendi inſtructus, nec ſibi conſcius eſt, ſe deorſum tendere, nec de mediis, quae ad hunc motum requirantur, ſollicitus eſt. Et talis impetus eſt in brutis.

Iam facile hac diſtinctione obſeruata reſpondebimus argumento: Quicumque deſiderio naturali fertur ad ſocietatem tranquillam, illi ius eſt: Bruta huius modi deſiderio ad ſocietatem tranquillam non feruntur, ſed impetu quodam et inſtinctu naturali ad eam tendunt: Ergo non habent ius.

Non autem voluntatem cum ratione coniunctam brutis ineſſe, inde probat Grotius:

1. Quod actiones eorum non ſint vniformes, et ſibi ſimiles. Nam canes e. g. tuentur catulos, eoſque defendunt aliquamdiu: mox illos morſu abigunt, et plane obliuiſcuntur, illos eſſe ex ſe natos.

2. Quia et infantes ſimili adpetitu tenentur, etiamſi non ratione vtuntur. Adeoque poteſt in brutis eſſe impetus ſine voluntate, quia et in infante eſt, qui clamat, ſi ab hominibus ſolus relinquitur.

3. Quia deſtituuntur praecipue inſtrumento ſocietatis, nempe ſermone vel oratione. Nam quia homines deſiderio ſocietatis tenentur, de medio cogitarunt hanc ſocietatem tuendi. Hinc inuenere ſermonem, quo ſibi inuicem ſenſa animi communicarent, et quo non eſſet opus, niſi viuere cuperemus ſocialiter. Quum ergo bruta, tametſi iiſdem inſtructa organis, tamen non ſermocinentur, nec deſiderio ſocietatis ea teneri patet, ſed ſolo impetu ad ſocietatem aliquam ferri. Conf. *de oratione ſocietatis conciliatrice* Cic. *de legib. lib. I. cap. 9.*

§. 8.

Ex hoc primo argumento colligit Grotius principium iuris naturae et gentium eſſe SOCIALITATEM.

Itaque ea in re conuenit Grotius cum Hobbeſio et Pufendorfſio. Omnes enim hi auctores ius naturae et gentium deriuant ex principio ſocialitatis. Poſito enim homine, qui mecum in ſocietate viuit, ponitur ius. Sed in eo differunt hi auctores, quod quiſque eorum principium hoc diuerſis fundamentis inaedificat. Secundum Grotium enim ſocialiter eſt viuendum, quia id congruit naturae humanae, et naturali eius deſiderio: ſecundum Hobbeſium viuendum eſt

eſt ſocialiter, quia alias naſceretur bellum omnium in omnes. Secundum Pufendorffium ſocialiter eſt viuendum, quia ita iuſſit Deus. Ita facile conciliabimus diuerſa horum auctorum principia.

At reiecimus iam hoc principium ſocialitatis in *Praelectionibus Pufendorffianis*, quia quidem verum eſt, et euidens, ſed non adaequatum, idque tum inde probauimus, quia officia erga Deum et ſe ipſum ex ſocietate non fluant, ad quae quippe praeſtanda obſtricti ſumus, tametſi ſoli eſſemus in hoc mundo. An itaque et hic reiiciemus Grotii doctrinam?

Reſp. in Grotio laudandum eſſe, quod culpauimus in Pufendorffio. Et, ne id mirum videatur, rationem ſtatim reddemus. Pufendorffius tractat ius naturae et gentium. Ad ius naturae etiam officia erga Deum et proximum pertinent, quae quum ex ſocietate non fluant, principium eius eſt inadaequatum, adeoque reiiciendum. At Grotius non tam ius naturae tractat, quam ius gentium; iura belli et pacis. Haec vero omnia omnino ſocietatem humanam ſupponunt, adeoque eius principium eſt adaequatum.

Pauciſſimi hoc recte capiunt; et hinc, quia audiunt a tot auctoribus principium Pufendorffianum reiici, ſtatim exiſtimant, eodem modo reiiciendum eſſe principium Grotii: quos tamen toto caelo errare iam vidimus.

Ex hac ergo ſocietate omnia iura hominum aduerſus homines fluunt. Poſito enim, me ſocietatem inire cum contubernali: ſtatim ſequetur, 1. vt abſtinere debeam ab eius rebus, 2. vt, ſi damnum ei fecerim, reſtituam, 3. vt pactum, quod cum eo inii, ſeruem, 4. vt eum feram, nec illi vllam faciam iniuriam. Si quid horum omitto, ſocietas diſſoluitur. Idem in maioribus ſocietatibus, veluti ciuili, immo in maxima illa ſocietate generis humani obtinet.

§. 9.

Hactenus primum Grotii argumentum, quo exſiſtentiam iuris naturae et gentium probat, ſequitur alterum:

Quicumque inſtructus eſt iudicio et delectu boni et mali, is et iure aliquo obſtringitur.
Homo huiuſmodi iudicio et delectu inſtructus eſt.
Obſtringitur ergo iure.

Conſequentia maioris propoſitionis haec eſt. Deus nihil fecit fruſtra. Dum ergo hominem eo iudicio inſtruxit, vt poſſit bonum et ma-

lum, non ſolum phyſicum, ſed et morale, diſcernere, et ea voluntate, quae in bonum fertur, et malum auerſatur: procul dubio voluit, vt bonum faciat, malum fugiat, non vt illud imitetur Medeae,

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Si Deus hoc voluit, peccat, dum id non facit. Si peccat, iniuſtus eſt, ſi iniuſtus eſt; etiam ius eſſe debet. Ergo eſt ius.

Poſſumus ex eodem fundamento ita ratiocinari. Deus nos inſtruxit iudicio et delectu boni et mali. Ergo voluit, vt nobis bene, non male, ſit. Ergo poſſumus malum omne a nobis amoliri. Ergo nemini ex voluntate Dei fas eſt, nobis malum inferre. Ergo et nobis nefas eſt, aliis inferre malum. Ergo eſt ius.

Minor propoſitio denuo nititur conſcientia cuiuſque, et experientia. Ratione enim homo inſtructus eſt et iudicio, clariſſimam et diſtinctiſſimam habet ideam boni et mali. Bonum eſt, quod durationem noſtram promouet; malum, quod nos deſtruit. Experientia et ratiocinatio illum quotidie docet, quid hominis durationem conſeruet, quidue eumdem deſtruat. Ergo gaudet iudicio et delectu boni et mali.

Hoc argumentum poſt Grotium praecipue vrget doctiſſimus Anglus, RICHARDVS CVMBERLANDVS *de legibus naturae, cap. 2. §. 4.* vbi ſimul docet, has praeclaras facultates, homini conceſſas, nihil aliud fore, quam gladium in manu furioſi, niſi accederet ius, quod illas dirigat.

§. 10.

Duobus his argumentis Grotius probauit dari ius naturae proprie dictum, quod alias ius perfectum, item iuſtitia expletrix vocatur: iam demonſtrat etiam dari ius imperfectum, vel iuſtitiam attributricem. En tertium argumentum:

Si diſcrimen eſt boni et perfectionis maioris et minoris, eſt etiam naturale aliquod iurium diſcrimen.
Verum eſt prius.
Ergo et poſterius.

Iuſtitia enim attributrix reſpicit ad meritum vel indigentiam perſonae. Prout illud vel haec maius minuſue eſt, ita et iura differunt.

runt. E. g. maius bonum nobis ſunt parentes, quam alii conciues; ergo iis plus debemus obſequii et honoris, quam illis. Maior eſt perfectio hominis docti, quam indocti. Ergo illi plus praemiorum debetur, quam huic. Quum itaque ea facultate inſtructi ſimus, vt poſſimus diſcernere, quid altero ſit melius et perfectius, vel peius et imperfectius, ſequitur, vt et iure aliquo obligemur ſingulis tribuendi, quod eorum perfectiones et qualitates exigunt.

§. 11.

Sequitur quartum argumentum, quod tamen omnium primum eſſe debuiſſet. Argumentatur enim:

Si omnes agnoſcimus Deum aliquem, ſequitur, vt et eius praeceptis parere teneamur.
Si praeceptis eius tenemur, obligamur.
Si obligamur, etiam ius aliquod eſt, quod nos obligat.

Meretur totus §. ponderari, ex quo ſequentes quaeſtiones fluunt:

1. An recte dixerit Grotius, ius aliquod fore, ſi vel maxime non ſit Deus?
2. Vnde ſciamus, nos praeceptis diuinis obligari?
3. Quomodo ad notitiam horum praeceptorum perueniamus?

I. Quod ad quaeſtionem primam attinet: non ſolus Grotius ita loquitur, ſed et ſcholaſtici omnes, qui miro conſenſu docent, ius naturae fore, etiamſi non ſit Deus, vel aliquid iuſtum eſſe *antecedenter ad Deum.*

Dicunt enim 1. ipſam rectam rationem docere, ſocietatem humanam conſiſtere non poſſe, ſi vnicuique liceret furari, adulteria committere, occidere. Hinc etſi Deus numquam dixiſſet: ne furare, ne occide, tamen vnumquemque, qui rationem ſequi velit, ſecum cogitaturum, ſibi ab his facinoribus abſtinendum eſſe. Ex quo ſequi putant, vt ius aliquod futurum eſſet, etſi non eſſet Deus.

2. Idem probant experientia. Nam ſi conſideremus atheos in re publica viuentes, ii plerumque ciuiliter boni ſunt, et id de pleriſque atheis oſtendere conatus eſt Bailius in *Dictionario hiſtorico et critico* ſub articulis: *Spinoza*, *Zenon*, et aliis. Cur vero? quia ratio eos docet abſtinendum eſſe ab his criminibus, etſi non eſſet Deus. Inprimis vrgeri poſſet exemplum Sinenſium. Maximi hi ſunt Spinoſiſtae, nihilque eorum philoſophia differt a dogmatibus

Spinozae : et tamen LEIBNITIVS in *praefatione nouiſſimis Sinicis* praemiſſa docet, non eſſe vllam gentem iuſtitiae ſtudioſiorem Sinenſi. Quis itaque dubitet, iuri naturali locum fore, etiamſi non ſit Deus?

Sed falſiſſima nihilominus haec eſt doctrina. Nullum enim ius eſt ſine obligatione, nulla obligatio ſine lege, nulla lex ſine legiſlatore. Si ergo ponamus, non eſſe Deum, nec legiſlator eſſet, nec lex, nec obligatio: adeoque nec ius.

Ad argumenta in contrarium allata facile poteſt reſponderi. Obligatio vel proprie ſumitur, vel improprie. Proprie accepta eſt iuris vinculum, quo a ſuperiore obſtringor ad aliquid faciendum, vel omittendum. Et huius effectus eſt ius. Qui enim obligationi ſuae non ſatisfacit, iniuſtus vocatur, et poena adficitur.

Improprie vero obligari dicimur, quoties nos proprii commodi contemplatione ad aliquid faciendum vel omittendum ferimur. Et huius effectus non eſt ius, ſed prudentia. Qui enim nec id facit, quod ſibi vtile fore animaduertit, is imprudens, non iniuſtus dicitur, nec poena adficitur, ſed damnum ſua culpa ſentit.

Res exemplo fiet clarior. Miles obligatus eſt parere duci ſuo. Id legiſlator iubet: niſi illi paret, tamquam iniuſtus punitur. Eſt ergo haec obligatio propria. At et aegrotus exiſtimat ſe obſtrictum eſſe, vt pareat medico. *Nulla lex id iubet, ſed propria vtilitas ſuadet. Si non paret, non iniuſtus habetur, ſed imprudens.* Nec punitur, ſed damnum ſentit.

Iam facile patet, cur et vtilitas publica ipſis atheis perſuadeat, vt vitent grauiora facinora. Non haec obligatio propria eſt, ſed impropria, non omittunt peccata, ne contra ius peccent, ſed ne damnum patiantur. Itaque ſi Deus non eſſet, poſſet quidem contingere, vt homines ea facerent, quae ius naturae iubet, ſed non ea facerent, vt iuri naturae pareant, ſed vt proprio commodo velificentur.

II. Quaeſtio ſecunda eſt, vnde intelligamus, nos eſſe *obſtrictos*, vt Deo pareamus? *Reſp.* ex dependentia *noſtra*. Contemplantes enim nos ipſos, animaduertimus, 1. nos non eſſe a nobis ipſis, quia nihil a ſe ipſo eſt, niſi quod aeternum eſt: 2. Deum non ſolum exſiſtentiam nobis dediſſe, ſed et illam conſeruare, quum ne per momentum quidem ipſi durationem noſtram continuare poſſumus.

Quum

Quum ergo Deus et exſiſtentiam nobis dederit, et eam conſeruet: ſequitur ſane., vt et eius voluntati parere teneamur. Nam is, a quo dependemus, eſt ſuperior. Qui ſuperior eſt, inferiori poteſt leges praeſcribere. Qui leges praeſcribere poteſt, ei parere tenemur. Itaque Deo parere tenemur.

§. 12.

III. Sed vnde intelligimus hanc voluntatem Dei? Tertia haec eſt quaeſtio, paucis expedienda. *

Reſp. Deum poſſe bifariam voluntatem ſuam promulgare: vel per rationem, vel per reuelationem.

Per rationem, quoties ratiocinando adſequi poſſumus, quid Deus velit fieri; e. g. nos non debere occidere, debere contra pacta ſeruare, cet. Per reuelationem, quoties ratiocinando id ſane non poſſumus, ſed ex verbo quodam diuino vel ore prolato, vel ſcripto. Sic ratiocinando numquam intellexiſſet Abrahamus, ſibi opus eſſe circumciſione, niſi Deus id ei reuelaſſet. Nec hodie poſſemus intelligere, Chriſtianos eſſe baptizandos, niſi S. S. id doceret.

Ex eo ſequitur, ius diuinum duplex eſſe, naturale, et voluntarium.

Naturale, quod ex ratione addiſci poſſet, etiamſi non exſtaret decalogus, vel S. S. e. g. non eſſe occidendum.

Voluntarium, quod non niſi ex reuelatione addiſci poteſt, veluti leges V. T. de ſacrificiis, et quae hodienum obtinent leges de gradibus conſanguinitatis et adfinitatis prohibitis.

Quod vero ius naturale ex ratione intelligi poſſit, ius voluntarium intelligi non poſſit, id exinde eſt, quod illud naturalem connexionem habet cum natura humana, hoc non habet. Conf. de hac diſtinctione infra *lib. I. cap.* 1. §. 13.

* Notetur falſa deriuatio vocabuli IVS ſub finem paragraphi propoſita. Non enim ius dicitur a *Ioue*, ſed a *iubendo*. A iubendo eſt *iuſſum*, a iuſſo, *ius*. Vid. GRONOV. *Not. ad h.* §.

§. 13.

Docet ea occaſione Grotius, cur Deus leges ſuas naturales, quae iam ex ratione innoteſcunt, reuelatione veluti de nouo promulgarit, e. g. in decalogo?

Factum id eſt, 1. quia non omnes homines ea ratiocinandi facultate pollent, vt poſſint ſine reuelatione ſpeciales quaſuis leges ſcire.

2. Quia adfectus ſaepe abripiunt homines, vt non ratiocinentur, e. g. dum libido hominem vrit, parum ratiocinatur, iuſtum iniuſtumue ſit quod agat, ſed commiſſo demum delicto, tum conſcientia ratiocinari incipit.

§. 14.

Vt ad ius naturale redeamus: quamuis id ex recta ratione iam ſatis innoteſcat, magnum tamen robur ei ex hiſtoria ſacra accedere ait. Ea enim docet nos, ab iiſdem omnes primis parentibus deſcendere. Ex hoc vero ſequitur, 1. vt cognatio quaedam ſit inter homines omnes, 2. vt ſocialiter viuere debeant, 3. vt omnes ſe agnoſcant aequales, 4. vt nemo alterum laedere debeat, cet.

Sed hoc argumentum inter Chriſtianos tantum robore quodam pollet, vnde magis illuſtrat, quàm probat.

§. 15.

Sed fupereſt vltima quaeſtio, quae occaſione huius argumenti tertii tractatur: quid opus ſit iure ciuili, quum habeamus ius naturae et gentium ab ipſo Deo datum, et vnde oriatur ius ciuile?

I. Neceſſarium fuit ius ciuile, 1. quia naturale caret medio cogendi et coërcendi. Vetat e. g. homicidia, ſed non addit, ſupplicio affectum iri, qui occiderit. 2. Quia in ſocietate humana multi ſunt actus indifferentes, qui ob communem rei publicae ſalutem reſtringendi ſunt, ſic e. g. venari, piſcari, donare, teſtari, ſunt actus indifferentes, in ſe nec boni, nec mali. Sed intereſt tamen ſocietatis ciuilis, ne omnes promiſcue venentur, piſcentur, ne pro lubitu donent, legent, teſtentur. Ergo opus fuit legibus ciuilibus.

II. Vnde vero leges ciuiles originem habent? Ex pactis, reſpondet Grotius. Homines enim in ſtatu et libertate naturali viuentes non potuere aliter in res publicas coaleſcere, quam per pacta. Pacti enim primo ſunt, ſe rem publicam conſtituturos: pacti ſunt, ſe hac vel illa imperandi forma vti velle: pacti denique, ſe huic vel monarchae vel concilio ſe voluntates ſuas ſubmiſſuros. Ex eo ergo pacto naſcitur obligatio, et iuri ciuili parendi. Et

eatenus

eatenus recte veteres definiuere, legem eſſe communem ſponſionem ciuitatis. *l.* 1. *et* 2. *D. de legib.*

§. 16. 17.

Sequuntur quintum et ſextum argumentum, quibus demonſtratur, ius aliquod eſſe, quorum alterum ab indigentia humana, alterum a relatione gentium inter ſe deſumitur.

I. Ex indigentia humana ita argumentamur:

Si Deus nos voluit eſſe multarum rerum indigos, ſequitur, vt voluerit hominem homini ſubuenire.
At homo homini ſine iure quodam cogente non ſubueniret.
Ergo voluit eſſe ius quoddam.

Conſideremus infantes: quam indigi ſunt auxilii humani? et quis infans ad iuſtam aetatem perueniret, niſi eſſent, qui iis victum, amictum, et reliqua neceſſaria ſuppeditarent? Quis autem ſuppeditaret, niſi ius cogeret parentes, propinquos, tutores? Ergo Deus, qui non voluit infantes perire, omnino ius aliquod conſtituit, eoque certas perſonas obligauit, vt eis ſubuenirent. Ergo eſt aliquod ius.

II. Ex relatione gentium inter ſe argumentamur:

Si gens ſine gente ſubſiſtere non poteſt, ſequitur, vt inter eas ius ſit commune.
At verum eſt prius.
Ergo et poſterius.

Gentem ſine gente ſubſiſtere non poſſe, probat experientia. Opus enim eſt commerciis, quibus vnius indigentia alterius copiis ſuppleatur. Opus eſt auxilio gentium aduerſus adgreſſores, opus eſt foederibus, legationibus, cet. Atqui haec omnia non eſſent, niſi communi aliquo iure continerentur. Ergo eſt ius gentium omnibus commune, adeoque datur ius aliquod naturale. Conf. §. 2. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu. verb. ius autem gentium omni humano generi*, cet.

Sed an a iure gentium recte argumentari licet ad ius naturae? Licet omnino. Nam *ius gentium* proprie nihil aliud eſt, quam ius naturae negotiis gentium adplicatum. Adeoque non ſunt diuerſa iura, ſed vnum idemque, quod a diuerſis obiectis, quibus adplicatur, diuerſa nomina ſortitur.

§. 18.

§. 18.

Antequam ad vlteriora progrediatur auctor, duas obiectiones euertit, quarum altera eſt CARNEADIS, altera HORATII.

CARNEADES ſtultitiam dixerat iuſtitiam, idque ita probauerat. Stultus eſt, qui vtilitatem ſuam negligit, et alii potius, quam ſibi prodeſt. Atqui, qui iuſtitiam colit, propriam vtilitatem negligit, aliiſque potius, quam ſibi prodeſt. Ergo, qui iuſtitiam colit, ſtultus eſt.

Minoris veritas in oculos incurrere videtur. Nam e. g. iuſtus, etiamſi altero pauperior ſit, tamen non furatur, dum iuſtitiae cauſſa a furto abſtinet; propriam vtilitatem negligit, et alteri potius, quam ſibi prodeſt. Et hinc Carneadi ſtultus videtur.

Sed reſp. I. diſtinguendum eſſe inter vtilitatem veram et adparentem. Qui furatur, non veram, ſed apparentem vtilitatem ſectatur. Quae enim haec eſt vtilitas, aliquot numis fieri ditiorem, et eo ipſo amittere bonam exiſtimationem, excidere hominum conſortio, omnis fidei et ſecuritatis iacturam facere? Deinde 2. diſtinguendum inter vtilitatem praeſentem et futuram. Qui enim iuſtitiam colit, vtut praeſentem vtilitatem negligat, eo ipſo tamen in futurum ſibi conſulit, dum tranquilli animi eſt, dum non metuitur, ſed amatur, dum nec alios metuere tenetur. Ergo negamus, eum, qui iuſtitiam colit, vtilitatem propriam negligere.

§. 19.

Altera obiectio eſt HORATII ex *Sermon. lib. I. ſat. 3.* Eius ſunt verba:

Iura inuenta metu iniuſti, fateare neceſſe eſt.

Exiſtimat itaque Horatius, ius non tam ideo inuentum eſſe, quod aliquid ſua natura iuſtum iniuſtumue ſit, ſed ex metu hominum iniquorum. E. g. adulterium non ideo prohibitum, quod id rationi vel naturae humanae repugnet, ſed quod metuerint homines, ne parum tuta futura ſint matrimonia, niſi prohiberentur. Quaeritur itaque, an haec ſententia ſit admittenda?

1. Diſtinguit Grotius inter ea inſtituta, quae connexionem cum natura humana habent, et quae ad *exſecutionem iuris reperta* ſint. Priora non praecipiuntur aut prohibentur, *ob metum iniuriae*; ſed quia ſua natura iuſta vel iniuſta ſunt, vt, pacta eſſe ſeruanda, neminem laedendum. At poſteriora omnino ex metu re-

perta,

perta, e. g. ne quis armatus ad iudicium veniat; ne milites vigilias deſerant.

2. Sed magis perſpicuae huius theſeos falſitas poteſt demonſtrari inde, quod quaedam iura locum haberent, etiamſi nulli alii eſſent homines, e. g. hominem teneri colere Deum, hominem debere ſe ipſum conſeruare. Sane haec iura ex metu non poſſunt eſſe profecta, quia locum etiam haberent, etiamſi nullus eſſet in mundo homo, quem metuas.

§. 20.

Reliquum eſt ſeptimum argumentum, quo demonſtratur, eſſe aliquod ius naturae, quod Grotius ex conſcientia humana petit. Ita enim ratiocinatur:

Si ſunt morſus conſcientiae in male agentibus, tranquilla contra conſcientia in probis, ſequitur, vt ſit aliquod ius omnibus hominibus commune.
At verum eſt prius.
Ergo et poſterius.

Antecedens tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Neque enim experientia nos ignorare patitur, tranquillum eſſe animum, recti ſibi conſcium, contra laniatus ſentire, qui male egit. Et hae furiae ita ſaepe agitant maleficos, vt malint ſibi manus inferre violentas, quam iſta tormenta perſentiſcere.

Conſequentia autem paullo adcuratius demonſtranda. Eam demonſtramus ex ipſa definitione conſcientiae. *Conſcientia* eſt ratiocinatio vel ſyllogiſmus de noſtris actionibus, quo ad liquidum perducere conamur, iuſtae an iniuſtae ſint. Si ergo homines natura ratiocinantur de actionibus, iuſtae an iniuſtae ſint, oportet aliquod ius eſſe. Nam hoc niſi eſſet, nihil vel iuſtum vel iniuſtum poſſet adpellari.

Sed obiiciunt athei, inprimis TOLANDVS in *Tito Liuio* vel tractatu *de ſuperſtitione*: conſcientiae morſus non tam ex conſideratione iuris naturalis proficiſci, quam ex iure ciuili, ex metu nimirum poenae. Nam homicidam non ideo angi, et ſtimulis conſcientiae ſauciari, quod hominem occiderit, ſed quod ſciat, homicidis imminere ſupplicium capitale.

Sed reſp. id falſum eſſe, idque inde probamus, quod illos conſcientiae ſtimulos et ii perſentiſcant, qui non poſſunt metuere

ſupplicium, e. g. ſummi imperantes. Exemplum eſt in Nerone apud SVETON. in *Neron. cap.* 34. Accedit, quod conſcientiae tormenta et illi ſenſerunt, quorum facinora non poena, ſed praemia manebant. Sic Iudae, Chriſto tradito, non vlla imminebat poena, ſed praemia ampliſſima. Et tamen tam ſaeuos conſcientiae cruciatus perferebat, vt ſuſpendio vitam finire mallet, quam diutius ferre conſcientiae morſus.

Quis ergo ius eſſe negauerit, ab ipſa conſcientia conuictus? Conf. WESTENBERG. *de cauſſ. obligat. Diſſ. II.* §. 2. *ſeqq.* vbi hoc argumentum vlterius perſequitur.

§. 21.

Finita hac demonſtratione aliquot conſectaria inde elicit Grotius, quibus inſignem iuris vtilitatem demonſtrat.

Plerique homines optime ſibi conſultum fore exiſtimant, ſi ſine lege eſſent, ſine iure viuerent. Hinc iura et leges vulgo odio habentur. Sed contrarium probat auctor.

1. Quia nemo ſine iure ſecurus eſſet. Nullum eſt animal magis improbum homine, qui ambitione, auaritia, libidine in quaeuis praecipitia rapitur. Huic impotenti hominis libidini frenum nulla alia re iniicitur, quam iure. Sine iure et lege vita piſcium viueretur, maior deuoraret minorem. Conf. verſus elegantes HESIODI, quos auctor infra adfert *lib. I. cap.* 1. §. 11. 1.

§. 22. 23.

2. Quia nec gentes ſine iure ſecurae eſſent. Quamuis enim gens ſit potentiſſima, et opulentiſſima, carere tamen non poteſt commerciis et foederibus. Haec vero nulla eſſent ſine iure.

3. Quia ne ſocietas quidem humana ſine iure ſubſiſteret. Societas enim omnis per pacta coaleſcit. Pacta vero eſſent fruſtranea, niſi ius eſſet, quod pacta ſeruari iuberet. Hinc Grotius ad hunc §. eleganter obſeruat ex Ariſtotele, quod nos ſupra ex Cicerone obſeruauimus, ne latronum quidem ſocietatem ſine iure poſſe contineri. Quanto minus ſocietas totius humani generis?

§. 24.

4. Quia nec pax ſecura eſſet ſine iure. Pax enim eſt pactum: nulla autem pacti ſine iure eſſet obligatio.

Elegans

Elegans eſt apophthegma, quod hac §. refert Grotius, quidam rex Spartanorum dixerat, beatiſſimam eſſe rem publicam, cuius fines haſta et gladio terminarentur, id eſt, quae quam latiſſime circumferret arma victricia. Pompeius id corrigens dicebat, beatiſſimam eſſe rem publicam, quae iuſtitiam pro finibus habeat. Et recte. Nam

1. Arma ſine iuſtitia ſunt latrocinium.
2. Fortitudo nulla eſt ſine iuſtitia: is enim eſt fortis, qui pro aequitate pugnat.
3. Res publica quae arma iniuſta expedit, omnibus exoſa eſt.

§. 25. 26. 27.

Diximus ſupra ad §. 3. 4. 5. auctori noſtro rem eſſe cum duorum generum hominibus. Alios enim negaſſe, ius aliquod eſſe: alios id conceſſiſſe quidem, ſed negaſſe tamen, ius belli eſſe. Quum itaque priorem errorem iam ſatis profligarit Grotius: intereſſe ſua exiſtimat, etiam poſteriorem refellere, quia alias abſurde ſcripſiſſet IVS BELLI ET PACIS, niſi ius aliquod in bello eſſet.

Quinam auctores ius in bello negent, iam ſupra vidimus §. 3. 4. quae hic conferri poſſunt. Eos errare his argumentis demonſtramus.

1. Quia bellum eſt loco iudiciorum. Duo enim ſunt ſtatus hominum, naturalis et ciuilis: ille inter hos, qui non ſubſunt communi imperio, hic inter eos, qui ſub vno imperio viuunt. In ſtatu ciuili controuerſiae a iudice iure definiuntur: in ſtatu naturali iudex nullus eſt, ergo opus eſt bello, adeoque bellum eſt loco iudiciorum. Quemadmodum vero norma iudiciorum ius eſt, ita nec bellum ſine iure intelligitur. Hinc Alexander M. quum omnibus promiſcue bellum inferret, non quod iuſta belli cauſſa eſſet, ſed quod vtile putaret, gentes ſubiugare: dictus eſt a Scythis *latro generis humani*.

Obiicere quis poſſet vulgatum illud: *ſilent leges inter arma*: nec non illud Pompeii, qui a Mamertinis legatis ex legibus conuictus: *armatas*, inquit, *leges vt cogitem?* PLVTARCHVS in *Vita Pompeii*. Sed reſpondetur.

1. Silere in bello leges ciuiles, non naturales. Nam e. g. omnino abſurdum eſſet, ſi hoſtis putet, ſe aduerſus hoſtem inſtituere poſſe actionem legis Aquilliae, quod ille ſibi damnum intule-

 rit:

rit : at nihilominus recte dicitur hoſtem peccare aduerſus ius naturae, ſi virgines conſtupret, infantes animi cauſſa occidat, homines multis cruciatibus adficiat. Hae leges iuris naturae non ſilent inter arma.

2. Quia et in bello conſcientia docet aliquod ius eſſe. Nam milites conſcientia iuſtae cauſſae fortius pugnant, ciues libentius conferunt ſumtus belli : hoſtes contra ſceleris ſibi conſcii plerumque facilius deſpondent animum. Hinc Athenienſium fortitudo in bello Marathonio. Vid. CORN. NEP. in *Vit. Miltiad.* Hinc Iugurthae metus in bello aduerſus Romanos, de quo Salluſtius refert, eum nec in duce, nec in milite habuiſſe fiduciam, ac omnia tuta metuiſſe. Si ergo tanta conſcientiae vis etiam in bello eſt : ſequitur ſane, vt et belli aliquod ius ſit. Nam paullo ante probauimus, ex conſcientia humana demonſtrari poſſe exſiſtentiam iuris naturae.

§. 28. 29.

Hactenus pars generalis : ſequitur ſpecialis, in qua auctor exponit,

1. *Conſilium ſuum*, §. 28-31.
2. *Partitionem operis*, §. 32-35.
3. *Eius neceſſitatem*, §. 36-38.
4. *Subſidia, quibus vſus*, §. 39-55.
5. *Leges quaſdam, quas ſibi in toto opere dixit.* §. 56. *ad fin.*

I. Conſilium ſuum auctor exponit hac §. 28. Ait enim, ſe expoſiturum eſſe ius inter populos commune, quod et ad bella, et in bellis valeat. Quod nullum aliud eſt, quam ius gentium, id eſt, ius naturae diuerſis gentium negotiis adplicatum. Vnde facile animaduertimus, quid interſit inter Grotium et reliquos ſcriptores iuris naturae.

PVFENDORFFIVS non modo ius gentium tractat, ſed et ius naturae. Nam et hominum, et ciuium officia erga Deum, ſe ipſos, et proximum late exſequitur. Idem conſilium eſt HOBBESII in libello *de ciue*, et in *Leuiathane*. Sed Grotius potiſſimum tractat iura belli et pacis, id eſt, iura gentium.

Equidem multa hinc inde occurrunt, quae ad ius naturae pertinent, veluti *lib. II.* a *cap.* 2-17. de adquiſitione rerum, de contractibus, de promiſſis, et praecipue de iureiurando. Sed haec omnia Grotius non tractat tamquam negotia hominum et ciuium, ſed tamquam negotia gentium.

Cete-

Ceterum conſilii ſui ſcribendi ius gentium duas cauſſas allegat Grotius, quarum prior his §§. poſterior duabus ſequentibus tractatur.

Prima eſt, quod circa bellum duas eſſe animaduerterit plane contrarias ſententias. Nimirum

1. Alii peccant in exceſſu, vt omne ius in bello ceſſare exiſtiment partim in eo ſuſcipiendo, partim in eodem gerendo.

2. Alii in defectu, vt omne bellum iniuſtum putent, et Chriſtianis indignum. Eius ſententiae patroni fuere olim TERTVLLIANVS in libro *de reſurrectione carnis*, IOANNES FERVS, monachus Franciſcanus ſaeculi decimi ſexti, vir admodum moderatus in *Commentariis ad SS. paene omnibus*, ERASMVS ROTERODAMVS in *Milite Chriſtiano*, et ex ipſis commentatoribus Grotii Io. a FELDE in *notis ad h. §.* vbi abſurde vir ille argumentatur, quia ius naturae inter homines magis exigat iudicia, quam bella, multo minus inter ſe bella gerere debere Chriſtianos, quaſi in ſtatu naturali locum habeant iudicia.

Quum itaque vtraque ſententia falſa ſit, Grotius dicit, ſe medicinam vtriſque voluiſſe adhibere, tum ne nihil, tum ne omnia licere crederentur. Adeoque egregie defendit, licere bellum gerere, ſed et praeclare docet, in bello non promiſcue omnia licere.

§. 30. 31.

Altera cauſſa, quae Grotio perſuaſit, vt huic operi manum admoueret, haec erat, vt iuris prudentiae etiam exſul conſuleret.

1. Notum eſt, iuris prudentiam conſtare ex iure naturali, gentium, et ciuili. *l. 1. §. 2. D. de iuſtit. et iur.* Itaque non poteſt non egregie conſulere iuris prudentiae, qui haec confuſa digerit, et naturalia, et gentium iura a reliquis ſeiungit. Ita enim, quae certa ſint, quae immutabilia, quae vbique eadem facile addiſcere licet.

2. Ex iure naturae pleraeque fluunt etiam ciuilium iurium rationes. Quae vtilitas denuo egregia eſt. Sic e. g. tota lex Rhodia de iactu, et maxima pars doctrinae de quaſi contractibus ad ius quidem ciuile pertinet, ſed ratio tamen eius iuris repetenda eſt ex iure naturae, quod docet, neminem debere cum alterius damno locupletari.

3. Inprimis egregie Grotius conſuluit iuri publico vniuerſali. Id enim quum ante Grotium paene ignoraretur, eius opera primum caput exſeruit tenebris. Hinc vere dici poteſt, Grotium plus iuris prudentiae profuiſſe, quam centum leguleios vel rabulas, qui magna commentariorum, ſyſtematum, deciſionum volumina reliquerunt.

Ceterum quod Grotius §. 31. optat, vt plures ſingularibus materiis huius iuris manum admouerent, id poſtea contigit. Nam

1. *De iure circa ſermonem* ſcripſit VFFELMANNVS tractatum plane incomparabilem.
2. *De iuribus maieſtatis* CASP. ZIEGLERVS, cuius liber omnibus eruditis in deliciis eſt.
3. *De iudicum officio* idem edidit libellum egregium, quem vocat *Dicaſticen*.
4. *De legatis* multa praeclare collegerunt WICQVEFORT et MARSELAER.
5. *De foederum iure* WAHRMVND *ab* EHRENBERG in *Meditamentis*.

Alios huius generis auctores infra ſuo loco paſſim laudabimus.

§. 32-35.

II. Sequitur iam operis totius partitio, quam hoc verſiculo complecti ſolent interpretes.

Quid bellum? belli cauſſae? quae iuraque belli?

Habemus tres libros Grotii. Nam

Libro primo agit de bello generatim, et quaerit, quid bellum ſit? an liceat gerere bellum? quid bellum publicum et priuatum? et denique qui bellum gerere poſſint?

Libro II. de belli cauſſis, quales ſunt ex mente Grotii 1. defenſio rerum noſtrarum, *cap.* 1. 2. exactio eius, quod noſtrum eſt, vel reparatio iniuriae, *cap.* 2-15. 3. poena. *cap.* 16. *ad fin.*

Libro III. de iuribus belli 1. in laedendo hoſte *cap.* 1-5. 2. in adquirendo res hoſtiles *cap.* 6-18. 3. in pactis cum hoſte initis. *cap.* 19. *fin.*

§. 36.

III. Neceſſitatem huius ſcriptionis ſuae inde demonſtrat Grotius, quod huius modi opus nec a recentiore compoſitum, quod ſuis numeris abſolutum ſit. ARISTOTELIS enim liber *de iure belli* periit.

periit. CICERONIS liber *de officiis* magis ad iura priuata, quam publica pertinet. AMBROSII libellus *de officiis* magis catecheſin aliquam refert, quam opus politicum. Quin LVD. ELLIES *du* PIN dans *la Bibliothéque des Auteurs ecclésiaſtiques* obſeruat, in codicibus mſſ. hunc libellum inſcribi *de officiis clericorum*.

Optat Grotius, veterum Chriſtianorum aliquem huius modi quid ſcripſiſſe, patrem nimirum aliquem eccleſiaſticum. Sed, ſi video quid video, parum vtilitatis ex huius modi ſcriptione caperemus. Nam 1. patres eccleſiae tantum non omnes fere expertes fuiſſe principiorum moralium, egregie docuit BARBEYRACIVS in *praefatione Puſendorffio praemiſſa*, §. 9. *pag.* 22. 2. Eoſdem plane ignaros fuiſſe rerum ciuilium, res ipſa docet.

Vnde nec multûm iuuant caſuiſtae. Qui enim caſus conſcientiae definiunt, id faciunt ex S. S. Iura vero belli non modo ex S. S. ſed et praecipue ex recta ratione et principiis moralibus petenda. Vnde omnino neceſſarium fuit huius modi opus, cui ſolus par erat Grotius.

§. 37 - 38.

Ex recentioribus quibuſdam de belli iure ſcripſerunt theologi aeque ac ICti, quos recenſet §. 37.

FRANC. *de* VICTORIA, theol. Hiſpanus, Salamanticae profeſſor, ſcripſit librum *de Indis et iure belli*, vbi diſceptat, an iure Indis occidentalibus bellum intulerint Hiſpani? Sed facile patet, quam egregium quid ea in re potuerit ab Hiſpano homine exſpectari?

Similia ſunt ſcripta HENR. GOCICHEMI, WILH. MATTHAEI et IO. CARTHAGENA, pontificiorum theologorum, qui iura belli ex falſiſſimis theologiae ſcholaſticae et iuris canonici principiis explicant: quemadmodum IO. LVPVS, FR. ARIVS, IO. *de* LIGNANO, et MART. LAVDENSIS ICti ex iure ciuili et legibus Corporis iuris. Hinc abſurdiſſimas concluſiones defendunt, e. g. potuiſſe Hiſpanos Americanis bellum inferre, quia fuerint Barbari, ethnici, ἀνθρωποφάγοι. Poſſe Chriſtianos Turcis bellum perpetuum inferre, quod ſint infideles, et ſepulcrum ſanctum poſſideant. Iuſtum fuiſſe bellum Hiſpanorum cum Eliſabetha, Angliae regina, quia fuerit haeretica. Quid ab hiſce hominibus ſani exſpectandum? Durior procul dubio fuiſſet auctoris cenſura, niſi in Gallia inter pontificios ſcripſiſſet. Sed ſic modeſte eos notat ex duabus tantum cauſſis:

1. Quod

1. Quod confuderint iura naturae, gentium, ciuilia, et canones.

2. Quod lumine hiſtoriarum caruerint. Hinc reliquis ſcriptoribus praefert tres ICtos,

a) Petrvm Fabrvm, Cuiacii diſcipulum, ſed in Graecis doctiorem ipſo magiſtro, cuius egregia plane exſtant *Semeſtria*, quae libris III. conſtant. Eſt opus miſcellaneum, ſed in quo plura iuris gentium, publici, et priuati capita praeclare illuſtrauit.

b) Balth. Ayalam, Antwerpienſem, et poſtremo in ſuprema Mechliniae curia ſenatorem, qui obiit 1584. Scripſit librum *de iure, officiis bellicis, ac militari diſciplina*. Nam ipſe aliquamdiu praetorem vel iudicem bellicum egerat in exercitu Hiſpanorum. Vid. Franc. Swertii *Athenas Belgicas*.

c) Alber. Gentilem, cuius exſtant *Aduocatus Hiſpanicus*, libellus *de iure maris*, et alia. Sed in his tamen haud pauca deſiderantur. P. Faber non ſcripſit iuſtum ſyſtema, ſed hinc inde quaſdam materias illuſtrauit: Balth. Ayala non egit de cauſſis belli iuſtis: Alb. Gentilis nec ordinem ſeruat, nec iura naturalia et poſitiua diſcernit, nec omnes quaeſtiones tractat, et magis exemplis et auctoritatibus nititur, quam rationibus. Vnde hi non obſtare potuerunt Grotio; de iure belli et pacis ſcripturo.

§. 39.

Poſtquam, quid ſibi conſilii ſit, explicauit auctor, quaeſtio ſequitur, ex quibus fontibus Grotius ius naturae et gentium deduxerit? Reſp. ex rationibus et principiis huius modi, quae non magis poſſunt in dubium vocari, quam quae ſenſibus percipiuntur, e. g. triangulum includi tribus lineis.

Eſt hoc ipſum principium: *ſocialiter eſt viuendum*, de quo §. 8. Ex hoc enim per iuſtam ratiocinationem omnes deinde fluunt doctrinae reliquae. Quum itaque ſocialitatis deſiderium omnium pectoribus tam alte inſideat: facile patet, cur ius naturae dicatur omnium cordibus inſcriptum. *Rom.* 2. non actu, quaſi haec omnia nobiſcum naſcantur: ſed potentia, quia hoc principium tam clarum eſt, vt, niſi obbruteſcat homo, is ſtatim concluſiones omnes peruidere poſſit quam facillime. Non naſci nobiſcum ius naturae, demonſtratur 1. exemplo infantum, 2. ex natura embryonis, qui nec reſpirat in vtero materno, nec cogitat, 3. exemplo eorum, qui ita obbruteſcunt, vt plane negare audeant principia iuris naturae, e. g. adulteria, furta non eſſe peccata.

§. 40. 41.

§. 40. 41.

Et hoc in principio adquieſcere debuiſſet Grotius. Sed praeter ſocialitatem et teſtimoniis philoſophorum, hiſtoricorum, poëtarum, et oratorum ius gentium probari poſſe putat. Dicit enim ius gentium eſſe ius a multis gentibus receptum. Quid a multis gentibus receptum ſit, ex his auctorum teſtimoniis liquere; ergo ex his auctorum teſtimoniis liquere ius gentium.

Sed hoc in Grotio permulti reprehenderunt, et maxime ipſe Pufendorffius. Nam

1. Non recte definitur ius gentium, quod apud multas gentes receptum ſit, ſed quod naturalis ratio inter omnes peraeque gentes conſtituit. Illud pertinet ad mores gentium; hoc ad ius gentium.

2. Mores quidem gentium probari poſſunt ex teſtimonio auctorum: ſed non ius gentium, quod naturalem rationem habet. Illa quaeſtio eſt facti, quae teſtimoniis probatur, haec iuris, quae rationibus ſoluitur.

3. Falſum eſt, quod vbi multi diuerſis temporibus ac locis idem pro certo adfirmant, id ad cauſſam vniuerſalem referri debeat, id eſt, ad rectam illationem, ex naturae principiis procedentem, vti auctor loquitur §. 40. Nam ſic et idololatria, et πολυθεότης referri deberet ad ius naturae et gentium quam multi diuerſis temporibus ac locis defendunt.

Improbanda itaque haec methodus Grotii, quod ius gentium e teſtimoniis veterum arceſſit. Teſtimonia enim veterum non probant, ſed illuſtrant. Et hinc quod §. 41. promittit, non praeſtat. Promittit enim,

1. Se adcurate diſtinguere ius naturae et gentium: ſed non diſtinguit. Ius enim naturae ipſi eſt, quod ex ratione fluit, ius gentium, quod ex libera gentium voluntate. Quod falſum. Iam ſupra enim docuimus, non dari ius gentium a iure naturae diuerſum, nec haec iura aliter differre, quam adplicatione. Quod tam luculenter docuit PVFENDORFFIVS *de iur. nat. et gent. lib. III. cap. 3. §. 23.* vt nihil ſcrupuli reliquerit.

2. Se adcurate diſtinguere ius ciuile, et ius nat. et gentium, ius perfectum et imperfectum. Saepe enim ad iura gentium refert, quae ſunt iuris ciuilis, cuius rei exemplum infra in ſucceſſione teſtamentaria videbimus.

§. 42. 43.

Iam ad ipſos auctores, quos in conſilium adhibuit, pergit, vbi inter philoſophos primum locum concedit Ariſtoteli, ſed ita, vt facile pateat, eum renitente quodammodo conſcientia ſcribere. Eo tempore tyrannidem quamdam adfectauerant Ariſtotelici, ſola haec philoſophia vbique dominabatur. Ne crabrones irritaret, principatum hunc philoſopho relinquit, ſed ita, vt quaedam cordate moneat.

1. Non principatum hunc degenerare debere in tyrannidem, ſed cuique relinquendam eſſe prudentem ἐκλογὴν, vt ex omnibus ſectis, quod optimum, eligat. Et haec methodus eclectica vere optima eſt, quamuis in eam inuehantur et Ariſtotelici, et Carteſiani. Nam 1. methodus ſectaria homines perducit ad praeiudicium auctoritatis. Praeiudicia vero omnem intellectus aciem obtundunt. 2. Methodus ſectaria homines fingit infallibiles, et qui errare non potuerint, quum tamen id repugnet conſcientiae. Quia itaque nec omnes veritatem vidiſſe verosimile eſt, nec nullos: opus eſt ſelecta, adeoque philoſophia eclectica. Vid. ARN. WESENFELDIVS *de philoſophia ſectaria et eclectica.*

2. Quod non adcurate definiuerit virtutem, quod conſiſtat in mediocritate. Quid vero in reliquis doctrinis moralibus ſperandum eſſet ab homine, qui ne virtutis quidem ideam claram et diſtinctam animo concepit? Falſam vero hanc eſſe definitionem multis probat.

1. Quod inde ſequatur, vt liberalitas et parſimonia ſint eadem virtus.

2. Quod inde ſequatur, vitia quaedam dici, quae non exſtant, e. g. irae vacuitas.

3. Quod iuſtitiae nullus reperiatur exceſſus et defectus.

4. Quod quaedam vitia ex mente Ariſtotelis non ſint vitia, e. g. adulterium ex libidine, caedes ex ira.

5. Quod non ipſe exceſſus virtutis vitia facit, ſed modus in eius vſu non adhibitus, e. g. non qui Deum nimium colit, ſuperſtitioſus eſt, ſed qui perperam colit, non qui nimis liberalis eſt, vitioſus eſt, ſed qui praeperam liberalis, cet.

§. 46.

Philoſophos ſequuntur hiſtorici, ex quibus duplicem vtilitatem capi poſſe, putat Grotius, 1. exempla, et 2. iudicia. Vtraque autem prodeſſe putat ad demonſtrandum ius gentium. Sed hunc errorem

rorem iam profligauimus, diximuſque, ius gentium aeque ac ius naturae demonſtrandum eſſe ex recta ratione. Exempla autem et iudicia ex hiſtoricis non probant, ſed illuſtrant. Et hunc vſum habet hiſtoria temporum mediorum, id eſt, Romana ante bellum Punicum, Graeca ante bellum Peloponneſiacum. Nam poſtea, inquit VELLEI. PATERC. *lib. II. cap.* I. non gradu, ſed praecipiti curſu a virtute deſcitum ad vitia tranſcurſum, cet.

Sed quamobrem hiſtoriae non probant ius gentium? Id ita demonſtro. Nec exempla probant ius gentium, quia ius non ſpectat, quid factum ſit, ſed quid fieri debeat: nec iudicia, quia gentes de vno eodemque facto diuerſimode iudicant. Ergo plane ex hiſtoria ius gentium non demonſtratur.

E. gr. Tarquinii ſuperbi filius Aruns conſtuprauerat Lucretiam, quae ſibi ideo ipſa manus violentas inferebat. Hinc Brutus et vniuerſus populus regem eiiciebant regno. Si exempla ius faciunt: hoc et ſimilia exempla complura probabunt, poſſe legitimos reges eiici ob ſola liberorum delicta. Si iudicia ius faciunt, idem dicendum erit. Nam Graeci Romanique ſcriptores omnes hoc Bruti facinus collaudant, tamquam egregium: et tamen egerunt Romani contra ius gentium, vti infra demonſtrabimus, et praeclare iam demonſtrauit BVDDEVS in *Specim. iuris prudent. hiſtor.* quod exſtat in *Select. iur. nat. et gent.* Halae editis.

§. 47.

Vſus eſt Grotius et teſtimonio oratorum et poëtarum, ſed ipſe agnoſcit, eorum teſtimonia illuſtrare magis, quam probare, quin vix iis vllum ineſſe pondus. Nam I. oratoriae hoc eſt calliditatis, vt, cum opus ſit, eiſdem rebus ab vtraque parte, vel a contrariis vtantur. CIC. *orat. pro Cluent. cap.* 21. Poëtae fingunt, et HORATIO iudice:

- - - - - pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

Si ergo ex poëtarum relationibus iudicandum eſſet, et adulteria, et inceſtus defenderentur, ac ſi eſſent iuris gentium. Talia enim de diis, heroibus, et hominibus optimis referunt. Sin ex eorum ſententiis et iudiciis, et vitia horrenda ex iure gentium defenderentur.

§. 48.

Pergit ad libros V. T. et iis quoque ſe vſum fatetur. Qua

occaſione primo quaeritur, an ex libris V. T. peti poſſit ius naturae et gentium?

Adfirmat Io. BODINVS in *Colloquio heptaplomere* ſatis prauo *, vbi ius V. T. ipſum ius naturae eſſe contendit. Sed eum recte refutat Grotius. V. T. enim res innumeras inculcat, quae non nituntur ratione naturali, e. g. vt Iudaei ſe circumciderent, vt non vterentur veſtibus mixtis, vt vno tantum loco ſacrificarent, cet. Ait quidem Bodinus, quamuis harum legum rationes non intelligamus, tamen inde non ſequi, vt nullae ſint. Sed reſp. idem eſt ac ſi quis diceret, et bruta loqui, quamuis non audiamus. Et, ſi iſtas rationes non intelligere poſſumus, quommodo dici poſſunt eſſe iuris naturae; quum naturae ius ab omnibus percipi debeat.

2. Deinde obſeruat, ius diuinum poſitiuum et ius naturae non pugnare. Poſſet exiſtimari, id falſum eſſe, quum plane alia inculcet ius diuinum poſitiuum, quam naturale, immo ea, quae ius naturae plane ignorat, e. g. gradus prohibitos, circumciſionem, cet. ſed reſp. diſtinguendum inter aliud et contrarium. Alia inculcat ius naturae, ſed non contraria. Sic medicina et iuris prudentia non pugnant, quamuis alia doceat illa, quam haec.

Sed obiiciunt quidam, leges diuinas poſitiuas etiam contraria docere, e. g. ius naturae docet, non eſſe furandum, et tamen Deus dixit Iſraelitis, *abite, et mutuo a vicinis veſtris accipite vaſa aurea et argentea*; ius naturae prohibet parricidium, et tamen Deus iuſſit Abrahamum immolare Iſaacum. Hic varia comminiſcuntur interpretes. Sed rectiſſime Grotius dicit, diſtinguendum adcurate eſſe ius Dei, quod Deus per homines interdum exſequitur, a iure hominum inter ſe. Leges naturales et poſitiuae diuinae ea in re conſentiunt, quod non ſit furandum, vel occidendum: ſed haec officia homines tantum inter ſe ſeruare tenentur, nec ideo ſequitur, vt Deo non ſit ius homini vel bona, vel vitam eripere. Si id ius Deo eſt, poteſt etiam ex iuſtis cauſſis idem ius exſequi per homines. Iam facile patet, cur Deus iuſſerit ab Aegyptiis vaſa argentea et aurea accipi: quia id debebant Aegyptii Iſraelitis pro laboribus: ergo hic tamquam iudex Iſraelitas immiſit in bona Aegyptiorum. Deinde potuiſſet Deus Iſaaco vitam eripere, quam de-

derat.

* *Colloquium* iſtud *heptaplomeres* adhuc in manuſcripto latet, et eſt colloquium inter ſeptem perſonas diuerſarum religionum de religione. Habetur in bibliotheca Thomaſiana, qui et excerpta quaedam cum orbe erudito communicauit.

derat, potuiſſet et per patris manus eripere: ſed noluit tamen, et Abrahamum iuſſit id facere tentationis et typi cauſſa. Vnde hoc exemplum huc plane non pertinet.

3. Poſtremo remouet errorem, quod antiqui foederis in nouo nullus vſus ſit. Id quidem recte fecit; ſed cauendum tamen, ne omnia promiſcue recepta putemus. Diſtinguenda enim praecepta, quae nullam habent rationem, niſi typicam, e. g. vt abſtineant Iudaei a certis animalibus impuris, vt ne veſtibus ex lino et lana mixtis vtantur, vt leproſi certo modo expientur, cet. Nam de his demum vera ſunt, quae adicit Grotius: *nos contra cenſemus*, cet.

§. 49.

Quia itaque ſaepe vſus eſt V. T. libris: aequum etiam putauit, libros Hebraeorum adhiberi in ſubſidium, quia mores et ſermones patrios habuere percognitos. Sed rabbini iſti parum conferunt ad hanc ſcientiam. Nam

1. Fuere homines, qui clauem genuinam ad explicandam S. S. non habent, dum myſterium Chriſti ignorant, adeoque non poſſunt docere, quid in lege habeat rationem typicam, quid rationem moralem.

2. Omnes rabbini deſtituti ſunt ſcientia morali et politica, ſine qua leges interpretari velle, eſt nihil agere.

3. Omnes abundant fabulis et traditionibus abſurdis, ex quibus tamen concluſiones ſuas eliciunt.

Quid ergo ſani ex horum hominum ſcriptis diſcamus? Grotio id ab omnibus iure imputatur, quod iuſto magis iudaizet. Primus tamen et fere ſolus inter rabbinos deſipere deſiit rabbi MOSES MAIMONIDES, de quo ideo fertur prouerbium: *a Moſe vsque ad Moſen, non fuit, ſicut Moſes.* Scripſit hic librum ſub titulo: *More nebuchim*, id eſt, *Doctor dubitantium*, qui et Latine exſtat a Buxtorffio verſus. Hic ſatis multa egregie diſputat de moribus, quae ad illuſtrationem iuris naturae faciunt. Reliqui rabbini numerus ſunt, et fruges conſumere nati.

§. 50.

Pergit ad libros N. T. quibus ideo ſe vſum dicit, vt doceret, quid Chriſtianis liceret. In his duo fugienda ſunt extrema.

1. Ne exiſtimemus ſufficere Chriſtianis, ſi ſecundum ius natu-

 rae

rae et gentium viuant. Sane ita non differrent a paganis. Maiorem a Chriſtianis ſanctimoniam exigit Deus, e. g. ius naturae permittit, vt hoſtem vlciſcamur vel per iudicia in ſtatu ciuili, vel per bella in ſtatu naturali: at libri N. T. docent, eum et amandum, eique benefaciendum eſſe. Ius naturae et gentium docet damnum datum reſarciendum eſſe: in libris N. T. laudatur Zachias, qui ſeptuplum reddiderat.

2. Ne exiſtimemus, omnia eſſe praecepta in N. T. Plura enim ſunt conſilia tantum euangelica, quae ſub certis circumſtantiis vtiliter poſſumus exſequi, ſed non abſolute tenemur. Tale 1. *Cor. VII.* de coelibatu.

Vt paucis dicamus: ex libris V. et N. T. non demonſtratur ius naturae et gentium, ſed oſtendi poteſt, qui termini ſint naturae et gratiae: quouſque progrediatur recta ratio, quidque noui acceſſerit per reuelationem.

§. 51.

Sequuntur conciliorum et ſynodorum canones, nec non ſcripta patrum. Vbi quaeritur:

1. An aliqua ſit ſynodorum auctoritas?
2. Quae vtilitas inde capienda ad illuſtrationem iuris naturae?
3. Quid ex patribus vtilitatis ſperandum?

1. Quod ad quaeſtionem primam attinet, videndum, quid ſit *ſynodus*? Eſt ea nihil aliud, quam congregatio virorum eccleſiaſticorum et doctorum, in qua de controuerſiis et moribus diſceptatur. Ergo 1. ſynodus conſtat ex hominibus, adeoque nulla ei tribui poteſt diuina auctoritas. Conſtat 2. ex hominibus eccleſiaſticis et doctoribus, quumque et hi ab affectibus non ſint immunes, poſſunt et hi labi, errare, decipi. 3. Conuocantur ad decidendas controuerſias, et diſceptandum de moribus: qua in re quum non alia norma ſit, quam S. S. ſequitur, vt non ſit ſynodorum alia auctoritas, niſi quatenus earum decreta conueniunt S. S. Hinc ſi conueniunt, ſynodorum canones non minus valent, quam ſcripta doctoris vnius, qui recte docet: ſin diſcrepant, non magis valent, quam ſcripta vnius pſeudo-doctoris, qui falſa inculcat. Multitudo enim errantium non praeſtat errori patrocinium. Hinc ſynodum 1. Nicaenam recipimus, non ob auctoritatem et multitudinem

dinem PP. qui ſynodo interfuerunt, ſed quia S. S. conuenit: Nicaenam 2. reiicimus, quamuis plures interfuerint ei ſynodo, quia pugnat cum S. S.

Dicunt: plus videre oculos, quam oculum: credendum eſſe tot viris doctis, qui vnanimiter hoc decreuerint. Sed resp. oculos centum caecos vel catarrhis offuſos, non plus videre, quam oculum vnum ſanum, et viros etiam doctos adfectibus abreptos falli et fallere poſſe, ceu exemplo concilii Tridentini adparuit.

2. An ergo aliqua ex ſynodis vtilitas ad ius naturae redundat? Adfirmat Grotius, quia oſtendant, quid veteres Chriſtiani ſingulis ſaeculis crediderint, quique mores apud eos fuerint recepti. Sed quid tum? An ergo, quod Chriſtianis viſum, quodque apud eos fiebat, eſt iuris gentium? V. c. Multi exſtant ſynodorum canones, ex quibus patet, nuptias olim ante ſaeculum nonum prohibitas fuiſſe vſque ad ſeptimum gradum computationis canonicae. Exſtat alius canon, ex quo patet, Innocentium pontificem nuptias permiſiſſe poſt gradum quartum: an ideo hoc iuris gentium? Sic ius gentium admodum erit mutabile?

Accedit, quod et ſynodi et patres ſaepe vtuntur rationibus ſatis abſurdis, e. g. nuptias prohibendas vſque ad quartum gradum, quia ſint quatuor elementa, et quatuor humores in corpore humano. *cap. vlt. X. de conſangu.*

3. Patrum quanta ſit auctoritas, nemo ignorat. Nam quamuis omnes concedunt, eos ſaepe erraſſe, tamen et largiuntur, eoſdem teſtes eſſe idoneos circa quaeſtionem facti, quid Chriſtiani ſingulis ſaeculis crediderint? Modo 1. omnes vel plures conſentiant, 2. propius abfuerint a ſaeculis primis; 3. nullius conuicti ſint haereſeos; nam quidam patres, vt Tertullianus et Origenes pro orthodoxis non habentur.

Sed ad ius naturae et gentium probandum exiguum adferunt momentum, partim quia vix philoſophiae moralis elementis imbuti fuerunt, partim quod non quaeritur in iure naturae et gentium, quid factum ſit, ſed quid fieri debuit. Perpetuus eſt hic Grotii error, vt ius gentium ex plurium gentium conſenſu probet, et ideo omnia conuaſare ſtudeat, vnde huius modi conſenſus poſſet elici.

§. 52.

Sequuntur ſcholaſtici, quos Grotius ab ingenio et modeſtia laudat, ſed naeuos eorum temporum infelicitati adſcribit, vt ſatis adpareat, eum in Gallia ſcripſiſſe, vbi, quam male eruditis cedere ſoleat cenſura Ariſtotelico-ſcholaſticae philoſophiae, vel Petri Rami fata docent. Vid. Io. Lavnoii *de var. Ariſt. fortuna in acad. Pariſienſi* libellus elegantiſſimus.

Ceterum quam male de iure naturae et gentium meriti ſint ſcholaſtici, paucis demonſtrabimus.

1. Non ſolum ducem elegerunt Ariſtotelem, ſed et ſcriptores Arabes Mahumedanos, Ariſtotelis interpretes, qui totam philoſophiam moralem maxime obſcurarunt.

2. Omnia ſine ordine tradunt.

3. Principium ſupponunt obſcuriſſimum, ſanctitatem diuinam.

4. Ius naturae et gentium probant inepte ex Ariſtotele, iure canonico, ciuili.

5. Proponunt quaeſtiones abſurdiſſimas, e. g. an ob alapam intentatam aliquis poſſit occidi? An poſſit adorari hoſtia, de qua dubites, an ſit conſecrata? an ſacerdos ebibere teneatur calicem, ſi vermes venenati inciderint? Hae ſcilicet ſunt quaeſtiones egregiae iuris naturae et gentium, haud abſimiles illi diſputationi ſtolidi magiſtelli Wittebergenſis, qui decano facultatis philoſophicae offerebat diſputationem iuris gentium, *de dolore dentium*, quumque decanus eam reiiceret, mutabat titulum: *Annuente ſummo Ente, Facultate concedente, de dente dolente, morbo noto in omni gente, praeſidente, M. Dente, diſputabitur a Reſpondente, Carolo Ente.*

Accedit 6. quod ſcholaſtici immiſcent principia impia de probabiliſmo, de methodo dirigendi intentionem, de reſeruatione mentali, et de peccato philoſophico, de quibus conferri meretur Lvd. Montaltivs *in Epiſtolis ad Prouincialem*, et Theol. Lugduno-Batauus, Hoornbekivs, in *praef. tom. II. Theol. moral.*

53.

Sequuntur denique IC. quos in tres ordines diſpeſcit Grotius, 1. veteres, quorum fragmenta in Pandectis occurrunt, 2. medii aeui, qui gloſſas ſcripſerunt, vt Bartolvs, Baldvs, Accvrsivs, et 3. nouos, qui iuris prudentiam a vetere barbarie repur-

repurgarunt. De prima claſſe agit §. 53. de ſecunda §. 54. de tertia §. 55.

Antiquos laudat, quod multa iuris naturalis et gentium capita tractent, et rationes perquam elegantes adferant: ſed et naeuos quoſdam in iis notat, veluti 1. quod confundant ius naturae et gentium, 2. quod, quae paucis gentibus communia fuerunt, pro iure gentium venditent, 3. quod omnia immiſceant iuri Romano.

Sed non potuiſſe non doctiſſimos illos viros in deſcribendo iure gentium ſaepiſſime falli, inde colligimus.

1. Quod ne ſciuerint quidem, quid ſit ius naturae et gentium. Illud enim dixerunt eſſe, quod natura omnia animantia docuit, quum in bruta non magis cadat ius, quam in horologia, vel alias machinas.

2. Quod ius gentium recte quidem definiunt, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit: ſed multa referunt ad ius gentium, quae ſunt voluntaria, e. g. teſtamenti factionem, manumiſſiones, ſeruitutem captiuorum, cet.

3. Quod in pleriſque ſequuti ſunt Stoicos, quorum philoſophia moralis multis erroribus referta eſt. ICtos veteres Stoicos eſſe, docet Ev. Otto. *Orat. de Stoica ICtorum philoſophia.* Errores autem Stoicorum morales ſingulari tractatu detexit Io. Franc. Bvddevs.

§. 54.

Gloſſatores fuere homines ſatis ingenioſi, ſed barbari, et ab hiſtoriae ac litterarum praeſidiis deſtituti. Hinc et in iure gentium ſtolide errant. Nam

1. Id probant ex iure Romano et canonico.

2. Inde formant ius publicum, tum vniuerſale, tum particulare Germanorum. Hinc egregiae doctrinae iuris gentium in gloſſatoribus obuiae, imperatorem Germ. eſſe mundi dominum: reges apud illum poſſe accuſari, principes electores eſſe praefectos praetorio: ſupremam maieſtatem conſiſtere in iure gladii.

3. Fuere pontificii. Hinc vbique regnant in eorum ſcriptis principia papatus, vero iuri naturae quam maxime repugnantia, e. g. papam eſſe ſupra principes, cet.

§. 55.

Iuris prudentiam primus barbarie purgauit ALCIATVS. Hinc ſequuti CVIACIVS, FABRI, BVDAEVS, BALDVINVS, HOTOMANVS, et alii, maxime in Gallia. Sed quum hi operam tantum dederint iuri ciuili priuato: hinc parum illuſtrant ius naturae et gentium.

Excipit tamen auctor duos Hiſpanos, et duos Gallos. Ex Hiſpanis COVARRVVIAM et VASQVIVM, ille ſcripſit *Varia*, hic *Controuerſias illuſtres*. Ille modeſte: hic, vt ait auctor, liberrime, adeo vt et principes delinquentes deponi ſtatuat, quam ſententiam refutat auctor infra *lib. II. cap.* 1. §. 9. *num.* 2. *ſequ.*

Ex Gallis laudat Io. BODINVM, cuius exſtant *libri de re publica*, in quibus tamen multa ſine ordine et iuſta demonſtratione traduntur, et FR. HOTOMANVM, cuius *quaeſtiones illuſtres* elegantes ſunt, niſi quod auctor fuit Monarchomachus, ceu ex eius opere, quod *Franco-Galliam* inſcripſit, adparet.

§. 56.

Reliquum eſt vltimum partis ſpecialis membrum, in quo leges quaſdam explicat, quas ipſe ſibi in hoc opere elaborando praeſcricripſerit.

1. Primo ſibi hanc legem dixit, *vt omnia demonſtraret euidenter, proponeret ordine, et quae diuerſa ſunt, diſtingueret.* De duobus poſterioribus nihil eſt, quod moneamus, niſi quod paullo ſcrupuloſius diſtinxit iura naturae et gentium, quum tamen, vti diximus, vnum ius ſint. At in primo ſaepe defecit. Multa enim iuris gentium eſſe, demonſtrauit teſtimoniis et exemplis, quod quam periculoſum ſit, ſupra exemplo idololatriae docui.

§. 57.

2. Secunda lex eſt, *ne quid, quod ad rem non pertinet, immiſceret.* Quod religioſe praeſtitit. Alii enim auctores immiſcent philoſophiam moralem, vt Cicero; alii theologiam et caſus conſcientiae, vt ſcholaſtici; alii politicam, vt Bodinus. At hae diſciplinae omnes differunt.

1. Philoſophia moralis tradit, quid bonum vel malum; ius naturae

turae, quid iuſtum vel iniuſtum: politica, quid vtile vel noxium. Iſta perducit ad felicitatem internam vel tranquillitatem animi; illud ad iuſtitiam; haec ad prudentiam.

2. Omnes hae diſciplinae concluſiones ſuas ex recta ratione petunt. Theologia ex reuelatione, ex qua etiam caſus conſcientiae decidendi.

§. 58.

3. Tertia lex, *ſe nolle immiſceri controuerſiis noſtri ſaeculi*, inter pontificios puta et Proteſtantes. Hinc proteſtatio elegans ſub finem §. *vere enim profiteor*, cet.

Et ſane potuiſſet id Grotius, ſi ex ſola recta ratione, quae apud pontificios et Proteſtantes eſt eadem, diſputaſſet. Quia autem multa ex S. S. immiſcuit, quam aliter ſaepe pontificii, aliter alii coetus et ſectae explicant, fieri non potuit, quin modo huic, modo alteri ſectae fauere videretur. Vnde et ab omnibus vapulat vir bonus, et, quaſi Arminianis et aliquando Socinianis iuſto plus faueret, accuſatur.

§. 59.

4. Quarta lex, *vt dicendi genus ſectaretur breue et conciſum, quia id ad docendum ſit aptiſſimum.* Et ſane nec elegantia, nec breuitas, nec pondus et grauitas deeſt Grotii ſtilo. Inprimis enim hac virtute eminuit vir doctiſſimus, vt varios ſtili characteres exprimeret. In *Hiſtoria Belgica* Tacitum expreſſit; in his libris non infeliciter imitatur Ciceronis libros philoſophicos.

§. 60.

5. Quinta lex, *vt verba auctorum ipſa non allegaret, niſi quid ponderis vel elegantiae inſit.* Fuit eo tempore is guſtus eruditorum, vt huius modi auctorum teſtimoniis delectaretur, vti patet ex ſcriptis Grotii, Seldeni, et aliorum.

Sed iam alii monuerunt, ſic quidem eruditione multiplici refertum eſſe Grotii opus, at minus perſpicuum, quam ſi allegationes has, quae nihil ad demonſtrationem iuris naturae et gentium faciunt, omiſiſſet. Hinc tantum applauſum meruere Hobbe-

ſius et Puſendorffius, quod ille in ſuo libello *de ciue*; hic in libello *de officio hominis et ciuis* non niſi ſuas meditationes proponerent, nullaque allegarent veterum teſtimonia. Nos in poſterum parum ſolliciti de his corticibus, ipſum nucleum ex Grotii opere quaeremus.

§. 61.

Poſtremo paragrapho imitatur pontificios, inter quos ſcripſit: et ne forte libri impreſſio prohiberetur, addidit ſollemnem proteſtationem, vt ſi quid bonis moribus et pietati contrarium a ſe dictum ſit, id ne dictum eſſet. Sed haec proteſtatio facto procul dubio contraria viſa eſt pontifici Romano, qui, vt iam ſupra monui, et Grotii opus in *indicem librorum prohibitorum* referri iuſſit.

* * * * * * * * * * *

LIBER I.

CAPVT I.

QVID BELLVM? QVID IVS?

§. 1.

QVum hoc opus inſcribatur de iure belli et pacis, prius Grotius de bello agendum putauit, quia illud propter pacem geritur. Vt autem titulus eo rectius intelligatur, explicat hoc capite 1. quid bellum ſit §. 2. 2. quid et quotuplex ius ſit §. 3. *ad fin.*

§. 2.

Quod ad *belli* definitionem attinet, ante omnia tenendum, *num.* 1.
illud bifariam accipi, vel 1. pro ipſo hoſtium certamine, vel 2. pro ſtatu hoſtili. E. g. quando bellum Marathonium deſcribunt hiſtorici, intelligunt ipſum illud memorabile certamen vel proelium, quo Miltiades maximum Darii exercitum confecit. Si vero dico bellum de ſucceſſione Hiſpanica, non intelligo ſola proelia in Italia, Hiſpania, Germania et Belgio facta, ſed totum ſtatum hoſtilem, qui tot annos durauit inter Gallos et imperia vicina confoederata.

Iam ſi quaero, quid ſit *bellum* priore ſenſu acceptum? definitionem ſuppeditabit Cicero: *bellum eſt certatio per vim.* Si de poſteriore ſenſu quaeſtio eſt, definitio Grotiana obtinet: *bellum eſt ſtatus per vim certantium.* Vnde et bellum inter paucos, immo inter duos eſſe poteſt, idque auctor illuſtrat vocabulo Latino et Graeco. Latinis olim bellum dictum eſt *num.* 2.
duellum, quia duo ad minimum certant per vim: Graecis πόλεμος a πολὺς *multus*, quia multi inter ſe digladiantur. Ex quo collegit auctor, quamuis vſu obtinuerit, vt bellum hodie non *num.* 3.
vocemus ſtatum, quo duo vel pauci inter ſe certant, ſed quo

iuſti exercitus inter ſe concurrunt, tamen re ipſa perinde eſſe, ſiue multi, ſiue pauci certent.

Haec Grotius noſter. Sed quamuis ea omnia facile admittamus, dici tamen non poteſt, definitiones vel Ciceronis vel Grotii iuſtas et adcuratas eſſe. Nam 1. ante omnia diſtinguendi ſunt ſtatus, naturalis et ciuilis. In ſtatu ciuili qui communi magiſtratui ſubſunt, illi non poſſunt inter ſe per vim certare, ſed iudicum implorare auxilium. Qui vero in ſtatu naturali viuunt, iis per vim certandi ius eſt, adeoque hi ſoli gerunt bellum: quis enim dixerit, ciues Franequeranos inter ſe bellum gerere, ſi quando iis furor arma miniſtrat? Rixae hae ſunt et iurgia, vel ſingularia certamina a magiſtratu punienda, non bella. 2. Si vera eſt definitio vtraque, etiam ii, qui ludos equeſtres inſtituunt, quos veteres *torneamenta* vel *tournois* vocant, bellum gerunt, quia et ipſi per vim certant: quod tamen nemo dixerit, quum non ſint in ſtatu hoſtili, ſed virtutis exercendae cauſſa concurrant.

Quum itaque definitio ſuo definito paullo latior ſit, ea ita erit emendanda: *bellum eſt ſtatus hominum vel ſocietatum liberarum*, (id eſt, in ſtatu naturali viventium) *de iure controuerſo per vim certantium.*

§. 3.

Sequitur iam altera pars capitis de iure, vbi quaeritur:

1. Quotupliciter ius accipiatur? §. 3-8.

2. Quotuplex ſit? §. 9. *ad fin.*

Ius accipitur vel pro iuſſo, vel pro attributo perſonae.
1. Primo ſenſu ius generatim vocatur, quod iuſtum eſt, vel quod non eſt iniuſtum, id eſt, quod leges permittunt. Et hoc ſenſu VLPIANVS in *l.* 1. *pr. D. de iuſt. et iur.* dicit *ius a iuſtitia deſcendere, non grammatice*, (nam ita, vt ſupra monuimus, a *iuſſo* dicitur,) *ſed moraliter, quia ius eſt, quod iuſtum eſt.*

Quumque ſupra probatum ſit, homines ſocialiter viuere debere, et hunc eſſe vniuerſi iuris fontem: ſequitur, vt id demum ius vocetur, quod naturae ſocietatis ratione vtentium non repugnat; quod variis exemplis illuſtrat ipſe Grotius. Sic ius eſt, neminem alteri detrahere, ius non eſt, alterum alteri

inſi-

inſidiari, furari, occidere, falſum teſtimonium dicere; quia haec omnia naturae repugnant.

Haec prima eſt vocis acceptio, quando ius dicitur pro lege. *num.* 2. Et tunc ius diuiditur in *rectorium* et *aequatorium*.

Rectorium eſt, quod intercedit inter inaequales, id eſt, ſuperiores et inferiores, e. g. Deum hominesque, inter patrem et liberos, imperantem et ſubditos.

Aequatorium, quod intercedit inter aequales, e. g. foederatos, res publicas vicinas, fratres, conciues. *

Effectus vtriusque iuris ſunt diuerſiſſimi. Nam rectorium non habet mutuas praeſtationes, e. g. princeps iure exigit tributa a ſubditis, ſed non ſubditi a principe. Pater iure caſtigat liberos, ſed non liberi patrem. Contra ius aequatorium exigit praeſtationes mutuas et reciprocas, e. g. foederatus alteri debet auxilium, ciuis ciui officia humanitatis ex vtraque parte.

§. 4.

Altera vocabuli iuris acceptio eſt, quando ſumitur pro attributo perſonae, et tunc eſt qualitas moralis perſonae competens, ad aliquid iuſte habendum vel agendum, e. g. ius huic perſonae eſt piſcandi, venandi, nauigandi, cet. Hic ius non pro lege, ſed pro qualitate quadam perſonae, non phyſica, (quia in natura hominis nihil mutatur,) ſed morali, ſumitur.

Et ita acceptum ius a ICtis diuiditur in *ius in re* et *ad rem*. *Ius in re* eſt facultas homini in rem competens, ſine reſpectu ad certam perſonam, e. g. dominium, ſeruitus, pignus, hereditas.

Ius ad rem eſt facultas competens perſonae in perſonam, vt haec aliquid facere vel dare teneatur, e. g. ius ex contractu vel delicto natum, quod et obligatio dicitur.

Illud dat actionem aduerſus quemcumque poſſeſſorem, quia ipſa res mihi obſtricta eſt: hoc tantum aduerſus eum, quocum mihi negotium interceſſit, quia perſona mihi obligata eſt.

Hoc ius, quod pro attributo perſonae accipitur, Grotius denuo diuidit in *facultatem* et *aptitudinem*, vel, quod perinde eſt, in *ius perfectum* et *imperfectum*, de eoque agitur *§. ſequ.*

§. 5.

§. 5.

Facultas ſeu *ius perfectum* eſt ius, quod ex legibus naſcitur, eoque pertinent omnia iura in re, vt dominium, hereditas, pignus, ſeruitus; et omnia iura ad rem, vti obligationes ex contractibus, delictis, et diverſis cauſſarum figuris.

Aptitudo autem eſt ius, quod ex virtute, ex honeſto et decoro naſcitur, vt liberalitas erga pauperes, officia humanitatis, cet.

§. 6.

Facultas iterum diuiditur in *vulgarem*, et *eminentem.* Illa competit priuato cuiuis, haec ſummo imperanti. Sic domino eſt ius in re ſua, ſed dominium eminens penes imperantem. Patri eſt ius in filium, ſed eminens poteſtas apud ſummum imperantem. Sed hic notandum,

1. Illud ius eminens magis imperium eſſe, quam dominium aut patriam poteſtatem, cet.

2. Illud locum non habere, niſi 1. in caſu extremae neceſſitatis, et 2. in poenam ob ſatisfactionem rei publicae.

3. Si ob neceſſitatem huius modi ius exerceatur, reliquos ciues teneri ad indemnitatem praeſtandam. Vnde ICti hic concedunt actionem vtilem ex lege Rhodia de iactu. Elegans exemplum de ciuitate imperiali Sueuica, quae caeſis ad Hochſtetum Gallis et incendium minantibus menſtruum tributum pro tota Suecia ſoluere fuerat coacta, et aduerſus reliquas ciuitates inſtituebat actionem vtilem ex lege Rhodia de iactu, et victoriam reportabat.

§. 7.

Hactenus de iure perfecto vel facultate: ſequitur *aptitudo* vel ius imperfectum, quod Ariſtoteles dignitatem vocat. Per illud intelligimus ius ex ſola honeſtate vel virtute natum, quod nullam producit actionem.

Rationes iam reddimus. Nam 1. nec virtus poteſt cogi, nec 2. ſubiectum aliquod determinatum hic adeſt, quod huius modi officia ſolum debeat.

Iam id addimus, ex aptitudine fieri poſſe facultatem, ex officio imperfecto perfectum, 1. in extrema neceſſitate, et 2.

ſi

ſi princeps vel imperans lege lata, et poena propoſita hoc officium inculcet. E. g. nemo cogitur ex fonte ſuo etiam pati hauriri aquam: ſed cogi poteſt, ſi vrbs obſeſſa alium fontem non habeat. Non cogitur quis, dare pauperibus et famelicis panem: ſed ſi princeps poenali edicto id iubeat, cogitur, quia iam obligatio non ex ſola virtute, ſed ex lege eſt.

§. 8.

Ex hac diſtinctione iuris in perfectum et imperfectum noua naſcitur diſtinctio *iuſtitiae* in *expletricem* et *attributricem*: illa ſuum cuique tribuit, quod iure perfecto debetur; haec, quod iure imperfecto. *num.* 1.

Vt autem, cur Grotius hanc diſtinctionem inuenerit, pateat: ſciendum eſt Ariſtotelem iam iuſtitiam diſtinxiſſe in συναλλακτικὴν ſeu *commutatiuam*, et διανεμητικὴν ſeu *diſtributiuam*, quam diſtinctionem ICti in omnibus compendiis repetunt. Sed Grotio haec diſtinctio non ſatis adcurata viſa eſt, atque hinc nouam et meliorem ſubſtituit, in expletricem et attributricem. *num.* 2.

Videbimus itaque
1. quomodo Ariſtoteles hanc diſtinctionem explicet.
2. Quomodo alii doctores illam emendare conentur.
3. Quid in illa deſiderandum ſit.

1. Ariſtoteles ait iuſtitiam commutatiuam ſeruare proportionem arithmeticam, eamque locum habere in contractibus: diſtributiuam contra ſeruare proportionem geometricam, eamque locum habere in praemiis et poenis.

Proportio autem arithmetica ſeruari dicitur, quoties ad rem ipſam reſpicitur, non ad perſonae dignitatem et merita, e. g. piſtor panem eodem pretio vendit et nobili et plebeio. Proportio autem geometrica, quando non reſpicitur ad ſolam rem, ſed ad perſonae dignitatem et merita, e. g. princeps in diſtribuendis officiis inter duos ciues ambientes munus iure praeferet doctum indocto, bene de re publica meritum ei, qui nullo ſibi merito rem publicam obſtrinxit.

2. Ita Ariſtoteles. Quia autem haec non vſque quaque recte ſe habent: ideo alii, nempe HORNEJVS, profeſſor Helmſtad. *Ethic. lib. III. cap.* 11. §. 24. rem paullo aliter explicat, et iuſtitiam commutatiuam verſari dicit circa res ſingulorum, contra diſtributiuam circa res communes. e. g. aerarium eſt commune. Ex eo non ſinguli conciues, milites, miniſtri idem accipiunt ſalarium, ſed pro ſua quiſque dignitate et merito: itaque in eo ſeruatur proportio geometrica, id. eſt, iuſtitia diſtributiua. Contra panis eſt res propria piſtoris, in eo vendendo non ſeruatur alia proportio, quam arithmetica, adeoque iuſtitia commutatiua.

3. Sed quaeritur, quid in his omnibus deſideretur? Reſp. 1. Vocabula rem non ſatis exprimunt, nam συναλλακτικὴ dicitur a συναλλάγματος, a contractu, quum tamen etiam in reſtitutione damni dati locum habeat, vbi nullus contractus praeceſſit. Hinc Grotius rectius dixit iuſtitiam eſſe vel expletricem, vel attributricem.

2. Definitiones quoque falſae ſunt: nam falſum eſt in ſolis contractibus ſeruari proportionem arithmeticam, ſiquidem iam vidimus, eam locum habere etiam in reſtitutione damni. Falſum etiam, in ſolis delictis et praemiis locum habere geometricam, ſiquidem et in teſtamentis, legatis cet. locum habet.

3. Falſum eſt, commutatiuam verſari in rebus tantum propriis, nam et res publica debitrix non plus ex communi aerario ſoluit creditoribus, quam debet; falſum quoque diſtributiuam verſari tantum in rebus communibus, nam et teſtator de ſuo legat cuique, quantum mereri videtur.

Quum itaque haec Ariſtotelis doctrina falſa ſit, praeclare Grotius eam emendauit, dixitque iuſtitiam vel expletricem eſſe, vel attributricem, et illam cuique tribuere, quod ipſi debetur iure perfecto, hanc, quod iure imperfecto.

§. 9.

Hactenus prior pars, articulus de iuris diuerſa acceptione; ſequitur alter de diuiſione iuris.

Diuiditur autem ius in naturale et voluntarium: de naturali agitur §. 9--12. de voluntario §. 13. *ad fin.*

Diuiſio haec pertinet ad ius pro lege acceptum. Hinc quaeritur, quid ſit lex?

Reſp.

Reſp. Grotius, *legem* eſſe regulam actuum moralium, obligantem ad id, quod rectum eſt.

Dicitur itaque lex *regula*, quia ad eam actiones componimus, *actuum moralium*, vel humanorum, id eſt, qui ab intellectu et voluntate pendent, quia actionibus naturalibus leges non praeſcribuntur, *obligans ad id, quod rectum eſt.*

Sed quaeritur hic, 1. an haec definitio recte ſe habeat?
2. An et lex permiſſiua ſit lex?

1. Ad prius reſpondemus, non adeo adcuratam eſſe legis definitionem, ob verba poſtrema: *obligans ad id, quod rectum eſt.* Ita enim ſequitur, vt aliquid ſit rectum ante legem; quod abſurdum, quia niſi lex eſſet, nec rectum aliquid eſſet, nec prauum. Sed non aliter potuit Grotius definire, immerſus ſcholaſtico praeiudicio, quod aliquid ſit iuſtum ante legem, adeo vt ius naturae futurum ſit, etiamſi non eſſet Deus, vti vidimus *proleg.* §. 11. Hinc dicimus, legem eſſe *regulam actuum moralium a ſuperiore praeſcriptam ſubditis, et obligantem ad id, vt actiones ſecundum hanc legem inſtituant.* Non enim lex obligat ad id, quod rectum eſt, ſed ideo aliquid rectum eſt, quod lex ad id obligat.

2. Qu. an lex permiſſiua ſit lex? e. g. *ſtudioſis gladiatis incedere liceto.* Reſp. Grotius, non videri, quia proprie non obligat. Sed recte ſe ipſum deſerit: lege enim permiſſiua obligantur omnes ciues, ne alterum in exercitio iuris ſui turbent. Ita etiam de priuilegiis recte dicitur, quod ſint leges, non quidem priuilegiatos obligantes, ſed alios, ne illos in exercitio priuilegii ſui turbent.

Iam itaque ad ipſam diuiſionem iuris progreditur auctor. Ius vel naturale eſt, vel voluntarium, illud Hebraei vocant *Mizuoth*, hoc *Chiikkim*; illud *ius*, hoc *praecepta.*

§. 10.

Ius naturale eſt, quod ex ipſa recta ratione fluit, e. g. ne occidito; *voluntarium*, quod ex ſola legiſlatoris voluntate, e. g. ne comede carnem ſuillam. *num.* 1. 2.

Huius ratio itaque eſt honeſtas ac turpitudo naturalis. Et hinc hoc ius eſt neceſſarium, quatenus Deus nihil velle poteſt

turpe, nihil quod rectae rationi repugnet. E. g. ſi lex vetat homicidium, eius legis nexus tam manifeſtus eſt cum natura rationali, vt vnuſquiſque, cui ſana ratio eſt, facile intelligat, id vetitum eſſe. Qui enim non vult, vt alteri ſit libertas ſe occidendi, is nec ſibi eam licentiam debet arrogare. At, quod non licet ducere fratris filiam, quod Deus vetat *Leuit.* 18. et quod non liceat merces inferre prouinciae ſine vectigali, quod impetrantes conſtituunt: eius rei ratio naturalis nulla eſt. Illud itaque ius eſt naturale, hoc voluntarium.

num. 3. Quaeritur, quotuplex ſit ius naturale? reſpondet auctor; quaedam iuris naturae eſſe proprie, quaedam minus proprie. Sed rectius dixeris, quaedam eſſe iuris naturae *permiſſiui*, quaedam *praeceptiui.*

1. Iuris naturae permiſſiui ſunt, quae recta ratio nec praecipit, nec vetat, e. g. pacta facere, bellum gerere, teſtamentum condere.

2. Iuris naturae praeceptiui, quae vel praecipit ſana ratio, vel vetat, e. g. pacta ſeruare, bellum iniuſtum non gerere, teſtamento nemini ius ſuum auferre.

Haec iura permiſſiua et praeceptiua maxime inter ſe diſcrepant. Illa enim producunt tantum impunitatem, haec poenam vel praemia. Illa obligant non eum, cui quid permittitur, ſed alios, ne illum impediant; haec obligant omnes. In illis aliquid licet ſummis imperantibus, e. g. vt pacta nuda non valeant, ſed certis ritibus inita, vt teſtari non liceat de bonis immobilibus, feudalibus, cet. ſed nihil licet in his. Nam nullus imperans poteſt prohibere, vt pacta plane nulla valeant, vt poſſit alicui ius ſuum auferri.

num. 4. Nouam diuiſionem reperimus *num.* 4. quod ius naturae verſetur vel circa actus, qui citra humanam voluntatem exiſtunt, vel circa ea, quae voluntatis humanae actum conſequuntur. Sed quum haec paullo obſcuriora ſint, dici poteſt, ius naturae eſſe vel *abſolutum*, vel *hypotheticum.*

Abſolutum eſt, quod nihil ponit ad obligationis effectum, quam aliquem eſſe hominem, e. g. neminem laede, damnum datum refunde, cet.

Hypotheticum, quod ſupponit certa inſtituta humana, iiſque non introductis non valeret. Sic e. g. furtum non eſſet iure natu-

naturae prohibitum, niſi introductum ab hominibus eſſet dominium.

Talia inſtituta humana, vti ex Pufendorffio meminimus, ſunt quatuor, ſermo, dominium, rerum pretium, et ciuitas.

Ceterum probe obſeruanda eſt diuiſio, partim quia eius neglectus viros maximos in errorem induxit, e. g. Salmaſium, qui negauit, furtum repugnare iuri naturae, partim quia et natura et effectu haec iura quam maxime differunt. Nam

1. Abſoluta ſunt pura, hypothetica conditionata. Pacta ſerua, pura eſt propoſitio, adeoque ſemper et omnes obligat. Ne furare eſt propoſitio in ſe conditionata, ſi dominium introductum. Nam eo non introducto ceſſat lex. Sic e. g. nec Adamus nec Eua inter ſe furtum committere potuerunt.

2. Iura abſoluta ab initio mundi valuerunt, hypothetica non. E. g. neminem laedite, et protoplaſtis dictum, iis vero dici non potuit: parete imperantibus, quia tunc nullae adhuc erant res publicae.

Poſt diuiſionem auctor agit de attributo iuris naturae primario, quod ſit immutabile. Id probatur ex duplici eius fonte. Alter eſt Dei voluntas: atqui quum in Deo nihil ſit mutabile, nec eius voluntas mutari poteſt. Alter fons eſt recta ratio: quum vero impoſſibile ſit, vt, quod ſemel rectae rationi conuenit, eidem repugnet, impoſſibile quoque eſt, iuris hodie naturae aliquid eſſe, quod cras ei repugnet. *num.* 5.6.

Obiici poſſet, Deum eſſe omnipotentem, adeoque poſſe eum, et ius naturae mutare. Sed reſp. omnipotentia eſt facultas Dei infinita faciendi, quod vult. Ergo, quod non vult, non poteſt. Hinc non poteſt mentiri, vt ait ſcriptura, quia non vult. Non poteſt facere, vt bis duo ſint ſex, quia non vult. Non poteſt mutare ius naturae, quod non vult. Non vult autem, quia nihil abſurdum vult.

Obiici poſſet, 2. nonnunquam tamen Deum mutaſſe ius naturae, e. g. iubentem, vt Iſraëlitae vaſa auferrent ab Aegyptiis, vt Abrahamus mactaret filium. Sed reſp. 1. non ius mutatum eſſe, ſed rem: nam non Deus iubebat furari, ſed auferre, quod iam Iſraëlitis debebatur: non iubebat Abrahamum occidere filium, ſed tentabat, an occiſurus ſit. 2. Furtum eſt, ſi homo homini quid aufert, non, ſi Deus homini: homicidium eſt, ſi homo homini vitam aufert, non, ſi Deus homini.

num. 7. Accedit adhuc monitum. Quaedam non ſimpliciter iuris naturae eſſe, ſed pro certo rerum ſtatu, quamuis non ſint officia hypothetica. Et talia ſunt omnia praecepta adfirmatiua, quae tantum obligant data occaſione, vel poſitis circumſtantiis habilibus, e. g. cole Deum cultu externo, puta, ſi id fieri poteſt. Hinc non obligabantur eo praecepto Iudaei obſeſſa vrbe, cet. Hominibus aliis inſerui, ſi occaſio ſit. Hinc vitio verti non poteſt medico, quod neminem ſanet, ſi deſint aegroti.

Ex quo etiam ſequitur, vt omnia haec praecepta cedant neceſſitati, e. g. nemo pauperi dare tenetur id, quo ipſe indiget; nemo alium ſeruare tenetur, quum ipſe ſit in periculo.

§. 11.

num. 1. Hactenus actum de iure naturae: iam quaerit, an diſcrimen, quod in legibus noſtris inter ius naturae et gentium occurrit, recte ſe habeat?

Definit Vlpianus ius naturae, *quod natura omnia animalia docuit:* ius gentium, *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit.* Iuſte enim viuere, Stoicis erat ſecundum naturam viuere. Natura vel communis erat hominibus et brutis, vel illis propria. Ergo et ius vel vtriſque *commune* erat, vel *proprium,* illud *naturale*, hoc *gentium* ius vocabant. *l.* 1. §. 3. 4. *D. de iuſt. et iur.* Quaeritur itaque, an haec doctrina recte ſe habeat?

Negat Grotius, 1. quod bruta non poſſunt obligari. Obligatio enim ſupponit rationem, vel intellectum et voluntatem liberam. Vtraque brutis deeſt.

num. 2. 2. Quod bruta omnia agunt ex impetu inſtinctuque naturali, ſine ratione et conſcientia, vti iam ſupra ad *Prolegom.* §. 7. docuimus.

Obiici poteſt: at et brutis quaedam tribuitur iuſtitia et iniuſtitia. Multas hiſtoriolas huius generis narrat Ariſtoteles, Plinius, et Aelianus, veluti quod canes grati fuerint aduerſus dominos, quod aſpis catulum ſuum, qui hoſpitem interemerat, necauerit, quod equus noluerit coire cum equa, ex ſe nata, cet. Sed 1. iſtae narratiunculae fabulam ſapiunt. 2. Si quid huius modi factum, id ex impetu, non ex propoſito aliquo aut obligatione legis factum.

§. 12.

§. 12.

Quum itaque hactenus, quid ius naturae ſit, fuerit explicatum, quaerit, quomodo probetur, aliquid iuris naturae eſſe? Reſpondet, vel a priore, vel a poſteriore. *num. 1. 2.*

A priore per rectam rationem: ſi conueniat aliquid naturae hominis rationali, et ſociali, e. g. ſi probo, neminem laedendum, quia alias homo cum homine in ſocietate viuere nequeat.

A poſteriore per inductionem, ſi plures gentes huius modi ius ſequutae ſint. Poſterius hoc inde probat, 1. quia vniuerſalis effectus requirat vniuerſalem cauſſam, talis autem nulla excogitari poſſit alia, quam ſenſus communis. Hinc multas adducit ſententias veterum, quae idem inculcant.

Sed primo falſam eſſe hanc illationem, iam in prolegomenis demonſtrauimus exemplo idololatriae et πολυθεότητος.

Deinde falſum quoque eſt, conſenſus iſtius cauſſam non aliam excogitari poſſe, quam ſenſum communem. Vera enim cauſſa, vti ipſe Grotivs in libello *de veritate religionis Chriſtianae* faſſus, eſt traditio, quia gens a gente mores adſumſit. Sic e. g. clariſſimum eſt, nullam eſſe cauſſam naturalem, cur ſeptem dies numerentur in hebdomade, quum aeque facile cyclum octo, nouem, vel decem dierum ſeruare potuiſſent: itaque per traditionem id ad omnes gentes manauit. Ita etiam quod homines numerant vſque ad decem, quum et ad quatuor numerare potuiſſent, nullam habet rationem naturalem, cauſſa enim quod decem ſint digiti, quam Artes allegat, admodum diluta eſt. Eſt itaque traditio. Et ſic in reliquis ſe res habet.

Vnde ſane ſequitur, non eſſe alium genuinum ius naturae probandi modum, quam a priore, ex recta ratione.

§. 13.

Hactenus actum de iure naturali: iam ſequitur voluntarium, idque Grotius noſter in *humanum* et *diuinum* recte diſpeſcit. Humanum a voluntate humana, diuinum a diuina proficiſcitur. E. g. humanum ius voluntarium eſt; *qui furtum fecerit, ſuſpendio adficitur*; nulla enim eſt ratio naturalis, cur praeciſe fur ſuffocandus, et non alia poena adficiendus ſit.

Diui-

Diuinum a voluntate diuina eſt, e. g. *qui ſanguinem humanum fuderit, eius ſanguis fundatur.*

§. 14.

num. 1. Humanum denuo diuidit auctor in *ius ciuile*, ſiue arctius patens, et *ius gentium*, ſiue latius patens. Illud ſingulae gentes ſibi ipſae conſtituunt, vel nomine gentium ſuprema maieſtas. Hoc vel omnibus, vel multis gentibus commune eſt. Addit, *multis gentibus*. Vix enim praeter ius naturae vllum ius commune omnibus gentibus eſſe fatetur.

Sed multipliciter hic labitur auctor, vt a Pufendorffio, Zieglero, aliiſque obſeruatum eſt. Nam

1. Falſum eſt, ius gentium eſſe voluntarium: ſi enim voluntarium eſt, aut a Deo eſt, aut ab hominibus: ſi a Deo, falſum eſt, illud non omnibus eſſe commune; ſin ab hominibus, eſt mutabile, et ſingulae gentes illud poſſunt abrogare.

2. Falſum eſt, ius gentium eſſe, quod apud multas gentes receptum. Nam ita et iuris gentium erit, quod pileum detrahimus ſalutantes; quod abſurdum.

3. Falſum eſt, eſſe humanum. Nemo enim hominum potuit gentibus leges praeſcribere. Nec gentes vmquam pacto huius modi quid ſtatuerunt.

Vt itaque error pateat, obſeruandum eſt, ius gentium diuerſimode accipi.

1. Pro attributo diuerſarum gentium, ſeu facultate morali, per quam gentes aliquid licite agunt, et tunc ius gentium ex ipſo iure naturae eſt, e. g. ius bella gerendi, mittendi legatos, cet.

2. Pro moribus plurium gentium, e. g. quod olim omnes captiui in ſeruitutem detruderentur, quod bella declarentur ſollemni ritu. Hoc ius plane arbitrarium eſt, et a ſingulis abrogatur gentibus, immo vix ius dici poteſt.

3. Pro iure ciuili, a multis gentibus recepto, vti hodie ius Romanum vbique viget. Hoc improprie dicitur ius gentium, quia vere et proprie ciuile eſt.

4. Pro iure quodam omnes gentes obligante, neceſſario, et perpetuo. Et hoc negamus differre a iure naturae, niſi ſola adplicatione. Hinc a) quum Grotius dicat, hoc ius eſſe voluntarium,

tarium, nobis eſt naturale; b) quum Grotius illud dicat multis gentibus commune, nobis illud omnibus commune eſt; c) quum Grotio ſit ius humanum, nobis illud diuinum eſt.

Vnde nec admittimus probandi modum, quem commendat
Grotius. Nam quum ius gentium ſit ipſum ius naturae: non *num.* 2.
aliter probari poteſt, quam a priori, ex ipſa ratione naturali.

§. 15.

Progreditur auctor ad ius diuinum voluntarium. Id ex ſolo
Dei arbitrio vel voluntate liberrima deſcendit, cuiuſque nulla *num.* 1.
alia reddi poteſt ratio, e. g. gradus in matrimonio prohibiti.

Illud auctor diuidit in *vniuerſale*, et *particulare*. Vniuer-
ſale omnes homines obligat, particulare populum vnum, veluti *num.* 2.
Iudaicum.

Vniuerſale aliqui negant reperiri, vti Thomaſius, et quidem, 1. quia nullus excogitari poſſit modus promulgandi, 2. quia iuſtitia Dei non ferat, vt quis puniatur, cui lex non publicata ſit.

Sed praeuidit hanc obiectionem Grotius, dixitque, omnino eſſe modum promulgandi. Nam ter eſſe ius vniuerſale promulgatum a Deo, 1. per Adamum; quod vero Adamo dictum, id vniuerſis dictum eſſe; 2. per Noachum poſt diluuium, cuius familia denuo genus humanum vniuerſum repraeſentauit, et 3. per Chriſtum. Sed quamuis haec omnia concedantur, tamen non concipi poteſt, quomodo promulgatae ſint leges de gradibus prohibitis, a Moſe quippe praeſcriptae. Enimuero, quamuis poſtremum fateamur, de prioribus tamen promulgationibus nihil conſtat: adeoque tutiſſimum erit dicere, leges illas non fuiſſe vniuerſales, antequam Chriſtus illas vniuerſo orbi publicauit.

§. 16.

Iam de voluntario particulari, quod datum Hebraeis. Iis *num.* 1.
leges dedit Deus partim caerimoniales, partim forenſes, quae
ſolos Iudaeos obligabant. Id probatur:

1. Ex locis a Grotio allegatis *Deut. IIII. 7. Pſ. CXXXXVII.*

2. Ex ratione typica. Ritus enim Iudaici erant typus Chriſti exhibendi, adeoque non pertinebant ad gentiles, quibus illa promiſſio ignota erat.

3. Ex ratione legum ciuilium. Lex forenſis erat lex ciuilis. Lex ciuilis non obligat, niſi ipſam ciuitatem.

num. 2. Quaerit autem Grotius:

1. An et alienigenae ad Iudaiſmum tranſeuntes legibus his obligati? *n.* 2-7.

2. An et nos teneamur? *n.* 8.

3. Qualem vſum hae leges praeſtare poſſint? §. 17.

1. Alienigenas ad Iudaiſmum tranſeuntes non obligatos fuiſſe legibus caerimonialibus, probat inde,

a) Quia iis lex non promulgata, ſed Iſraeli: *aud' Iſrael.* Sed obiici poteſt, 1. etiam decalogo haec verba praemiſſa: *audi Iſrael.* 2. Promulgatas quidem has leges non fuiſſe gentibus, ſed tamen iis, qui ad Iudaiſmum tranſierint.

num. 3. b) Quia et inter Iudaeos vixerint circumciſi pii et timentes dominum. Eoque refert exempla Syrophoeniſſae, Cornelii, Graecorum.

num. 4. c) Quia et extraneis licebat adorare in templo.

d) Quia nec Eliſaeus Naamani, nec Ionas Niniuitis leges has imperauit.

num. 5. e) Quia lege circumciſionis ſoli Abrahami poſteri tenebantur. Vnde et coniecturam profert, gentes circumciſas, quarum meminit HERODOTVS, ab Abrahamo ex Cethura deſcendere. Quamuis autem verum ſit, ſolos Abrahami poſteros obligatos eſſe circumciſione: falſum tamen eſt, gentiles circumciſos ab Abrahamo deſcendere. Aegyptios enim a Chamo, Noachi filio, deſcendere ex ipſa S. S. conſtat. MARSHAMVS igitur in *Canone chronico*, et SPENCERVS in libro erudito de *legibus ritualibus Hebraeorum* exiſtimant, Iudaeos circumciſionem ab Aegyptiis didiciſſe: ſed id falſum eſſe docuit WITSIVS in *Aegyptiacis.* Tutiſſime itaque dixeris, Aegyptios imitatos eſſe Hebraeos inter ſe viuentes, eoſque circumciſione non vſos tamquam ſigno et ſigillo foederis, ſed tamquam curatione phyſica, quemadmodum etiamnum Aethiopes, qui Abiſſini vocantur, circumciduntur, quum tamen ſint Chriſtiani. Qua de re erudite egit IOB. LVDOLFFVS in *Hiſtoria Aethiopica.*

num. 6. f) Quia gentibus data ſit lex naturalis tantum, id quod probat ex *Rom. II.* 14. Vbi non obſcure prodit ſententiam ſuam; quod gentiles et per legem iuris naturae Deum propitium habere potuerint, quod veteres patres ſtatuerunt, CLEMENS ALEX.

ORI-

Origenes, et Iustinus Martyr. Sed hanc opinionem iure
reiiciunt theologi: quum extra chriſtum nulla ſit ſalus, nec
lex naturae vlli mortalium oſtendat medium propitiandi Deum.
Lex ergo naturalis data eſt gentilibus, non tamen, vt per il-
lam iuſti fierent, ſed vt ea ſeruata lumine auguſtiore digni ha-
berentur.

Quum itaque haec argumenta pro parte vix admittenda ſint: *num.* 7.
an recte inde intulit Grotius, *gentiles alienigenas obligatos non
eſſe lege Iudaeorum particulari?*

Reſp. diſtinguendum eſſe 1. inter *proſelytos iuſtitiae*, et
proſelytos, quos *peregrinos* vocabant. Illi in Iudaeorum nume-
rum recipiebantur, et hinc opus erat circumciſione et impletio-
ne legum omnium. Hi tantum baptiſmo initiati ſatisfeciſſe cre-
debantur, ſi ſeruarent ſeptem praecepta Noachi.

2. Diſtinguendum inter leges caerimoniales et forenſes. Il-
lis non niſi proſelyti iuſtitiae tenebantur: his, quicumque in
ciuitate viuere vellent cum Iſraelitis.

II. Quum itaque certum ſit, proſelytos non omnes legibus *num.* 8.
Iudaicis fuiſſe obligatos: quaeſtio altera naſcitur, *an nos Chri-
ſtiani teneamur?* Haud obſcure id negat Grotius. Dicit enim,
Chriſtum non tam nos a lege Moſaica liberaſſe, quam ſepi-
mentum ſuſtuliſſe, vt Iudaei et gentes in vnam eccleſiam coa-
leſcerent. Sed omnino nos liberatos eſſe ab hoc iugo, patet
inde, 1. quia, quoad caerimoniale, ceſſat ratio legis typica:
ceſſante vero ratione legis, ceſſat quoque ipſa lex. 2. Quia
Paullus in tota *epiſtola ad Galatas* grauiter diſputat aduerſus
illos, qui circumciſionem, aliaſque caerimonias etiam Chriſtia-
nis obtruſas vellent. 3. Quia, quoad legem forenſem, certum
eſt, illam eſſe tantum ciuilem, qua non tenetur, niſi ciuitas,
quae ſibi hanc legem tulit.

§. 17.

III. Reliqua eſt tertia quaeſtio: *quem vſum leges iſtae Iudaicae* *num.* 1.
habere etiamnum poſſint? Eam enim plane inutilem eſſe, crede-
re vix licet. Grotius itaque triplicem adſignat vſum.

1. Primum, quod ea, quae illa lege praecipiuntur, non ſint *num.* 2.
iniuſta. Deus enim non poteſt ſibi eſſe contrarius, adeoque
lege voluntaria quid ſtatuere contra legem naturalem. Sed ta-
men diſtinguit inter leges praeceptiuas et permiſſiuas, et de

 illis

illis ſolum intelligendum monet, quod ſcripſerit. Nam e. g. Iudaeis permiſſa erat polygamia, permiſſum diuortium ob quamcumque cauſſam: quod tamen non ideo iuſtum arbitramur.

Sed nec haec Grotii diſtinctio rem conficit. Nam addenda erat altera inter leges caerimoniales et forenſes. Illae iuſtae erant, nec repugnabant iuri naturae pro ſtatu et conditione illorum temporum: repugnant autem hodie.

num. 3. 2. Alterum in eo conſiſtere putat Grotius, quod et inter Chriſtianos poſſint ſimiles ferri leges. Sed recte excipit leges caerimoniales: nam illae hodie rationi repugnarent, Chriſto iam exhibito, adeoque non ferenda eſſet hodie lex, quae iniungeret circumciſionem, ſacrificia, cet. Vnde et papiſmo grauis dica ſcribitur, quod Chriſtianiſmum huius modi caerimoniis, ex parte e V. T. adſumtis onerarit.

num. 4. 3. Virtutes Iudaeis praeceptas nos Chriſtianos eo magis obligare, 1. quia promiſſiones nobis maiores factae, 2. quia nobis vires gratiae maiores ſunt. Sed quamuis haec recte ſe habeant: diſtinguendum tamen inter virtutes morales et ciuiles. De moralibus nemo dubitat: at quod Grotius in hunc cenſum etiam refert decimas ſacerdotibus dandas, id indicio eſt, Grotium etiam ad leges forenſes et caerimoniales reſpexiſſe. Quis vero praeceptum de decimis morale putet? Quis illud Chriſtianos obligare putet? Sed eſt hoc inuentum papatus, huius modi leges ad Chriſtianiſmum torquere, ceu ex ipſis pontificiis faſſus eſt PAVLLVS SARPIVS, (vulgo FRA PAOLO) in tractatu elegante *de reditibus eccleſiaſticis*.

CAPVT II.

AN BELLARE VMQVAM IVSTVM SIT?

EXpenſo generatim titulo, propoſitiſque iis, quae generatim ad definitiones belli et iuris pertinent, ſequitur iam altera quaeſtio: *an bellare vmquam iuſtum ſit?* Haec ita tractat auctor, vt

1. Probet, bella geri poſſe, *§. 1-6.*
2. Argumenta aduerſariorum refellat. §. 7. *ad fin.*

§. 1.

§. 1.

Quaeſtio ipſa eſt, *an bellare vmquam iuſtum ſit?* ea enim niſi expediatur, fruſtra diſputabitur de iure belli. Quemadmodum fruſtra quis diſputaret de iure furti, quum ipſum furtum iniuſtum ſit. Et ſane quum plerumque bellum cum cladibus innocentium, cum furtis, rapinis, aliiſque coniunctum ſit delictis: facile quis exiſtimare poſſet, omne bellum iuri repugnare, idque plures ſtatuerunt, veluti Anabaptiſtae, Mennoniſtae, e Socinianis Chriſtophorus Oſtorodus, et alii, contra quos auctor contrarium demonſtrat ex iure naturae, §. 1. ex hiſtoria, §. 2. ex conſenſu et iure gentium, §. 3. 4. ex iure diuino voluntario §. 5. 6.

Quod ad ius naturae attinet, prima argumentatio Grotii haec eſt: *num. 1.*

> *Quae congruunt et primis naturae, et poſt cognitis, illa ſunt iuris naturae.*
>
> *Bellum illis primis naturae congruit.*
>
> *Ergo eſt iuris naturae.*

Quaeritur itaque, 1. quid ſint *prima naturae,* (πρῶτα τῆς φύσεως?) quid *poſt cognita?* Reſpondemus, eſſe *prima naturae* propoſitiones quaſdam practicas, quarum veritatem humana ratio ſtatim agnoſcit, ſimul ac ratiocinari incipit, quaeque adeo non ab aliis nobis inculcandae ſunt, ſed ſponte incidunt. Vnde eleganter Cic. in *orat. pro Milon. cap. 4. eſt haec non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* Perinde enim eſt, ac ſi liceret, eſſe quaedam *prima naturae.* Rationem vero, cur iſtae propoſitiones, quae prima naturae vocant philoſophi, ſtatim nobis innoteſcant, hanc adſignat Cicero *de finib. lib. V. cap. 6. quod ipſae per ſe inuitent ac alliciant appetitum animi.* E. g. vt incolumitatem noſtram velimus, et conſeruationem omnium partium, vt abhorreamus a dolore, et quae ſunt huius generis alia. In haec enim omnia et ſine ratiocinatione ita fertur adpetitus noſter, vt nihil antiquius nobis ſit illa noſtrum conſeruatione. Elegans locus Senecae *Epiſt.* 121.

Vnde facile patet, quid ſint *poſt cognita*, quae Cicero a *pri-* *num. 2.*

mis naturae diſtinguit. Ea enim ſunt concluſiones de virtute, vitiis, de honeſto et vtilitate vera, quae ex veris principiis per ratiocinationem eliciuntur. Haec non ſunt prima naturae. Nituntur enim huius modi fundamentis, in quae non fertur adpetitus humanus, e. g. quod virtus ſit praeferenda vtilitati propriae, quod voluptates ſint fugiendae. Has enim propoſitiones non omnes homines veras putant, natura adducti, et quod eae adpetitui ſui congruant, ſed profundiore inſtituta meditatione de natura et beatitudine humanae mentis.

num. 3. Quum itaque quid honeſtum ſit, id ex poſt cognitis pateat: porro quaerit auctor, quotuplex ſit honeſtum? et reſp. id vel *ſtricte*, vel *latius* accipi.

Honeſtum ſtricte dictum conſiſtit in puncto, id eſt, ita comparatum eſt, vt ſi a lege vel minimum decedas, id degeneret in vitium.

Honeſtum latius dictum, quod admittit aliquam latitudinem.

Res illuſtrari poteſt ſimilitudine. E. g. inter lineam rectam et curuam nihil intereſt medium. Tam ſtricte enim accipitur rectitudo, vt ſi ab ea linea vel minimum deflectat, illa ſtatim fiat curua. At album et nigrum admittunt aliquam latitudinem, e. g. ſi colori albo addas guttulam nigredinis vel attramenti, color quidem paullo minus albus eſt, ſed non ſtatim fit niger.

Eodem modo ſe res in honeſto habet. Quaedam tam ſtricte honeſta ſunt, vt ſi vel minime a lege deflectas, ſtatim fiant inhoneſta, e. g. neminem laede. Quaedam aliquam admittunt latitudinem, e. g. moderamen inculpatae tutelae. Nam ſi quis adgreſſorem occidit, quem repellere poterat, abſciſſa manu, non ideo ſtatim poena dignus eſt, vel contra iuſtitiam egit, quia hic ad viuum omnia reſecari nequeunt in tanta animi perturbatione.

num. 4. Hiſce itaque praemiſſis, iam demonſtrat auctor, 1. bellum congruere *primis naturae*, *num.* 4. 2. idem conuenire *poſt cognitis*, num. 5. 6.

Quod congruat primis naturae, inde demonſtrat, 1. quod omne animal ſui conſeruationem et defenſionem intendit, et appetitus eo maxime feratur. Id non ſolum in hominibus deprehendimus, verum etiam in ipſis brutis, etiam tenerrimis. Quo pertinet locus elegantiſſimus GALENI, a Grotio hoc *n.* 4. allegatus.

2. Quod

2. Quod omne animal rationale et irrationale facultate quadam ſeſe conſeruandi defendendique inſtruxit natura, vel Deus potius, qui nihil fruſtra fecit. Hinc alia cornu petunt, alia calcitrant, alia dentibus, alia vngulis, alia aculeis pro armis vtuntur: hominibus autem ingenium et manus ad defenſionem data. Quis itaque neget, velle Deum, vt quiſque ſe conſeruet ac defendat aduerſus omnem vim? Quare inde argumentari licet:

Quod conuenit appetitui ſeſe conſeruandi defendendique, ab ipſo Deo nobis inſito: id conuenit primis naturae:
Bellum huic adpetitui ſeſe conſeruandi defendendique diuinitus inſito conuenit,
Congruit itaque primis naturae, adeoque, quod inde conſequitur, eſt iuris naturae.

Iam porro Grotius demonſtrat, bellum congruere poſt cognitis vel honeſtati: idque argumento ſocietatis humanae. *num. 5.6.*

Societas humana in eo conſiſtit, vt alter cum altero honeſte et commode viuere, et iure ſuo perfrui poſſit. Quumque in prolegomenis §. 6. demonſtratum ſit, voluntati Dei, ipſique naturae humanae conſentaneum eſſe, hominem viuere ſocialiter: ſequitur ſane inde principium: *quidquid ſocietatem deſtruit, eſt contra ius naturae, quidquid eamdem conſeruat, eſt iuris naturae.*

Iam conſideremus ſtatum hominum, qualis futurus eſſet; ſi non liceret vim vi repellere. Tunc nemo ſuo iure tutus perfrueretur, tunc nec vitae, nec bonorum vlla eſſet ſecuritas, tunc vita piſcium viueretur, maior deuoraret minorem.

Quia itaque ſine huius modi defenſione non conſiſteret ſocietas, defenſio autem, qua vim vi repellimus, nihil aliud eſt, quam bellum: hinc planum eſt alterum Grotii argumentum:

Vim vi repellere conſentaneum eſt iuri naturae.
Vim vi repellere eſt bellum gerere.
Eſt ergo bellum gerere conſentaneum iuri naturae.

§. 2.

Sic Grotius bellum geri poſſe demonſtrat ex iure naturae. *num. 1.*
Sequitur altera eiuſdem demonſtratio ex hiſtoria. Quamuis enim

ex

ex hiſtoria non iura, ſed facta probari poſſe, ſupra obſeruatum ſit: aliud tamen dicendum de eo caſu, ſi ex hiſtoria ſacra demonſtrari poteſt, Deum bella non improbaſſe. Id vero probat,

1. Exemplo Abrahami, qui debellatis regibus quatuor benedictionem impetrauit a Melchiſedecho. *Geneſ. XIIII.* 22. Vbi quidam obiiciunt, Abrahamo tamquam priuato ius belli gerendi non fuiſſe. Sed alii addunt, illum non fuiſſe priuatum, ſed cum familia ſua quaſi ſingularem rem publicam conſtituiſſe: vnde et foedera eum feciſſe legimus, quod non eſt priuati. Saltim inde patet, bellum in ſe Deo non improbari.

2. Exemplo Iſraëlitarum, qui Amalecitas vim ſibi inferentes profligarunt, Deo hoc factum probante. *Exod. XVII.*

num. 2. 3. Ex legibus, quibus Deus iura belli praeſcripſit. *Deut. XX.* 10. 15. quod in iſtis legibus de belli cauſſis nihil ſanxit.

4. Quod Iſraëlitae, Deo probante, fines ſuos tuerentur ſub Iephtha, *Iud. XI.* quod Dauides bellum, Deo probante, gereret ob violatos legatos. 2. *Sam. X.*

5. Quod bellicae actiones *Hebr. XI.* 33. 34. tribuantur fidei. Ex fide autem nihil, niſi bonum, proficiſci poteſt.

6. Quod Dauides praeliatus eſt praelia Domini. 1. *Sam. XXV.* 28. Addi poteſt

7. Quod nec Io. Baptiſta venientes milites, nec Chriſtus accedentem ad ſe centurionem Capernaiticum nuncium mittere militiae iuſſit.

8. Quod et Cornelius centurio Deo placuit, quum militiae adhuc vacaret. Quae omnia locum non haberent, ſi bellum in ſe iniuſtum eſſet.

§. 3.

Tertium argumentum Grotius deſumit ex conſenſu gentium.
num. 1. Eumque conſenſum probat, 1. ex teſtimoniis Ciceronis, Florentini et Caii ICtorum, nec non Ioſephi, hiſtorici Iudaei.

2. Ex iure illo ciuili, quod et in quadrupedibus diſtinguit, inter vim, quae in[illegible] iniuriam, et quae illatam propulſat. Vid. *l.* 1. 6. 8. [illegible] 11. *D. ſi quadrup. pauper. feciſſe dicat.*

Sed hoc argumentum 1. non eſt neceſſarium, quia, poſtquam ſemel probatum, bellum iure naturali et diuino poſitiuo licitum eſſe, parum ad rem facit conſenſus gentium. 2. Magis illu-

illuſtrat, quam probat, quia ſaepe gentes in ea conſenſerunt, quae non ſunt iuſta. 3. Non ſufficiens: Ciceronis enim et duorum ICtorum teſtimonia bellum conſenſu omnium gentium probatum eſſe non euincunt. Nec 4. ſequitur, vt bellum conſenſu gentium probatum ſit, quia ius ciuile Romanorum in quadrupedibus quoque diſtinguat, quae alteram adgreſſa ſit.

§. 4.

Iam ad *ius gentium*, quod duplex eſſe ait Grotius, *diuinum*, et *humanum voluntarium*. Prius et nos agnoſcimus, et illud non aliud eſt, quam ius naturae: poſterius ſupra exploſimus. Priori non repugnare bellum, iam probauimus: Iam itaque videbimus, quomodo id de poſteriore probet. *num.* I. 2.

Nimirum bellum ipſum, inquit, iuris naturae eſſe, formam autem belli ex iure gentium. Nam gentes

1. Statuiſſe conſtat, quibus armis vtendum ſit. Hinc hodie bella non geruntur beſtiis, veluti Elephantis, non vtuntur gentes honeſtiores falcibus, aliiſque inſtrumentis, non ſagittis venenatis, cet.

2. Iura quaedam introduxiſſe arbitraria, e. g. ne capti fiant ſerui, ne incendiis abſque neceſſitate graſſemur in terra hoſtili.

3. Bella diſtinxiſſe in *ſollemnia* et *minus ſollemnia*: ſollemne eſſe voluerunt, quod indicitur ſollemniter. Haec omnia quum non fluant praeciſe ex iure naturali, Grotius deriuat ex iure gentium, eoque refert omnia loca ICtorum, veluti *l.* 5. *D. de iuſt. et iur.* vbi bella dicuntur ex iure gentium eſſe.

Sed nemo non videt, Grotium confundere ius gentium, et mores gentium. Illud ex lege eſt, hi ex arbitrio: illud obligatorium, hi minime. Omnia haec moribus inualuerunt, quia cum humanitate conueniunt, ſed non ideo contra ius gentium peccant Ruſſi et Turcae, quod captiuos in ſeruitutem detrudunt, cet.

§.

Iam Grotius magno cum adparatu ſeſe accingit ad [illegible]endendam quaeſtionem: *an et iure diuino conceſſum ſit bellum?* Poterat haec quaeſtio videri ſuperuacua. Nam ſi probatum eſt, *num.* I.

bellum eſſe iuſtum iure naturae: non ſane poteſt iure diuino voluntario iniuſtum eſſe, quum Deus velle non poſſit contraria.

Sed recte reſp. Grotius, iam ſupra oſtenſum eſſe (*lib. I. cap.* 1. § 17. *n.* 2.) regulam hanc quidem valere in iure praeceptiuo, ſed non in permiſſiuo. Nimirum ſunt quaedam, quae iure naturae permiſſ ſunt, et tamen a Deo prohibentur lege poſitiua, e. g. iure naturae poteſt quiſque orare, vbicumque velit: ſed iure diuino orandum erat Hieroſolymis. Iure naturae licet vlciſci hoſtem: at iure poſitiuo Deus dicit: *amate inimicos beneficite oſoribus veſtris, precamini pro iis, qui vos laedunt, ſic eritis filii patris coeleſtis. Matth. V.* 44.

Quum itaque et bellum non ſit iuris diuini praeceptiui, ſed permiſſiui: non ſequitur, vt prohiberi non potuerit iure diuino voluntario.

Sed nihilominus tamen demonſtrat auctor, et iure diuino voluntario bellum permitti, et ante omnia obiectiones quaſdam remouet.

num. 2. Prima obiectio deſumi ſolet ex *Geneſ. VIIII.* 5. 6. Ex eo enim loco quidam colligunt, abſolute prohiberi ſanguinis humani effuſionem: quumque bellum ſine ſanguinis effuſione geri nequeat, etiam bellum prohiberi. Et quamuis eodem loco dicatur, qui ſanguinem fuderit, eius ſanguis fundetur: reſpondent tamen, hic non adeſſe praeceptum, ſed comminationem, non velle Deum, vt homicidae interficiantur, ſed praedicere, quid iis immineat. Sed reſpondet Grotius, vtrumque falſum eſſe.

1. Prohibere Deum effuſionem ſanguinis iniuſtam, vti praecepto illo ſexto: *ne occidito*, non autem iuſtam, de qua hic quaeſtio ſit.

2. Non minari tantum Deum, ſed et praecipere, vt ſanguis homicidae fundatur, id enim Deum poſtea lege Moſaica clarius oſtendiſſe, quum iuberet homicidas gladio feriri.

Sed denuo obiiciunt, ex hiſtoria ſacra adparere, initio mundi conditi homicidam non fuiſſe capitale, idque probant exemplo Caini, qui admiſſo parricidio tamen a Deo non fuerit morti addictus.

Vt itaque Grotius hanc obiectionem funditus tollat, totam hiſto-

hiſtoriam huius ſupplicii homicidarum explicat operoſe *num.* 3-10.

Nimirum 1. ſupponit, non iniuſtum eſſe, homicidam ſupplicio affici, ob ius talionis, quo nihil eſt iuſtius. *num.* 3.

2. Concedit quidem, Deum Caino peperciſſe, ſed cauſſam fuiſſe exiſtimat, 1. hominum raritatem, 2. quia nondum tam frequentia fuerint homicidia, vt exemplo opus fuerit. Hinc et alias gentes quam plurimas homicidium non morte, ſed mulcta puniuiſſe. Cuius rei argumentum eſt in legibus *Alamannicis* a LINDENBROGIO editis, ex quibus adparet, nullam gentem origine Germanicam homicidis ſupplicium capitale irrogaſſe.

3. Hoc factum Caini aliquamdiu inſtar exempli fuiſſe, et hinc primos mortales exiſtimaſſe, non debere homicidas gladio feriri. Quam in rem allegat exemplum Lamechi. *Gen. IIII.* 24. *num.* 4.

4. Quum autem iam ante diluuium naſcerentur gigantes, genus hominum ferox et improbum, quod omnes promiſcue adgreſſum ſit: Deum permiſiſſe, vt homicida et quilibet delinquens occideretur, idque probat exemplo Abrahami, *Gen. XIIII.* Moſis, qui Amalecitas aggreſſus ſit bello, *Exod. XVII.* 9. *n.* 5. 6. 7.

5. Denique Deum et leges tuliſſe de homicida plectendo, *Leu. XVIII.* 24. *ſeqq. Num. XXXV.* 31. 33. *num.* 8. 9.

6. Eaſque leges deinde imitatas eſſe gentes alias. Vnde fere vbique locum habuerit ſupplicium capitale. *num.* 10.

Inde ergo colligit Grotius, non abſolute Deum prohibuiſſe effuſionem ſanguinis, ſed ſecundum quid, nempe caedem iniuſtam, adeoque hunc locum non adplicari poſſe bello, quod iuſtam cauſſam ſupponat.

Sed ſunt quaedam in hac Grotii tractatione, quae animaduerſionem merentur. Nam

1. Quod Caino pepercit Deus, non ob paucitatem hominum factum, ſed quod poena et ſupplicium ſupponunt magiſtratum ciuilem, qualis nondum erat Caini temporibus: nec antea lex erat lata de ſupplicio homicidarum.

2. Quod Grotius exiſtimat, primos mortales non ſumſiſſe ſupplicium capitale, id non probari poteſt. Quum enim mundus antediluuianus ſteterit annis 1657. quumque tam longo

 tem-

temporis ſpatio variae floruerint res publicae : quis dubitet, quin et poenae ſuppliciumque locum habuerint.

3. Ex Lamechi exemplo non conſtat, nullum tunc locum habuiſſe ſupplicium capitale. Nam Lamechus tantum minas ſpargit, vt ille medicus apud COMINAEVM *Hiſt. Franc. lib. X.* qui Ludouico XI. regi minabatur, illum poſt diſceſſum ſuum non octo dies victurum.

§. 6.

Sequitur alterum argumentum contra bellum ex N. T. vbi Praemittuntur quaeſtiones, 1. *an omnia praecepta in Euangelio habeant naturalem rationem. n.* 1. 2.

2. *An Chriſtus ſit nouus legiſlator. n.* 3 -- 5.

num. 1. Quod ad prius attinet, 1. ſuccenſet Grotius iis, qui in Evangelio praeter articulos fidei et ſacramenta quidquam contineri negant, exiſtimatque, eo etiam leges et praecepta proprie ſic dicta contineri, e. g. *ama Deum, diligite vos inuicem, nouum hoc praeceptum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* 2.
num. 2. Deinde agnoſcit quidem, nihil continere Euangelium, quod aduerſetur rectae rationi : ſed ideo non ſequi docet, vt Euangelium nihil vltra inculcet, quam quod ex ratione fluat.

num. 3. Poſterius Grotio facile vnuſquiſque concedet. Multa enim docet Euangelium, ad quae ratio non pertingit, e. g. fidem in Chriſtum, beneficentiam aduerſus hoſtem, vitationem concupiſcentiae, de qua ipſe Paullus : *ignoraſſem, concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet, ne concupiſce.*

At de priore theſi obſeruandum : diſtinguendum eſſe, vtrum Euangelium opponatur legi, vt *Ioann. I. lex per Moſen lata, gratia per Chriſtum facta*; an accipiatur pro libris Noui Teſtamenti, adeoque libris V. T. opponatur. Priori ſenſu Euangelium nulla complectitur praecepta proprie ſic dicta, ſed eſt doctrina de gratia per Ieſum Chriſtum. Poſteriori agnoſci poteſt, multa in libris N. T. praecepta occurrere, a Chriſto repetita et explicata.

num. 4. Maioris momenti eſt quaeſtio altera : *an Chriſtus ſit nouus legiſlator?* [illegible] Romanenſes et Sociniani, [illegible]que eamdem ſententiam ex Arminianis plerique tueantur, non mirum eſt Grotium quoque eaſdem inflare tibias.

At negant Proteſtantes omnes, Chriſtum non [illegible] nouum legiſla-

legiſlatorem, ſed ad officium eius propheticum tantum pertinuiſſe, vt leges interpretaretur. Rationes ſatis praegnantes ſunt. 1. Opponuntur officia Moſi et Chriſti, lex et gratia. *Ioann.* 1. 2 Officia Chriſti non alia commemorat S. S. quam regium, ſacerdotale, et propheticum. Regium exercet in ſtatu exaltationis, ſacerdotes non ferunt leges, nec prophetae eſt leges ferre, ſed interpretari. 3. Chriſtus notanter dicit *Matth. V.* 5. *non veni ſoluere legem,* (aliaſque nouas ſubſtituere,) *ſed implere.*

Iam videbimus, quomodo contrarium probet Grotius. 1. Prouocat ad verba *Math. V.* toties repetita: *audiſtis dictum fuiſſe veteribus: ego vero dico vobis.* Sed reſp. Chriſtus ibi nullum nouum proponit praeceptum, ſed Moſaica vindicat a falſa Phariſaeorum interpretatione, et interpretatur.

2. Dictum fuiſſe veteribus: *diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Sed *Leu. XVIIII.* 21. vbi hoc praeceptum occurrit, nihil legitur de odio inimicorum. Eſt itaque additamentum Phariſaeorum, quod merito Chriſtus data meliore interpretatione ſuſtulit. Obiicit Grotius: at ipſe Deus praeceperat inimicitiam cum Amalekitis, *Exod. XXV.* 11. et cum ſeptem populis Cananaeis, *Exod. XXXIIII.* 11. Sed reſp. diſtinguendum inter odium morale, et inimicitiam politicam.

3. Legem ſumi vel pro praecepto carnali, quod actiones tantum externas dirigit, vel pro ſpirituali, quod internam inculcat puritatem et ſanctimoniam. Prioris generis fuiſſe Moſaicam ex interpretatione Phariſaeorum: poſteriorem Chriſtum reſtituiſſe. Sed reſp. 1. Ex intentione Dei lex Moſis non fuit carnalis, ſed ſpiritualis. Dixit enim Deus: *diliges Deum tuum de toto corde, de toto animo, ex omnibus viribus:* quid magis ſpirituale et internum? 2. Chriſtus itaque legem non nouam dedit, quae ſit ſpiritualis, ſed eam interpretatus eſt ex mente primae legiſlationis.

4. A Chriſtianis virtutem exigi maiore gradu, quam ab Ebraica gente. Reſp. maius et minus non variant ſpeciem. Eadem ergo lex eſt Moſaica et Chriſti, adeoque non Chriſtus fuit nouus legiſlator, ſed interpres legis Iudaicis gloſſis deprauatae. De quo plura theologi. *num.* 5.

§. 7.

His praemiſſis probat, Euangelio non ſublatam eſſe bellandi facultatem.

num. 1. I. Ex 1. *Tim. II.* 1. 2. 3. Exinde colligit, 1. Deum iubere eſſe leges et magiſtratus, 2. eoſdem ſubditis praeſtare debere vitam tranquillam. Idque fit ita, vt ſubditi ſint ſecuri vel inter ſe, vel ab aliis exteris.

num. 2. Inter ſe id aliter fieri nequit, quam iudiciis et iure gladii, quod probat Paullus *Rom. XIII.* 4. Quumque iudicia inter gentes diuerſas locum non habeant: conſequens eſt, vt bello ſint compeſcendae. Atque hinc ita argumentare licet:

Si fas eſt gladio coërcere ſubditos, tranquillitatem turbantes: fas etiam eſt bello coërcere gentes turbantes tranquillitatem humanam.
Prius verum eſt,
Ergo et poſterius.

Conſequentia inde patet, quia alias plus liceret extraneo, quam ciui, et quod alias principi liceret minus periculum a nobis auertere, non autem maius, quod abſurdum.

num. 3. 4. II. Ex eodem *Rom. XIII.* vrget, quod PAVLLVS iubeat honorare et obſecundare magiſtratui, tamquam ordinationi diuinae. Quo ſenſu autem eſt ordinatio diuina? Non ratione permiſſionis tantum, qualis etiam in actibus vitioſis eſt, quos Deus permittit, nam ſic non eſſet honorandus magiſtratus, ſed tantum ferendus, verum ratione inſtitutionis et voluntatis diuinae. Deus vult, vt ſint magiſtratus, Deus adprobat eorum officium. Si obiiciatur, atqui tempore Paulli fuiſſe imperatores et magiſtratus ethnicos, crudeles, tyrannos: reſpondemus, tanto magis inde ſequi, vt Deus adprobet magiſtratuum officium, quia ne gentilibus quidem et crudelibus imperatoribus honorem et obſequium detrahi voluit. Eleganter Grotius ſub finem *n.* 4. *ſicut ergo olim pia erant ſacrificia*, cet.

Ex his ergo iam ita argumentum ducimus:

Si Deus probat magiſtratus officium, probat etiam defenſionem a magiſtratu per bellum ſuſceptam.
At verum eſt prius.
Ergo et poſterius.

Co-

Conſequentiam inde probamus, quia ob id praecipue in ciuitates coaluere, et principes conſtituere gentes, vt defenderentur ab aliorum inſultibus.

Tertium argumentum petitur ex *Luc. III.* 14. quod Ioannes militibus ad ſe venientibus non iniungit, vt nuncium mittant militiae, ſed vt militares leges obſeruent. num. 5.

Poſſet obiici, Ioannis doctrinam a doctrina Chriſti potuiſſe diſcrepare. Sed recte reſpondet Grotius, 1. eadem praedicaſſe Ioannem et Chriſtum, poenitentiam et fidem. 2. Ioannem fuiſſe miniſtrum Noui Teſtamenti, *Matth. XI.* 13. et Euangelii. *Luc. III.* 18.

Quartum argumentum inde generatim ducitur, quod tota S. S. abhorreat a furtis, caedibus, rapinis, aliiſque ſceleribus, quae Deus omnino vult omitti, et impediri. Iam vero non omitterentur, niſi ius gladii et aduerſus ſubditos, et aduerſus exteros haberet magiſtratus. Ergo voluit Deus, vt ius gladii haberent. Itaque ſic argumentatur Grotius: num. 6.

Qui vult finem, vult etiam media.
Deus in tota S. S. vult finem, ne furta, caedes, rapinae fiant.
Vult itaque et medium, nempe ius gladii et belli.

Eſſe vero id vnum medium, inde probatur, quod ſcelera etiam nunc vix omittuntur, poſtquam id ius gladii magiſtratibus relinquitur. Quid fieret, ſi nullum eſſet ius gladii?

Quintum argumentum deſumitur exemplo Iudaicae rei publicae, in qua ius gladii viguit, quamdiu nondum exciſa eſſet res publica. Quamuis enim ius gladii non eſſet penes Iudaeos, vti fatentur ipſi *Ioann. XVIII.* 31. quum municipia non haberent merum imperium, vti ſingulari diſſertatione docuit Zach. Hvber. *Diſſ. Part. I. diſſ.* 1. fuit tamen apud Romanos. num. 7. 8.

Iam Chriſtus iam ante exciſam vrbem officium ſuum inchoauerat et abſoluerat. Quum itaque veniſſet, vt nos liberaret a iugo legis, omnino etiam docere debuiſſet, iam legem de iudiciis, de ſuppliciis capitalibus, de iure gladii ceſſare debere. Quum itaque id non docuerit, omnino voluit, vt e[illegible], et hinc ius gladii non repugnat doctrinae N. T.

Immo tantum abeſt, vt Chriſtus docuerit, ius gladii ceſſare debere, poſtquam aduenerit, vt potius tum ipſe, tum apoſtoli

ſtoli eius re ipſa docuerint, et factis oſtenderint; ſibi placere iudicia et ius gladii.

1. Dum ipſi ſe ſtiterunt coram tribunalibus, Chriſtus coram Pilato, apoſtoli coram ſynedrio, Paullus coram Anania. *Actor. XXIIII. 3.*

2. Dum homines remiſerunt ad iudices. Hinc Chriſtus ei, qui rogabat, vt familiae erciſcundae inter ſe et fratrem praeeſſet, reſpondit: *homo, quis me iudicem conſtituit?*

Obiici poſſet, Chriſtum tamen prohibuiſſe vltionem, *Matth. V. 38. ſeqq.* Sed reſp. diſtinguendum eſſe inter legem et conſilia. Conſilium iſtud exſequi recte poſſumus, ſed non ideo peccat, qui iure ſuo vtitur, nec iudex, qui ſecundum legem animaduertit.

num. 9. *Sextum* exemplum Cornelii centurionis, iam aliquoties vrſimus. Conuerſus enim ad Chriſtum non legitur mutaſſe militiam, immo nec id ei imperatum a Petro, quum tamen diceret Cornelius: *iam adſum auditurus, quaecumque tibi praecepta ſunt a domino. Actor. X. 33.*

Obiiciunt, Lucam quidem non meminiſſe miſſionis a Cornelio flagitatae, ſed credibile tamen eſt, eum flagitaſſe miſſionem. Sed reſp. 1. id nec probari poſſe, nec 2. veroſimile eſſe, quum alias Lucas huius modi quid narrare ſoleat. Sic cum magi conuerterentur, refert Lucas, eos nuncium miſiſſe huic vitae generi, et combuſiſſe libros magicos. *Actor. XVIIII. 19.* An hic praetermiſiſſet, quod Cornelius deſeruerit militiam, ſi prauum hoc eſſet vitae genus?

num. 10. *Septimum* argumentum Grotius petit ab exemplo Sergii Paulli, procoſ. Cypri a Paullo conuerſi, et vnde plerique dicunt apoſtolum nomen Paulli adſumſiſſe, quum antea diceretur Saulus. *Actor. XII. 6. ſeqq.*

Proconſul habebat ius gladii et militiae, *l. 8. D. de offic. procoſ.* Si itaque hoc iniuſtum eſſet, non potuiſſet non poſt conuerſionem magiſtratu ſe abdicare. Quum vero ſe abdicaſſe non legatur: omnino ius gladii nihil iniuſti complectitur.

num. 11. *Octauum* ex Paulli exemplo deſumtum, qui et 1. inſidias Iudaeorum ad tribunum detulit, et 2. praeſidium militare ab eo accipere non dubitauit. *Actor. XXIII. 18--23.* An id paſſus eſſet Paullus, qui omni occaſione veritatem praedicandam dicit. *2. Tim. IIII. 2.*

Nonum

Nonum argumentum. Qui probat media, is et finem probat. Iam nemo dubitat, tributa dari, vt magiſtratus haberet, quo tueretur bonos, coërceret malos. *Rom. XIII.* 3. 4. 6. Quum itaque probet tributa, procul dubio etiam adprobat eorumdem finem, puta bellum. *num.* 12.

Decimum argumentum e verbis Paulli *Actor. XXV.* 11. deſumtum non magni momenti eſt. Nam non ſequitur, Paullus non recuſat mori, ergo probat iudicia, quae ſupplicium capitale infligunt. Poſſet quis ad latrones quoque dicere: niſi tibi dedero omnia, non recuſo mori. *num.* 13.

Vltimum argumentum rectiſſimum eſt, ſi recte proponatur. Chriſtus non ſuſtulit politias, ergo non ſuſtulit bellum. Quod non ſuſtulerit politias, inde patet, quod nihil de ea re ſanxit, nihil praecepit, nihil vetuit. Immo quod ſtatum rerum publicarum, qualis tunc erat, non improbauit, ſed ipſi Pilato dixit: *non haberes poteſtatem vitae et necis in me, niſi tibi caelitus data fuiſſet.* *num.* 14.

§. 8.

Sequitur iam altera pars capitis, quo aliorum argumenta bello oppoſita refutantur, et quidem octo

1. *Primum* obiicere ſolent verba *Ieſaiae II.* 4. *dominus iudicabit inter gentes, et animaduertet inter populos. Tunc gladios mutabunt in ligones, et lanceas in falces. Neque enim populus gladium euaginabit aduerſus populum, neque diſcent amplius bella gerere.* *num.* 1. 2.

Reſpondet Grotius: 1. aut id intelligendum eſſe hypothetice, ſi omnes homines eſſent Chriſtiani veri, neminem alteri facturum iniuriam, adeoque omnino ceſſatura bella, aut 2. pure, et tunc implementum vaticinii adhuc inſtare eo tempore futurum, quo laetior futurus ſit ſtatus eccleſiae. Inde ergo non ſequi, vt bellum temporibus N. T. ceſſare debeat, aut vt repugnet Euangelio.

Sed neutra reſponſio vera videtur et ſufficiens. Non prior, quia Dominus abſolute praedicit id futurum, non, fieri id poſſe, ſi omnes eſſent Chriſtiani veri. Non poſterior, quia, vt ex verſu antecedente patet, Ieſaias non loquitur de vltimo illo et laetiore ſtatu eccleſiae, ſed de eo, quo gentes dicturae ſint *venite, eamus in montem Domini, ad domum Dei Iacob, vt nos doceat vias ſuas, vt ambulemus in eius ſemitis.* Loquitur de eo

tempore, quo lex exitura eſſet ex Sion, et verbum Domini ex Hieroſolymis. *Tunc*, inquit, *Dominus iudicabit inter gentes*, cet. Id omne impletum eſt, quum apoſtoli exeuntes Hieroſolymis Euangelium annunciarent vniuerſo orbi. Ergo ab eodem tempore impletum fuiſſe oportet vaticinium de gladiis conuerſis in ligones.

Quid ergo? Totum caput eſt ſpiritualiter intelligendum, non ſecundum litteram. Nam *v.* 2. dicitur, eo tempore altiorem fore montem Domini omnibus reliquis montibus. Quod ſecundum litteram intelligi nequit. Itaque verba nihil aliud ſignificant, quam Chriſtum allaturum pacem ſpiritualem, pacem illam omni ratione eminentiorem. Adeoque inde nihil inferri poteſt contra bella.

num. 3. *Alterum* argumentum, *Matth. V.* 38. Sed reſp. Grotius, non magiſtratibus haec dici, ſed ipſis laeſis, vt potius concoquant iniuriam, quam vltionem ſpirent. Conſilium ſane optimum et ſaluberrimum, ſed non lex.

Simile ſane quid reperimus in 1. *Cor. VI.* 1. *ſeqq.* vbi Paullus reprehendit pruritum litigandi coram magiſtratibus ethnicis, non quod id iniuſtum eſſet, aut quod officium magiſtratus improbaret, quod ſane maximi aeſtimat, vti ſupra vidimus, ſed quod lites hae ſcandalum praeberent gentilibus. Conſilium ergo et hoc eſt, non lex.

num. 4. Simile quid dicendum de verbis ſequentibus: *qui velit tecum litigare*, cet. Nam 1. non magis hic improbantur iudicia, quam ſi amicus amico ſuaderet, ne ob rem leuem tribunalia fatigare velit. 2. Loquitur Chriſtus procul dubio de iis perſequutionibus, quas tamquam Chriſti diſcipuli laturi eſſent. Iis omnino non reſiſtendum. Et hinc primi Chriſtiani condemnati quotidie ad gladium, ad viuicomburium, ad beſtias, boniſque omnibus propter Chriſtum ſpoliati, non reſtiterunt perſequutoribus, ſed omnia animo tranquillo, et patientia plane inuicta pertulerunt. Sic ſane qui iis eripiebat tunicam, ei et pallium conceſſere. 3. Ipſe VLPIANVS *l.* 4. §. 1. *D. de alienat. iudic. mutand. cauſſ. fact.* non improbandum dicit eius factum, qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſaepius litigaret, hanc enim verecundam cogitationem eius, qui lites exſecratur, non eſſe vituperandam. An ideo Vlpianus iudicia exſecratur?

Eodem

Eodem modo intelligenda verba ſequentia: *qui angariabit te ad milliare vnum, abi cum eo duo.* Recte reſpondet Grotius, Chriſtum velle, vt leuem potius iniuriam ferant Chriſtiani, quam litigent. Hinc non dicere: *abi cum eo centum*, quae grauior eſſet iniuria; ſed *abi duo*, quia non tam incommoda futura ſit haec deambulatio, quam lis moleſtiſſima. *num. 5.*

Sed ſimul obſeruandum, angarias, fuiſſe publicam prouincialibus impoſitam onerum vehendorum baiulandorumque neceſſitatem. *l.* 7. *l.* 18. §. 4. 21. *D. de muner. et honor. l.* 10. §. 2. *D. de vacat. et excuſat. muner.* Dum itaque iis non reſiſtendum, ſed aliquid indulgendum eſſe monet Chriſtus, qui nos angariant, perinde eſt, ac ſi diceret, ne reſiſtite ſummis imperantibus et magiſtratibus, vt adeo nec iudicia, nec bella improbet.

Sequuntur verba: *petenti abs te dato*, cet. Sed miror haec verba adduxiſſe Grotium, quum nihil inde inferri poſſit aduerſus iudicia. Si enim vel maxime petens mutuam repulſam a me ferat, non tamen habebit aduerſus me actionem. Sed et verba ipſa ita comparata ſunt, vt ſaluis iudiciis et ſaluo iure bellandi vnuſquiſque alteri dicere poſſit, petenti abs te dato. Nam idem eſt, ac ſi diceret, officia humanitatis alteri ne negato. *num. 9.*

Ex eodem capite inferri poſſet: Chriſtum tamen prohibere ius talionis: *oculum pro oculo, dentem pro dente*; adeoque et omnem talionem, propulſationem violentiae violentam eſſe prohibitam. *num. 7.*

Sed reſp. 1. Falſum eſt, Chriſtum prohibuiſſe ius talionis. Nam et ipſe ſtatim *cap.* 7. inculcat *v.* 2. *quo iudicio iudicabitis, eo iudicabimini, qua menſura metimini, eadem metientur vobis.*

2. Sed, vt recte Grotius obſeruat, Iudaeis permiſſam fuiſſe priuatam talionem, e. g. vt laeſus poſſet alterum ſimiliter laedere, immo vt ſi quis occiſus eſſet, eius proximus agnatus vindicem ageret, et homicidam vltore ferro perſequeretur. Hanc vltionem ſuis inhibet Chriſtus, quippe permiſſam Iudaeis ob duritiem cordis, vti diuortium; et alia.

3. Nihil ergo ſibi vult Seruator, quam, ferendam potius tolerabilem iniuriam, quam vt ſtatim ad vindictam proruamus.

Obiici poſſet: ſed abſurdum tamen eſſe, percutienti alteram maxillam ſponte offerre, et ita patiendo nouam prouocare iniuriam. *num. 8.*

 Sed

Sed elegans eſt Grotii obſeruatio, *maxillam praebere* eſſe phraſin Hebraeam, quae nihil aliud ſignificet, quam patienter ferre iniuriam. Id quod eleganter probat loco *Ieſ. L.* 6. vbi Chriſtus dicitur *maxillam praebuiſſe percutientibus.*

num. 9. *no.* 11. Tertium argumentum ex eodem *Matth. capite V.* 43. 44. *audiſtis dictum eſſe*, cet.

Reſpondet Grotius 1. proximum hic ſignificare Hebraeum, et tamen inter Hebraeos ipſos viguiſſe iudicia et ius belli. *Iud. XXXI.* 2. Chriſtum id praeceptum porrexiſſe ad alios homines, adeoque non minus amorem hunc tollere bella, quam amorem Iudaeis praeceptum erga Iudaeos. 3. Amorem hunc nobis praecipi exemplo Dei patris caeleſtis, qui quum omnes amet, non tamen ideo non iuſtitiam exercet in puniendis coërcendisque malis. Ita et nobis facere non nefas eſt.

num. 12. 13. Quarta obiectio petita ex *Rom. XII.* 19. Reſpondet Grotius, 1. eo tempore, quo haec dixit Deus, *meum eſt vlciſci: ego rependam. Leu. XVIIII.* 18. *Deut. XXXII.* 35. iam et iudicia capitalia fuiſſe, et bella, adeoque non obſtare haec verba poſſe bellis. 2. Et hoſtes iubentur diligi, *Exod. XXIII.* 4. 5. nec tamen eo tempore ceſſabant ſupplicia capitalia et bella. 3. Quia verba ſequentia ſtatim docent *cap. XIII.* 1. verba haec intelligenda eſſe cum exceptione. 4. Diſtinguendum ergo eſſe inter vltionem boni publici cauſſa exactam, et vltionem priuatam. Illa non prohibetur, ſed haec.

num. 14. Obiectio 5. ex 2. *Cor. X.* 3. Sed 1. Paullus non loquitur de imperantibus Chriſtianis, ſed de apoſtolis, qui Chriſtianos non faciebant armis carnalibus, ſed ſpiritualibus. 2. Non carnalia dicuntur arma, quaſi mala et vetita, quo ſenſu peccata vocantur opera carnalia: ſed vt opponantur armis ſpiritualibus, qualia ſunt preces, lacrymae, verbum Dei.

3. Inprimis Paullus in hoc textu alludit ad poteſtatem illam Apoſtolis conceſſam miraculoſe puniendi refractarios, cuius plura exſtant exempla. Sic Petrus verbis occidit Ananiam, eiusque vxorem Sapphyram. *Actor. V.* 5. Sic Paullus inceſti reum Satanae tradidit. 1. *Cor. V.* 5. Sic idem excoecauit Elymam. *Actor. XIII.* 11. Eleganter haec extraordinaria et miraculoſa poteſtas vocatur *virga apoſtolica*, 1. *Cor. IIII.* 21. deque ea praeclare egit ſcriptor Anglus GVIL. CAVE in *Antiqu. apoſtol. in* *vita*

vita Petri. Dicit ergo apoſtolus , haec arma non eſſe carnalia,
ſed ſpiritualia. Eis opus erat, quamdiu nulli erant magiſtratus
Chriſtiani. Poſtea id donum miraculoſum defecit.

Sexta obiectio ex *Epheſ. VI.* 2. Sed reſp. 1. Pugna vel lu- *num. 15.*
cta contra diabolum, mundum, et carnem non tollit luctam et
bellum aduerſus hoſtes, nam Paullus dum dicit: *non eſt nobis*
pugna, tantum difficultatem huius belli ſpiritualis deſcribit, non
prohibet bellum. 2. Chriſtiani et vt Chriſtiani, et vt homines
ciueſque conſiderari poſſunt. Tamquam Chriſtianis incumbit lu-
cta cum hoſtibus: iiſdem tanquam hominibus adimi nequit ius
gerendi bellum.

Septima obiectio ex *Iac. IIII.* 1. Sed 1. diſtinguendum in- *num. 16.*
ter iuſtas cauſſas belli et iniuſtas. Qualis cauſſa eſt, talis effe-
ctus. Si belli cauſſa iniuſta eſt, ipſum bellum iniuſtum habetur.
Et de huius modi bello iniuſto loquitur apoſtolus. 2. Scripta
eſt haec epiſtola, vti Pearsonivs et Millivs probant, eo tem-
pore, quo bellum Hieroſolymis fatale gerebatur. Hinc de eo
potiſſimum loquitur, illudque ex voluptatibus et concupiſcen-
tiis prauis conflatum teſtatur. Ergo non de omnibus loquitur.
3. Quemadmodum ſi quis dicat: vnde aegritudo, rixae, cra-
pula, niſi ex vino? ideo vinum non omne reiicit: ita nec
hic apoſtolus omnia reiicit bella. Sunt enim quaedam, ex hu-
ius modi voluptatibus haud nata. 4. Denique et alios auctores
ita loquutos eſſe docet Grotius, qui numquam bellum pro in-
iuſto habuere.

Octauum argumentum aduerſarii deſumunt ex verbis Chriſti *num. 17.*
Matth. XXVI. 52. Sed 1. Petrus tunc non bellum gerebat, ſed
reſiſtebat magiſtratui. Id Chriſtus prohibet. 2. Senſus idem eſt,
ac verborum: *qui ſanguinem fuderit, eius ſanguis fundetur.* 3.
Specialis hic eſt ratio, cur Chriſtus nollet defendi a Petro, quia
eius regnum non eſſet de hoc mundo. Quale regnum, talis
defenſio. Regnum Chriſti ſpirituale eſt, ergo defendendum
armis ſpiritualibus. Hinc Chriſtus: *Vigilate et orate, ne incida-*
tis in tentationem. Matth. XXVI. 41.

§. 9.

Porro haud parum momenti ſitum eſt in teſtimonio veteris *num. 1[illegible]*
eccleſiae. Nam [illegible] ea ab apoſtolis et viris apoſtolicis regebatur, qui

eam fideliter, quid Deo placeret aut diſpliceret; docebant. 2. Non probabile eſt, eccleſiam ſtatim defeciſſe. 3. Tum maximus erat pietatis verae feruor. Eleganter HIERONYMVS *ad Demetr. Tom. I. pag.* 68. *tunc domini noſtri adhuc caluiſſe cruorem, et ferbuiſſe in credentibus fidem.* Quis ergo negauerit, operae pretium feciſſe Grotium, dum in veterum Chriſtianorum inquiſiuerit ſententias.

I. Et quidem multi fuere, qui bella improbarent: Nam

1. Id fecit ORIGENES *aduerſ. Celſum lib. VIII. pag.* 426. vbi Chriſtianos ait bella non gerere, niſi precibus.

2. Idem ſenſit TERTVLLIANVS alicubi, et iudicia capitalia et bella reiicere videtur libro *de idololatria*, et libello *de corona militis*, cuius hiſtoria narranda.

num. 3. II. Chriſtiani haud raro detrectabant militiam. CELSVS *apud* ORIG. *lib. VIII.* Et notabile eſt legionis Barbaricae exemplum, quae miſſionem flagitabat, quod eſſet Chriſtiana, et recuſabat praelium inire, martyrio hinc adfecta a Diocletiano et Maximiano Auguſtis. ADO Viennenſis *Martyrol. ad* 10. *Kal. Octobr.*

num. 4. III. Chriſtiani abhorrebant fere a muneribus et officiis publicis, veluti praetura, TATIANVS *in Apol. pro Chriſtianis*; ab aedilitate. TERTVLLIANVS; a militia, et nauigatione. LACTANT. *lib. IIII. cap.* 18.

Sed reſp. 1. Non vniuerſalis haec erat eccleſiae ſententia, ſed quorumdam patrum, quorum nemo non ſuos paſſus eſt naeuos. Vid. DALLAEVS *de vſu patrum.*

2. Origenes et Tertullianus fuere ſuſpecti de falſa doctrina. Origenes Platoniſmo nimis fauit, in multis conciliis damnatus, et Tertullianus plane ad Montaniſtas, Fanaticos defecit.

3. Ipſi hi patres alibi admittunt iudicia capitalia et bella, vt ipſe Grotius eorum verbis *n.* 2. adductis docuit. Vnde non aliter poteſt intelligi eorum ſententia, quam bella in theſi iuſta eſſe, ſed in hypotheſi a Chriſtianis geri non poſſe. Nam

1. Imperatores gentiles ſacramentum exigebant a militibus, quod Chriſtiani ſalua iuſtitia praeſtare non poterant.

2. Bella ab iis ſaepe gerebantur iniuſta, quibus intereſſe Chriſtiani religioni ſibi ducebant.

3. Multi erant ritus militares principiis Chriſtianiſmi aduerſantes, e. g. auſpicia, veneratio ſignorum vel aquilarum, ſacrificia, triumphantium introitus in Capitolium. Ab his abhorrebant Chriſtiani, non ab ipſo bello.

4. Mul-

4. Multi praeterea fauebant vitae theoreticae, quae deinde monaſtica dicta. Ei vero omnino repugnare videbatur militia.

§. 10.

Hinc iam porro demonſtrat Grotius, doctrinam illam de belli iuſtitia non fuiſſe communem omnibus Chriſtianis, et
1. Ex patribus antiquioribus. Clemens Alexandrinvs vixit saeculo II. et *Stromata* ſcripſit et *Paedagogum*, ibi vero diſerte hoc concedit, et militare poſſe Chriſtianos, et magiſtratum gerere. num. 1.

Conſtitutiones apoſtolicae nec apoſtolis vere debentur, nec Clementi Romano. Sunt ſaltim ex ſaeculo IIII. vt docuit Gvil. Cave. Sed Gvil. Whiston in Arianiſmum procliuis has conſtitutiones tamquam vere apoſtolicas defendit, et quidem non Graecum, ſed Arabicum textum putat authenticum.

2. Publicam eccleſiae ſententiam bello non fuiſſe aduerſam denuo probat, num. 2.

1. Ex *Conſtitutionibus apoſtolicis*, quia illae ſaltim de quarti ſaeculi doctrina teſtantur.

2. Ex Tertvlliani *Apolog. cap.* 42. quia ea publico Chriſtianorum nomine ſcripta.

3. Ex hiſtoria de legione fulminatrice. Ita Tertvllianvs, Evsebivs. Vid. Witsivs et Dan. Larroqvanvs *de legione fulminatrice*. Hiſtoria autem ſatis certa, 1. quia legio XII. multo ante fuit fulminatrix dicta. 2. Quia ſub Antonino philoſopho adhuc maxime ferbuit perſequutio. 3. Quia ipſe Antoninvs in libris *ad ſe ipſum*, quos ex parte in bello Marcomannico ſcripſit, Chriſtianos exagitat, odiumque prodit aduerſus eos conceptum.

4. Ex hiſtoria martyrum, inter quos et milites fuere. Sed hic selectu opus: ſaepe enim fabulis indulgent martyrologia. Sed in dubium tamen vocari nequeunt omnia, quod viſum Henr. Dodwello in *Diſſert. Cyprianic. de paucitate martyrum*, quem ex inſtituto refutauit Theodor. Rvinartvs, Gallus, in *Actis genuinis martyrum*, in *praefat.* num. 3.

Certa ſaltim eſt hiſtoria Laurentini et Ignatii, Afrorum, quae non ſola martyrologiorum auctoritate, ſed teſtimonio Cypriani, qui ſaeculo III. floruit, patris fide digniſſimi, et qui ipſe inter martyres fuit, nititur.

Obiici

num. 4. Obiici poſſet, Chriſtianos non libenter interfuiſſe ſuppliciis capitalibus. Ita enim ſaepe Tertullianus et alii veteres.

Sed reſp. 1. ſupplicia illa non damnabant in theſi, ſed in hypotheſi, ob eorum truculentiam. Nam 1. pleraque exercebantur aduerſus Chriſtianos. 2. Etiam poenas nouas et inhumanas inuenerant, e. g. tunicam moleſtam, dilaniationem beſtiarum. 3. Ipſa quaedam iura admodum truculenta erant, veluti SCtum Silanianum.

2. Non intererant libenter, quod ſuſpicionem fugerent, ac ſi oculos paſcerent aliorum dolore et ſuppliciis.

3. Quod in theſi ea non damnarint, adparet ex eo, quod Conſtantinus M. bella geſſerit, et iudicia capitalia exercuerit. Inquirendum hic, quid de hiſtoria ſentiendum, quod viderit crucem cum verbis: IN HOC VINCES. IO. ALB. FABRICII ſingularis ea de re diſſertatio laudatur.

num. 5. 4. Theſin ſuam Grotius confirmat inde, quia nullus parum ſub imperatoribus Chriſtianis dubitauit bella geri poſſe. Nam 1. EVSEBIVS ſcripſit libros *de vita Conſtantini*, in quibus eum ob fortitudinem laudat, eiuſque bella ſine omni cenſura refert. 2. LACTANTII exſtat elegans libellus *de mortibus perſecutorum*, in quo ex inſtituto docet, nullum principum, qui eccleſiam vexarunt, morte ſua obiiſſe. In eo maxime laudatur Conſtantinus ob bella aduerſus hoſtes eccleſiae geſta. 3. Addendus merito duplex locus AMBROSII, ab auctore adductus.

num. 6. At porro obiiciunt, 1. ſaepe epiſcopos deprecatos pro reis, 2. introduxiſſe Chriſtianos ius aſyli in eccleſiis, 3. ritum inter eos fuiſſe, vt tempore paſchatos captiui ſoluerentur vinculis, *l.* 3. *C. de epiſc. aud.* Videntur itaque ſupplicia capitalia, et multo magis bella deteſtati.

Sed reſp. 1. Epiſcopi eo ipſo non tam iudicia damnarunt, quam clementiam ſuaſerunt.

2. Aſylorum ius κακοζηλίᾳ et intempeſtiua ethnicorum et Iudaeorum aemulatione receptum eſt, vt docuit RITTERSHVSIVS ſingulari tractatu *de iure aſylorum.*

3. Ritus iſte non arguit odium iudiciorum; ſed erat ſignum gaudii paſchalis, quale quid etiamnum ſaepe obſeruamus in aulis principum, ſi vel princeps iuuentutis naſcitur, vel coronationis feſtum celebratur. An id indicat deteſtationem iudiciorum capitalium?

Sed iam ſoluuntur bina argumenta paullo poſt difficiliora, ex quibus probare nituntur, a bellis abhorruiſſe eccleſiam. num. 7.

1. Primum eſt ex *canone XII. ſynodi Nicenae*, vbi agitur de iis, qui cingulum militiae depoſuerunt, et poſtea eamdem militiam repetierunt. Iis enim haec poena irrogatur, vt decem annos iaceant, tredecim audiant.

Quae poena vt intelligatur, ſciendum, in veteri eccleſia fuiſſe quatuor gradus poenitentiae. Nam 1. dicebatur *deploratio*, quando peccatores extra eccleſiam iacentes cum luctu et lacrymis deprecabantur. 2. *Auditio*, quando admitterentur in porticum eccleſiae, vt poſſent audire verbum Dei. 3. *Submiſſio*, quando intra eccleſiam poſt ſuggeſtum ſtabant, ſed egredi tenebantur cum catechumenis. 4. *Conſtitutio*, quando inter fideles ſtabant, ſed nondum participes ſacramentorum. IVSTELLVS ad *Cod. can. eccleſ.* CAVE *de Chriſtian. primit. Part.* 1. *cap.* 8. *pag.* 229. *ſeqq.*

Quum itaque tam grauis iniungeretur poenitentia iis, qui ad cingulum militiae rediiſſent: videntur ſane Chriſtiani abhorruiſſe quam maxime a militia.

Sed recte reſpondet Grotius, hunc canonem ad idololatriam pertinere. Licinius enim, qui tunc tyrannidem affectauerat, milites Chriſtianos iuſſerat ſacrificare, et thus adolere diis. Hinc multi ſe abdicauerant militia. Poſtea, vt fit, lucri cupidi, militiam repetebant, immo pecunia data illam redimebant, quod fieri potuiſſe, ex *Nou. LIII. cap.* 5. *et l.* 22. *D. de legat.* 2. patet. Itaque deficiebant ad idololatriam, quo crimine nihil habebatur deteſtabilius. Quid mirum itaque, ſi poenitentia fuerit paullo durior? Refert illud Licinii ſcelus SVLPITIVS SEVER. *Hiſt. eccleſ. Lib. II. cap.* 33. num. 8.

2. Alterum argumentum eſt ex LEONIS papae *Epiſtol. contrarium eſſe eccleſiaſticis regulis*, cet. num. 9.

Sed 1. loquitur ea de aſcetis, monachis, qui vitae theoreticae ſtudioſi a militia abhorrebant.

2. De epiſcopis et clericis, qui ſemel eccleſiae addicentes operam non debebant amplecti militiam.

3. Sane et hodie is videretur reprehendendus, qui pallium clericale commutaret cum ſago, et tamen hodie nemo damnat militiam.

4. Accedit, quod ne militem quidem admitterent ad offi- num. 10.

cium eccleſiaſticum, ſi poſt baptiſmum id vitae genus elegiſſet: non, quod improbarent militiam, ſed quod ad ea munera proueherent viros pios et probos, quales raro eſſe ſolent milites.

Non parum etiam hunc rigorem auxit interpretatio peruerſa verborum, quibus Deus prohibuit Dauidem ſibi templum aedificare, quia fuerit miles, et ſanguinem fuderit, quum tamen ea verba ſint typica, et ideo Salomoni id reſeruauerat Deus, quia Meſſias veram eccleſiam N. T. conditurus, futurus ſit princeps pacis.

num. II. Denique varia Grotius cumulat teſtimonia pro bello ex *Concil. Arelat. I. can.* 3. AMBROSIO, nec non exemplum legionis Thebaeae, eiuſque orationem, ac denique teſtimonium Baſilii.

Hiſtoria legionis Thebaeae exſtat apud SVRIVM *Act. ſanctor. d.* 22. *Sept.* CAVEVM. *Chriſt. prim. part. III. cap.* 4. *pag.* 714. *ſeqq.*

CAPVT III.

BELLI PARTITIO IN PUBLICVM ET PRIVATVM, SVMMI IMPERII EXPLICATIO.

CAput hoc quantiuis pretii duas tractat res notatu digniſſimas. Nam

I. Aliquot belli diuiſiones exponit. §. 1-5.

II. Ea occaſione expendit doctrinam de ſummo imperio vel poteſtate ciuili. §. 6-24.

Prior pars denuo conſtat articulis 2. Nam bellum diuiditur

1. In publicum et priuatum. §. 1-3.

2. Publicum denuo ſubdiuidit in ſollemne et minus ſollemne. §. 4. 5.

§. 1.

num. I. Prima ac ſumma belli diuiſio eſt, quod aliud ſit *publicum*, aliud *priuatum*, quibus Grotius et *mixtum* addit.

Publicum bellum eſt, inquit Grotius, quod auctore eo geritur, qui iuriſdictionem habet: *priuatum*, quod aliter, *mixtum*, quod vna ex parte publicum eſt, ex altera priuatum. Sed Grotius

tius hic non proprie et ex arte loquitur. Iuriſdictio enim proprie competit magiſtratui: hic vero iuriſdictio ipſi eſt ſummum imperium vel maieſtas, quo ſenſu et SENECA dicit ſaepe, penes principem eſſe iuriſdictionem, in libris *de clementia.*

Rectius itaque dixeris, bellum *publicum* eſſe, quod a ſummis imperantibus vel ſocietatibus liberis geritur, e. g. bellum Carthaginienſium et Romanorum.

Priuatum, quod a priuatis geritur, vt bellum inter Marium et Sullam.

Mixtum, quod ex vna parte a ſummis imperantibus, ex altera a priuatis geritur, e. g. bellum Catilinarium.

Quia autem exiſtimari poſſet, hanc diuiſionem eſſe abſonam, quum bellum priuatum ſit latrocinium, non bellum: latius demonſtrat Grotius, non omne bellum priuatum iniuſtum eſſe, nec in ſtatu naturali, *num.* 2. nec in ſtatu ciuili. §. 2. *num.* 1. 2. *et* §. 3. *num.* 2.

I. In ſtatu naturali nullus eſt imperans, nullus ſubditus, ſed vnuſquiſque in libertate naturali viuit, nemini obnoxius, nemini inferior, quia natura omnes homines aequales. Quum itaque inter aequales, et vbi ſuperior nemo eſt, ceſſant iudicia: ſequitur, vt in ſtatu naturali ceſſent iudicia. Quumque ceſſantibus iudiciis liceat vim vi repellere: etiam in ſtatu naturali licebit omnibus vim vi repellere, id eſt, bellum gerere.

Haec quidem clara ſunt: ſed obiici poteſt, ſaltim eam facultatem ademtam eſſe priuatis in ſtatu ciuili, quia hic introducta ſunt iudicia. Quam in rem Grotius allegat *l.* 176. *D. de reg. iur. et l.* 13. *D. quod met. cauſſ.*

Sed ſtatim Grotius oſtendit, et in ſtatu ciuili id bellum priuatorum aliquando non eſſe iniuſtum, quamuis omnino non ſemper, nec omnibus concedendum ſit.

§. 2.

Quando licitum ſit, id iudicandum ex ratione, cur in ſtatu ciuili prohibitum ſit bellum. Ratione enim ceſſante, ceſſat lex. *num.* 1.

Iam ratio non alia eſt, quam quod in ſtatu ciuili per iudicia conſequi licet, quod alias in ſtatu naturali per bellum conſequeremur. Ea itaque ceſſante, id eſt, ſi non ſit iudiciorum copia, et prohibitio belli ceſſat.

Vnde regula: *quotieſcumque iudicii nulla copia eſt, toties et*

priuatis in ſtatu naturali bellum gerere licet. Iudiciorum autem copia non eſt, inquit Grotius

1. Vel *momentanee*, quum vis tam repentina eſt, et periculum tam praeſens, vt iudicis auxilium exſpectare nequeam; e. g. in moderamine inculpatae tutelae, in furto nocturno, in latronum furore.

2. Vel *continue*, quod ipſum vel iure contingit, vel facto.

1. *Iure*, iis locis, qui deſerti ſunt, et hominibus vacui, e. g. in mari, vbi et priuatus quiſque aduerſus priuatos bellum gerit, quia numquam in mari ſunt tribunalia.

2. *Facto*, ſiue ſubditorum, ſiue iudicum auctoritatem adſpernentur, (vt olim in Iſraele: *eo tempore non erat rex in Iſrael: et vnusquiſque faciebat, quod iuſtum erat.* Sane in eo ſtatu ſi quis ſe aduerſus iniurias defendiſſet ſuis viribus, non peccaſſet. Siue ipſius iudicis, ſi deneget adminiſtrationem iuſtitiae. Sed bini poſteriores caſus cum grano ſalis accipiendi. Nam ille de ſubditis ſupponit meram ἀναρχίαν; quae rariſſime datur: et alter de iudice denegante iuſtitiam nemini dat facultatem gerendi bella, niſi non adſit iudex ſuperior vel imperans, ad quem huius modi querelam deferre poſſint. Quod denuo ſine ἀναρχίᾳ intelligi nequit.

num. 2. Ceterum licitum eius modi bellum priuatum alii negant, quorum ſententiam antequam expendat auctor *num.* 2. ſententiam ſuam demonſtrat, vt §§. *ſeqq.* aduerſariorum argumenta refellit.

Argumentum ſuum Grotius deſumit ex lege diuina de furto nocturno, *Exod. XXII.* 2. quale quid et lege XII. tabb. ex legibus Solonis cautum nouimus. Immo PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. lib. II. cap.* 5. §. 17. demonſtrauit, omnium fere gentium leges caedem furis nocturni permiſiſſe. Conf. HERTIVS *ad Pufendorff. l. c.*

Iam id ius furem nocturnum occidendi aut ex delicto, puta furto, aut ex iure ſe defendendi eſt. Non autem ex delicto; nam ſic et diurnum occidere fas eſſet: ergo ex iure defendendi. Si in ciuitate hoc ius ſe defendendi cum alterius internecione ſaluum eſt, non omne ſane bellum priuatum erit prohibitum. Q. E. D.

§. 3.

Iam itaque ad argumenta aduerſariorum progreditur, quae ea- *num.* 1.
dem fere ſunt, quae opponunt bello publico. Vnde pleraque iam ſuperiore capite expenſa ſunt. Breuitate vtemur, et paucis argumenta recenſebimus.

Primum eſt ex iis dictis, quibus Chriſtus et Apoſtoli prohibent, quo minus reſiſtamus malo, *Matth. V.* 39. ne vltionem ſpiremus, *Rom. III.* 19. ne gladium ſumamus, niſi gladio perire velimus.

Secundum deſumitur ab exemplo Chriſti, pro inimicis mortui. *Rom. V.* 8. 10.

Tertium a teſtimonio eccleſiae primaeuae, quae omnem de- *num.* 2.
fenſionem priuatam inhibuit, etiam contra latronem armatum. AMBROSIVS *de offic. lib. III. cap.* 3. AVGVSTINVS *de lib. arb. lib. I. cap.* 5. Immo idem dogma migrauit in ius canonicum. *c. vlt. cauſſ.* 13. *qu.* 11.

His argumentis alia opponit Grotius fortiora. Nempe *num.* 3.

1. Quod Euangelium iubet amare proximum tamquam ſe ipſum. Ergo non magis, quam ſe ipſum. Vnde mihi ſum proximus, meque potius conſeruari ac tueri teneor, quam alium.

2. Quia et lex beneficentiae admittit exceptionem, niſi ipſi indigeamus. 2. *Cor. VIII.* 10. Ergo et lex de conſeruando proximo intelligenda cum limitatione, niſi ipſi periclitemur. Rectius res ita proponitur:

Leges ſunt vel *adfirmatiuae*, vel *negatiuae*. De adfirmatiuis ſemper valet regula: *leges adfirmatiuae admittunt exceptionem neceſſitatis*, e. g. lex de ſabbatho, de beneficentia, de conſeruando proximo. *Negatiuae* vel *ad officia erga Deum* pertinent, vel ad officia *erga proximum*. Priora numquam admittunt exceptionem neceſſitatis; haec admittunt, ſi vel neceſſitas a Deo ſit, vel a malitia hominis, mihi erepturi vitam. Iam lex: *conſerua vitam proximi*, eſt adfirmatiua, ergo admittit exceptionem neceſſitatis. Lex: ne occide, eſt negatiua; et ad officium erga proximum pertinet, ergo exceptionem admittit ob malitiam hominis nos occidere volentis.

Obiici poſſet: non eſſe proportionem inter delictum et poenam; alterum mihi eripere velle vitam temporalem, me illum occidendo illi eripere vitam aeternam. Sed reſp. 1. non hic eſſe poenam, ſed defenſionem; 2. non magis certum eſſe, an quis

in eo ſtatu ſit, vt moriatur cum ſpe ſalutis; 3. nec certum eſſe, an adgreſſor damnationem ſit euitaturus, ſi conſeruaretur; denique 4. non eſſe culpam damnationis penes occidentem, ſed penes adgreſſorem.

num. 4. 3. Tertium Grotii argumentum eſt, quod ipſi apoſtoli videantur Chriſto vidente gladiis vſi: idque coniicit 1. ex loco Ioſephi, qui in Iudaeam proficiſcentes ex Galilaea, gladiis et armis inſtructis iter feciſſe ob latronum crudelitatem ſcribit. 2. Ex voce apoſtolorum *Luc. XXII. 36. hic ſunt duo gladii*; quum nemo in eorum comitatu eſſet.

Hinc ita argumentatur Grotius cum Cicerone: *gladios habere certe non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret.* Ergo vti licet gladiis.

num. 5. His praemiſſis ad ſuperiora argumenta reſpondet. Et 1. quidem ad dictum Chriſti: *ne reſiſtite iniuriam facienti*, reſpondet non loqui Chriſtum 1. de omni iniuria, ſed leuiore, qualis eſt alapa, angaria vnius milliarii, cet. 2. Nec de omni homine, ſed de eo, qui perſequutionem religionis cauſſa patitur. 3. Legem hanc negatiuam admittere exceptionem neceſſitatis ob malitiam hominum.

num. 6. 2. Ad dictum PAVLLI *Rom.* XII. 19. reſp. non prohiberi defenſionem, (vti vult interpres Latinus, qui vertit *defendere*,) ſed vltionem vel vindictam. Idque Grotius demonſtrat, 1. ex perpetuo vocabuli vſu, 2. ex verbis proxime ſequentibus: *vltio mea eſt, ego rependam, inquit Dominus.* Nos autem hic non loquimur de vltione, ſed de defenſione.

Sed quae differentia? 1. Vltio malum alterius pro fine habet, defenſio conſeruationem propriam. 2. Illa ex ira et odio, haec ex ordinato ſui amore proficiſcitur. 3. Illa et extra periculum intentatur; haec in extremo periculo ſuſcipitur.

num. 7. 3. Ad verba: *qui gladium ſumet, gladio peribit*, reſp. 1. Verba haec intelligenda eſſe de praeſente caſu, nam nec volebat defendi Chriſtus, quia oportebat eum pati, nec defenſione ei opus erat, quia impetrare potuiſſet XII. angelorum legiones. 2. Defenſio haec ſuſcepta fuiſſet aduerſus magiſtratum, iniuſtum quidem, ſed tamen magiſtratum. 3. Verba illa: *qui gladium accipiet, gladio peribit*, videntur prouerbium fuiſſe, deſumtum ab eo, quod vt plurimum fiat, quia et alibi occurrit. *Apoc. XIII.* 10.

num. 8. 4. Ad exemplum Chriſti pro impiis et inimicis mortui, reſp. alias

alias actiones Chriſti eſſe ſatisfactorias, alias ad legem diuinam compoſitas: vel, vt theologi loquuntur, alias pertinere ad obedientiam eius actiuam, alias ad paſſiuam. Quae ad actiuam pertinent, imitandae, quae ad paſſiuam, inimitabiles ſunt. Hinc PAVLVS id factum dicit ſingulare *Rom. V.* 7. et ipſi apoſtoli nos non iubent mori pro inimicis, ſed pro fratribus. 1. *Ioann. III.* 16.

5. Patribus facile reſpondetur, 1. Eos adfectare diſciplinam ipſa lege diuina ſuperiorem, (*une morale outrée*,) 2. eos in philoſophia et theologia morali errores admiſiſſe grauiſſimos, 3. alibi patres contraria profiteri, in primis Auguſtinum ſui eſſe diſſimilem in *Quaeſt. 34. ad Exodum.*

§. 4.

Prima haec erat diuiſio belli in publicum, priuatum, et mixtum. Sequitur 2. ſubdiuiſio belli publici in *ſollemne* et *minus ſollemne.* *num.* 1.

1. *Sollemne* vocatur, quod ſuſceptum a ſummo imperante ſollemni ritu indicitur.

2. *Minus ſollemne*, in quo alterutrum deeſt, vel quod aut ab ipſo ſummo imperante non ſuſcipitur, aut non indicitur ſollemniter.

Sollemne bellum dicitur etiam *iuſtum*, non ſollemne *iniuſtum*: vbi tamen non reſpicitur ad iuſtitiam naturalem vel ius naturae, ſed ad iuſtitiam quamdam, quae a moribus eſt. Quemadmodum enim teſtamentum iniuſtum dicitur, cui ſollemnitas quaedam deeſt, nuptiae iniuſtae, ſi vel ciuis ducit peregrinam, vel in coniungendis perſonis ſollemnitas quaedam omiſſa: ita bellum ſollemne dicitur iuſtum, quia ritus quoſdam et caerimonias inuenerunt et receperunt gentes paullo honeſtiores, quibus inter ſe vti ſolent.

Quaeritur itaque, *an magiſtratui liceat ſaltim bellum minus ſollemne gerere?* Reſp. regulam eſſe: *magiſtratui id non licere.* *num.* 2.
Quam regulam inde probamus,

1. Quia magiſtratus non gaudet imperio abſoluto, ſed poteſtate reſtricta, adeoque nihil poteſt, niſi quod iuſſus ſuperiorum iniunxit. Nemini autem magiſtratui ordinarie permittitur poteſtas bellum gerendi.

2. Quia bellum eſt res, quae totam rem publicam adducit in ſupremum periculum. Ergo gerendum non eſt iniuſſu ſummi imperantis.

3. Quia

3. Quia criminis perduellionis reus eſt, qui iniuſſu populi (vel alterius ſummi imperantis) bellum gerit. *l. 3. D. ad leg. Iul. maieſt.* Ergo recte ſe habet regula Auguſtini *lib. XXII. adu. Fauſt. cap.* 27. *ordo naturalis mortalium paci adcommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes principes ſit.*

3. Sed vt regulae morales tantum non omnes admittunt exceptionem neceſſitatis, ita et Grotius a magiſtratibus aliquando bellum minus ſollemne geri poſſe putat,

1. Quoties vim facit eis, qui ei, quod extremum in iuriſdictione eſt, id eſt, exſequutioni reſiſtunt. Sed id proprie non eſt bellum, ſed iuriſdictionis effectus, ſi paucos cogat obtemperare ſententiae. Sin res ad ſeditionem veniat, defenſio permiſſa eſt, bellum autem non niſi iuſſu ſummi imperantis ſuſcipitur.

2. Quoties periculum in mora eſt, vel

3. Ob longinquitatem loci non poteſt exſpectari iuſſus ſummi imperantis. Huc pertinet exemplum Pinarii, a Grotio allatum, et multo potius nobis exemplum gubernatorum prouinciarum Indicarum, qui ſaepe bellum cum gentibus barbaris confecerunt, priuſquam fama de eo ſuſcepto in Hollandiam perueniret.

§. 5.

num. 1. Quum itaque ſuperiore §. et magiſtratum, extrema vrgente neceſſitate, bellum gerere poſſe demonſtrauerimus: iam porro quaeritur, *an huius modi bellum dicendum ſit publicum?*

Negant canoniſtae omnes ob *c. olim* 19. *X. de reſtit. ſpol.* Quorum eſt argumentum: Bellum publicum eſt, quod geritur ab iis, quibus eſt ſummum imperium. Bellum a magiſtratu ſuſceptum non geritur ab eo, cui eſt ſummum imperium. Non ergo eſt publicum.

Adfirmat contra AYALA *de iure belli lib. I. cap.* 2. *n.* 7.

Grotius diſtinguit, ſi bellum publicum ſumatur pro eo, quod a magiſtratu geritur, bellum hoc dici publicum: ſin publicum ſit idem ac ſollemne, negat hoc nomen competere huius modi bello.

Sed haec diſtinctio petitionem principii inuoluit. De eo ipſo enim eſt quaeſtio, an publicum ſit, quod a magiſtratu geritur.

Nos aliter diſtinguimus, aut magiſtratus huius modi bellum ſine neceſſitate ſuſcipit, tum eſt priuatum, et hic non bellum, ſed latrocinium: aut id fit neceſſitate vrgente, et vel generatim mandante ſummo imperante, vel factum ratum habente, et

tunc

tunc eſt publicum, 1. quia generale mandatum et ad ſpecialia pertinet, 2. quia, quod quis per alium facit, illud ipſe feciſſe videtur, 3. quia ratihabitio retrotrahitur ad initium facti.

Hinc quum Hannibal obſideret Saguntum, id faciebat tamquam magiſtratus, nec id iuſſerant Carthaginenſes. Hinc legati mittebantur Carthaginem, qui Hannibalis vrgerent deditionem. Quod quum negarent Carthaginenſes, et factum Hannibalis ratum haberent, bellum inde fiebat publicum.

Contra ſi gubernator prouinciarum Indicarum bellum iniuſſu Batauorum ſuſcipit aduerſus barbaros: id bellum non eſt priuatum, ſed publicum, quia generali mandato inſtructus eſt, pace belloque omnia agendi, quae e re ſocietatis Indicae ſint futura. Idque ipſe agnoſcit Grotius *n.* 2. vbi ait: *ſed illud accidere poteſt*, cet. Reſpicit ad ſtatum rei publicae Germ. Fridericus Barbaroſſa in Italia conſtituerat vicarios imperii, iiſque plenam dederat poteſtatem bellum gerendi, faciendique pacem, prout e re imperii futurum ſit. Ea ſane bella ſuſcepta a vicariis non erant priuata, ſed publica. *num.* 2.

Altera quaeſtio eſt: *an, vbi tale mandatum non eſt, ſufficiat coniectura voluntatis?* *num.* 3.

Nimirum notum eſt, mandatum eſſe vel *verum*, vel *praeſumtum*, e. g. in iudicio procurator habet mandatum verum, maritus pro vxore agens praeſumtum; praeſumitur enim vxor velle a marito defendi.

Ita Batauiae praeſes habet mandatum verum et bellum gerendi et pacem faciendi cum barbaris, prout e re viſum fuerit: contra praeſes vel gubernator Belgii Auſtriaci non habet huius modi mandatum: quaeritur itaque, an non praeſumtum ſaltim habeat, et velle cenſeatur imperator, vt bellum et iniuſſu ſuo ſuſcipiat, ſi id e re ſua videatur, et an non huius modi praeſumtum mandatum ſufficiat ad bellum gerendum?

Grotius id nullo modo exiſtimat admittendum, 1. praeſumtionem enim eſſe, imperantem id ſibi reſeruaſſe, 2. rem publicam ita exponi ſummo periculo, quod iniuſſu ſuo fieri omnino nolit ſummus imperans.

Hinc quum Fabius legatus miſſus ad Gallos tamquam legatus bello Hetruſcorum aduerſus illos intereſſet, et ducem ageret: Galli illum ibi dedi poſtularunt. Ipſum Caeſarem, qui iniuſſu populi bellum Germanis intulerat tamquam proconſulem Galliarum, Germanis dedi ſuaſit Cato, teſte SVETONIO. Hinc et Ci- *num.* 4. 5. 6.

ceronem reprehendit Grotius, quod Octauium et D. Brutum defendit, arma contra Antonium priuata auctoritate capientes: et inde ſimul infert, ſaepe non probanda eſſe exempla veteribus probata, qui affectui magis, quam iudicio obtemperarint.

Haec omnia Grotii argumenta breuiter recenſui. Sed tamen in eo falſus eſt, vti iam Gronouius recte oſtendit. Quaeſtio erat, *an mandatum praeſumtum ſufficiat magiſtratui ad gerendum bellum?* Grotius in vniuerſum negat. Nos diſtinguimus 1. inter bellum *offenſiuum* et *defenſiuum*. Ad illud non ſufficit mandatum praeſumtum, quia res fert moram: ad hoc ſufficit, quia moram non patitur. Hinc ſi Turca ex improuiſo irrueret in Hungariam, quis dubitaret, quin duces copias contrahere, et Turcam profligare poſſint, antequam Viennam nuncius peruenerit?

2. Diſtinguimus inter *dubias belli cauſſas*, et iam *apertas*. Quamdiu res publica alterum hoſtem non decreuit, abſtinendum eſt magiſtratibus a laceſſendo altero. Et hinc male egit Cn. Manlius bellum gerens cum Gallis. Contra vbi res certa, et alter hoſtis declaratus eſt, quis neget, cuiuis fas eſſe hoſti arma inferre? Sic non peccauit Brutus adducens copias aduerſus Antonium hoſtem declaratum, quum videret eum aliter reprimi non poſſe.

num. 7. Hactenus prior capitis pars de belli partitione duplici: ſequitur iam altera, quae agit de ſummo imperio vel de ſumma poteſtate. Ratio connexionis ſatis manifeſta. Quum enim bellum proprie gerant ſummi imperantes: quaerit iam Grotius, *quid ſit ſumma poteſtas*. Rem partiemur, vt expediamus

1. Quid ſit ſumma poteſtas? §. 6. 7.
2. Quid ſentiendum de ſententia monarchomachorum? §. 8. 9. 10. 11.
3. Quotuplex ſit ſumma poteſtas? §. 12-16.
4. Quae partes ſint ſummae poteſtatis? §. 17-20.
5. Quibus modis imminuatur? §. 21--24.

§. 6.

num. 1. Quod ad primam quaeſtionem attinet, ea denuo ſolui poteſt in duas quaeſtiones,

1. In quo conſiſtat? §. 6.
2. Quomodo definiri poſſit? §. 7.

De priore quaeſtione primo Grotius aliorum ſententias recenſet *n.* 1. deinde ſuam ſubiungit. *n.* 2.

1. THV-

1. Thvcydides eam ponit in legibus, iudiciis, magiſtratibus. E. g. Veneti ſuis vtuntur legibus, ſuis iudiciis, ſuis magiſtratibus. Ergo penes Venetos eſt ſumma poteſtas.

2. Aristoteles *Politicor. lib. IIII. cap.* 14. tres facit ſpecies, *imperium, conſultationem*, et *iudicia.* Ad imperium refert leges, tamquam inanimatum imperium, et animatum, id eſt magiſtratus; ad conſultationem, ſenatum, comitia, conſilia; ad iudicia, tum diſceptationes de cauſſis priuatis, tum de publicis.

Ita et 3. Dionysivs Halic. modo tres facit ſummi imperii partes; nempe leges, magiſtratus, et bellum pacemque; alibi quatuor, dum addit iudicia; alibi quinque, addendo ius circa ſacra.

Sed hic obſeruandum, 1. Thucydidem et Ariſtotelem conſentire, 2. Dionyſium Halicarn. nuſquam agere de iuribus ſummi imperii, ſed tantum deſcribere, quae iura maieſtatis fuerint penes populum Romanum. 3. Recte ergo dici poſſe, omnia referenda ad tria illa, conſultationem, imperium, et iudicia. Si itaque penes ciuitatem vel rem publicam eſt ius conſultandi de negotiis publicis, in pace et in bello, ius imperii, id eſt, leges ferendi, magiſtratuſque et miniſtros conſtituendi, et denique ius iudicia inſtruendi exercendique, penes eam omnino eſt ſumma poteſtas.

Nec alio redit partitio Grotii. Dicit enim, qui ciuitatem regit id facit vel per ſe, vel per alios. *num.* 2.

Si per ſe, tunc verſatur

1. Circa vniuerſalia, condendo abrogandoque leges circa res ſacras, vnde *ius circa ſacra*, circa res profanas, vnde *poteſtas legiſlatoria.*
2. Circa ſingularia, eaque
   vel publica directe, vnde ius circa *bellum*, *pacem*, *foedera*, *vectigalia*, item *dominium eminens*;
   vel priuata, vnde *ius exercendi iudicia.*

Si per alios, id facit

1. per magiſtratus, vnde *ius conſtituendi magiſtratus*
2. per legatos, vnde *ius mittendi legatos.*

Haec itaque ſunt, quae ex mente Grotii ſummam poteſtatem conſtituunt. Iam ergo quaeritur, quid nos ea de re ſentiamus?

Nos ſummam poteſtatem vocamus etiam maieſtatem, imperium ſummum, ſuprematum. Iura, ex quibus illa conflata eſt,

vocantur *iura maieſtatis*, partes ſummi imperii, regalia. Ea ſunt vel

1. *Immanentia*, quae exercentur aduerſus ſubditos, et quidem vel circa
   a) *vniuerſalia*, vnde *legiſlatoria poteſtas*, *ius circa ſacra*, *ius circa tributa*,
   b) *ſingularia*, vnde *iudicia*.
2. *Tranſeuntia*, quae exercentur aduerſus exteros, et ſunt
   α) vel *publica*, ſpectantque vel
   ad *bellum*, vnde *ius belli*,
   vel ad *pacem*, vnde *ius foederum* et *legatos mittendi*,
   β) vel *priuata*, vt *ius vectigalia imponendi*.
3. *Mixta*, quo ſpectant *conſultationes*, ſiue per comitia, ſiue per conſilia et ſenatum, de bello, pace, legibus, tributis, cet.

Haec quae omnia habet ciuitas, ea gaudet maieſtate ſummoque imperio.

§. 7.

Iam ergo ad definitionem. Grotius definit illam, quod ſit; *cuius actus alterius iuri non ſubſunt, ita vt alterius humanae voluntatis arbitrio poſſint irriti reddi.* E. g. res publica Veneta, Belgica, collata cum Noribergica.

Sed hanc definitionem multi reprehendunt, 1. quia eſt negatiua. Negatiue autem nihil recte definitur, e. g. ſi dicam, me non eſſe Eliam, nemo ſciret, quis ſim: et, ſi dicam, animam eſſe ſubſtantiam immaterialem, nemo ſciet, quid ſit, ſed quid non ſit, nempe quod non ſit materia.

2. Quia ea quadrat etiam Adamo, et homini in ſolitudine viuenti, qui tamen non eſt imperans.

Hinc rectius ita definiemus ſummam poteſtatem, quod ſit *facultas eminens ordinandi ciuitatem cum omnibus ſuis partibus ad ſuum finem.* Conf. HERT. *Elem. polit. Part. I. ſect. 6. n.* 3.

Illud autem ſummae poteſtatis attributum, quod Grotius in definitione poſuit, nempe, *quod actus ſummae poteſtatis alterius iuri non ſubſint, nec alterius humanae voluntatis arbitrio irriti fieri poſſint*, potius eſt axioma ex definitione fluens, quam ipſa definitio. Id tamen intelligendum

1. non de ipſo imperante, nec
2. de eius ſucceſſore, ſed

3. de

3. de exteris.

Sed hic elegans oritur quaeſtio: *an ſucceſſor poſſit mutare actus anteceſſoris?* Adfirmat Grotius. Sed id cum grano ſalis accipiendum. Nam 1. diſtinguendum inter ſucceſſorem vniuerſalem et ſingularem, qui per modum electionis rerum potitur. De hoc certum eſt, quod non teneatur ſtare actis anteceſſoris, et hinc omnia priuilegia, ipſosque contractus reuocare poſſit, quia reſoluto iure dantis, reſoluitur ius accipientis. Hinc quia hoc incommodum eſt: plerumque ordines regni vel prouinciae capitulatione quadam obſtringunt nouos imperantes, ne quid immutent. Contra, quod ad ſucceſſores vniuerſales attinet: illi vel verſantur circa actum vnilateralem, vel circa bilateralem. Circa illum omnia licent, e. g. leges abrogare, noua tributa imponere, cet. Circa hos non perinde, quia alteri iam eſt ius quaeſitum. Hinc magnae turbae ſequutae, quum rex Pruſſiae feuda mutaturus eſſet in allodia, et loco ſeruitiorum militarium exigeret canonem annuum. Inter dominum enim et vaſallum eſt contractus, a quo dominus inuito altero diſcedere, et huic ius quaeſitum auferre nequit.

Ex eo iam patet, *quaenam ciuitates gaudeant iure ſummae poteſtatis?* Quae omnes partes rei publicae ordinare poſſunt ad communem finem. Si ergo quaeras, an Belgio foederato ſit ſumma poteſtas? reſp. eſſe: ſi vero quaeſtio ſit de Belgio Auſtriaco, negamus.

Sed hic cauendum, ne ſummam poteſtatem negemus *num.* 1.

1. Regnis ſub vno capite conſociatis, e. g. Hungariae, Bohemiae, Croatiae, Tranſſyluaniae. Quamuis enim in his regnis nihil fiat ſine voluntate imperatoris: tamen non ſunt prouinciae Germaniae.

2. Syſtematibus ciuitatum, e. g. Heluetiae, Belgio foederato. Quamuis enim in quibuſdam reliquorum conſenſu opus ſit: non tamen haec eſt ſubiectio, ſed foedus.

Qu. porro, *quodnam ſit ſummae poteſtatis ſubiectum?* Reſp. illud vel commune eſt, vel proprium. *Subiectum commune* eſt totum, in quo attributum aliquod eſt: *proprium* pars, cui praeciſe inhaeret. Sic e. g. ratio eſt in homine tamquam in ſubiecto communi: ſed praeciſe non eſt in toto homine, verum in mente; quae adeo eſt ſubiectum proprium. *num.* 2.

Eodem modo ſubiectum ſummi imperii eſt ciuitas vel res pu-

blica a nemine dependens. Sic e. g. dico Galliam, Friſiam Hollandiam gaudere ſummo imperio, ſed quia tamen non omnes ſartores, ſutores, et ruſtici illud exercent, hinc ſubiectun proprium in Gallia eſt rex, in Friſia et Hollandia ordines.

§. 8.

nu. 1, 2. Hic ergo incidit maximi momenti quaeſtio: *quid ſentiendun ſit de hypotheſibus monarchomachorum?* De quibus nonnulla praetermittenda ſunt generalia.

Vera politica et magiſtratus ſeu imperantes, et populum inſtruit, et vtriſque praeſcribit ſua officia: quemadmodum ethica omnibus hominibus. Sed ſaniorem politicam, quae Chriſti verborum memor tribuit Caeſari, quae ſunt Caeſaris, Deo, quae ſunt Dei, duae turbarunt ſectae peſtilentiſſimae, quarum altera dicitur Machiauelliſmus, altera Monarchomachiſmus.

I. Machiauelliſmus ita dicitur a Nic. Machiavelli libello *de principe*, quo ille docet, obligationem inter principem et populum non eſſe reciprocam. Populum enim obligatum eſſe principi, non principem populo, vnde illi omnia licere in vitam, religionem, conſcientiam, et bona ſubditorum, nec vllum ſcelus a principe committi poſſe, quantumuis princeps tyrannum agat, quia, quod velit princeps, id pro lege ſit. Haec, inquam, docet Machiauellus, ſed non tam vt haec principia proponat, quae deteſtanda ſunt, ſed vt concluſiones, quae inde fluunt, operoſe explicet.

Quamuis autem ab aliis, et a me obſeruatum ſit alibi, Machiavellum haec non ſerio ſcripſiſſe, ſed vt principatum Florentinis exoſum redderet, quum nemo plus pro libertate paſſus ſit Machiauello, vid. Bael. in *Dictionar.* voce *Machiavellus*: facile tamen reperti ſunt, quibus illa principia vel in theoria, vel in praxi placuerunt. Sic obſeruarunt viri doctiſſimi, Carolum VIIII. regem Galliae, et Philippum II. regem Hiſpan. nec non eius miniſtrum, ducem de Alba imperium plane ad has regulas compoſuiſſe. Immo poſtea eadem principia incruſtauit et forma demonſtrationis mathematicae in Anglia induit Hobbesivs in libellis *de ciue et* in *Leuiathane.*

II. Hiſce Machiauelliſtis ſeſe oppoſuere plures viri docti: ſed in his quibuſdam contigit, quod ait Horatius:

Stulti,

Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria ruunt.

Nam dum refellunt Machiauelliſtas, principibus omnem ſummam poteſtatem eripuerunt, eamque ſoli conceſſerunt populo, et inde natus eſt Monarchomachiſmus, cuius praecipui promachi ſunt:

1. Fr. Hotomannvs in *Franco-Gallia*, ob quem librum ICtus maximus e patria profugere cogebatur.

2. Steph. Ivn. Brvtvs in *Vindiciis aduerſus tyrannos, Edinburgi in Scotia primum editis*, vt habet titulus: Nomen eſt fictum: hinc liber modo huic, modo alii tributus. Fuere, qui ipſum Theod. Bezam, theologum celeberrimum, auctorem dicerent, quem tamen ſingulari diſſertatione defendit Gisbertvs Voetivs. Sed genuinus auctor eſt Hvb. Langvetvs, Gallus, ob religionem profugus, et in aulis Saxonica et Palatina celebris.

3. Althvsivs in *Politica*. Docuit primum Herbornae, inde Emdam euocatus, tamquam ſyndicus vel ciuitatis conſiliarius. Vir doctus, ſed omni monarchiae infenſiſſimus.

4. Io. Miltonvs, Anglus, qui trucidato a Cromwello et aſſeclis eius rege patronum egit huius parricidii, et hinc nata controuerſia inter Miltonum et Salmaſium. Hic primum addidit *defenſionem regiam*: ſequuta eſt Miltoni *defenſio populi Angl.* Hinc porro prodiit Salmasii *reſponſio*, et Miltoni *noua defenſio*, item Salmasii *Clamor ſanguinis regii ad caelum*, et huius generis alia.

5. Schelivs libellum edidit *de ſummo imperio*, eleganter, ſed improbe tamen ſcriptum. Hi ſunt auctores, qui ex inſtituto defenderunt monarchomachiſmum. Sunt et alii, qui paullo tectius id agunt, vt Io. Fr. Gronovivs in *Not. ad Grotium*, Iac. Harlington in *Oceana repl. de Tolando*, edita *Lond.* 1700.

Immo in Anglia etiamnum vtraque ſecta floret, et turbas excitat maximas: Machiauelliſmus et Hobbeſianiſmus ibi dicitur obedientia paſſiua; monarchomachi ſe vocant *Republicanos*: et obedientiam actiuam defendere ſe profitentur. Prodierunt ante aliquot annos duo libri de hiſtoria Anglicana ſcripti, alter ſub titulo *Iulian*, alter ſub titulo *Iouinian*, quorum illo ſub ſchemate vitae iſtius imperatoris Machiauelliſmum; hic ſub eodem ſchemate monarchomachiſmum defendit.

III. Quod ad principia attinet monarchomachorum, illa huc redeunt: maieſtatem eſſe duplicem, realem et perſonalem. Illam conſi-

conſiſtere in complexione omnium regalium; hanc in praeeminentia perſonae prae aliis. Illam eſſe penes populum, hanc penes regem et principem. Inde vero colligunt, 1. principem miniſtrum eſſe populi. 2. Ei reſiſti poſſe, ſi quid contra voluntatem populi audeat facere. 3. Immo cum ſupplicio adfici poſſe, ſi populus velit.

IIII. Quaeſtio itaque eſt, *an vbique et ſine exceptione ſumma poteſtas ſit populi, ita vt ei reges, quoties imperio ſuo male vtantur, punire et coërcere liceat?* Ita ſtatum controuerſiae format Grotius. Sed Gronouius putat, illum Andabatarum more pugnare, quia nemo id ſtatuat. Qua in re egregie fallitur. Nam omnes monarchomachi id ſtatuunt, quia putant, inter regem et populum eſſe contractum mandati, mandatarium autem teneri rationes reddere mandanti, et obnoxium eſſe coërcitioni, ſi fines mandati egrediatur. Ipſe itaque ita format ſtatum controuerſiae: *an populus habens imperium legitimum, puta regem, vel ſenatum, vel conuentus ordinum, ſi maior et melior pars cenſeat, eam regiminis formam eſſe pernicioſam, puta regem palam degeneraſſe in tyrannum, ſenatum in paucos dominos, comitia in confuſam turbam ſeditioſorum hominum, poſſit illam mutare, et auctores mali punire?* Sed id abſurdum, quis enim hoc negauerit? Tyrannus vere talis hoſtis eſt reipublicae. Hoſtem vi repellere licet. Adeoque haec quaeſtio monarchomachos plane non ferit, ſed illa Grotii, quam iam merito cum Grotio negamus.

Primum Grotii argumentum hoc eſt: *ſi homo quiſque ſe poteſt addicere in ſeruitutem, poteſt id et populus. At verum eſt prius. Exod. XXI. 6. Ergo et poſterius.* Ex quo porro ſequitur, vti ſeruus, qui ſemel ſe addixit, non poteſt reſiſtere domino, tamquam domino: ita nec populum reſiſtere poſſe principi, tamquam principi.

Quid ad haec Gronouius? Concedo totum: ſeruiant itaque, ſi volunt. Sed Grotium bonus vir non intellexit. Neque enim eius ſententia eſt, totum populum ſe poſſe addicere in ſeruitutem iuris gentium, vt omnia adquirat regi: ſed argumentatur a maiore ad minus. Si quiſque ſe poteſt addicere in ſeruitutem iuris gentium: multo magis populus poteſt imperanti ſe addicere in imperium illimitatum et abſolutum, ita vt rex nullo modo a populo pendeat. Hos ſeruire ait Gronouius;

ſed

ſed falſo. Nam 1. non ſe addixerunt in ſeruitutem, ſed in imperium. 2. Si rex ſit tyrannus, non eſt rex, ſed hoſtis. Dici poſſet, id incommodum eſſe. Sed reſp. nullam rei publicae formam eſſe incommodam. Si imperans bonus eſt, felices ſunt ſubditi in monarchia etiam illimitata. Sin malus: ſubditi miſeri ſunt in re publica etiam liberrima.

Negat porro Gronouius quemquam praeſumi tam ſui inimicum, vt ſe vellet addicere in imperium nullis reſtrictum legibus. Grotius ergo aliquot cauſſas allegat, quae eo adigere poſſint gentes. nn. 3. 5.

1. Si ſint ad extrema adductae, vt videant, ſibi eſſe pereundum, niſi ſe victoris arbitrio permittant. Exempla complura ſunt in hiſtoria. Grotius adfert exemplum Campanorum. Poſſunt addi Faliſci apud Liv. *lib. V.* Samnites apud eumdem *lib. VIII.* et alii. Exemplum recentiſſimum vidit Europa in Catalonia, quae a foederatis deſerta in Hiſpanorum poteſtatem peruenit, et deditionem facere coacta eſt iis legibus, quas vellet victor praeſcribere. Triſtiſſimum exemplum praebuit vniuerſum imperium Conſtantinopolitanum a Turcis ſubactum. Quis, quaeſo, dixerit, ibi maieſtatem vllam remanſiſſe penes populum?

Quaſdam gentes ipſa natura impellit, idque Grotius illuſtrat ſimilitudine ſtupidorum, quos natura ſeruos dixerat Ariſtoteles. Ita et gentes quaſdam ait eſſe tam ſtupidas et barbaras, vt non poſſint niſi adductiſſime regnari. num. 4.

Iam quidem Ariſtotelicum principium falſum eſt, ſi ita intelligatur, quod quidam natura ipſo ACTV ſerui ſint: non enim ſequitur, hic eſt me ſtupidior, ergo eſt ſeruus meus: admitti tamen poteſt, ſi intelligatur de POTENTIA. Stupidos enim, qui ſe ſponte regere et alere nequeunt, aptiſſimos eſſe ad ſeruitutem, nemo negauerit: quin vix conſuli illis poſſet, niſi ab aliis regerentur, nec magis lenia remedia admittit hominum ſtupiditas, quam aſini, qui ſine fuſte nihil agunt.

Ita ſane comparatae ſunt integrae gentes, de quibus vere dixeris, eos eſſe ingenii ſeruilis, vt in Europa Ruſſi, in Aſia gentes fere omnes, quae tam ſeruiles ſunt, vt adductiſſima debeant eſſe eorum imperia. Elegantia ſunt exempla Cappadocum, Thracum, Myſorum, Getarum, a Grotio allegata. His addendum elegans exemplum Alexandri M. qui deuictis Perſis, Medis, Bactrionis, aliiſque gentibus plane ad mores Perſarum

ſe compoſuit, et a priſtina ſobrietate humanitateque multum remiſit. Reprehendunt id ſcriptores Graeci. Sed profecto hic dies aliam vitam, alios mores poſtulabat. Aliud imperium requirebat Macedonum, aliud orientalium genius ad ſeruitutem a natura factus.

num. 5. Tertia cauſſa, cur aliquae gentes ſe vltro addixerunt aliorum imperio abſoluto, eſt felicitas ſubditorum. Saepe enim in hiſce monarchiis tanta eſt ſubditorum opulentia, pax, et beatitudo, vt facile ſaliuam moueat etiam ciuitatibus liberis, cum perpetuo bello et inopia conflictantibus, vt ſe addicant vltro. Sic multae Graecorum ciuitates liberae, teſte ISOCRATE in *Euagora*, ſe dediderunt Euagorae, regi Cyprorum, nullis licet bellis laceſſitae.

Accedit quarta cauſſa, quod corrupta rei publicae forma gliſcentibus bellis ciuilibus et factionibus aliter conſuli non poſſit rei publicae, quam huius modi imperio abſoluto. Hinc Romani, quoties huius modi ſtatus animaduertebatur, dictatorem creabant. Sed quum huius ſemeſtre tantum eſſe imperium, denique id vix ſuffecit. Hinc Sullae et Caeſari conceſſerunt dictaturam perpetuam. Eo occiſo, tanta denuo perturbatio rerum omnium eſſe coepit, vt ſalua eſſe non poſſet res publica, niſi ab vno regeretur. TACIT. *Annal. lib. I. cap. 9. Hiſtor. lib. I. cap. 1.*

Ipſi hoc in Anglia experti ſunt monarchomachi. Occiſo enim rege aliquamdiu rem publicam liberam conſtituerant. Sed gliſcentibus factionibus inter parlamentum, exercitus, agitatores, vti tum vocabantur, et alios, non aliter videbatur conſuli poſſe rei publicae, quam ſi vni permitteretur. Et quamuis a regia abhorrentes familia Cromwellio ſummam rerum deferrent, is tamen ſub nomine *protectoris* tam libere et abſolute imperauit, vt nullus vmquam rex Angliae.

Quum itaque tot cauſſae eſſe poſſint, quae gentibus liberis perſuadere poſſint, vt ſe vnius imperio addicant: falſiſſimum ſane eſt, quod ſibi perſuaſit Gronouius, nullam gentem tam politam fore, vt ſe alii addicat.

num. 6. Alterum Grotii argumentum contra monarchomachos tale eſt:

Si bello iuſto adquiritur dominium priuatum: eodem etiam adquiri poteſt dominium ciuile, ſeu imperium.

At verum eſt prius.

Ergo et poſterius.

Hinc porro ratiocinamur:

Si bello iuſto adquiſitum imperium, illud ſane non ſemper dependet ab vltraneo mandato populi.

At verum eſt prius.

Ergo et poſterius.

Sane ſi magiſtratus in poenam Titii bona publicat, eaque a fiſco inuito Titio eripiuntur: quis dixerit, fiſcum illa admini-ſtrare mandato Titii, et hinc nihil poſſe fiſcum, niſi conſentiente Titio?

Iam, quod in ciuitate eſt poena, id extra ciuitatem eſt bellum. Quis ergo dixerit, principem prouinciam iuſto bello inuitis ereptam adminiſtrare mandato prouincialium?

Quid ad haec Gronouius? Iterum concedit totum. Nam certe, inquit, plus licet in populos bello ſubactos, quam qui creauerunt regem.

Sed reſp. ita Gronouius non impugnat Grotium, ſed tantum ſuam theſin defendit, quod tyranno poſſit reſiſti, quod nemo vmquam, et nec Grotius quidem, negauit.

Videamus itaque tertium Grotii argumentum:

Si rex nihil poteſt ſine populo, et hic ius habet regem coërcendi et puniendi: idem ius populus quoque habebit in ariſtocratia, immo et in democratia; nam nec in hac feminae inopes, adoleſcentes a deliberationibus publicis excluduntur.

At poſterius falſum eſſe dicunt monarchomachi.

Ergo et prius falſum erit.

Gronouius quidem dicit, ſe non videre, quid hoc argumentum concludat: ſed concludit permultum. Scopus enim monarchomachorum eſt, explodere formam rei publicae monarchicam, tamquam minus conuenientem rectae rationi, et contra commendare formam ariſtocraticam vel democraticam. Ergo acute oſtendit Gronouius, monarchomachorum argumenta etiam has formas euertere, et hinc eſſe falſa. Et ſane fingamus, Venetiis ſartores, ſutores, nautas dicere, ſenatum Venetum eſſe mandatarios ſuos: illos male adminiſtraſſe rem publicam, et hinc amiſſas eſſe Cyprum, Candiam, Moream, et tot alias inſulas, ſe velle homines illos coërcere, et punire. Quid reſpondebit

monarchomachus? an non item licebit aduerſus nobiles, quod aduerſus reges?

Fingamus porro Athenis, vbi pura erat democratia, feminas, nautas, adoleſcentes, qui ad comitia non admittebantur, exiſtimaſſe, reliquum populum Athenienſem eſſe mandatarium ſuum, et quum ſaepe tam male rei publicae conſuluerit, a ſe eſſe coërcendum, quid reſpondiſſent monarchomachi? an non idem parti a rei publicae adminiſtratione excluſae licebit aduerſus coriarios, fabros, oenopolas, quod in monarchia populo a rei publicae adminiſtratione excluſo licet aduerſus reges?

Hinc argumentum Grotii omnino eſt maximi momenti, et tanto diligentius inculcandum iis, qui in libera re publica viuunt, quo procliuiores ibi homines incauti eſſe ſolent in monarchomachiſmum.

num. 7. Quartum Grotii argumentum:

> *Si populi non minus addictos ſibi habuere populos, quam regibus: ſequitur, vt rex non ſit nudus mandatarius, ſed imperans.*
>
> *At verum eſt prius.*
>
> *Ergo et poſterius.*

Prius innumeris conſtat exemplis. Populus Romanus nulli regi obnoxius ſub ſe habuit populos Latinos, Gallicanum, Hiſpanicum, Graecum, Syriacum, cet. Aut ergo ipſe quoque populus Romanus fuit nudus mandatarius horum populorum: aut falſum eſt, reges eſſe mandatarios populi ſui. Prius nec ipſi dicent monarchomachi. Et exempla ſunt, populum Romanum inuitis prouincialibus de prouinciis ſuis diſpoſuiſſe. Et iidem monarchomachi concedere etiam tenebantur, regem non eſſe mandatarium.

Argumentum hoc tam clarum eſt, vt vel ſolum euertat monarchomachorum φλυαρίας. Quid autem ad illud Gronouius? Illud plane peruertit, ac ſi ita argumentatus eſſet Grotius:

> *Si populi habuerunt non minus ſibi addictos populos, quam regibus, et ab illis ſunt dono dati aliis regibus, ſequitur, vt nullum ius ſit populo, regem poteſtate male vtentem coërcere.*

Et tum reſpondet: nulla prorſus haec eſt collectio. Sed ita non collegit Grotius, ſed Gronouius, qui illum vel non intellexit, vel intelligere noluit.

Quin-

Quintum argumentum Grotius deſumit a teſtimoniis ſacris et profanis, de iure regum. Nam *num. 8.*

1. Prouocat ad *Deut. XVII.* 14. *Si dixeris: ſtatuam ſupra me regem, vt aliae gentes circa me: illum ſtatues regem ſupra te, quem dominus Deus tuus elegerit.* Vnde ergo colligit Grotius, Deo non diſplicere regium imperium, adeoque illud non repugnare rectae rationi.

2. Quum eligerent Iſraëlitae regem, iuſſit Deus, vt Samuel Iſraëlitis proponeret ius regium, idque recenſetur, 1. *Sam. VIII.* 11. *ſeq.* Si id ergo eſt ius regis, ſane id non repugnat rectae rationi.

3. In S. S. reges paſſim dicuntur vncti domini, electi a domino, conſtituti a Deo ſuper populum. Ergo ſane Deus, adeoque nec recta ratio reſpuit regium imperium.

4. Ipſe Chriſtus dicit: *reges gentium dominantur eis. Luc. XX.* 25. Nec hoc Chriſtus improbat, ſed tantum negat, apoſtolos ita dominari debere. Quin potius apoſtoli Chriſti, inprimis Paullus, *Rom. XIII.* omnes hortatur ad obſequium regibus praeſtandum, iiſque non reſiſtendum. Ergo ſane regnum non repugnat voluntati diuinae.

Ita et gentiles et profani auctores philoſophati ſunt, quorum teſtimonia adducuntur a Grotio, veluti Senecae, Plutarchi, Herodoti, Dionis Pruſaeenſis, qui alias dicitur Chryſoſtomus, Pauſaniae Meſſenici. *nu. 9. 10.*

Aristotelis locus eſt magni momenti ex *Politic. lib. III. cap.* 14. reges quoſdam eſſe cum eo iure, quod alibi habet ipſa gens in ſe et ſua. Ex eo enim intelligimus, quid ſibi velint iura noſtra, quum dicunt, populum Romanum lege regia omne imperium et poteſtatem ei, ſcilicet principi, et in eum contuliſſe. *§. 6. Inſt. de iur. nat. gent. et ciuil.*

Quid ad hoc Gronouius? Reſpondet

1. His non tolli ius populi. Immo omnino tollitur. Cui enim quis renunciauit, id non habet.

2. Populus regi non plus potuit dare, quam habuit. Recte ergo ſi dedit, quod habuit, rex non ſubeſt populo.

3. Populum numquam habuiſſe ius ſe ipſum exſtinguendi, aut in corpus ſuum ſaeuiendi iniuſte; ergo nec regi id dari potuiſſe. Reſp. concedo totum, rex qui populum exſtinguit, et iniuſte ſaeuit, non eſt rex, ſed tyrannus, et de hoc non eſt quaeſtio.

M 3 4. Teſti-

4. Teſtimonia haec teſtari de abuſu, ſeu de facto, non de iure. Reſp. immo, dum Deus haec probauit, non de facto, ſed de iure teſtatur.

5. Reges fuiſſe ſupra populum, vti conſules Romanos. Reſp. eſt haec petitio principii. Hi enim eligebantur a populo: non autem omnes reges eliguntur: hi legibus tenebantur, reges ipſi leges ferunt.

6. Miſere explicat dictum Chriſti: *reges gentium dominantur eis*: quaſi ſenſus ſit, eſſe eos ſuperiore gradu et dignitate. Siccine dominari eſt ſuperiore dignitate eſſe? Quis hoc vmquam ſomniauit? Et cur Paullus monet, iis non reſiſtendum eſſe? Exemplum videmus, quomodo et viri docti coecutiant, ſi ſemel praeiudicatae opinioni, tamquam glebae, adſcripti ſint.

num. 11. Neque tamen haec de omnibus regnis vera ſunt, ſed ſunt quaedam,

1. In quibus rex nudum nomen habet regis, re ipſa omnia agit populus ſolus. Talis olim fuit Theſeus, rex Athenienſium, Lacedaemonii reges, talis hodie dux Venetus.

Hos proprie reges et principes eſſe negamus, et ab iis non magis concludendum ad veros reges et principes, quam a regulis ſacrificulis Romanorum.

num. 12. 2. Qui ad tempus ſuprema poteſtate funguntur, vti Amymones apud Cnidios, dictatores apud Romanos.

Poterantne hi coërceri? Reſpondent monarchomachi: quis negauerit? et inde colligunt, et reges teneri ad rationes populo reddendas. Nos contra. Dictatores non poterant coërceri durante magiſtratu; erant enim ſine prouocatione conſtituti. Quia ergo monarchomachi a dictatoribus argumentantur ad reges, licebit et nobis eodem modo argumentari:

Si dictatores non poterant coërceri aut puniri, quamdiu erant dictatores, nec reges erunt coërcendi, quamdiu reges.

At prius verum eſt.

Ergo et poſterius.

num. 13. Hactenus Grotius argumenta quaedam oppoſuit monarchomachis, quibus et alia ſubiungi poſſint, in primis ab abſurdo, quod e. g. ex mente monarchomachorum rex ſit ſubditus ſubditorum, et ſubditi imperantes imperantium: ſed progredimur ad argumenta monarchomachorum:

1. Ita

1. Ita argumentantur.

Conſtituens ſuperior eſt conſtituto.
Populus ratione regis eſt conſtituens.
Ergo populus eſt ſuperior rege conſtituto.

Sed 1. negamus maiorem, et diſtinguimus inter conſtitutionem; cuius effectus perpetuo a conſtituente pendet, et eam, quae cum renunciatione coniuncta eſt: de illa verum eſt axioma, e. g. in principe conſtituente miniſtrum: in patre filiis conſtituente paedagogum, cet. de hac vero falſum. Nam ſic e. g. is, qui ſe venumdat in ſeruitutem, ratione domini eſt conſtituens, an ideo domino eſt ſuperior? Cardinales conſtituunt papam, canonici epiſcopum, an ideo ſunt ſuperiores?

Notetur elegans exemplum allegatum a Grotio de Valentiniano.

2. Negamus etiam minorem. Nec enim vſquequaque verum eſt, omnes reges conſtitui a ſuo populo. Nam quamuis conſenſus populi ſemper adſit, ille tamen ſaepe eſt vi ſiue iuſta ſiue iniuſta extortus. Sic e. g. Graeci numquam ſuper ſe conſtituerunt imperatorem Turcicum: Iſraëlitae numquam conſtituerunt imperatores, nec Herodem, et tamen eos reges et imperantes ſuos agnoſcere tenebantur.

Gronouius hanc reſponſionem putat petere principium: idem negat, quemquam regem non conſtitui a populo. Sed quod ad prius, denuo confundit regem et tyrannum. Poſterius miſere probat ex doctrina quaſi-contractus. Quaſi talis quaſi-contractus fingi poſſit inter victorem et victos, hos toleraturos victorem, ſed ſi non ſuo arbitrio imperet, ſe ſibi reſeruare ius regem victorem capite plectendi. Elegans philoſophia!

Alterum argumentum: n. 14. 15.

Omne regimen eorum, qui reguntur, cauſſa eſt comparatum, non, qui regunt.
Ergo et regis regimen.

Ergo ii, qui reguntur, i. e. populus, rege eſt ſuperior.

Sed primo falſum eſt axioma: *omne regimen eſt eorum, qui reguntur, cauſſa comparatum.* Nam ſunt 1. regimina, quae regentis cauſſa comparata, vt ſeruile. Sunt, 2. quae vtriuſque cauſſa, e. g. maritale. Ita et regna quaedam, immo omnia ſaltim vtriuſque cauſſa comparata eſſe debent.

Deinde falſo inde colligitur, populum eſſe ſuperiorem rege, ſi vel

ſi vel maxime concedamus, populi cauſſa eum regnare. Nam damus cum Grotio inſtantiam: tutela pupilli cauſſa comparata, nec tamen ideo pupillus eſt ſuperior tutore.

Quid Gronouius? 1. negat dari ſocietatem ſolius regentis cauſſa conſtitutam. Nam et ſeruilem reſpicere ſalutem ſerui, quia ſeruetur. Sed confundit Gronouius modum conſtituendi ſocietatem cum ipſa ſocietate. Et quid ſi dominus ſeruum emit? 2. Negat, victa regna ad ſolam vtilitatem victoris pertinere. Nam Deum aliud velle. Sed vnde hoc nouit? An Iſraëlitae Dei auſpiciis bella gerentes mitius habuere gentes deuictas, quam alii populi?

num. 16. Vltimum argumentum monarchomachorum:

Si ob peccata regum Deus ſaepe punit populum, ſequitur, vt peccet populus, niſi regem coërceat.

At verum eſt prius.

Ergo eſt poſterius.

Antecedens probat ex 2. *Sam.* XVIIII. 11. 2. *Sam.* XXIIII. 10. Sed recte reſpondet Grotius, 1. populum non puniri ideo, quod regem non coërcuerit, (id enim verbum Dei non patitur), ſed quod conſenſu participes facti ſint huius delicti. 2. Poenam re vera fuiſſe regis, dum orbaretur ſubditis, vel ii bonis exhaurirentur.

§. 9.

num. 1.2. Iam ad alteram ſententiam monarchomachorum paullo mitiorem progreditur auctor. Rigidi enim plane regem ſubiiciunt populo. Mitiores populum regi, regem populo ſubiectum eſſe docent. Nimirum aut recte imperare regem, tunc populum ſubiectum eſſe regi: aut male, tunc regem ſubiectum eſſe populo.

Sed reſp. 1. Hoc denuo monſtroſum eſt, regem eſſe regem et ſubditum ſubditorum, ſubditos reges regis.

2. Aut per male imperantes reges intelligunt tyrannos, aut reges non per omnia ad voluntatem populi imperantes. Si prius: non dicendum eſt, tyrannos eſſe ſubiectos populo, ſed eſſe hoſtium loco, et hinc in eos, tamquam hoſtes, omnia licere. Sin vero intelligunt reges non per omnia populo obſecundantes: profecto iniuſtiſſimum eſſet regem ſubiicere populi iudicio, quum facile actiones innocentiſſimae diſplicere poſſint populo.

Videmus ex multis exemplis, populum ſententiam tuliſſe de

regibus

regibus optimis et innocentibus. Quaſdam actiones regum eſſe dubiae interpretationis. Videantur *Acta depoſitionis* ADOLFI NASSOVII, *Hiſtoria Tarquinii*, cet.

§. 10.

His praemiſſis, cautiones quaſdam ſubiungit Grotius de ſumma poteſtate obſeruandas. *num.* 1

I. Prima eſt, non ex titulis iudicandum eſſe de ſumma poteſtate, ſed ex re ipſa et effectu. Nam quamuis vulgo dicant diſtingui principes et reges, tamen nec diſcrimen ſatis perſpicue oſtendunt, nec veteres id ſemper obſeruant. Gronouius ait principem eſſe, qui dignitate eminet in libera ciuitate: regem, qui iuſto imperio vtatur in ſubditos. Et ſane huius generis ſunt loca ex Iul. Caeſare, Tacito, Suetonio, et Velleio allegata.

Et hinc forte eſt, quod Auguſtus regis adſpernatus nomen princeps dici maluit, vt exiſtimarent Romani, non ſe regi parere, ſed liberum eſſe populum.

Sed quamuis hoc diſcrimen grammatice verum ſit, (princeps enim eſt, qui primus, qui et ſine imperio intelligi poteſt): non tamen ex titulo principis et regis de ſumma poteſtate iudicandum. Nam *nu.* 2.

1. Saepe dicti reges, qui nulla parte iurium maieſtatis gaudebant. E. g. Lacedaemonii duos reges habebant, ii tamen ſubiecti erant ephoris: quod quidem negat Gronouius, ſed ſatis certum eſt ex ipſo Cornelio Nepote. Quamuis enim Pauſanias, vt NEP. in *Thraſybul. cap.* 3. ſcribit, eſſet rex Spartanorum: in vincula tamen publica coniectus eſt ab ephoris. *Licet enim*, inquit NEPOS in *Pauſan. cap.* 3. *legibus eorum cuiuis ephoro hoc facere regi.* Ita et Germani ſuos imperantes vocabant reges, quum tamen Tacitus eos auctoritate ſuadendi magis, quam iubendi praefuiſſe teſtetur. Mitto alia exempla a Grotio adlata, et id vnum addo, quod habuimus §. 8. *num.* 1. de Theſeo, rege Athenienſium.

2. Haud raro principes vocati, qui abſolutiſſimo vtebantur imperio, e. g. Auguſtus et eius ſucceſſores, duces veteres Lithuaniae. *num.* 3.

3. Saepe, qui inſignibus non vtuntur, veri ſunt reges, et qui vtuntur, non ſunt, ſed ſoli principes, e. g. in Ruſſia ante imperatorem Petrum, qui coronam adſumſit imperialem, non fuit

coronatio recepta, et tamen vere fuerunt reges anteceſſores eius. Contra duces Venetorum tanta ſollemnitate coronantur, vt vix ſimilis ſplendor in vllius potentiſſimi regis coronatione obſeruetur: et tamen non ſunt reges, ſed principes.

4. Non ex comitiis iudicari poteſt. Alibi enim illa comitia ſunt merum conſilium publicum, quod imperans audit, ſi e re videatur, e. g. ordines prouinciales in Hiſpania, quos dicunt *los cortes*. Alibi rex nihil poteſt ſine comitiis, nec comitia ſine rege; vt in Britannia, Germania. Alibi comitia de ipſo rege iudicandi ſibi ſumunt arbitrium, e. g. in Polonia ante aliquot annos, quum regi ſuo Auguſto abrogarent imperium, eique ſurrogarent Staniſlaum. Ergo non ſtatim ſequitur, in hac vel illa prouincia princeps adhibet in conſilium comitia, ergo non gaudet ſumma poteſtate.

num. 5. 5. Nec denique ex ſucceſſione iudicandum. Sunt, qui putant, imperantes ſucceſſiuos pollere ſumma poteſtate, non autem electiuos. Sed id ſaepe fallit. Pontifex Romanus ſi conſideretur tamquam princeps, eligitur, et nullus tamen regum aeque eſt legibus omnibus ſolutus. Lacedaemoniorum reges iure ſucceſſionis praeerant, et tamen, vt ſupra monuimus, nulla gaudebant parte maieſtatis.

Quaenam ratio? Quia ſucceſſio non tribuit nouum ius, ſed vetus continuat. Nec ſola electio regi quidquam adimit, ſi alias regnum ſit abſolutum. E. g. proauus hodierni Ruſſorum regis fuit per electionem electus ad imperium, nec tamen minus herile fuit eius imperium, quam anteceſſorum.

Ex quo ſane ſequitur, vt de ſumma poteſtate non ex nudis titulis, inſignibus, aliiſque huius generis externis iudicandum ſit, ſed ex effectu.

§. II.

num. 1. Altera cautio eſt, ne confundamus ius ſupremae poteſtatis, et modum illud ius habendi, e. g. Titius et Maeuius poſſunt idem ius habere, nempe dominium, ſed ille id habet in perpetuum, hic ad tempus.

Ita et imperantes poſſunt plures ſummam poteſtatem habere, sed non eodem modo. Sic e. g.

1. Alii illam habent in perpetuum, vt reges; alii ad tempus, vt dictatores.

2. Alii

2. Alii illud habent iure electionis, vt Hugo Capetus, rex Franciae; alii iure ſucceſſionis, vti eius ſucceſſores.
3. Alii habent tamquam patrimonium, alii iure vſusfructus, vnde diuiſio regnorum in patrimonialia et vſufructuaria, de qua §. 12. auctor agit.

Iam quaeritur, an, qui ad tempus praeſunt, poſſint dici ſummam poteſtatem habere? Negant nonnulli, inprimis Bodinvs *de re publ. lib.* I. *cap.* 8. qui ideo et dictatoribus ſupremam poteſtatem non concedunt, quia ad tempus praeerant. Sed hoc recte refellit Grotius. Nam *num.* 2.

1. Rerum moralium natura non ex tempore, ſed ex operationibus cognoſcitur. Hinc vt vere conſul eſt, qui per menſem ſaltim conſulis partes explicauit; vti vere ſeruus fuit, qui per momentum in ſeruitute iuſta fuit: ita vere ſumma poteſtate gaudet, qui vel per aliquot menſes eius iura et partes exercuit.

2. Ea autem iura omnia exercuit dictator, nam 1. bello et pace agebat omnia, 2. nemini erat obnoxius, 3. actus eius a nemine poterant irriti fieri, 4. nulla erat ab eo prouocatio, quamuis id poſterioribus temporibus fuerit mutatum. Vnde Dyonys. Hal. obſeruat, dictatorum eamdem fuiſſe poteſtatem, ac regum.

Addit tamen auctor exceptionem. Dixerat, etiam temporarium imperium poſſe eſſe ſummum. Obiici poſſent quaedam exempla regum, quibus imperium datum eſt ſub conditione, vt liceat illud pro lubitu reuocare, niſi recte et bene imperarent. Tale ſane fuit regnum Gothorum in Hiſpania, et Vandalorum in Africa, vt docet Procop. *de bell. Vand. lib. I. cap.* 9. et Aimon. *in Hiſt. Franc. lib. II. cap.* 20. *lib. IIII. cap.* 35. Conf. Io. Nic. Hertii *Notit. vet. Germ. populorum.* *num.* 3.

Sed reſp. diſtingue inter regnum temporarium et precarium. Illud verum regnum eſt, quamuis ad tempus conceſſum: hoc non eſt, quia ſemper actiones huius modi principum ſubſunt poteſtati et arbitrio populi, ita vt mutari; et ipſi reges coërceri poſſint pro lubitu.

§. 12.

Iam progredimur ad diſtinctionem regnorum patrimonialium et vſufructuariorum. *num.* 1.

Regnum patrimoniale dicitur, vbi facultas alienandi et diuidendi regnum eſt penes regem.

Regnum *vſufructuarium*, vbi non eſt.

Multi hanc diuiſionem impugnant, et quidem modo ratione vocabulorum, modo ob rem ipſam.

Quoad vocabula monent, quomodo regnum dici poſſit vſufructuarium, quum vſusfructus exſpiret morte, nec ad heredes transſmittatur, quum ſit ſeruitus praedio, non regno, inhaerens? Sed reſp. verba valent ſicut nummi. Grotius ideo vſus eſt his vocabulis, quia eatenus ſimilia huius modi regna ſunt vſuifructui, quod vt vſufructuarius non poteſt libere de re diſponere, ſed vtifrui debet ſalua eius ſubſtantia: ita et reges hi non poſſunt alienare, diuidere, donare, cet. Simile itaque vltra ſuum tertium non eſt extendendum. Attamen non abs re monuit THOMASIVS *iurispr. diuin. lib. III. cap. 6. §. 135.* commodius regna dici poſſe fideicommiſſaria, quam vſufructuaria.

Videbimus itaque, quid obiiciant alii huic diuiſioni Grotianae.

I. *Liberi homines non ſunt in patrimonio. Liberi homines conſtituunt regnum.*

Ergo regnum non eſt in patrimonio.

Reſp. 1. diſtinguendum inter libertatem iuris gentium et ciuilem. Illi opponitur ſeruitus; huic ſubiectio. Non ergo ſequitur, liberi homines iure gentium tales non ſunt in patrimonio dominorum, ergo nec ſunt in patrimonio ſummorum imperantium.

num. 2. Reſp. 2. proprie non dicitur liberos homines eſſe in patrimonio, ſed imperium, quod rex in liberos homines exercet, ſalua eorum libertate. Eleganter id illuſtrat Grotius exemplo liberti, qui, quamuis ſit perſona libera, tamen aſſignari poterat a patre vni ex liberis. Vid. *tit. D. de adſignat. libertor.* Non tam libertus alicui dabatur, quam ius patronatus, quod in libertum competebat.

num. 3. II. Alterum argumentum. *Quos rex adquiſiuit bello, eos non ſibi, ſed populo ſuo adquiſiuit. Quos rex populo quaeſiuit, ii non ſunt in eius patrimonio.*

Ergo ſubditi bello adquiſiti non ſunt in eius patrimonio.

Sed reſp. 1. rex potuit ex fructibus ſuis aluiſſe exercitum.

2. Rex

2. Rex potuit ſumtibus foederatorum vſus eſſe.
3. Non ſemper verum eſt, quod id, quod alterius ſumti-
bus adquiſitum, ſit eius, qui ſumtus fecit. Hinc multis
exemplis conſtat, regna bello adquiſita plane fuiſſe in pa- *num.*
trimonio, victoreſque de iis liberrime diſpoſuiſſe. Huc per- *5. 6.*
tinent regna Spartae, Anaxagorae, Darii, ſucceſſorum A-
lexandri. Quid ad regni Siciliae et Neapoleos ab Arra-
goniis adquiſiti, quod Alphonſus rex Arragoniae dedit Fer-
dinando Notho, qui alias in nullam regni partem ſuccedere
potuiſſet.

Nos id tantum addimus, ipſam S. S. aequitatem huius di-
uiſionis agnoſcere. Nam *Geneſ. XXXXVIIII.* vbi Iacobus mori-
bundus prouincias Canaanis prophetico teſtamento inter liberos
diſtribuit, addit, *ſe Ioſepho praecipuum dare tractum Sichem, quem
gladio et arcu ſuo occuparit.* Adeoque hunc tractum conſidera-
uit tamquam patrimonium ſuum.

§. 13.

Hactenus probatum, fundamento non deſtitui hanc diſtin- *num. 1. 2.*
ctionem: iam in ſpecie agit de regnis vſufructuariis, et docet,

I. Ea omnia eſſe vſufructuaria, quae voluntate populi defe-
runtur, ſiue

1. Per electionem. Nam tunc praeſumtio eſt, populum vel-
le, vt eodem modo ſibi reddatur regnum, quo tradidit;

2. Per pacta, nuptias, foedera. Tunc enim exiſtimatur no-
uo titulo, id eſt, conſenſu populi, imperare.

Sed tamen excipiuntur aliquot caſus. Nam non ſtatim regnum
per electionem fit vſufructuarium,

1. Si electio ſit generalis, et anteceſſores pleno iure fue-
re reges, eligentes autem ſibi nullam libertatem ſtipulantur. E.
g. in electione Theodori, Ruſſorum imperatoris.

2. Si regnum pactis vel nuptiis, aliiſque modis voluntariis ad-
quiſitum, poſtea bello a ſubditis moto recuperetur. Sic Cata-
lonia olim multis gaudebat priuilegiis, vt aliae prouinciae Hiſ-
panicae, quae nullo modo ſunt patrimoniales. At poſtquam ab
hodierno rege defecerat, et is bello terra marique illato illam
recuperauit, omnibus ſpoliata priuilegiis iam non melioris con-
ditionis eſt, quam patrimonialis prouincia.

II. Regnum vſufructuarium ab imperante non poſſe alie-

nari. Ratio eſt, quia, dum populus hodiernum imperatorem, eiuſue familiam, ſibi elegit, idem ius ſibi reſeruaſſe cenſetur in eum caſum, ſi imperans, eiuſue familia regnatrix, exſpirauit.

Sed obiiciunt aliquot exempla. 1. Caroli M. et Ludouici Pii, qui regnum inter liberos ſuo arbitrio diuiſerunt; et tamen Franciae regnum non armis occupauerant, ſed Pipinus id voluntate populi fuerat conſequutus. Sed reſp. a) Regnum, quod Pipinus accepit, fuiſſe ſatis paruum, complexum enim ſolam Galliae et Alamanniae partem. At ipſe et ſucceſſores bello adquiſiuere vniuerſam Germaniam, Galliam, Italiam, Hiſpaniae et Pannoniae partem. Potuere ergo ſaltim de his diſponere. b) Re vera non libere diſpoſuerunt, ſed commendarunt ordinibus hanc diuiſionem, et hi eam ratam habuerunt in comitiis. Hinc eſt, quod plures hodie contra P. DANIELEM, ſcriptorem hiſtoriae Francicae celeberrimum, probent, regnum Francicum non fuiſſe hereditarium, ſed electitium, quamuis Ludouici filii ex teſtamento paterno vulgo dicantur ſucceſſiſſe.

2. Obiiciunt exemplum Ludouici Pii, qui, quum pater Carolus M. Romam adquiſiuiſſet vltronea voluntate populi Romani, tamen hanc vrbem Pontifici donauit. Sed reſp. 1. negando, Ludouicum id feciſſe, reſeruauit enim ſibi ſupremum in vrbem dominium, et pontificem quaſi vaſallum habuit. Eleganter id docuit MR. *le* BLANC in libello Gallice ſcripto *de nummis regum Franciae*, vbi ex ipſis nummis docet, Romam Ludouicum eiuſque poſteros agnouiſſe ſupremos dominos. 2. Aliud eſt libere diſponere, et regnum, vel eius partem, in extraneum transferre: aliud reddere ei, a quo acceperis. At Ludouicus, inquit Grotius, reddidit populo Romano, a quo Romam acceperat. Sed haec reſponſio Grotii non magni momenti eſt, quia pontifex non eſt populus Romanus. Hinc in priore tutius adquieſcimus.

§. 14.

Redit auctor ad cautionem 2. quam ſupra §. 11. explicauimus, non confundendum nempe eſſe ſummum imperium cum modo habendi. Et inde elicit duas concluſiones perelegantes.

1. Non omne regnum vſufructuarium eſſe ſummo minus. Sic vſufructuarium eſſe diximus regnum Hiſpaniarum, et id tamen ſummum eſſe nemo negat.

2. Non

2. Non omne regnum patrimoniale eſſe ſummum. Sic e. g. multae prouinciae Germaniae, vt principatus, comitatus, ita ſunt in poſſeſſorum patrimonio, vt libere vendi, et quibuſcumque modis in alios transferri poſſint, e. g. dynaſtia Ieuerenſis, quam vltimus comes comes Oldenburgicus domui Anhaltinae legauit teſtamento. Confer. B. G. Strvvii *Diſſ. de allodiis imperii.* Quis autem dixerit, harum prouinciarum poſſeſſores gaudere ſummo imperio?

§. 15.

Idem diſcrimen inter ſummum imperium et modum habendi declarat porro exemplo regn. tutelar. In patrimonialibus enim ipſe princeps tutorem dat liberis, quemcumque vult, in vſufructuariis vel lex dat tutorem, vel populus. *num.* 1.

Hinc cum condito teſtamento rex Galliae Ludouicus XIIII. tutorem, vt putatur, regi hodierno dediſſet ducem Cenomaniae (le Duc du Maine): tutela a parliamento nihilominus credita duci Aurelianenſi, nec ratum habitum eſt teſtamentum regis, quia regnum Galliae eſt vſufructuarium. Et Henricus IIII. imp. quum filio Henrico V. tutricem conſtituiſſet Agnetem matrem, tantum abeſt, vt principes hoc ratum habuerint, vt potius pupillum imperatorem Coloniae in nauem pellectum matri eripuerint, et Annonis, archi-epiſcopi Colonienſis, tutelae crediderint.

Porro monet, non confundenda eſſe regna patrimonialia cum iis, vbi ipſi fundi in dominio regis ſint, quale Aegyptiacum fuit tempore Ioſephi regis, et Indica regna, teſte Diodoro Sic. *lib. XII.* Addi poſſet inſula Seuerambes, quae ab Avctore *Hiſtoriae Seuerambum* ita deſcribitur, quod omnia ſint regis, iſque ſolus alat liberos ſuos. Sed ea fabula eſt, in qua iam alii atheiſmum latitare animaduerterunt. *num.* 2.

Sed cur putat auctor regna patrimonialia et haec eſſe diſtinguenda, quum tamen vtraque ſint in patrimonialibus? Reſp. 1. In regnis patrimonialibus imperium eſt in patrimonio, in his ipſae priuatorum poſſeſſiones. 2. In illis imperans vtitur dominio eminente, ſed non niſi in extremo neceſſitatis caſu, in his gaudet etiam dominio ſimplice. 3. Illa imperia ſunt ciuilia, haec herilia, quia populus nihil habet proprium.

§. 16.

§. 16.

num. 1. Explicatis ſupra duabus cautionibus iam ſequitur tertia: non deſinere ſummum imperium, ſi imperans aliquid vel Deo, vel ſubditis per pacta promittat. Reſpicit auctor ad notiſſima exempla. Traianus imperium conſequutus caput et dextram ſuam Deorum irae conſecrabat, ſi ſciens feſelliſſet. Ita et Hadrianus imperator iurauit, ſe ſenatorem non occiſurum. Quaeritur, an ideo non penes illos fuerit ſummum imperium? Reſp. omnino fuit. Nam 1. nudum promiſſum non tollit ſuperioritatem et imperium, ſi quis ipſi imperio non renunciauit, quod exemplo patrisfamilias et mariti declarat auctor.

2. Plerumque hae promiſſiones ita comparatae ſunt, vt ad eas iam tum obſtricti ſint imperantes. Sic ſane obligatus fuit Traianus, ne ſciens falleret; Hadrianus, ne ſenatores occideret. Iuri vero gentium et legibus diuinis parere et imperans poteſt ſaluo ſummo imperio.

num. 2. Sed hic aliquot quaeſtiones ſoluendae:

1. *An non autem imperium ſummum ſaltim reſtringitur, et arctius quodammodo redditur huius modi permiſſionibus, quae ad imperium pertinent, et ad quas imperans alioquin non tenebitur?* E. g. dum rex Franciae ſe in cauſſis ciuilibus ſubiecit parliamento.

Reſp. reſtringitur omnino, ſed non niſi quoad eam partem, de qua promiſit, e. g. regis Galliae non vlterius reſtrictum eſt imperium, quam quoad iuriſdictionem illam prorogatam; cetera abſolute rex eſt.

2. *Quale ius naſcitur ex huius modi promiſſo?* Aut aliquid agit princeps, quod ſe non acturum promiſit, tum actus eſt iniuſtus, e. g. Hadrianus ſi occidit ſenatorem; aut agit aliquid, cuius agendi facultati ipſe per pacta et promiſſa renunciauit, tunc actus eſt nullus, e. g. ſi rex Poloniae tributa imponeret Polonis, inauditis comitiis.

Sed obiici poſſet: ſi actus contra promiſſa a rege ſuſcepti ſunt iniuſti vel nulli, ſequitur, vt habeat rex ſuperiorem, a quo eius actus puniri et nulli reddi queant. Et quem alium, niſi populum. Ergo recte ſentiunt monarchomachi, qui regem populo ſubiiciunt. Sed reſp. Grotius, actus hos non irritos fieri a ſuperiore, ſed ipſo iure, quaſi non et ius ſuperiorem

rem ſupponat. Ergo potius reſpondemus, concedendo totum argumentum. Facile enim largimur, principem habere ſuperiorem, puta Deum, cuius lex actus contra promiſſa ſuſceptos iniuſtos et nullos pronunciat. Nullum ergo hic monarchomachis praeſidium.

Id omne illuſtrat Grotius elegantiſſimis exemplis regum Perſiae, Aegyptiorum, Hebraeorum, quibus demonſtrat, tertiam cautionem eſſe veram, promiſſa a regibus facta non obſtare ſummo imperio. *num.* 3.

Quaeritur, *an ſummo imperio obſtet clauſula commiſſoria?* Vocant ICti clauſulam commiſſoriam, ſi pactis adiicitur conditio, vt ſi illa non impleatur, pactum nullum ſit. Hinc quaeritur, ſi ſubditi eligentes regem eum adſtrinxerint certis pactis, vti e. g. in Germania capitulatio, in Polonia pacta conuenta nota ſunt, iiſque pactis adiecta clauſula, ſi rex non ex pacto regnaturus ſit, illum ipſo iure regni iuribus excidere debere, an non eo ipſo imperium deſinat eſſe ſummum? *num.* 4.

Et reſp. neg. ſummum enim eſt, quod ſuperiorem non agnoſcit. At imperans huiusmodi ſuperiorem non agnoſcit. Ergo habet imperium ſummum.

Obiicitur, atqui hic omnino imperantem habere ſuperiorem populum, quia ab eo poſſit regno priuari, ſi pactis non ſatisfaciat. Sed id falſum. Ipſe imperans ſe regno priuauit, dum pactum hoc iniit. Non priuatur in poenam a ſuperiore, ſed priuatur ex pacto a compaciſcentibus. Rem illuſtrabimus ſimilitudine. Si princeps cum architecto paciſcatur, et hic principi promittat ſe aedificaturum ei palatium, ſi pecunia intra annum ſoluatur; ſin minus, pactum nullius valoris fore. An tunc ſi architectus ſpe ſua fruſtratus pactum irritum eſſe dicit, principem punit, tamquam ſuperior?

Idem alio ſimili declarat Grotius. Si quis fideicommiſſum poſſidet, an non eſt dominus? reſpondetur, omnino; ſed tamen eo exſtincto fundus deuoluitur ad fideicommiſſarium haeredem ob clauſulam fideicommiſſariam. Ergo non poteſt alienare. Reſp. nihilominus dominus eſt per vitam, quamuis modus habendi ſit talis, vt non poſſit pro lubitu feudum in alium transferre. Ita et imperans, qui cum clauſula commiſſoria regnum eſt adeptus, verus imperans eſt, quamuis modus habendi ſit talis, vt regno excidet ex pacto, ſi non ex pacto imperet. *num.* 5.

§. 17.

num. 1. Sequitur quarta cautio: ſummum imperium eſſe indiuiſum, et tamen diuidi poſſe ſiue in partes integrales quoad prouincias, ſiue quoad partes ſubiectiuas, id eſt, ratione regalium vel iurium maieſtatis.

1. Ratione partium integralium multa exſtant exempla in Romana hiſtoria. Sic e. g. Conſtantinus inter tres filios diuiſit imperium, et Theodoſius M. inter duos. Ita Hiſpaniae ſaepe tot praefuere reges, quot eius erant prouinciae.

2. Ratione iurium maieſtatis, ſi populus quaedam maieſtatis iura ſibi reſeruet, quod fit 1. vel expreſſe, ſi huius modi leges fiant, quibus iura maieſtatis diuidantur, vt in Britannia, 2. vel per modum praecepti imperanti ante imperium iniuncti, vti in Germania per capitulationem.

Sed hic multa merentur animaduerſionem. Nam

1. Verum eſt, imperium diuidi poſſe per partes integrales; ſed tunc non ſummum imperium diuiditur, ita vt ex vno ſummo fiant duo ſemiplena, ſed prouinciae diuiduntur, et in vtraque manet ſummum imperium.

2. Falſum eſt, imperii vel maieſtatis iura diuidi poſſe inter principem et populum, nam tunc ſtatim eſſet res publica in republica, ſi pars imperii penes principem, pars penes populum eſſet. Hoc autem eſt monſtrum politicum, horrendum, ingens, cui lumen ademtum. Id potius dicendum, iura maieſtatis communicari poſſe inter principem et populum, vt princeps certa iura imperii non exerceat ſine ordinibus, nec ordines ſine principe.

3. Falſum eſt, id fieri per modum legis vel praecepti, ſed ſemper fit per modum pacti. Paciſcitur populus cum principe, antequam imperio potiatur, ſe illi pariturum, ſi hoc vel illo modo imperet. Talis eſt capitulatio imperatoris, talia ſunt pacta conuenta Polonorum, et omnes reliquae pactiones, quae abuſiue dicuntur leges fundamentales.

num. 2. Sed quaerit porro Grotius, *an haec imperandi forma admittenda ſit?* Negant Machiauelliſtae et Hobbeſiani, et multa recenſent incommoda, quae non poſſint non ex hac communicatione iurium maieſtatis ſequi. Sed reſp.

1. Illi

1. Illi ſupponunt diuiſionem regalium, qualis non eſt communicatio.
2. Omnia imperia obnoxia ſunt ſuis incommodis.
3. Machiauelliſtarum abſolutum imperium multo eſt incommodius.

§. 18.

Quum hactenus egerimus de rebus publicis, in quibus iura maieſtatis inter principem et populum ſunt communicata, iam porro Grotius monet, cum iſtis non confundenda regna abſoluta, vbi rex acta ſua a ſenatu ratihaberi iubet. Sic e. g. de regibus Franciae dici ſolet, quod in perpetuum ſint minorennes. Et hinc nec alienare quidquam, nec aliquid agere poſſunt magnae rei, niſi accedat parliamenti confirmatio. Quaeritur itaque, *an in huius modi regnis vel communicata vel diuiſa ſint iura maieſtatis?* *num.* 1.

Reſp. neg. nam 1. haec confirmatio, inquit, non petitur; quaſi alioquin actus eſſet irritus, ſed ne quid falſum pro vero obtrudatur.

Illuſtrat id Grotius ſimili a teſtamentis deſumto, vbi teſtator ſaepe addit clauſulam, ſe nolle, vt poſterius aliquod teſtamentum valeat. Quo ipſo non ſibi facultatem eripit teſtator condendi teſtamentum, ſed indicat, non pro ſuo habendum, ſi poſterius reperiatur. Hinc ſi contra certo conſtet, eum id teſtamentum condidiſſe, nemo dubitat, quin poſterius deroget priori. Ita et princeps, dum exigit confirmationem ſenatus, non indicat, ſine hac confirmatione actus ſuos eſſe irritos, ſed eos non temere pro ſuis habendos, niſi ea ſollemnitas acceſſerit. *num.* 2.

Vti ſoleo hac illuſtratione. Non valent reſcripta et priuilegia niſi, ſubſcripſerit praeter principem cancellarius et ſecretarius: an ideo inter principem, cancellarium, et ſecretarium ius illud maieſtatis concedendi priuilegia eſt communicatum, aut plane diuiſum?

2. Adde, quod plerumque ſub hac confirmatione lateat arcanum politicum, magis ad firmandam, quam imminuendam maieſtatem comparatum. Solent enim principes eo vti, ſi quando ipſi acta ſua irrita fieri cupiunt. Sic e. g. Franciſcus I. rex

Galliae a Carolo V. captus, pertaeſus captiuitatis multa promiſit, e. g. ſe ſummam pecuniae ingentem ſoluturum, iuri in ducatum Burgundicum, Mediolanenſem, et Comitatum Flandrenſem renunciaturum, cet. Dimiſſus vero horum nihil praeſtitit, cauſſam interſerens, pactionem hanc a parliamento ſuo non eſſe confirmatam, regem Galliae eſſe perpetuo minorennem, et hinc nec paciſci, nec alienare poſſe. Conf. DANKELMANNI, *Diſſ. de pactis principis captiui.*

§. 19.

Hinc porro quaerit auctor, *quid de formis rerum publicarum mixtis ſentiendum?*

Tres ſunt rei publicae formae ſimplices, monarchia, ariſtocratia, et democratia. Eſt enim ſummum imperium vel penes vnum, vel penes plures, vel penes omnes.

POLYBIVS autem, quem et alii ſequuntur politici, dicit, has formas interdum miſceri, et hoc demonſtrat exemplo rei publicae Romanae, vbi conſules monarchiam, ſenatus ariſtocratiam, populus democratiam repraeſentauit.

Hinc quaeritur, *an vere dentur mixtae res publicae?* Idque multi cum Grotio negant eo argumento, quia non poſſit ſimul ſummum imperium eſſe penes vnum, et penes multos et omnes. Si enim eſſet penes vnum, non eſſet penes multos, et vice verſa. Deinde negant rei publicae Romanae formam fuiſſe mixtam, ſed mere popularem vel democraticam, quia et conſules et ſenatus fuerint ſubiecti populo.

Sed poteſt tamen haec Polybii doctrina omnino defendi, ſi diſtinguas inter materiam imperii et formam adminiſtrandi. Materia ſummi imperii ſunt iura maieſtatis, et haec non poſſunt eſſe penes vnum et plures; et eatenus non datur res publica mixta.

Forma adminiſtrandi in eo conſiſtit, vt ea iura maieſtatis non vnus ſolus exerceat, vel vnus cum multis et omnibus: et tunc res publica illa dicitur mixta. Hinc eatenus omnino mixta dicitur Romana, quia nec conſules ſine ſenatu, nec ſenatus ſine populo, nec populus ſine conſulibus et ſenatu quidquam rite facere poterat. Qualis fere forma etiam in Britannia obſeruatur.

§. 20.

§. 20.

Porro quod ad monarchiam in ſpecie attinet : illam non eſſe vnius generis, Ariſtoteles obſeruat. Sed quum huius doctrinam non ſatis plene propoſuerit Grotius, eam ſupplere iuuabit ex *Politicor. lib. III. cap.* 10. *et* 11. Diuidit ARISTOTELES regna num. 1.

1. In *heroica*, vbi rex omnia agit ſuffragiis populi. Qualia fuere regna Graecorum, quorum meminit Homerus, vnde etiam heroica vocantur. Hodiernum tale quid obſeruatur apud Coſaccos, de quibus in libello : *Nouus ſtatus Ruſſiae.*

2. In *barbarica*, vbi rex vtitur ſubditis pro ſeruis, vnde et alias *deſpotica* et *herilia* vocantur. Talia ſunt in oriente fere omnia, vt et Maroccanum, Ruſſicum.

3. In *aeſymnetica*, vbi rex tantum ad certum tempus in periculo conſtituitur, eoque finito res ad libertatem redit. Tales fuere dictatores apud Romanos, et, vt videtur, iudices apud Ebraeos.

4. In *Laconica*, vbi tempore pacis rex ordinarius eſt praeſes rei publicae, tempore belli vero ſummum imperium obtinet. Tales fuere reges Spartanorum. Eodem CONRINGIVS in *Diſſ. de regno* refert gubernatores in Belgio, quamuis minus adcurate, quia gubernatores ibi nullo modo tamquam imperantes, ſed tamquam primi rei publicae adminiſtri conſiderantur, et in bello non alio iure imperant, quam alii ſupremi belli duces.

5. Παμβασιλείας, vbi rex ſolus omnia agit, ſalua populi libertate, ſaluoque cuique rerum ſuarum dominio. Eo enim ipſo παμβασιλεία differt a regno barbarico vel herili.

Sed praecipue quaeritur, *an dentur huius modi παμβασιλείαι?* Et reſp. dari, idque ex auctoribus auctor probat de Perſis, aliiſque orientalibus.

Quin probat, et regnum Hebraeorum fuiſſe παμβασιλείαν, idque 1. ex iure regio, quod Samuel refert, 2. ex verbis *Pſalmi LI. tibi ſoli peccaui*, 3. ex teſtimonio rabbi BAR NACHMON, quod nulla creatura iudicet regem, ſed Deus benedictus. num. 2.

Obiici poſſet : at regem ex rabbinorum ſententia potuiſſe flagris caedi, ſi aduerſus legem peccauerit. Sed reſp. 1. id non poſſe probari, niſi ex rabbinorum teſtimonio. 2. Addunt, illa flagra infamia caruiſſe, et ab ipſo rege ſibi eam dictam ſententiam, qui et modum his flagris pro arbitrio ſtatuerit. Ergo non

fuere poena, poena enim non eſt malum paſſionis inflictum a ſe ipſo, ſed a ſuperiore. 3. Re vera ea fuit poenitentia eccleſiaſtica, vti loquuntur canoniſtae. Conf. SCHICKARDVS *de iure regio Hebraeorum.*

num. 3. Obiiciunt porro, ſummam poteſtatem in regno Hebraeorum fuiſſe penes ſynedrium. Et ipſe Grotius concedit, illud ſynedrium exercuiſſe quaedam iudicia, quibus ipſe rex praeeſſe non potuerit. Idque probat 1. ex locis S. S. vbi iudices vocantur *dii*, et iudicium eorum Dei eſſe dicitur. 2. Ex teſtimoniis rabbinorum diſtinguentium inter res Dei et res regis, et illas a ſynedrio independenter a rege fuiſſe deciſas affirmantium. 3. Ex verbis regis, *Ierem.* XXXVIII. 5. ad proceres: *ecce Ieremias in poteſtate veſtra, nam contra vos rex nihil poteſt.*

Enimuero falli hic Grotium certiſſimum eſt. Nam 1. ſi ſynedrium independentem habuiſſet iudicandi facultatem, Ebraeorum regnum fuiſſet omnium monſtroſiſſimum, et res publica in re publica.

2. Non ſolum ſynedrium, ſed omnes iudices dicuntur dii, et Dei iudicium adminiſtrare.

3. Rex etiam abſolute imperans poteſt dicere, rex contra vos nihil poteſt, id eſt, argumenta veſtra tam firma ſunt, vt iis reſiſtere nequeam.

4. Quod palmarium eſt, IO. CLERICVS in *appendice ad Comm. in libros hiſtoricos V. T.* ſingulari diſſertatione demonſtrauit, et fere euicit, ante captiuitatem Babylonicam nullum apud Iudaeos fuiſſe ſynedrium, ſed inuentum hoc eſſe recentius.

num. 4. Contra iam demonſtrat exemplis variis, dari etiam regna, quae non ſint παμβασιλεῖαι. Demonſtrat id exemplis

1. Macedonum, de quibus Arriani et Curtii teſtimonia adducuntur

2. Gothorum et Germanorum, de quibus TACIT. *de morib. Germanor.*

num. 5. 6. 3. Regnum Romanorum, de quibus ante omnia conferri meretur DIONYS. HALIC. *lib. II.* et ficta ibi oratio Romuli de inſtituenda noua re publica. Vbi ſimul comparatur ſtatus popularis Romanorum cum regno.

4. Athenienſium, de quibus Iſocratis teſtimonium expendendum. Sed in his nobis licebit eſſe breuioribus, quia exempla illuſtrant, non probant.

§. 21.

§. 21.

His de natura ſummi imperii praemiſſis, quaeſtiones quaſdam tractat auctor, quarum prima eſt num. 1.

I. *An ſummum imperium habere poteſt is, qui inaequali foedere tenetur?*

Foedus eſt pactum inter ſummos imperantes vel res publicas initum. Quamuis autem in pactis ſemper paciſcentes concipiantur tamquam pares: ipſum tamen foedus in aequale et inaequale diuidi ſolet: id vero duplici modo intelligitur, vel

1. Ratione *praeſtationum*, e. g. dum foedus ineunt potentior et impotentior, et hic illi 6. millia hominum; ille huic 20000. in auxilium promittit. Tale fuit foedus inter regem Galliae et electores Bauariae et Coloniae.

2. Ratione *ſubiectionis*, ſi per foedus alter foederatus alteri ſe ad certum quoddam onus ab imperio ſummo alias alienum adſtringit, e. g. ad tributum, ad euacuanda alteri munimenta et fortalitia. Et tunc huius modi foedus inaequale eſt vel perpetuum, vel temporarium.

a) *Perpetuum.* Sic in foedere Romanorum cum Aetolis erat, vt Aetoli agnoſcerent Romanam maieſtatem: in foedere Michaelis Wiſniowiski, regis Poloniae cum Tartaris, vt Poloni annuum tributum ſoluerent.

b) *Temporarium*, ſi per aliquod tempus, e. g. durante bello, alter ab altero ſibi ſubiectionem quamdam ſtipulatur, vel aliud onus, e. g. vt foederatus foederato ſumtus belli ſuppeditet, cet.

Iam facile patet, quid reſpondendum ad quaeſtionem. Nimirum dicimus, nullo modo huius modi foedus exſtinguere ius ſummum imperii, niſi ſibi alter alteri perpetuam ſubiectionem ſpondeat. Hinc ne ſic quidem exſtinguitur, ſi quis promittat, ſe alterius foederati maieſtatem comiter veneraturum, vt recte vidit PROCVLVS *l.* 7. §. 1. *D. de captiu. et poſtlimin.* num. 2.

Rationes ſunt clarae.

Summum imperium eſt, quod in exercitio iurium maieſtatis a nemine dependet, tamquam a ſuperiore.

Imperans vel res publica, qui quaeue foederato ſuppeditat milites, ſumtus belli, aliquot munimenta, vel promittit ſe alterius

alterius maieſtatem comiter veneraturum, non ideo dependet a foederato, tamquam a ſuperiore.
Ergo penes huius modi imperantem vel rem publicam eſt ſummum imperium.

Minorem probo, 1. quia cuiuis priuato licet donare, quidni et imperanti et rei publicae. 2. Quia et cuiuis priuato licet ſe ad perpetuam praeſtationem obſtringere ſine ſubiectione, quidni et rei publicae? 3. Quia magnum eſt diſcrimen inter dignitatem et imperium. Poſſum aliquem dignitate ſuperiorem agnoſcere ſine ſubiectione, vti e. g. principes in Germania electores, ciuitates imperiales principes ſuperiores agnoſcunt, eorumque dignitatem comiter venerantur.

num. 3. Quia PROCVLVS *d. l.* 7. §. 1. id illuſtrat ſimilitudine a clientibus deſumta: hanc ſimilitudinem explicat Grotius hoc *num.* 3. Nimirum erat Romae inter patritios et plebeios a Romulo introductum ius patronatus. Patritii plebeiis, qui ſe in eorum fidem dederant, praeſtabant auxilia, eos defendebant gratis in iudiciis, iiſque conſilia dabant in rebus ambiguis: contra plebeii ſe vocabant patronorum ſuorum clientes, mane eos honoris cauſſa ſalutabant, domo deducebant, ſuffragiis iuuabant in defendendis honoribus, cet. Vid. PLVTARCH. in *vita Romuli*, et DIONYS. HALIC. *lib. II.* Sic inaequale erat pactum inter patronum et clientem, an vero hic alteri ideo erat ſubiectus? Minime.

Eodem itaque modo ſe res habet in regnis et ciuitatibus foederatis, quae alterius imperii maieſtatem comiter venerabantur. Illae erant in fide, non in ditione: agnoſcebant alterius imperii praeeminentiam ratione dignitatis, non ratione imperii, adeoque ideo non amittebant ſummum imperium.

num. 4. Sed obiici poſſet: ſaepe tamen populi huius modi foederati rei fiunt apud alterum, cuius maieſtatem venerantur, *d. l.* 7. §. 1. *D. de captiu.* ergo reuera ſubiectionem inuoluit huius modi foedus, quia actus vnius ab altero irriti redduntur.

Reſp. Grotius, quatuor eſſe controuerſiarum genera.

1. Si quis ex populo dicatur feciſſe contra foedus, vti Romani accuſabant Hannibalem, quod foederi contraueniſſet.

2. Si populus vel rex ipſe accuſentur, vti Romani accuſabant Albanos, quod foederi non ſtetiſſent.

3. Si

3. Si ſocii populi in eiuſdem imperii clientela conſtituti inter ſe litigent.

4. Si ſubditi de rege, vel rex de ſubditis conqueratur.

Prima controuerſia non pertinet ad foederatum, quia ſic eſſet iudex in propria cauſſa : ſed foederatus a foederato exigit ſatisfactionem, ea vero non praeſtita, ex foedere fit bellum.

Secunda ſpecies denuo locum non facit iudicio alterius foe- *num.* 5.
derati, ob eamdem rationem, ſed inde naſcitur bellum, aeque ac inter inaequaliter foederatos, vti apparet exemplo Romanorum bellum inferentium Albanis.

Addit Grotius, tunc foederatum a foederato puniri poſſe, quod incommode dictum. Poena enim infligitur a ſuperiore, non a pari. Sed, vt libro ſequente videbimus, Grotius in ea opinione haeret, quod bellum et poenae nomine inferri poſſit, quod falſum eſſe ſuo loco docebimus.

Tertia controuerſia aliquando defertur ad foederatum, ſed *num.* 6.
magis per modum arbitrii, quam iudicii ordinarii. Sic Maſiniſſa ſocius populi Romani rex Numidiae finito bello Punico II. ſaepe cum Carthaginenſibus, itidem foederatis populi Romani litigabat de finibus. Eam controuerſiam Romani decidebant, ſed tamquam arbitri, vel, vt hodie vocantur, tamquam *Garants*, vt bellum inter ſocios impediretur, non tamquam iudices ordinarii. Arbitria autem neminem conſtituunt ſuperiorem.

In quarta controuerſia nullum ius eſt foederato ſe interpo- *num.* 7.
nere huic controuerſiae, niſi denuo per modum arbitrii. Quo elegantiſſima pertinent Herodis et Carthaginenſium exempla ab ipſo Grotio allata.

Obiicitur ſecundo : at foederatum dici imperare foederato. *num.* 8. 9.
Quae loquutio frequenter apud veteres ſcriptores occurrit. Sic e. g. Romani naues, pecuniam, ſociis imperabant.

Reſp. diſtinguendum inter negotia foederatorum communia, et propria ſingulis foederatis.

In illis imperat omnino foederatus ſuperior, ſalua inferioris libertate et ſuperioritate : in his non imperat. Multis exemplis e vetere hiſtoria petitis id illuſtrat ipſe Grotius. Sed maior eſt vtilitas quaeſtionis, quomodo ſalua dici poſſit foederati ſuperioritas et libertas, quum tamen alter foederatus ipſi imperet? Reſpondemus, imperare eſt leges praeſcribere : leges praeſcribe-

re eſt alterius inuiti libertatem naturalem circumſcribere. Tunc enim inuiti libertatem noſtram naturalem circumſcribi patimur, ſi alterius ad vtilitatem aliquid facere cogimur. Ergo ſi foederatus foederato aliquid imperat, ad communem foederis vtilitatem pertinens, illud non fit inuito, ſed volenti, adeoque id proprie non eſt imperium, ſed exſequutio pacti.

Rem illuſtrabimus exemplo. Decem priuati pacti ſunt de ſocietate mercatoria ineunda. Vnus in ſe ſuſcipit directionem. Is reliquis imperat pecuniam, itinera ſuſcipienda, epiſtolas ſcribendas: an ideo reliqui huic ſubiiciuntur? Minime. Ea omnia enim faciunt non in vtilitatem dirigentis, ſed communem ſocietatis, cuius ipſi membra ſunt.

num. 10. 11. Monet tamen Grotius, et recte monet, periculoſa eſſe haec foedera inaequalia, et, ſi nimia ſit potentiae foederatorum inaequalitas, facile inde naſci veram ſubiectionem.

1. Si altera alterius rei publicae maieſtatem agnoſcere tenetur.
2. Si praeſtationes perpetuae ipſi iniunguntur.
3. Si oppidis inducantur alterius praeſidia.

Tunc enim multa ferre tenentur ſocii infirmiores, nec ad arma conuolare ſtatim poſſunt. Iſta patientia ſenſim tranſit in ius, et inde ex foedere fit ſubiectio. Exemplo ſuo id docuerunt Moldauiae, Valachiae, et Tranſſyluaniae principes, qui olim foederati Turcarum inaequales, hodie vere ſubditi ſunt, et quaſcumque ferre tenentur eorum iniurias.

§. 22.

Porro quaeritur: *an res publica tributaria ſummum imperium habeat?* Dicitur autem *tributaria*, quae pacis redimendae cauſſa vicino potentiori annuam ſoluit pecuniam. Id ſaepe contigit rebus publicis. Allegat auctor Hebraeorum regnum, quod aliquando tributarium factum Chaldaeis, aliquando Aegyptiis, aliquando Romanis. Ita et imperatores Germanorum Turcae tributum ſoluerunt ſub Rudolpho II. Hungaris ſub Conrado I. Eadem neceſſitas incubuit Polonis ſub Michaele Wiſniowiſki.

Recte reſp. auctor, huius modi tributum non imminuere ſummum imperium. Summum imperium enim eſt facultas omnes partes rei publicae adminiſtrandi ad finem ſuum. Id poſſunt et

regna

regna tributaria, ſiquidem illa res publica, quae tributum accipit, nullum alterius actum reddere poteſt irritum. Ergo penes tributariam rem publicam manet ſummum imperium.

Fatendum equidem eſſe, tributum confeſſionem publicam impotentiae, ſed non ſemper confeſſionem imperii. Quo etiam fit, vt plerumque gentes prudentiores id non vocari patiantur tributum, ſed donum vltroneum, (*un don gratuit,*) vel penſionem.

§. 23.

Porro quaeritur, *an nexus feudalis ſummo obſtet imperio?* Hic

1. Praemittendum, *quid ſit feudum?*
2. *An ex eius natura fluat ſubiectio?*

I. Quod ad priorem attinet quaeſtionem, feudum poteſt *num.* 1.
conſiderari vel vt contractus, vel tamquam ius in re; vti ſimile quid in pignore et emphyteuſi animaduertimus.

Si conſideretur tamquam *contractus*, tunc eſt obligatio reciproca inter dominum et vaſallum. Ille huic concedit dominium vtile rei vel praedii ſub conditione fidelitatis, hic alterum agnoſcit dominum directum, et fidelitatem ſeruitiaque militaria promittit. Recte Grotius obſeruauit, eſſe hunc contractum non iuris gentium, ſed a Germanicae originis gentibus inuentum, quia ob defectum pecuniae militibus ſuis praedia hoc modo concedere ſolebant domini. Conf. THOMASII *Selecta feudalia*, et *Diſſert. de originibus feudorum.*

Sin conſideretur tamquam *ius in re*, tunc eſt dominium, quod per inueſtituram naſcitur, et quidem diuiſum inter dominum et vaſallum. Ille habet dominium directum, quod in eo conſiſtit, 1. vt ſine eius conſenſu non poſſit feudum alienari vel oppignorari, 2. vt illud ob delicta feudalia, quae feloniae vocantur, poſſit eripere, 3. vt poſſit ſeruitia exigere, 4. vt mortuo ſine heredibus maſculis vaſallo feudum ad eum redeat. Vaſallus autem fit dominus vtilis, ſiquidem et fructus feudi omnes percipit, et feudum vindicat, et ad ipſos heredes maſculos tranſmittit.

II. Iam facile patet, *an hic nexus feudalis inuoluat ſubiectionem?* Reſp. Grotius negando. Vaſallus poteſt et ſolet eſſe *num.* 2. 3.
ſubditus domini, ſed non ſequitur, vt ſit ſubditus, quia eſt vaſallus. Nam

1. Si conſideretur vt contractus, nihil aliud eſt feudalis ille nexus, quam foedus inaequale συμμαχικὸν, quia vaſallus promittit ſe militaturum domino, et quidem vel aduerſus omnes promiſcue, tunc dicitur feudum *ligium*, vel contra omnes, excepto principe ſuo, tunc dicitur *non ligium*: contra dominus promittit vaſallo, ſe hunc defenſurum aduerſus quoſcumque. An id foedus inuoluit ſubiectionem?

2. Si conſideretur vt ius in re, aliud eſt dominium, aliud imperium. Poteſt illud ſine hoc eſſe, et hoc ſine illo. Sic e. g. imperator non negat, papae competere dominium directum in regnum Neapolitanum, et tamen ne minimam quidem partem imperii ibi exercere eum patitur. Alius enim eſt dominus, alius imperans.

Hoc ideo obſeruandum,

1. Quia ſaepe et aequales reges et principes ſibi inuicem nexu feudali obſtricti ſunt, e. g. imperatori rex Britanniae, ratione electoratus Brunſuicenſis, Sueciae ratione Pomeraniae, Daniae ratione Holſatiae et Oldenburgi, Poloniae ratione Saxoniae.

2. Quia ſaepe maiores feuda tenent a minoribus, e. g. rex Daniae eſt vaſallus ducum Brunſuicenſium, quatuor electores epiſcopi Bambergenſis, rex Pruſſiae abbatiſſae Gandersheimenſis.

3. Quia inde ſaepe naſcuntur controuerſiae. Sic principes Schwartzburgici ſunt vaſalli Saxonici: ſed non ideo ſequitur, vt ſint ſubditi. Inde maxima nata controuerſia.

§. 24.

Concludit auctor hoc caput monito, quod diſtinguendum ſit inter imperii actum primum, (ſeu potentiam), et actum ſecundum, (ſeu exercitium.)

1. Actus ſecundus adparet, quoties quis iura imperii exercet.

2. Actus tantum primus, quoties eius exercitium impeditur: quod fieri poteſt 1. aetate, 2. furore, 3. captiuitate, 4. rebellione ſubditorum. Quamuis quod ad furorem attinet, in re[illegible] ſucceſſiuis tantum furioſus actu primo rex maneat, non in[illegible]ctitiis, vbi ſtatim nouus eligi poteſt. Conf. DANKELMANNI *Diſſ. de pactis principis captiui.*

CAP.

CAP. IIII.

DE BELLO SVBDITORVM IN SVPERIORES.

§. 1.

Bellum eſt ſtatus ſocietatum liberarum per vim certantium, aut propoſitum certandi retinentium. Haec definitio in ſtatu ciuili locum habet. In ſtatu autem naturali, quum nulla ſint iudicia, nulli imperantes, a quibus defendi quis poſſet, vnuſquiſque vim vi priuata propulſat, id eſt, bellum gerit. *num. 1.*

Ex hoc ergo axiomate facile iam variae quaeſtiones ſoluuntur. Nam quaeritur

1. *An priuatus bellum gerere poſſit aduerſus priuatum?* Negamus in ſtatu ciuili, adfirmamus in ſtatu naturali. Ad ſtatum autem naturalem et is videtur rediiſſe, qui in eo loco verſatur, vt auxilio magiſtratus nullo ſubleuetur, e. g. ſi a latronibus quis circumueniatur.

2. *An imperans contra imperantem?* Adfirmamus, ſunt enim vtraeque res publicae ſocietates liberae. Huc pertinet exemplum belli Dauidis in Ammonitarum regem.

3. *An priuatus contra imperantem extraneum?* Adfirmat Grotius, nos negamus, niſi moderamen inculpatae tutelae ſuſcipiat. Ratio, quia non eſt liber priuatus a ſuperioritate. Ad exemplum Abrahami reſpondemus, eum non fuiſſe priuatum, ſed foederatum regem et ſocium, in quorum regnis habitabat.

4. *An imperans contra ſubditos rebelles?* Adfirm. ſed tunc proprie non eſt bellum, nec enim ſubditi ſunt ſocietas libera. Eſt ergo potius exſequutio poenae rebellibus debitae.

Verum de his omnibus quaeſtionibus iam non agimus, ſed de bello ſubditorum in ſuperiores hoc capite quaerimus. Et hinc ſtatus controuerſiae rite formandus. Non quaeritur *nu. 2. 3.*

1. An ſubditi ſe defendere poſſint aduerſus ſuperiores non tra[illegible] ſed eidem regi ſubiectos, ſi is iniuriam intentet ſine mandato regis. Exemplum Nehemiae. Nam et priuati hic ſe poſſunt defendere. Vid. *L. 5. C. de metatoribus.*

2. Nec quaeſtio eſt, an obſequium denegari poſſit imperan-

tibus aliquid contra ius naturae praecipientibus. Id enim ipſa S. S. iubet, *Actor. V. 29. Deo magis obediendum, quam hominibus.* Et notum exemplum obſtetricum Aegyptiarum. *Exod. I.* Sed quaeſtio eſt,

3. *An vi ſubditi poſſint reſiſtere regi legitimo, et cum eo gerere bellum, ſi iniuriam ab eo nobis fieri exiſtimemus?* Id vero negandum eſſe Grotius demonſtrat:

1. *Ex iure naturae et gentium.* §. 2.
2. *Ex lege Hebraea.* §. 3.
3. *Ex Euangelio.* §. 4.
4. *Ex praxi Chriſtianorum.* §. 5.

Quia autem nulla regula temere ſine exceptione eſt, hinc caput hoc conſtat duabus partibus. Nam

Priore tradit *regulam.* §. 2-7.

Poſteriore ſubiungit *exceptionem.* §. 7. *ad fin.*

Nos iam primo regulam demonſtrabimus, aliorumque obiectiones refutabimus. Regula eſt: *non poſſe ſubditos bello adgredi ſuperiores ſuos.*

§. 2.

nu. 1.2.3. Hanc regulam Grotius probat I. Ex iure naturae et gentium. Argumentum Grotii tale eſt:

Quicumque renunciarunt libertati naturali vim vi repellendi, illis non competit ius belli.

Subditi, ratione ciuitatis et imperantium, renunciarunt libertati naturali vim vi repellendi.

Ergo ſubditis non competit ius belli aduerſus ciuitatem vel imperantes.

Maior clara eſt. Nam

1. Ad renunciata non datur regreſſus.
2. Renunciatio haec non magis iniqua eſt, quam hominem, qui ſe in ſeruitutem addicit, renunciare omni iuri ſuo in ſe ipſum.

Minor autem, quod facta ſit huius modi renunciatio, probatur

1. Ex fine ciuitatum, quae coaluerunt mutuae defenſionis cauſſa aduerſus exteros. Non ergo defenſio locum habet aduerſus ipſam rem publicam, et qui eam repraeſentat, regem.

2. Ex forma. Haec conſiſtit in vnione voluntatum et iurium. Vnio illa voluntatum in eo conſiſtit, quod omnes voluntates ſuas ſubmiſerunt vel vni, vel pluribus, vel maiori

parti

parti ciuitatis. Quibus vero ſubmiſimus voluntates noſtras, earum ratione renunciauimus libertati naturali.

3. Ex effectu. Aut reſiſtere licet, aut non licet ſummo imperanti. Si licet, tunc erit anarchia, quia nulla erit ſubmiſſio voluntatum. Si non licet, nec bellum gerere licebit.

§. 3.

Eamdem regulam Grotius demonſtrat II. ex lege Hebraeorum. Quum enim ea res publica ſit diuinitus inſtituta: magnum omnino in eorum teſtimonio poſitum erit praeſidium.

Hebraeis autem non licuiſſe reſiſtere ſummis imperantibus, probatur

1. Ex *Deut. XV.* 1. 12. *Ioſ. I.* 18.

2. Ex lege regia 1. *Sam. VIII.* 11. Atqui ſaepe diximus, ibi non referre Samuelem, quid rex facere debeat, ſed quid facturus ſit: et tamen additur, populo nullum fore auxilium aduerſus regem, ne in ipſo quidem Deo, qui ad ſe clamantes non ſit auditurus. Addi poſſunt

3. Exempla Iſraëlitarum Pharaoni in Aegypto non reſiſtentium, Dauidis, qui iuſto fultus exercitu fugere maluit, quam reſiſtere Sauli, impio, iniuſto, a Deo reiecto.

§. 4.

Sequitur demonſtratio III. ex Euangelio. Vbi Grotius num. 1.
allegat 1. dictum Chriſti: *date Caeſari*, cet. Notatu dignum, non adiicere Chriſtum, quid Caeſari dare debeant: ſenſus enim eſt, date ei quae iam ex lege veſtra ſcitis illi eſſe danda. At lex Hebraeorum exigebat obſequium ſine reſiſtentia. Ergo hanc praeſtat Caeſari.

2. Ad dictum PAVLLI *Rom.* 13. *qui reſiſtit, condemnationem accipiet.* At qui bello perſequitur ſummum imperantem, is reſiſtit; ergo condemnationem accipiet, adeoque iniuſte egit.

3. Ad dicta eiuſdem, vbi vocatur imperans *miniſter Dei, cui parendum non ſolum ob iram, ſed et propter conſcientiam.* Ergo qui reſiſtit, Deo reſiſtit, et peccat contra conſcientiam.

Obiici poſſet, non vtile eſſe pati iniurias, quia et is, qui num. 2.
infert, hac patientia ſit deterior, et aliis idem imminet pericu- 3. 4.
lum.

Reſp. hic omnino vtilius eſſe priuatos aliquid pati iniuriae,

riae, quam bello perſequi imperantes. Si enim hoc fit: ſtatim diſſoluitur ciuitas, et fit anarchia. In anarchia autem multo minor ſecuritas eſt, quam in quouis imperio etiam tyrannico.

Accedit, quod multa ſubditi interpretentur pro iniuriis, quae tales non ſint. Ne Iupiter quidem omnibus placet, nedum imperans. Si liceret itaque ſubditis eum bello petere, eique reſiſtere: numquam futura eſſet tranquilla ciuitas.]

Haec omnia egregiis teſtimoniis veterum ſuo more illuſtrat Grotius, ex quibus praecipue expendi merentur loca THVCYDIDIS *num.* 4. et DIONIS CHRYSOSTOMI *num.* 5.

num. 6. 4. Sequitur teſtimonium PETRI 1. *Epiſt. II.* 18. vbi docet, iniurias etiam regum et dominorum malorum ferendas, idque exemplo Chriſti.

Iam argumentamur:

> *Qui tenentur honorare reges et dominos exemplo Chriſti, illi non poſſunt in eos bellum ſuſcipere.*
>
> *Chriſtiani ex praecepto apoſtoli tenentur honorare regem exemplo Chriſti.*
>
> *Ergo non poſſunt in eos bellum ſuſcipere.*

Maior clara eſt. Nam Chriſtus numquam reſtitit, quum ipſe fateatur, ſe poſſe a patre impetrare plus quam XII. legiones, non hominum, ſed angelorum.

Minor ex ipſo Petri textu deſumta eſt. Vera ergo et concluſio.

§. 5.

num. 1. Denique hanc regulam firmat IIII. praxi veterum Chriſtianorum, quae ſane optima eſt dictorum Chriſti et apoſtolorum interpres. Nam

1. Chriſtiani numquam ſe oppoſuere tyrannis, quum et multitudine vincerent, et facile poſſent ſocios reperire. E. g. Neroni crudeli Chriſtianorum lanioni ſe oppoſuere Galba, Otho, Vitellius. Nemo Chriſtianorum horum factionibus acceſſit. Domitiano Caſſius et alii, Antonino Philoſopho Caſſius bella intulerunt. Nemo his Chriſtianus adfuiſſe legitur, quum tamen poſſent, et ab aliis imperatoribus dira paſſi eſſent. Hinc iuſta TERTVLLIANI gloriatio in *Apologetico*: *vnde Caſſii et Nigri* cet.

2. Num-

2. Numquam vim vi repulere. Adparet id 1. ex illis gra- *nu. 1. 2.*
uiſſimis perſequutionibus, quibus Chriſtiani innumeri mactabantur. Tanta erat Chriſtianorum multitudo, vt TERTVLLIANVS in eodem *Apologetico* dicat, Chriſtianos implere palatia, curias, caſtra: nam totae legiones Chriſtianae memorantur, et tamen numquam reſiſtebant, numquam ſumebant arma. 2. Exemplo Ambroſii, quod auctor refert, qui et populi motus ſedare, et Maximi copias auxiliares detrectare, maluit, quam Valentiniano crudeli et Arriano reſiſtere. 3. Exemplo Chriſtianorum ſub Iuliano apoſtata. Sane tunc religio Chriſtiana erat ſupereminens et dominans: imperator pauciſſimos habebat aſſeclas gentiles. Et tamen illi omnia ferebant, et, vt Gregorius Nazianzenus loquitur, precibus et lacrymis tantum ſe defendebant, quia ſolum hoc ipſis conceſſum videbatur contra perſequutiones remedium.

Ergo manifeſtum eſt, Chriſtianos ſemper credidiſſe, non licere bellum gerere aduerſus ſuperiores. Q. E. D.

§. 6.

Hactenus pluribus argumentis demonſtrata eſt regula, quod *num. 12*
non liceat bellum gerere contra ſuperiores. Sed antequam ad alteram capitis partem progrediatur Grotius, et aliorum argumenta profligare inſtituit.

Et ſunt quidam, 1. qui putant, vniuerſum populum reſiſtere poſſe regi, eumque bello perſequi, ſi male imperet, eaque ſententia eſt monarchomachorum, inprimis Miltoni, Hotomanni, et Steph. Iun. Bruti. Sunt, 2. qui hanc poteſtatem quidem non omni populo concedunt, ſed magiſtratibus inferioribus et ordinibus. In qua ſententia ſunt PETRVS MARTYR, theologus, qui Geneuae docuit, et ſub Eduardo reformationem Anglicanam promouit, *in libr. Iudic. III.* DARAEVS, theologus Heidelbergenſis, in *Rom. XIII.* HADR. IVNIVS, Belga, et LAMBERTVS DANAEVS Nauarrus, *in lib. VI. Polit. Chriſtianae.* Et hos praecipue refutat Grotius ex principiis philoſophicis. Vt genus aliquid eſt ratione inferioris, et tamen eadem eſt ſpecies ratione ſuperioris: ita magiſtratus inferiores ſunt magiſtratus et ſuperiores ratione priuatorum, quibus praeſunt, ſed ſunt iidem ſubditi ratione imperantium, quorum nomine magiſtratu funguntur. Hinc argumentum:

Si ſubditis non licet bellum gerere aduerſus imperantem, nec id licet magiſtratibus inferioribus.
Prius verum eſt, vti concedunt hi auctores.
Ergo et poſterius.

num. 2. Secundo eos Grotius ducit ad abſurdum, et vrget, ſi poſſint magiſtratus inferiores bello coërcere ſummos imperantes, regnum ſtatim fore in regno, rem publicam in re publica, id eſt, eum ſtatum, quem omnes fatentur eſſe monſtrum politicum. Hinc alterum Grotii argumentum:

Si magiſtratibus inferioribus licet coercere ſummos imperantes, erit regnum in regno.
Poſterius eſt abſurdum,
Ergo et prius.

num. 3.4. Repugnat id tertio Scripturae ſacrae. Nam 1. ipſe PETRVS 1. *Ep. II.* 1. ſubordinationem vrget, et aliter nos ſubeſſe iubet magiſtratibus inferioribus, aliter ſummo imperanti: regem enim vocat poteſtatem ſupereminentem. 2. PAVLLVS *Rom. XIII.* vult omnem animam ſubeſſe ſummo imperanti, ergo et magiſtratus inferiores. 3. Praxis Hebraeorum docet, regi Iſraëlitarum et proceres ſubfuiſſe, veluti Samuelem Sauli, etiam diuinitus reiecto. 4. Addendus elegans locus de centurione Capernaumitico: *ſum homo, ſubiectus imperanti, et habeo infra me milites.* Hic erat magiſtratus inferior militaris, et fatetur tamen, ſe ſubiectum imperio.

num. 5. Obiiciunt dictum Traiani, qui porrecto praefecto pugione: *hoc*, inquit, *pro me vtere, ſi recte impero: contra me, ſi male.*

Reſp. 1. Ex dictis regum eorum iura fruſtra probantur. Nam alias et dicta Neronis, Commodi, Caracallae non minus roboris haberent, quam illud Traiani.

2. Quando rex quidam ſe ſponte ſubmittit, vel iuri alicui renunciat, id non praeiudicat aliis, ceu patet exemplo eorum regum, qui ſponte et per modum iuris dictionis prorogatae ſe ſubmittunt iudiciis curiarum ſuarum.

3. Traianus et alii imperatores ciuiliter imperantes id dedere operam, vt ſimulacris libertatis populo illuderent. Explicandum autem ex politicis, quid ſint ſimulacra libertatis.

§. 7.

Quaeritur porro, *an lex de non reſiſtendo ſuperioribus obliget*

etiam

etiam in extremo periculo? E. g. ſi imperans ira percitus me gladio petat innocentem, et aut mihi, aut illi pereundum ſit: mihine potius conſulam, an principi? Et an non eius repellere poſſum conatus?

Reſp. ante omnia diſtinguendum eſt inter defenſionem ſine principis interitu, et cum eius interitu coniunctam.

De priore recte defendit Grotius, licitam illam eſſe, nec principem conqueri poſſe de facta ſibi iniuria, ſi me non patiar innocentem mactari. Id Grotius demonſtrat ita *num.* 1.

1. Argumento a maiore ad minus. Ipſae leges diuinae et de cultu diuino ceſſant in caſu neceſſitatis extremae. Ergo multo magis leges de non reſiſtendo ſummo imperanti. Antecedens probatur exemplo de ſabbatho, et de cibis vetitis, quas neceſſitati cedere, et magiſtri Ebraeorum, et ipſe Chriſtus fatentur.

Adcuratius dicimus, leges vel eſſe

1. Humanas, quae ſemper admittunt exceptionem neceſſitatis, niſi diſerte dicat imperans, eam ceſſare debere.
2. Diuinas
   1. De officiis erga Deum
      a) Adfirmatiuae, admittunt exceptionem.
      b) Negatiuae, non admittunt.
   2. De officiis erga proximum, tunc neceſſitas eſt
      a) A Deo, et ſic admittit exceptionem.
      b) Ab hominum malitia, quae intendit vel
         1. Perniciem, tunc admittit,
         2. Peccatum, et non admittit. THOMAS. in *Iuris prud. diu. lib. II. cap.* 2. §. 143. *ſequ.*

2. A modo et fine ſe ſubiiciendi. Numquam Deus vel in lege naturae, vel in S. S. abſolute iuſſit, vt ciuitates et res publicas conſtitueremus. Ergo ciuitates et res publicae origenetenus ſunt humanae: ergo et primae leges de non violandis ſummis imperantibus humanae fuerunt. Ergo non praeſumitur eas obſtringere etiam ad ſubeundum vitae diſcrimen: quum pleriumque leges humanae intelligendae ſint cum exceptione neceſſitatis.

Obiiciunt. At poſſunt et humanae leges ſancire, vt et extremum ſubeamus periculum, v. c. quis neget ſummum imperantem poſſe iniungere militibus, vt potius interimi ſe patiantur, quam loco cedant?

Reſp. non quaeritur hic, quid legibus humanis ſanciri poſſit, ſed quid iis ſancitum ſit. Iam ſi omnes, qui primum in ſocietatem coaluerint, interrogaſſes, vellentne ita ſe mancipare, vt ſi innocentes a principe petantur, ſe mori velle praeoptarent, quam propulſare iniuriam. nemo forte id affirmaſſet. Ergo tam dura et rigida obligatio non praeſumitur.

Poſſet porro obiici: at ſupra demonſtratum eſſe, populum, qui in rem publicam coaluit, renunciaſſe iuri reſiſtendi. Reſp. recte, ſed 1. renunciarunt, ſe principi non reſtituros, id eſt, ſi princeps tamquam princeps aliquid praecipiat, vetet, iniungat. At ſi princeps ira percitus gladio innocentem petit, id non facit tamquam princeps, ſed tamquam hoſtis meus. 2. Renunciauerunt iuri reſiſtendi, id eſt, offendendi belloque petendi regem. Nos vero loquimur de defenſione non coniuncta cum principis interitu, veluti, ſi ictus eius ante elidam, ſi me recipiam in aedes bene munitas, ex iiſque in tutiora loca me recipiam, cet.

num. 3. Porro obiicitur: non reſiſtendum eſſe magiſtratui non eſſe legem humanam, ſed diuinam. Reſp.

1. Et leges diuinas aliquando admittere exceptionem neceſſitatis, ſupra oſtendimus.

2. Eſt lex diuina non ratione originis, ſed ratione confirmationis. Reſp. ſunt originis et inuentionis humanae, adeoque et leges de nexu imperantium et ſubditorum. Sed Deus hunc ordinem, tamquam ad conſeruationem generis humani vtilem, confirmauit, legeſque de illo imperantium et ſubditorum nexu ratas habuit. Et hinc videmus, imperia modo dici ordinationem humanam, vt 1. *Petr. II.* 13. modo diuinam, vt *Rom. XIII.* humanam ratione originis, diuinam ratione confirmationis. Manet ergo ea lex humana, quamuis a Deo confirmata.

num. 4. 3. Eamdem theſin Grotius probat teſtimonio GVIL. BARCLAII, Scoti, viri doctiſſimi. Eſt ille non confundendus cum ROB. BARCLAIO, qui elegantiſſimo et florido ſtilo ſcripſit *Euphormionem*, *Argenidem*, *Iconem animorum*, nec cum ROBERTO BARCLAIO, qui Quackeros, quos vocant, apologia non inſcite ſcripta defendit, ſed GVILIELMVS in iure publico et gentium inclaruit, et demum Romam migrauit, mutata religione auita. Scripſit libros *de regno contra monarchomachos*, eorumque principia feliciter profligauit.

Is

Is ergo ipſe concedere tenetur, maiorem partem populi ſe tueri poſſe aduerſus ſaeuitiam principis, (tueri inquit, non bellum gerere.) At inde arguit Grotius: ſi id poteſt maior pars, quidni et minor pars, quidni et priuatus? Idque illuſtrat exemplo Dauidis, a Saule iniuſte preſſi, qui non ſolum in fugam ſe coniecit, ſed et quadringentorum hominum praeſidium ſibi circumpoſuit, 1. *Sam.* XXII. 2. XXIII. 13. non vt bellum cum Saule gereret, ſed vt perſonam ſuam tueretur ab eius iniuriis.

4. Addit denique Grotius exemplum Maccabaeorum, ſub quibus Iudaei iniuſte oppreſſi ab Antiochis ſacra vitamque ſtrenue tuebantur, non modo multi, ſed et ſinguli et ſubducendo ſe, et praeſidiis muniendo templum. *num.* 5.

Sed hoc exemplum huc vix pertinet. Nam 1. haec non fuit innoxia defenſio, ſed verum bellum contra Antiochos: adeoque de eius iuſtitia in altera capitis parte diſpiciendum. Vbi et indagandum erit, fuerintne Antiochi iuſti Iudaeorum reges, an nudi inuaſores, quam controuerſiam hic loco non ſatis commodo tractauit Grotius.

Hactenus de priore quaeſtione, an non liceat in extremo periculo ſe defendere aduerſus principem, ſi defenſio illa ſine interitu principis fiat? *num.* 6.

Iam ſequitur altera: *an licita ſit defenſio cum principis interitu coniuncta?* Recte reſp. regis perſonae etiam in tali periculo parcendum. Nam

1. Regis et principis perſonae ſunt ſacroſanctae, non in ſenſu theologico, ſed iuridico, inuiolabiles, idque omnes gentes agnoſcunt.

2. Regis interitus non poteſt non cum ſumma perturbatione rei publicae coniunctus eſſe, cui quam maxime parcendum eſt.

3. Dauides Saulem ſaepe in caſſes ſuas incidentem numquam occidere voluit, ſed ei ſemper pepercit, nolle ſe, inquiens, manus iniicere vncto domini. Sunt, qui putant, id Dauidem non feciſſe ex obligatione ſtricta, ſed ex ſublimi propoſito, vel, vt opus ſupererogationis, vti loquuntur moraliſtae pontificii. Sed id falſum eſſe, tum ex praecepto Dei *Deut.* XXII. 28. tum ex ipſo facto Dauidis patet, qui et eum occidi iuſſit, qui Saulem ſemiuiuum ipſius rogatu occiderat, coronamque attulerat ad Dauidem.

num. 7. 4. Porro arguit Grotius a minore ad maius : *Si ne verbis quidem laedere licet imperantes; multo minus factis et manu.*

Prius verum.

Ergo et poſterius.

Antecedens probatur ex *Deut. XXII.* 28. *priucipi in populo tuo ne maledicas.* Quin mortis ſupplicium imminebat ei, qui regi malediceret. Adeo, vt quamuis Dauides Simei, ſibi in fuga maledicenti, gratiam huius delicti feciſſet, Salomoni tamen inter extrema mandata iniungeret, ne pateretur eum morte ſua mori.

Nec Iudaei ſolum, ſed et omnes gentes eiuſdem erant ſententiae, ceu variis teſtimoniis ex Ariſtotele, Curtio, aliiſque petitis demonſtrat Grotius. Praeclarum eſt teſtimonium ARTABANI, Perſae, apud Plutarchum, vbi regem vocat εἰκόνα Θεῦ τῦ πάντα σώζοντος, *Dei omnia ſoſpitantis effigiem.*

num. 8. Ex his duabus quaeſtionibus tertiam format Grotius. Quum enim ſupra conceſſerit licitam aduerſus regem iniurias intentantem defenſionem, modo ne in perſonam illius grauius quid ſtatuamus, iam porro quaerit, *an non Chriſtianiſmus potius abſolutam nobis iniungat patientiam?*

Multa enim permittunt leges naturales, immo et reuelatae Veteris Teſtamenti, quae non permittit Euangelium, multo exactiorem a nobis exigens ſanctimoniam.

Et ſane Grotius in eam ſententiam videtur pronior, quod Chriſtianus rectius faciat, ſi ſe plane non defendat aduerſus ſuperiorem. Id probat

1. Ex illis dictis, quae patientiam ſuadent exactiſſimam, e. g. *Matth. V.* 44. 45. *Benedicite maledicentibus vobis, benefacite ludentibus vos, deprecamini pro iis, qui perſequuntur vos, ita eritis filii patris caeleſtis.*

2. Chriſtus iis, qui patiuntur perſequutionem religionis cauſſa, fugam tantum conceſſit.

3. Exemplo Chriſti, quod Petrus vrget 1. *Petr. IIII.* 12. *ſequ.* Quum is non defenderit ſe aduerſus pontifices et Pilatum, ſed omnes ſubierit iniurias : idem videtur Chriſtianorum officium.

num. 9. 4. A praxi primorum Chriſtianorum in perſequutionibus ſe numquam defendentium. Dicas, vires, non animum illis defuiſſe. Sed audi Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, ab ipſo Grotio allegatos.

5. Ex-

5. Exemplo legionis Thebeae a Maximiano Caeſare apud Octodurum decimatae, nullo militum repugnante. Id exemplum fuſe narrat Grotius, ſimulque verba praecipuorum ex iſta legione enarrat. Nam Mauritius dux vel tribunus legionis: *quam timui*, cet. Sic quum facta eſſet decimatio, et iis, qui ſuperſtites erant, denuo Maximianus praeciperet, vt diis ſacra facerent: reſponderunt intrepide, ſe in imperatoris poteſtate eſſe, at non ſacrificaturos. Inprimis egregia eſt Exuperii ſigniferi oratio: *non aduerſum te, imperator, armauit*, *cet.* *num.* 10. 11. 12.

6. Exemplo Chriſtianorum ſaeculi IIII. qui numquam ſe valenti Ariano, ſaeuienti in ſe, oppoſuerunt. Et demum inde infert. Quemadmodum Chriſti, ita et Chriſtianorum patientiam ſe ad mortem extendere. *n.* 14. 15.

Sed quamuis haec omnia recte ſe habeant: non tamen confundenda iuſtitia et ſanctitas actionis. Qui debita remittit debitori, is ſancte agit: ſed non ideo iniuſtus eſt, ſi non remittit. Qui ſua ſibi iniuſte erepta actione forenſi non vindicat, ſancte agit, ſed quis diceret iniuſtum, qui actione petit, quod ſibi debetur? Ita et ſancte agunt, qui Chriſti exemplo potius perire, quam ſe defendere aduerſus principem malunt, ſancte egerunt Thebaei legionarii, qui arma in principem non conuerterunt: ſed nec iniuſtos eos dicerem, ſi iis vſi eſſent praeſidiis, quibus ſine imperatoris laeſione ſe vitamque ſuam defendiſſent.

§. 8.

Vidimus hactenus regulam, quod bellum gerere nefas ſit ſubditis aduerſus principes vel ſuperiores. Sequuntur iam exceptiones. Quarum prima ſe prodit

I. In regibus principibuſque nullo iure maieſtatis gaudentibus, et hinc reuera populo ſuo ſubiectis, quales erant reges Lacedaemoniorum, et hodie dux Venetus, Genuenſis. Hi enim ſi vim inferrent populo, et eius iura vel libertatem opprimere auderent, procul dubio populo ius eſſet vim vi repellere. Nam

1. Hi improprie dicuntur reges et principes, reuera magiſtratus a populo conſtituti.

2. Bellum itaque proprie non gerunt aduerſus ſuperiores, ſed aduerſus inferiores, iniuriam ſibi illaturos.

3. Pro-

3. Proprie id ne bellum quidem eſt, quippe quod inter ſe gerunt ſocietates liberae et ſummi imperantes, quales non ſunt, qui ſuperiorem agnoſcunt populum. Eſt ergo potius exſecutio poenae, quam merentur, qui tyrannidem adfectant in ſocietate vel ciuitate libera.

§. 9.

Alteram exceptionem videmus II. in iis, qui quum antea regno ſe abdicaſſent, vel illud pro derelicto habuiſſent, poſtea illi intentant hoſtilia. Conſ. LACTANT. *de mortib. perſecutor.* Huius rei illuſtre exemplum exſtat in hiſtoria Diocletiani et Maximiani imperatorum, qui quum ſibi alios ſub nomine Caeſarum ſubſtituiſſent, poſtea regno ſe abdicarunt, et ad priuatam vitam redierunt. Sed adſuetos imperio facile et mox poenituit, maxime Maximianum, qui Conſtantinum et alios regno conabatur priuare. Bello itaque petitus et profligatus eſt. Quaeritur, an tunc populus Romanus iure militare potuerit aduerſus principem ſuum? Et reſp. Grotius, omnia in huius modi adgreſſorem licere, quae in hoſtem.

Recte. Nam 1. non eſt princeps vel ſuperior, qui per abdicationem iuri ſuo renunciauit.

2. Iure defenditur ab iis iuſtus imperans, qui, illis ſe abdicantibus, imperium capeſſiuit.

3. Dum ad vitam priuatam redierunt, facti ſunt ſucceſſoris ſubditi. Subditi adfectantes imperium ſuperioris ſui crimen maieſtatis committunt. Reos autem huius criminis bello coërceri poſſe manifeſtum eſt.

§. 10.

Tertiam exceptionem ipſe Barclaius admittit: ſi rex velit alienare regnum; tunc enim amitti ab eo regnum, et hinc poſſe eum pro hoſte haberi.

Sed recte Grotius hic cautius procedendum putat. Nam aut regnum eſt patrimoniale, aut vſufructuarium.

Si patrimoniale, valet regula: *qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam.* Huius modi enim regem regnum poſſe alienare, extra controuerſiam eſt.

Sin

Sin vſufructuarium: aut vult alienare, aut alienauit. Si prius, non opus eſt bello, ſed nullum eſt ipſo iure hoc conſilium. Sin iam alienauit: tunc non bellum geritur aduerſus principem alienantem, ſed aduerſus eum, qui vi vtitur in regno occupando. Si eius partibus accedit rex, tunc non amplius rex eſt, ſed hoſtis populi ſui, adeoque non geritur bellum aduerſus ſuperiorem, ſed aduerſus hoſtem.

§. 11.

Quarta exceptio eſt in tyranno. Sed haec paullo difficilior, et hinc adcuratius explicanda. *Tyranni* vox eſt indifferens, et denotat regem, adeo, vt et gentiles in precibus Herculem cognominarent tyrannum, quaſi regem: et Miltiades tyrannus vocari ſibi laudi duceret. CORN. NEP. *in Milt. cap.* Sed poſtea id vocabulum in deteriorem partem ſumtum eſt, quemadmodum idem fatum habuere vocabula fur, ſophiſta, cauſſidicus, cet.

Sunt autem tyranni duorum generum, titulo et adminiſtratione. Titulo ſunt tyranni, qui nullo praecedente et concurrente iuſto titulo imperium adfectant et adminiſtrant, quales tyranni fuerant Athenis Piſiſtratus, Syracuſae Dionyſii, Romae Iulius Caeſar.

Adminiſtratione contra, qui quum iuſto titulo imperent, imperium tamen ita adminiſtrant, vt hoſtilem animum aduerſus totum populum oſtendant. Aliquando vtrumque concurrit, vt nec titulus adſit, et magna crudelitate vtatur imperans, idque fit frequentiſſime. Nam *imperium flagitio quaeſitum nemo bonis artibus retinuit.* TACIT. *Hiſtor. lib. I. cap.* 30.

Ergo patet, 1. non eſſe ſtatim tyrannum, cuius titulus dubius, modo aliquis ſit. Sic e. g. papa declarabat Henricum IIII. imp. eſſe tyrannum, quia ſibi non pareat, Fridericum II. eſſe tyrannum, quia iura imperii in Italia vindicabat, Eliſabetham reginam Angliae, non eſſe reginam legitimam, quia religionem pontificiam deſeruiſſet. Multi papae obnoxii tunc dubitare coeperant de titulo, an ideo tyranni erant? Minime.

2. Non ſtatim eſſe tyrannos, qui aliquid iniuſte agunt, quin qui multa agunt crudeliter. Omne enim magnum imperium, inquit Tacitus, habet aliquid ex iniquo, quod publica vtilitate penſatur. Sic e g. Ludouicum XIIII. regem Franciae nemo

ignorat, Veneri plus iuſto indulſiſſe, ſubditos reformatae religioni addictos adflixiſſe, ſaepe foedera et pacem abripuiſſe, cet. Omnia haec iniuſta: nec tamen ideo ſtatim tyrannus fuit. Exemplo Tarquinii Superbi egregie id illuſtrat BVDDEVS in *Specimine Iuris prudentiae hiſtoricae §. 35. ſequ.*

3. Nec eos eſſe tyrannos ſtatim, qui bello et aperta vi iura ſua vindicant a ſubditis. Iam ſupra enim diximus, hanc non eſſe ſpeciem belli, ſed exſequutionis. Exſequutio autem et ſine hoſtili animo in rem publicam fieri poteſt. Ergo quum Carolus I. rex Angliae a Miltono tyrannus ideo dicitur, quod bello adgreſſus ſit ſubditos, male ratiocinatur, ſi ſupponamus, ſubditos ipſi omnia iura extorſiſſe per iniuriam, quae vi rex infeliciſſimus recuperabat.

4. Illos eſſe tyrannos, qui vel nullo plane titulo imperium inuadunt, et in eo numquam a populo confirmati ſunt, vel hoſtilem animum aduerſus populum vel rem publicam aperte oſtendunt. Addo, *a populo non confirmati ſunt.* Sic e. g. verum quidem eſt, Turcas imperium Conſtantinopolitanum ſine titulo adgreſſos, ſed tamen poſtquam ſemel populus in eorum imperium conſenſit, non amplius habetur tyrannus, ſed legitimus imperans. Et hinc merito dubitatur, an tamquam tyrannus fuerit Caeſar occiſus. Tamquam tyrannus inuaſerat rem publicam. Sed poſtquam ſemel ſenatus populuſque Romanus ei dictaturam perpetuam lege lata detulerat, tyrannus non amplius erat, ſed iuſtus imperans.

Hoſtilis autem animus aduerſus populum adparet ex eo, 1. ſi imperans omnes promiſcue occidat, in omnes ſaeuiat ſine diſcrimine, v. g. Nero et Domitianus, 2. ſi bellum illis inferat nulla iniuria prouocatus, e. g. rex Hiſpaniarum Belgis.

Si itaque certum eſt, aliquem eſſe tyrannum: certum quoque, eum poſſe bello peti. Tyrannus enim eſt hoſtis rei publicae. Aduerſus hoſtem autem hoſti in infinitum omnia licita ſunt.

Eleganter ergo MARIANA *de rege et regis inſtitut. lib. I. cap. 6. pag. 57. facti quaeſtio in controuerſia eſt: quis merito tyrannus habeatur: iuris in aperto eſt, fas eſſe, tyrannum perimere.*

§. 12.

Quinta exceptio eſt in eo, qui regnum commiſit. Quid ſit clau-

clauſula commiſſoria, ſupra declarauimus. Talis vero in imperiis duplex occurrit:

1. Vbi capitulatio vel pacta conuenta ineuntur inter regem et ſubditos, inprimis ordines, additurque, ſi eas leges non ſeruet imperans, tunc eum ipſo iure imperii exſortem fore. Exemplum eſt in Germania a Caroli V. temporibus, et in Polonia.

2. Vbi regnum vel principatus feudali nexu alteri obſtringuntur. Tunc enim regno priuatur ob feloniam, qui delictum feudale commiſit, et tunc ſubditi magis obſtricti ſunt domino directo, quam eius vaſallo. Sic e. g. Leopoldus imp. ob feloniam in bannum imperii declarabat duces Sabaudiae et Mantuanum: Ioſephus electores Bauariae et Coloniae. An iniuſte egiſſent ſubditi, ſi eos bello fuiſſent perſequuti? Minime.

§. 13.

Sexta exceptio eſt nullius momenti. Dicit Grotius, licitum eſſe bellum in imperantes, ſi partem imperii habeat princeps, partem populus, et imperans in partem populi inuolet.

Sed hic ſtatus rei publicae plane eſſet monſtroſus: eſſet enim res publica in re publica. Imperans et populus poſſunt regalia communiter exercere, non inter ſe diuidere. Poteſt imperans quaedam regalia ſolus habere, quaedam communicare cum populo: ſed numquam poteſt populus quaedam ſolus habere, ad quae rex non concurrat.

An autem tunc quoque bello locus eſt, ſi princeps ſibi ſoli vindicet, quae communia ſunt? Et tunc reſpondetur omnino, modo vere id agat princeps, et modo non ſubditi ſibi arrogent iura, quae illis minime competunt. Sic nemo dubitat, ſi imperator omnia principum et ſtatuum iura vellet ſupprimere, et abſolutum adfectare imperium, bello fore locum, quale etiam aduerſus Ferdinandum II. imp. per triginta annos geſtum nouimus.

§. 14.

Septima exceptio eſt eo caſu, ſi populus ſibi ius reſiſtendi certo caſu expreſſe reſeruarit, et rex in id conſenſerit.

Quiſque enim poteſt iuri ſuo renunciare, in ſui fauorem introducto. Exempla habet Thvanvs *lib. CXXXI. ad a.* 1604.

et *libro CXXXIII. a.* 1605. de Hungaris, qui ſibi ſtipulati ſunt ius reſiſtendi regi, ſi vel religioni vim inferret, vel praeſidia externa induceret in rempublicam.

§. 15.

num. 1. Redit 1. Grotius ad tyrannos titulo tales, et quaerit,
2. *Quatenus parendum ſit inuaſori alieni imperii?* §. 15.
3. *Quatenus ei reſiſti poſſit?* §. 16-19.

Prima quaeſtio facile expeditur. Omne imperium adquiritur conſenſu. Conſenſus eſt vel vltroneus, vel metu vique extortus. Ergo quamdiu populus nondum conſenſit in inuaſoris imperium, tamdiu hoſtis eſt, et in eum omnia permiſſa ſunt: ſimul ac autem conſenſerunt, ſiue id vltro fecerint, ſiue metu coacti: parendi ipſis gloria relicta eſt. Sic e. g. imperator Ruſſorum inuadebat Liuoniam. Fingamus, ei nullum fuiſſe iuſtum titulum, adeoque illum vere fuiſſe inuaſorem: an poterant Liuones iure illi reſiſtere, et bello opponere bellum? Procul dubio. Si autem quaeras, an poſtea, quum vrbes ſub ſuam redegiſſet poteſtatem, id potuiſſent? Negandum id eſſet. Iam enim conſenſerant in eius imperium.

At vnde is conſenſus praeſumitur? Ex depoſitione armorum et deditione. Dum enim ſe dedunt, dum arma animumque hoſtilem ponunt, procul dubio conſentiunt in eius imperium.

num. 2. Nec admittenda exceptio Grotii, quod parendum non ſit in iis, quae ad firmandum inuaſoris imperium pertineant. Qui enim conſentiunt in imperium inuaſoris, procul dubio etiam ad id firmandum obſtricti ſunt. Hinc ſi Liuones Ruſſis negaſſent tributa, quia iis imperator abuſurus ſit aduerſus Suecos, veros dominos, et ad firmandum in Liuonia imperium: omnino ſtolide egiſſent.

At alia quaeſtio eſt, an parere teneantur ſubditi, ſi inuaſor eorum opera vti velit aduerſus verum dominum, id enim nec tenentur facere, nec ſalua conſcientia poſſunt, quia quidem inuaſor imperans noſter eſt, reſpectu exterorum, ſed non reſpectu veri domini, cui ſemper ſaluum eſt ius recuperandi prouinciam, quamdiu ei in pacis conditionibus non renunciarit.

§. 16.

§. 16.

Sequitur iam altera quaeſtio, *an inuaſori liceat reſiſtere, eum deiicere, immo occidere?*

Reſpondet Grotius, licere, et quidem variis caſibus. Generalis vero regula eſt: *quoties huius modi inuaſor nondum eſt princeps, ſed hoſtis, toties in illum omnia licent.* Inde itaque colligimus:

I. Id licere, ſi bello iniuſto quis nos adgrediatur, et nulla pactio inter illum et nos ſequuta ſit, et quidem neque tacita, neque expreſſa. Nam tunc non eſt princeps, ſed *hoſtis*. In hoſtem nihil non licet.

Dico autem perinde eſſe, ſiue tacite pacti ſimus cum inuaſore, ſiue expreſſe. Nam tacitus conſenſus etiam verus conſenſus eſt, quod non videtur agnouiſſe Grotius. Dum enim tolero alterius imperium, dum arma pono, dum, vt in me iure belli abſtineat, volo, eo ipſo tacite cum eo paciſcor, adeoque ipſum agnoſco principem eouſque, donec verus et legitimus imperans imperium iuſtis mediis recuperarit.

Hinc non minus iniuſtum eſſet bellum Graecorum in Turciae imperatorem, quam veſperae Siculae, quibus Galli perfide trucidati ſunt. Illi tacite, hi expreſſe imperium inuaſorum agnouerant.

§. 17.

II. Si lex exſtat, vt cuiuis fas ſit occidere tyrannum. Tales autem leges exſtabant in Graeciae ciuitatibus fere omnibus, nec non Romae lex Valeria. Et hinc defendi ſolet caedes Iulii Caeſaris, quamuis a priuatis perpetrata.

Sed haec regula non vſquequaque vera eſt. Nam 1. diſtinguendum inter inuaſores, qui ipſi ciues ſunt, et extraneos. Illos ſolos huius modi lex obſtringit, et quum contra hanc legem inuadant rem publicam, non poſſunt de facta ſibi iniuria conqueri, ſi occidantur. At extraneos haec lex non obſtringit; adeoque ſi is inuaſit rem publicam, et libertatem ſuſtulit: non valebit aduerſus eum lex a libero adhuc populo lata. Hinc abſurdum fuiſſet, ſi quilibet Thebanus putaſſet ſibi licere occidere Alexandrum M. poſtquam ſemel eorum princeps fuerat factus.

2. Etiam quod ad ciues attinet, diſtinguendum, vtrum pactio ſequuta ſit cum populo, nec ne. Si prius, legem illam veterem noua lege ſuſtulit populus: ſin poſterius, tunc locum habet Grotii regula. Ergo iure occiſus eſt C. Caſſius, qui inuaſerat rem publicam, non iure occiſus eſt Iulius Caeſar, quem ipſe populus lege lata dictatorem perpetuum conſtituerat.

§. 18.

Tertius caſus eſt, ſi accedat iuſſus veri imperantis. Hinc ſaepe ſolent veri imperantes promittere praemium ei, qui inuaſorem viuum mortuumue obtulerit.

Sed denuo diſtinguendum, 1. an adhuc poſſideat imperium, princeps legitimus, an inuaſor iam vniuerſum regnum teneat. Sic iure poterat imperator praemium huius modi promittere ei, qui Ragotzium viuum mortuumue ſibi obtuliſſet, at id non poterat Auguſtus, rex Poloniae, quum regno deiectus Staniſlaus ope Suecorum imperaret. Ratio diuerſitatis eſt, quia, vti iam diximus, inuaſori parere eouſque tenemur, quoad imperans legitimis mediis recuperaſſet rem publicam. Quamdiu nondum recuperauit, eius ius in ſuſpenſo eſt. Ergo nihil nobis poteſt praecipere.

2. Denuo diſtinguendum, an pacta interceſſerint, nec ne. Pactum enim ex inuaſore ratione paciſcentium facit principem, quamuis legitimum imperantem haec pacta non obſtringant, tamquam res inter alios acta.

§. 19.

num. 1. Subiungit Grotius monitum. Extra hos caſus non licere priuato deiicere aut occidere inuaſorem. Idque probat

1. Inde, quia non conſtet de voluntate ſummi imperantis, qui mauult fortaſſis tolerari inuaſorem, quam rem in extremum periculum adduci. Hinc laudant Romani ſcriptores Mutii Scaeuolae factum, qui in Porſennae caſtra profectus regem infeſto ictu petens, eius adminiſtrum primarium occidit. Sed addit Liuius, eum rem prius ad ſenatum detuliſſe, et eo probante in caſtra profectum. Extra iuſſum principis vel populi legitime imperantis non licebit priuato in ſummum diſcrimen adducere rem publicam.

2. Quia

2. Quia libertas quidem iucunda, ſed ſaepe remedium ſer- *num. 2, 3.*
uitutis ipſo morbo grauius. Nam 1. aliquando non poteſt po-
pulus libertatem ferre, vti Romae tempore Caeſaris et Augu-
ſti: 2. ſemper inuaſor occidendus habet, qui ipſi faueant. Hinc
ex huius modi caede naſcitur bellum ciuile, ex hoc noua ty-
rannis priore multo grauior, ceu exemplum Iulii Caeſaris occi-
ſi docuit.

Quum itaque priuati non ſit de graui hac quaeſtione decernere, nec ei licebit occidere inuaſorem, ſine iuſſu totius populi.

Obiiciunt aliqui factum Ehudis, qui hoc modo occidit Eglo- *num. 4.*
nem, Phyliſtaeorum regem; *Iudic.* III. 15. et facinus Iehu, qui
domum Ahabi ita deſtruxit, et principatu deiecit. Sed reſp.

1. Exempla non probare, ſed illuſtrare: non oſtendere, quid fieri debeat, ſed quid factum.

2. Vtrumque tyrannicidam ipſo Dei iuſſu dextram aduerſus tyrannos armaſſe: Dei autem iudicio ſupremo nemo iniuſtitiae dicam ſcripſerit. Condemnauerat illos Deus ad mortem, exſequutionem demandare poterat, cuicumque vellet.

§. 20.

Denique grauiter monet Grotius, non eſſe priuatorum de controuerſiis huius modi et factis principum iudicare. Et recte quidem. Nam

1. Illis deeſt iudicium et prudentia ſufficiens ea de re iudicandi.
2. Plebs ſummis imperantibus ſemper iniqua eſt.
3. Chriſtus ipſe noluit priuatis permittere iudicium de imperio Auguſtorum, dum dixit: *date Caeſari* cet.

CAPVT V.

QVI BELLVM LICITE GERANT.

§. 1.

Vltimo hoc capite quaenam quaeſtio tractetur, paucis explicandum. Cauſſa efficiens belli duplex eſt, principalis, et

minus

minus principalis. Principales ſunt ſummi imperantes vel res publicae, quorum auſpiciis bellum geritur. Minus principales ſunt duces, milites. Hinc tres naſci poſſunt quaeſtiones:

1. *An ſummi imperantes vel res publicae, et qui quaeue inter ſe bellum iure gerant?*
2. *An ſummi imperantes et res publicae etiam pro aliis bellum gerere poſſint?*
3. *An ſubditi poſſint et teneantur milites agere pro ſuperioribus ſuis.*

Prima quaeſtio hactenus explicata, de reliquis agitur hoc capite, et de ſecunda quidem §. 2. de tertia §. 3. 4.

§. 2.

num. 1. Quod ergo ad bella pro aliis gerenda attinet: nemo dubitauit ea iuſta eſſe. Nam

1. Ipſa humana natura nos obligat, vt miſeris ſuccurramus. Si priuati iure reprehenduntur, qui id non faciunt: quidni et imperantes et res publicae?

2. Vicinorum clades ſemper fere cum noſtro periculo coniuncta eſt. Vicino oppreſſo, tanto facilius et nos opprimimur. Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.

num. 2. 3. Poteſt et vinculum nos obſtringere ad arma pro aliis capienda. Sed quale? Grotius ſufficere, ait, naturae humanae communionem. Sed id vinculum paullo laxius. Sunt multo maiora, veluti

1. Foedus, ex quo tenemur alterius cauſſam ſuſcipere.
2. Fideiuſſio de ſeruanda pace, quae vocatur *la garantie.* Tunc enim fideiuſſor (*le garant*) tenetur armis tueri eum, cui contra pacem fit iniuria.
3. Cognatio, adfinitas.
4. Spes ſuccedendi.
5. Religionis ſocietas, eiuſque periculum.

§. 3.

Sequitur vltima quaeſtio, *an et qui ſubditi poſſint et teneantur militare ſuperiori?* Adfirmat Grotius, idque

1. Inde

1. Inde probat, quia ſubditi ſint inſtrumenta ſummi imperantis, non externa, ſed interna. Sed hoc argumentum dilutum eſt. Nos addimus alterum.

2. Quia rei publicae eſſentia conſiſtit in vnione voluntatum et virium. Si vires vnitae, poterit imperans et ſubditis vti ad militiam.

§. 4.

Sed quaeritur, *an nemo excipiatur?* Diſt. inter militiam lectam et mercenariam. Illa neminem excipit, niſi priuilegio munitum: haec omnes, qui ſumtus rei publicae ſuppeditare poſſunt ad conducendum militem.

* * * * * * * * * *

LIBER II.

CAPVT I.

DE BELLI CAVSSIS, ET PRIMVM DE DEFENSIONE SVI, ET RERVM.

DIximus ſub finem prooemii, tres eſſe Grotiani operis partes, quas vulgo hoc verſiculo ſoleant complecti:

Quid bellum? belli cauſſae; quae iuraque belli?

Quum itaque hactenus primo libro actum ſit de bello in genere: iam libro II. cauſſae belli prolixe explicantur.

Caput primum conſtat tribus partibus. In prima oſtenditur, *quid ſit cauſſa belli?* §. 1. in ſecunda, *quot et quaenam ſint?* §. 2. in tertia prima belli cauſſa tractatur, nempe *defenſio vitae et rerum ſuarum.* §. 3. *ad finem.*

§. 1.

Si itaque quaeritur, *quaenam ſint cauſſae belli*: ante omnia diſtingui merentur, quae vulgo confunduntur. Nam *num.*

1. Alii ſunt praetextus, aliae ſunt cauſſae belli. Praetextus, vel, vt Latinius loquamur, cauſſae, quas obtendere falſo ſo-

lent belligerantes, ſunt illae, quae quum mouiſſe imperantes dicantur, eos tamen non mouerunt. Sic e. g. Ferdinandus Catholicus occupabat partem regni Nauarrae Hiſpanicam ſub praetextu excommunicationis papalis, quum vera cauſſa eſſet habendi cupiditas. Romani delebant Carthaginem ſub obtentu, quod foedus violarit, quum vera cauſſa eſſet, quod exſtare nollent vrbem, a qua aliquando fuerant tot cladibus adfecti. Cauſſae autem belli ſunt, quae vere mouerunt.

2. Et hae denuo vel politicae ſunt, vel occaſionales, vel iuſtificae. Mere *politicae*, quae merae vtilitatis contemplatione mouent, e. g. bello adgrediendus vicinus, quia iam debilis eſt. *Occaſionales*, quae proxime occaſionem dant, vt ad manus veniatur, vnde et *principia belli* dicuntur. Tale belli principium erat ceruus apud VIRGILIVM *Aeneid. lib. VII. v.* 485. cuius occaſione ad manus veniebant Aeneas et Turnus. Ita et caeſi ad Delium templum milites principium belli fuere Romanorum aduerſus Antiochum. LIV. *lib. XXXV. cap.* 51. Cauſſae denique *iuſtificae* ſunt, quae ex regulis iuſti fluunt, et efficiunt, vt ſalua fide et conſcientia bellum geri poſſit. Et de his iam agendum.

His cauſſis iuſtificis opus eſſe, ſi bellum debeat iuſtum dici, facile probatur. Nam

num. 2. 1. Rerum moralium iuſtitia et iniuſtitia ex fine et cauſſa impulſiua aeſtimatur. Iuſta eſt lis, quae ſui recuperandi retinendique: iniuſta, quae alterius vexandi cauſſa ſuſcipitur. Ita et iuſtum bellum, quod ex iuſta cauſſa; iniuſtum, quod ex mera ambitione et auaritia ſuſcipitur.

num. 3. 2. A minore ad maius inferri poteſt. Si iniuſtum eſt priuatim vim adhibere ſine iuſta cauſſa, idque qui facit, latro merito adpellatur: multo magis, qui totam gentem ſine iuſta cauſſa variis cladibus adficit. Immo tanto magis latro eſt, quo plus innocentis ſanguinis ſine ratione fundit. Notetur elegans iudicium Scytharum de Alexandro M. apud CVRT. *lib. VII. cap.* 8. *§.* 19. *at tu, qui te gloriaris ad latrones perſequendos venire, omnium gentium, quas adiſti, Latro es.* LVCANVS *lib. X. v.* 21. Caeſarem vocat *terrarum felicem praedonem.*

num. 4. 3. A fine bellorum idem probatur. Bellum idem eſt in ſtatu naturali, quod in ciuili ſunt iudicia. Quemadmodum itaque locum non habent iudicia ſine iniuria, ita nec bella ſine iniuria a principe vel gente illata.

§. 2.

§. 2

Iam porro quaeritur, *quaenam illae ſint cauſſae iuſtificae*, *ob quas bellum pie et iuſte geritur?* num. 1. 2.

Grotius ita procedit, vt comparet inter ſe iudicia ciuilia et bella, et ſupponat regulam: *ex quibus cauſſis ciues inter ſe iuſte litigant, ob easdem principes et gentes inter ſe iuſte bella gerunt.*

Iam omnes lites iuſtae naſcuntur ob *iniuriam ſiue nondum factam*, ſed quam metuimus, vti cautio de damno infecto, interdicta vti poſſidetis, ne vis fiat, cet. ſiue ob *iam factam*, vnde dantur actiones reales, rei vindicatio, confeſſoria, cet. et perſonales ex contractibus veris et quaſi contractibus; vel denique *de poenis* ob delictum ſiue publicum, ſiue priuatum: quo pertinent omnes actiones poenales et perſequutiones criminales.

Ita et tres ſunt belli cauſſae. Ob iniuriam enim imminentem licita eſt *defenſio*; ob iam illatam, *recuperatio* rerum noſtrarum; ob factum quodcumque grauius vel iniuſtum *poena* ſeu vltio.

Ita Grotio tres ſunt belli cauſſae iuſtificae, *defenſio*, *recuperatio rerum*, et *punitio*: idque deinde ſuo more illuſtrat teſtimoniis veterum, veluti Diodori, Liuii, Ariſtotelis, Curtii.

Sed hic Grotium merito caſtigarunt Boeclerus, Io. a Felde, et Caſp. Zieglerus. Nam poena concipi nequit ſine ſuperiore, qui ius poenam exigendi habet. Quum vero principes et gentes inter ſe non ſint ſuperiores et inferiores, merito argumentamur: num. 3.

Qui ſunt pares, ii ſe inuicem punire nequeunt,
Principes et gentes inter ſe ſunt pares,
Ergo principes et gentes ſe inuicem punire nequeunt.

Hinc merito haec tertia cauſſa omittitur: et omne bellum aut geritur propter defenſionem, aut propter reparationem rerum noſtrarum, non propter punitionem. Conf. Bvddei *Diſſ. de expeditionibus cruciatis*, §. 7. *ſeqq.* vbi quaerit, an iuſta fuerint bella Chriſtianorum cum barbaris, quia hi fuerint infideles?

Interim Grotius hunc ordinem hoc libro obſeruat. Nam

1. *de defenſione ſui* agit, *cap.* 1 - 9.
2. *de reparatione rerum noſtrarum*, *cap.* 10-19.
3. *de punitione cap.* 20. 21.

§. 3.

Prima cauſſa eſt DEFENSIO ſui ſuarumque rerum. Ea vero denuo eſt triplex. Nam aut defendimus

1. *vitam*, §. 3-5.
2. *integritatem membrorum*, §. 6.
3. *pudicitiam*, §. 7.
4. *res noſtras*, §. 11. *ſeqq.*

De ſingulis iam ſeorſim.

1. Recte defendit, ob periculum vitae imminens, et quod aliter euitari non poteſt, bellum et priuatum et publicum recte geri. Priuatum, quoties ſuſcipimus moderamen inculpatae tutelae: publicum, quoties hoſtis nobis extrema intentat. Immo, hic non intereſt, ſiue is qui me adgreditur, id bona fide faciat, e. g. furioſus, errans, ſiue mala. Nam

1. Nullum ius nos obligat, vt magis amemus alios, quam nos ipſos. *Dilige proximum tuum, ſicut te ipſum.* Non itaque parcere alii cogor cum meo interitu.

2. Ex eo fundamento porro ſequitur. Quia defendere cogor proximum, ſi incidat in periculum, multo magis me ipſum. Vera enim dilectio incipit a ſe ipſo.

3. Quum ergo fundamentum defenſionis meae non ſit alterius peccatum, ſed obligatio illa et impetus naturalis me defendendi: hinc facile patet, me meae defenſionis cauſſa occidere poſſe, qui mihi intentat necem, quamuis id ſine dolo faciat. Hinc variae decidendae quaeſtiones:

a) *An in bello occidere poſſim militem hoſti bona fide militantem?*

b) *An, qui me adgreditur ex errore, quum putet me alium eſſe?*

c) *An furioſum, inſanum, noctiuagum vel lunaticum?* Omnes hae quaeſtiones adfirmandae, quia, ut diximus, id ius non habet pro fundamento peccatum alterius, ſed obligationem meam vitam defendendi.

§. 4.

Ex eodem fundamento definiendae quaeſtiones:

num. 1. d) *An et innocentes plane, qui mihi reſiſtunt, poſſim obtruncare, ſi mihi aliter conſulere nequeam?* e. g. ſi infans vel claudus impediat me fugientem, dum viam occupauit. Reſp. alii

affir-

affirmando, vt cardinalis Hosivs *lib. I. qu.* 33. Petrvs Navarrvs *lib. III. cap.* 3. *n.* 147. Caietanvs *lib. II. cap.* 2. *art.* 6. 7. *qu.* 2. At Grotius id putat repugnare dilectioni, adeoque regulis Euangelicis.

Sed 1. quod iuſtum eſt ex iure naturae, id non poteſt iniuſtum fieri euangelio, quamuis forte Euangelium maiorem ſanctitatem requirat.

2. Nullum eſt teſtimonium S. S. quod hoc caſu me iubeat parcere infanti, vel claudo, et me potius perire.

3. Euangelium non aliam requirit dilectionem proximi, quam vt eum diligamus ſicut nos ipſos. Si autem ei parcimus, vt pereamus: magis diligimus proximum, quam nos ipſos.

Hinc rectius alii dicunt, hoc quoque caſu quamuis eſſe honeſtam rationem expediendae ſalutis, quamuis recta ratio ſuadeat, 1. vt periculum faciamus, an ſaltu poſſimus tranſmittere infantem, 2. an claudum ſine interitu poſſimus proſternere, 3. vt ſi ei damnum dederimus, id reſarciamus pro virili.

§. 5.

Dum autem defenſionem vitae etiam violentam concedimus, aliter id intelligendum in quaeſtione de bello priuato, aliter in altera de bello publico. *num.*

In bello publico ſufficit quoduis periculum imminens, modo certe immineat, et non mera ſuſpicio periculi ſit. E. g. ſi vicinus non ſolum bellum manifeſto parat, ſed etiam variis in rebus hoſtilem aduerſus nos animum oſtendat, nullum eſt dubium, quin praeoccupare illum liceat. Sic quum domus Brunſuicenſis exercitum compararet maximum nummis Gallicanis, et nemini exitium minaretur, quam domui Hanoueranae, cui ob electoratum ſuccenſebat: haec vna nocte omnes inuaſit terras Brunſuicenſes, et militum nondum contractorum partem maximam captiuam abduxit.

At in bello priuato periculum adeſſe debet praeſentiſſimum, adeo vt moderamen inculpatae tutelae non ſit,

1. Si quis ob imminens periculum, vel ob minas alterum occidat.

2. Si periculo iam propulſato adgreſſorem occidere audeam.

Rationem Grotius arceſſit a natura metus, qui ſaepe falle-

re ſoleat, vt nobis periculum imminere fingamus, quale nullum imminet: ſed haec ratio non ſufficit, nam et in bello publico locum habet, nec quiſquam poteſt ſalua conſcientia bello adgredi alterum, niſi metus ſit iuſtus. Ergo ex hac ratione explicari non poteſt hoc diſcrimen, cur in bello publico liceat ob metum iuſtum defenſionem ſuſcipere, in priuato non liceat.

Vera itaque ratio eſt, quod in ſtatu ciuili periculum imminens poſſit propulſari, implorato auxilio magiſtratus, qui poteſt iubere cautionem praeſtari de non offendendo, id autem fieri nequit in ſtatu naturali. Ergo hic primum ictum excipere non teneor.

num. 2. Ergo facile patet, quid ſentiendum ſit de quaeſtione *num.* 2. propoſita, *an, ſi coniuraſſe, inſidiari, venenum parare alterum videam, eum iure interficiam?* Ex theologis moraliſtis, vti ſe vocant, hoc concedit BANNEZ in *Quaeſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. ex ICtis BALDVS: ſed Grotius merito negat. Nam non video, quomodo hic magiſtratus auxilium implorari, ab eoque nobis auxilium praeſtari nequeat. Quamdiu autem id nobis praeſto eſt, nullum nobis ius eſt defenſionis in ſtatu ciuili.

§. 6.

Secundo etiam defenſio membrorum nonnunquam neceſſaria eſt, maximeque ea cauſſa locum habet in bello priuato, ſeu moderamine inculpatae tutelae. Quaeritur, *an ea iuſta ſit, ita vt occidere poſſim eum, qui me manu, oculo mutilare, vel mihi vulnus dolorificum infligere intentat?*

Reſp. affirmandum id eſſe. Nam 1. non teneor alterum plus amare, quam me.

2. Ea intentio ſaepe dubia eſt, nec ictus ita ad menſuram dari poſſunt, vt certus eſſe poſſim, ſolam manum peti.

3. Integritas corporis ſaepe non minoris nobis eſt, quam ipſa vita: immo facilius aliquando vitam, quam oculos manuſque nobis eripi pateremur.

4. Incertus eſt vulneris euentus, quum et ex minimo vulnere mors ſequi poſſit.

§. 7.

An vero idem licet pro pudicitia? Adfirmant plerique, et in his GROTIVS, PVFENDORFFIVS, *lib. II. cap.* 5. §. 11. et ipſe

PLATO

Plato *de legib. lib. VIIII.* Hadrianvs in *l.* 1. §. 4. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* Hebraei apud Selden. *de iur. nat. et gent. sec. diſcipl. Hebraeor. lib. IIII. cap.* 3.

1. Quia Deus ipſe vitam et pudicitiam pari pretio aeſtimet.

2. Quia virgini pudicitia pro dote ſit.

3. Quia magiſtratus ſtupratorem violentum poſſit capitis damnare, adeoque et priuato, vt id faciat, permittere.

Sed diſſentiunt tamen alii, et in his Thomas. in *Iuris prud. diuin. lib. II. cap.* 2. §. 114. Bvddevs in *Theol. moral. part. II. cap.* 3. *ſect.* 3. §. 20. quin ex veteribus Avgvstin. *de liber. arbitr. lib. I. cap.* 5. Rationes ſunt:

1. Si per pudicitiam intelligatur virtus moralis, eam eripi non poſſe: cuius vero amittendi non eſt periculum, eius nec defendendi ius eſt.

2. Sin per pudicitiam intelligatur integritas corporis phyſica: ea in ſe non ita violatur a ſtupratore, vt non magiſtratus auxilio ſatisfactionem impetrare poſſit.

3. Sic ex parte virginis duo concurrere mala, vnum minus et phyſicum, vt hanc iniuriam corpore excipiat, alterum maius et morale, vt ſtupratorem occidat: ex duobus autem malis, quorum alterum phyſicum, alterum morale, vel vtrumque phyſicum eſt, ſemper eligendum eſſe minus.

Nos virginem hanc in foro puniri haud poſſe dicimus: ſed an conſcientiae ſuae ſatis conſulat hoc defenſionis genere, non definiam. Tutius ſaltim fuerit, clamore, reluctatione, minis ſe defendere quouis modo, quam his non ſufficientibus ad arma ſe conuertere.

§. 8.

Sequitur iam noua quaeſtio, *an liceat defenſionem omittere, adeoque iuri ſuo renunciare?*

Negant hoc alii, qui hanc legem putant eſſe praeceptiuam: *defende te.* Alii, qui eam permiſſiuam volunt, adfirmant, quum quisque iuri in ſui fauorem introducto poſſit renunciare. Alii denique diſtinguunt inter perſonas, quas viuere interſit, et quorum vita non adeo vtilis ſit rei publicae. Illas ſe defendere teneri putant, has laudabilius agere, ſi ſe non defendant, quamuis, ſi velint, id poſſint.

Nobis omnino haec lex non ſolum permiſſiua, ſed praeceptiua

tiua videtur, adeoque hic non valet regula: quiſque poteſt iuri in fauorem ſui introducto renunciare. Nam ea locum non habet, niſi in rebus noſtris. Vita non noſtra eſt, ſed dei. Praeterea nititur obligatio defenſionis regula et lege diuina: *dilige proximum, ſicut te ipſum.* Vti ergo proximum defendere non ſola permiſſio, ſed verum praeceptum eſt: ita et ſe ipſum defendere.

§. 9.

num. 2. 3. Iam regulae huic quaeſtiones nonnullae adduntur. Et quidem 1. defenſionem violentam ceſſare in priuato contra principem ſuum, de quo late Grotius tota hac paragrapho: ſed quum iam ſuperiore libro, *cap.* 4. de hac re ex profeſſo actum ſit, non opus plura iam addi.

§. 10.

Secunda exceptio eſt, ſi iniuria intentata ſit momenti paullo minoris. Vnde variae quaeſtiones. Nam

1. Quaeritur, *an ob intentatam alapam liceat ad defenſionem violentam proruere, et intentantem occidere?* Grotius diuidit inter ius ſtrictum et aequitatem euangelicam. Illo iure, ſeu expletrice iuſtitia duce, putat licere, ex ea ratione, quod dum alter me iniuria adficere parat, is mihi eo ipſo det ius in infinitum aduerſus ſe: at ex euangelica lege id minime concedi, quia Chriſtus potius vult nos iniuriam iſtam tolerare.

Sed ego nec ex lege euangelica, nec ex iure naturae ſtricto procedere arbitror defenſionem, vſque ad deſtructionem alterius.

Nam alapa conſideratur aut tamquam iniuria, aut tamquam dolorem efficiens actus. Si prius, nullum hic eſt periculum, ne per magiſtratum ſatisfactionem accipere non poſſimus: ſin poſterius, non eſt dolor iſte tam intolerabilis, vt dignus ſit, vt ad eum euitandum alterum deſtruere conemur.

num. 2. 2. *An accepta alapa liceat alterum occidere ad recuperandum honorem*, vt aiunt?

Adfirmant id theologi, Nauarrus, Henriquez, Deſoto, aliique; ſed Grotius recte negat. Nam

a) Vera exiſtimatio eſt opinio aliorum hominum de noſtra virtute. Ea non amittitur alapa innocenter accepta, ſed vitiis,

vt

vt facinoribus aduerſus rectam rationem admiſſis.

b) In bello priuato ius defenſionis non durat diutius, quam dum praeſens eſt periculum. Eo defuncti reliqua committenda magiſtratui.

c) Si amiſſa eſſet exiſtimatio, illa non recuperaretur vindicta priuata, quae eſt actus illicitus, ſed auxilio magiſtratus, et poena ab illo inflicta.

3. *An, ſi fuga poſſim declinare periculum, nihilominus poſſim violenta alterius caede mihi ſecuritatem parare?* num. 5.

Negat Grotius, ex ea ratione, quod fuga in ſe nihil ignominiae habeat, niſi forte in milite ad moriendum potius; quam fugiendum obligato.

Sed diſtinguendum potius inter fugam et perfugium. Ad hoc obſtricti ſumus, quia ſic ſecuritati noſtrae conſulitur: ad illam minime.

a) Quia fugiens tergum praebet aduerſario.

b) Quia ſi caderet, actum eſſet cum fugiente.

c) Quia ſi adgreſſor illum adſequeretur, difficile foret, ad defenſionem ſe de nouo componere.

§. 11.

Vltima ſpecies eſt, quae pro tuendis rebus noſtris ſuſcipitur. Vbi auctor diſquirit,
1. *an ea conueniat iuri naturae?* §. 11.
2. *an legibus V. T.?* §. 12.
3. *an doctrinis N. T.?* §. 13.
4. *an iuri ciuili?* §. 14.

I. Quod ad primam quaeſtionem attinet, illam adfirmat Grotius, fateturque, non aduerſari hanc defenſionem iuri naturae. Nam 1. res, bona, opes pertinent ad vitam ſuſtentandam, et ſaepe occidere videtur, qui bona et res nobis ſubtrahit. 2. Plerumque fures et raptores non tantum furandi, ſed et occidendi animo irruunt. 3. Fuga ſibi conſulunt ordinarie, et res leuiſſimo pretio diſtrahunt, adeoque vix ſpes eſt, vel perſonam adſequendi, vel res noſtras recuperandi. Quum itaque hic ceſſet magiſtratus auxilium: quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem.

Sed tamen ex his ipſis rationibus patet, regulam hanc admittere exceptiones, nimirum

1. Si res ſit nullius momenti, quam raptor petit.

2. Si vel ſpes ſit recuperandi, e. g. ſi raptor ſit notus et locuples, vel magiſtratus aliorumue hominum auxilio periculum propulſare poſſim, v. g. ſi interdiu rapere conetur in vrbe celebri et populoſa, vbi facile ſit aduocare vicinos. Defenſio enim inter priuatos ceſſat, niſi adſit extremum periculum.

§. 12.

num. 1. II. Quaeritur, *quid leges V. T. ea de re ſanxerint?* Lex Moſaica diſtinguit inter furem et raptorem diurnum, et nocturnum, illum occidere vetat, hunc permittit. *Exod. XXII.* 2.

Ea lex tam aequa viſa eſt, vt apud pleraſque gentes reperias ſimilem, e. g. apud Athenienſes, vid. DEMOSTH. in *Timocr.* apud Romanos, vbi in XII. tabb. cautum fuerat, vt furem nocturnum occidere liceret, non item diurnum, niſi telo ſe defendat. CIC. *orat. pro domo cap.* 41.

Iam quaeritur, *quaenam ſit huius diſtinctionis ratio?* Alii rationem hanc allegant, quod noctu diſcerni non poſſit fur et ſicarius: ſicarium autem occidi poſſe nemo negat.

Alii dicunt, rationem eſſe, quod res noctu ſurreptae difficilius recuperari poſſint, quia fur ſit nobis ignotus.

num. 2. 3. Sed vera ratio longe alia eſt, nempe quod demonſtrauimus, defenſionis priuatae longe aliam eſſe rationem, quam belli publici. In hoc ius mihi eſt me defendendi, ſimulac periculum iuſte metuo, et id ius durat tamdiu, donec impetrauerim ſecuritatem. At defenſio priuata incipit, ſimulac periculum eſt praeſentiſſimum, nec diutius durat, quam illud periculum durat; quia alias ope magiſtratus vti poſſum. Iam in furto diurno plerumque non eſt periculum praeſentiſſimum, niſi in locis ſolitariis: in nocturno autem omnino. Ergo fures nocturnos occidere licet, diurnos non item, niſi telo ſe defendant.

Hinc non admittenda praeſumtio, quam vrget Grotius. Dicit praeſumi, furem nocturnum cum telo adfuiſſe: hinc ſi contrarium probari poſſit, ceſſare praeſumtionem. Nam id potius ad furtum diurnum pertinet. Noctu haec vix diſcerni poſſunt, quum fuerim in iuſto metu.

Illuſtrat id Grotius exemplo legis de occidendo ſtupratore. Nam Moſes id permittit in agro, non item in vrbe, vbi clamore poſſit periculum auertere.

Sed pudicitiae aliam rationem eſſe, iam ſupra oſtendimus; et

et haec ipſa lex eodem principio poteſt explicari, quod in vrbe populoſa periculum non ſit praeſentiſſimum, in agro aliiſque locis ſolitariis omnino praeſentiſſimum eſſe ſoleat.

§. 13.

III. Pergit Grotius ad doctrinas Noui Teſtamenti; et pu- *num.* 1.
tat, eam defenſionem rerum ſuarum violentam non eſſe iis permiſſam, idque probat dictis Chriſti notiſſimis, *ſi quis pallium eripiat, tu ei tunicam quoque concede*, *Matth. V.* 40. item Paulli, qui Chriſtianis turpe putat de rebus huius mundi litigare. Quanto minus iuſtum erit occidere, ad res ſuas ſeruandas? Sed

1. Chriſtus non eſt nouus legiſlator.
2. Conſilia haec non obligant, niſi quibuſdam caſibus, nempe tempore perſequutionis.
3. Paullus non dixit, nefas eſſe Chriſtianis, litigare coram iudice, ſed coram iudice ethnico, vnde ſcandalum naſci poſſit. Hinc ſuadet, vt inter ſe arbitros eligant, qui iudicent inter fratrem et fratrem.

Hinc nec eſt, quod theologos reprehendat, qui id ius de- *num.* 2.
fendendi defendunt. In hoc vno tamen reprehenſionem merentur moraliſtae illi pontificii, Soto et Leſſius, quod et furem diurnum, et qui telo ſe non defendat, occidi poſſe exiſtimant. Id enim vel ideo abſurdum, quod regula generalis etiam in defenſione vitae obtinet, defenſionem iuſtam eſſe, non niſi eo caſu, ſi praeſentiſſimum adſit periculum. An plus liceret pro rebus tuendis, quam pro vita?

§. 14.

IIII. Denique progreditur Auctor ad ius ciuile, et quaerit, *an illud huius modi caedem pro rerum ſuarum defenſione permittere poſſit?* Id negat

1. Quia lex non habeat ius necis in ciues, niſi ex delicto graui, quod mortem mereatur.
2. Quia probabilis ſit Scoti ſententia, neminem poſſe ad mortem damnari, niſi ob delictum, cui lex Moſaica poenam capitalem propoſuerit. Furtum autem ex lege Moſaica non puniri morte.
3. Lex nemini irrogat poenam, niſi cauſſa cognita.

4. Lex impunitatem promittere, ius facere non poteſt.

Sed in his omnibus egregie fallitur. Nam reſpondeo

1. Ad primum: legiſlatorem gaudere iure vitae et necis, ſi grauiora delicta ingruant. Grauiora autem habentur, quae et frequentius perpetrantur, et ſecuritatem rei publicae turbant. Tale eſt furtum et rapina.

2. Ad ſecundum: falſum eſſe, quod ea tantum delicta capitalia ſint, quae capitalia voluerit eſſe lex Moſaica; leges enim forenſes attemperandae ſtatui rei publicae. Iam Iſraeliticae rei publicae quidem conſentaneae fuerunt leges Moſaicae: at non ideo ſtatim conueniunt noſtrae, vbi furta ſunt multo frequentiora.

3. Lex nemini irrogat poenam, niſi cauſſa cognita: ſed hic poena non eſt, ſed defenſio.

4. Lex non poteſt ius facere, ſed impunitatem dare. Reſp. concedendo, ſi lex quidquam introducit contra ius naturae. Sed defenſionem hanc licitam eſſe iure naturae, ipſe Grotius faſſus eſt §. 11.

§. 15.

Hinc quaeſtionem mouet de *duellis, an ea icita*? Idque negat, exceptis duobus caſibus:

1. Si inuaſor me adducat in huius modi diſcrimen.

2. Si magiſtratus duos mortem meritos committat: quod frequenter in theatris faciebant Romani. Sed quum prius non ſit duellum, ſed defenſio vel moderamen inculpatae tutelae, poſterius actio ſtolida, et crudelis: rectius dixeris, duella numquam licita.

1. Quia defenſio priuatis nulla, vbi non praeſentiſſimum periculum. Prouocatus vero poſſet implorare auxilium magiſtratus.

2. Quia hoc modo inuaditur officium magiſtratus.

3. Quia iſte modus decidendi controuerſias eſt abſurdus; quum et innocens perire, et iniuſtus vincere queat.

§. 16.

Haec de bello priuato. Iam quaeritur, *an ea et ad bella publica pertineant*? Reſp. et haec ob defenſionem rei publicae

iuſte

iuſte geri: ſed tamen non vnum eſſe inter bella publica et priuata diſcrimen. Nam 1. priuati defenſio incipit, ſimulac periculum eſt praeſentiſſimum. Contra publicum bellum ſuſcipitur etiam ob metum iuſtum periculi futuri. 2. Defenſio priuati ceſſat, ceſſante periculo: ius belli non ceſſat propulſato periculo; hoſti enim in hoſtem in infinitum omnia licent, donec mihi ſatis fecerit.

§. 17.

Quaeritur autem, *an ob ſolam vicini potentiam liceat bellum gerere?*

Negat Grotius merito. Bellum enim nullum eſt ſine iniuria. At qui ſuo iure vſus ſit potentior, nemini facit iniuriam. Vnde merito haec doctrina Hobbeſii reiicienda. Sed diſtinguendum tamen inter potentiam iuſte et iniuſte adquiſitam. Priore enim caſu ceſſat cauſſa belli: poſteriore omnino licet illud gerere. Hinc quum rex Franciae Hiſpaniam nepoti ſuo multis artibus vindicaſſet, domo Auſtriaca excluſa: iuſta arma capiebant Britanni, Luſitani, Belgae, quorum intererat, potentiam Gallicanam hac acceſſione non fieri intolerabilem.

§. 18.

Denique quaeritur, *an et eorum, qui bellum promeriti ſunt; num. 1. 2. ſola defenſio ſit cauſſa belli iuſtifica?*

Reſp. negando. Qui enim defendit, is propulſat iniuriam. Non autem patitur iniuriam, qui ipſe intulit.

Ergo qui laeſit, bello petitus iniuſte ſe defendit, quum potius teneatur ad ſatisfactionem praeſtandam.

Id tamen obſeruandum, poſſe ex bello iniuſto fieri iuſtum, ſi laedens ſe offerat ad ſatis factionem aequam, laeſus autem illam reſpuat. Tunc bona cauſſa a laeſo tranſit ad laedentem. Exemplis id illuſtrat Grotius, quibus merito accenſeas vltimum bellum Suecicum. Sueci erant laeſi: ſed oblata a Ruſſis et Polonis ſatis factione, eaque reiecta, iuſta cauſſa tranſibat ad laedentes.

CAPVT II.

DE HIS, QVAE HOMINIBVS COMMVNITER COMPETVNT.

§. 1.

Demonſtrauit hactenus auctor cauſſam bellorum iuſtificam eſſe *defenſionem*. Ea autem defenſio ſaepe ſuſcipitur non pro vita et membris, ſed pro rebus noſtris. Noſtrae vero res non ſunt natura, quia ſummus creator omnia initio humano generi dedit tamquam communia. Ergo quaeritur, *cur* et *quomodo res quaedam noſtrae dicantur*? Et hanc doctrinam prolixiſſime tractat auctor capitibus inſequentibus. Quum autem res quaedam noſtrae ſint communiter cum aliis, quaedam nobis propriae, de illis agitur capite hoc ſecundo, de his ſequentibus.

Communes res ſunt denuo duplici ſenſu, priuatiue et poſitiue. *Priuatiue*, quae in nullius dominio ſunt, ſed omnium vſui patent, vt aër, lux, aqua profluens: *poſitiue*, quae ſunt in dominio plurium. Sic e. g. oppidum Trefurtum in Germania commune eſt Moguntino, Saxoni, et Haſſo.

Et haec diuiſio paullo adcuratior eſt altera Grotiana in res communes, quae in dominio *nec ſint*, *nec eſſe poſſint*, et illas, *quae non ſint quidem, ſed queant tamen eſſe*. Nullae enim ſunt res, quae non ſaltim ex parte poſſint fieri propriae, id eſt, ita occupari ab altero, vt reliqui ab earum vſu excludantur, ceu exemplo ipſius aëris intra aedes, mariſque patet. Nihilominus hunc ordinem ſeruat auctor, vt conſideret

1. *Res, quae propriae fieri nequeant*, §. 2. 3.
2. *Res, quae propriae fiant per occupationem*, §. 4. *ad fin.*

§. 2.

Vt rerum prioris generis natura perſpiciatur, primo inquirit, *vnde ius proprietatis? quomodo res propriae factae ſint?* et *cur quaedam manſerint communes*.

I. Ius

I. Ius proprietatis Grotius recte deriuat a conceſſione diuina, vt homines rebus creatis ad ſuam conſeruationem vti poſſint. Nam ſi, quod mihi conceſſum eſt, occupo, procul dubio ſio dominus. Conceſſiſſe autem Deum humano generi res omnes, patet num. 1.

a) Ex S. S. *Geneſ. I. 29. 30.* et *Geneſ. VIIII. 2.* vbi prior locus de conceſſione poſt creationem; poſterior de conceſſione poſt diluuium agit. Errant vero, qui putant, iſtis locis Deum hominibus conceſſiſſe dominium rerum: minime, ſed ius dominium introducendi. Res enim non conceſſit vni, ſed omnibus, non diuiſim, ſed communiter.

b) Ex recta ratione. Deus nobis dedit, vt ſimus, ergo et voluit, vt conſeruemur. Conſeruationem dum vult, vult et media eiuſdem. Media conſeruationis noſtrae ſunt res, ſine quibus ne per momentum quidem viuere poſſemus. Ergo Deus nobis conceſſit vſum rerum. Si vſum rerum dedit, conceſſit etiam ius res occupandi, et iis tamquam noſtris vtendi. Q. E. D. Hinc et gentiles, quibus SS. ignota eſt, eam veritatem agnouerunt, veluti IVSTINVS *Hiſtor. lib. XXXXIII. cap.* 1.

II. Quum autem res nobis Deus omnes conceſſerit communiter, porro quaeritur, *cur in prima illa communione homines non perſtiterint?* Grotius ea de re diſſerit prolixe, ſed ita, vt multa ex theologia ſua immiſceat. Nos iis fluctibus nos haud committemus, ſed rem ipſam proponemus. nu. 2. 3. 4.

1. Prima ratio eſt aucta hominum multitudo. Quamdiu hominum numerus intra paucos ſtetit, ſuffecere res eorum vſibus, quin omnia erant inexhauſti vſus, adeoque nullo opus erat dominio. At poſtquam ita auctum eſt genus humanum, vt omnes terras, inſulas, prouincias, quin et loca parum fertilia occuparet: non potuit non fieri, vt non ſufficerent res omnibus, nec potuiſſent ſufficere, ſi ſingulis liber earum vſus fuiſſet conceſſus. Demonſtrat id exemplum aquae in vrbibus obſeſſis: quamdiu ea ſufficit promiſcue omnibus, non eſt in dominio, ſed communis; ſimulac vero vel ob copioſum praeſidium, vel ob hoſtium cuniculos metuitur, ne deficiat, ſtatim vſus iſte promiſcuus ceſſat. Ita ſe res in aliis rebus habuit.

2. Altera cauſſa fuit voluptas, quae homines impulit, vt a ſimplicitate primaeua ad lautiorem vitam deſciſcerent. Sic homines primaeui nudi incedebant, poſtea pellibus non ad ſplendorem,

dorem, ſed ad expellendum frigus, velandamque nuditatem veſtiebantur, demum auro, argento, gemmis fulgere dulce putabant. Primis mortalibus antrum vel tentorium pro tecto, terra pro cubili erat: poſteri aedibus et palatiis ſplendidis habitare, et lectulis incubare malebant. Nulla olim ſupellex, poſtea ne copioſa quidem ſufficiebat, niſi et materiae pretium accederet. Primi homines cibo parabili et ſponte nato; poſteri exquiſito, et varie condito veſcebantur. Huic vitae ſane non ſufficiebant res, ſi omnium promiſcue vſibus patuiſſent. Ergo a communione primaeua videbatur diſcedendum. Acceſſit

3. Auaritia. Dum enim ſemel homines res tamquam ſuas vindicare coeperant: res accepere pretium. Ergo impotens iſta habendi cupido facile ſtimulabat homines, vt plura occuparent, quam neceſſitas exigeret. Hinc factum, vt quum ita reliquis deeſſet, vnde viuerent, omnia perquiſiuerunt, vt et ipſi aliquid haberent. Inde et ſiluae, riui, flumina occupari coeperant. Inde et in terrae viſcera penetratum, vt metalla extraherent. Denique ſequutum

4. Generoſum vitium, vti eleganter vocat Grotius, ambitio, quae concordiam, ac deinde omnem communionem rupit, maxime quum lites de limitibus, et hinc bella accederent.

Hae ſunt verae cauſſae, cur a communione primaeua diſceſſum. Omnes a Grotio allatae ex vitiis hominum ſunt, ex quibus ſane non potuit naſci iuſtus titulus occupantibus. At nos primam cauſſam dicimus primariam, ex qua iuſtus titulus natus eſt occupantibus. Vitia autem illa in cauſſa fuerunt, vt abuterentur homines eo iure occupandi, et res non aequaliter partirentur, ſed vnus altero plus occuparet.

num. 5. III. Quaeritur, *quomodo res factae fuerint propriae?* Nempe 1, per occupationem. *Occupatio* autem eſt rei nullius adprehenſio cum animo vel conſilio eam mihi habendi. Quia enim Deus omnium vſibus conceſſerat res creatas; prono alueo inde fluebat axioma, *quae nullius ſunt, cedunt occupanti.*

Ex ea autem occupationis definitione fluit, occupationem fieri non ſolum *animo*, ſed et *corporali adprehenſione.* Sine hac enim alter neſcit, rem eſſe exemtam communione, inquit Grotius. Sed ea non eſt vera ratio. Nam quid ſi alter verbis id declaret, vel aliis ſignis? E. g. ego cum Titio in littore maris ambulo. Iſte me praecedit, ego tamen prius video gem-

mam

mam a mari eiectam, animus mihi eſt, eam occupandi, clamo, me illam habere velle, ſed Titius nihil verborum faciens illam ſibi adprehendit et vindicat. An ideo mea eſt, quia habui animum occupandi, et Titius iam ſciuit, me eum animum habere? Ratio itaque alia eſt, nempe quia velle occupare, non eſt occupare. Quum itaque ſola occupatio rem faciat meam: non ſane ſufficit, me animum declaraſſe, ſed opus eſt vera occupatione, id eſt adprehenſione corporali.

2. Per diuiſionem quoque res communes fiunt propriae, ceu exemplo Palaeſtinae ab Iſraelitis communiter occupatae, et poſtea inter tribus per ſortem diuiſae luculenter patet.

§. 3.

His praemiſſis auctor ad ea tranſit, quae in dominium et proprietatem hominum ire poſſe negat, eoque refert mare, aërem, et ſyrtes.

I. Prima quaeſtio, *an mare ſit in dominio?* multa ingenia *num.* 1.
eximia exercuit, veluti Grotium, cuius ſingularis ea de re tractatus poſt hunc librum reperiri ſolet, SELDENVM, cuius *Mare clauſum* exſtat, GRASWINKELIVM, ISAAC. PONTANVM, VLR. HVBERVM, et BYNKERSHOEKIVM, qui Grotii cauſſam egerunt, et IO. BAPT. BVRGVM, qui dominium maris Liguſtici defendit. Taceo, qui in tractatibus iuris publici et gentium ea de re egerunt, vt PVFENDORFFIVM, THOMASIVM, ZIEGLERVM in aureo tractatu *de iuribus maieſtatis*, et alios.

Sed vti Grotius, et multi alii eam tractant quaeſtionem, eam facile adfirmabimus. Si quis enim quaerit, an mare poſſit eſſe in proprietate et dominio, id cum Grotio negamus:

1. Quia tanta eius magnitudo, vt occupari nequeat.

2. Quia ſit inexhauſti vſus, omnibuſque ſufficiat. Ex quibus fundamentis, etiam altera quaeſtio:

II. *An mare ſit in dominio?* facile deciditur. Sed quod ad mare attinet, probe tenendum, quaeſtionem 1. proprie non eſſe de dominio maris, quamuis ita loqui ſoleant ſcriptores: ſed de imperio, an non et iura quaedam maieſtatis in mari exerceri queant, v. gr. ius vectigalia petendi, ius impediendi nauigantes qui hoſtibus res neceſſarias aduehunt, ius ſibi vindicandi

obuentiones extraordinarias, v. gr. vniones, gemmas, cet. 2. Nec proprie de oceano quaeri, cuius tanta eſt magnitudo, vt occupari nequeat, ſed de partibus maris terrae propinquis.

num. 2. 3. De ſyrtibus, an ſint in dominio, non facile naſcetur quaeſtio. Sed ſi quis quaerat, an eſſe poſſint? neſcio qui id negare velit Grotius, quum ex ipſius mente ſint res nullius, et cedere poſſint occupanti. Immo re vera occupatae ſunt inſulae deſertae et incultae, veluti inſula S. Helenae.

§. 4.

Sequitur altera pars de rebus communibus, quae non ſunt in dominio, ſed eſſe poſſunt per occupationem. Eo refert Grotius loca inculta, inſulas in mari puta incultas, piſces, feras, aues; quippe quae occupando demum tranſeunt in proprietatem. Sed quum tamen experientia doceat, haec maximam partem pro rebus communibus non haberi, nec ius ea occupandi promiſcue omnibus concedi: quaeritur, *qui factum ſit, vt hae res non pateant vſibus ſingulorum, quum ſua natura ſint communes?*

Et hic ſequitur praeſtantiſſima doctrina de modo occupandi, quam ſoli Grotio debemus.

Nimirum occupatio duplex eſt, *per vniuerſitatem*, et *per fundos.* Prior eſt, quando vniuerſus populus occupat terrae tractum communiter, eumque deinde inter ſe diuidit. Exemplum praebet S. S. de Iſraelitis, terram Canaan occupantibus. Poſterior eſt, quando quiſque paterfamilias ſibi rem vel locum capit, ſuiſque aſſignat vſibus. Talem occupationem videmus apud populos Nomades, e. g. Arabes, Tartaros, vbi homines cum familiis et pecoribus e loco in locum migrant, et reperto loco irriguo vel gramine, ibi ſibi conſtituunt domicilium.

Iam ſi per vniuerſitatem totus tractus occupatur, tunc valet regula: *cuius eſt totum, eius quoque ſunt omnia, quae hoc toto continentur*, vt flumina, piſces, ferae, metalla. Nihil ergo in his eſt nullius, ſed omnia ad populum occupantem pertinent.

Sin per fundos: ea quae nondum occupata ſunt, manent in communione negatiua, id eſt, ſunt nullius, hinc cuiuis cedunt occupanti.

Iam facile patet, cur in noſtris regionibus, vbi populus

non per modum gentium Nomadum occupauit prouincias, ſed per vniuerſitatem, hae res non omnium vſibus pateant? Quia enim omnia ſunt populi: hinc nemo poteſt ea vindicare, niſi cui id populus conceſſit. Et quia haec commode inter ſingulos diuidi nequeunt: hinc alibi populus ea reliquit principi, tamquam domania, alibi nobilibus, vt habeant, quo virtuti bellicae per venationem praeludant, alibi priuatis, ſed non niſi dato canone annuo locatur.

§. 5.

Iam ergo facile liquet, *quid hodie liceat in feras, aues, piſces?* Reſp. etiamnum valet regula: *quae nullius ſunt, cedunt occupanti.* Sed ante omnia in ſingulis prouinciis diſpiciendum, an vere ſint res nullius. Nam, vt dixi, plerumque ſunt in proprietate vel principis, vel nobilium vel priuatorum vſu. Aliena vero occupare, eſt furtum committere.

Sed quaeritur, *an iuſte egerint populi, dum haec priuatorum vſibus exemerunt?* Et id adfirmare non dubito:

1. Quia hae res commode non admittunt diuiſionem, et hinc ſaepe ad manus res eſſet ventura, ſi plures idem adpeterent.

2. Quia non ſunt inexhauſti vſus, et hinc intereſt rei publicae, ne iis promiſcue omnes abutantur.

3. Quia ſic futurum eſſet, ut ciues otio et voluptatibus magis indulgerent, quam rerum ſuarum ſatagerent.

Hinc nec dubitandum, quin et exteri in prouincias noſtras venientes his legibus obſtringantur, et nec iure naturae, nec iure Romano ſe tueri poſſint. Qui enim in prouincia eſt, fit ſubditus temporarius, ſubditus autem legibus parere tenetur.

§. 6.

Sequitur momentoſa quaeſtio: *an, introducta proprietate re-* *num. II.*
rum olim communium, ita ſublata ſit omnis communio, vt nec in caſu neceſſitatis ius aliquod in res alienas ſuperſit? Et recte reſpondet Grotius, omnino duplicem admittere exceptionem. Nam I. extremam neceſſitatem eſſe excipiendam, in qua communio veluti reuiuiſcit, et II. officia innoxiae vtilitatis, de quibus infra §. 11. Rationes videbimus.

1. Id probatur ex fine primorum adquirentium, et occupationem illam permittentium. Eos ſane aut aequitatis rationem habuiſſe oportet, aut non habuiſſe. Si habuerunt, noluerunt ſane, vt ipſi omnia haberent, alii fame perirent: ſi non habuerunt, iniuſte poſſidere coeperunt, nec facti ſunt domini. Vtroque caſu iis, qui neceſſitate premuntur, ius aliquod erit in res alienas.

2. Occupatio facta eſt non auctoritate publica, ſed priuata. Iam ſi ipſae leges, quae auctoritate publica feruntur, admittunt exceptionem neceſſitatis, vti ſupra demonſtrauimus: quanto magis proprietas iſta priuatorum?

3. Omnes leges humanae admittunt exceptionem neceſſitatis. Ergo et dominium, lege, non diuina, ſed humana, introductum, ſi vel maxime dicas, occupationem factam auctoritate publica.

num. 3. Ergo in caſu extremae neceſſitatis reuiuiſcit communio primaeua, idque iam exemplo illuſtrat auctor. Huc pertinet; 1. quod in naue deficientibus cibis ſinguli, quod habent, in commune referre tenentur: quod tamen ita intelligendum, modo ne domini eſurire teneantur, id eſt, ſi tanta ſit quantitas cibariorum, vt probabile ſit, ea omnibus ſuffectura, donec in portum adueniamus.

2. Ita et vicini aedes incendii arcendi cauſſa diruere poſſum, ſi aliter arceri nequit.

3. Ita diſcindit nauta funes nauis alienae, in quos ſua nauis impulſa eſt.

Sed quamuis id et rationi, et experientiae ſit conſentaneum: non temere tamen ea omnia permittentur, niſi fiat reſtitutio damni ex neceſſitate dati. Sic cibariorum meorum cum aliis communicatorum pretium mihi ſoluendum, is, cuius aedes nondum flammis correptae dirutae ſunt, a vicinitate reſtitutionem exigit, actione vtili ex lege Rhodia de iactu, cet.

num. 4. 4. Ea vero grauiſſima quaeſtio eſt, *an liceat in caſu extremae neceſſitatis alii, mihi neceſſaria deneganti, aliquid ſurripere?*

Negat id Alberti in *comp. iur. nat. orthod. conformat. part. II. cap. 2. §. 20. 24.* 1. quia rem alienam auferre inuito domino ſit furari, furtum vero omne prohibitum; 2. quia ex duobus malis, quorum alterum phyſicum, vt fames, alterum morale;

rale, vt furtum, ſemper eligendum ſit minus, quale ſit phyſicum.

Sed haec nihili. Contrarium demonſtramus inde,

1. Quia iam oſtenſum in caſu neceſſitatis reuiuiſcere communionem.

2. Quia ſi in caſu neceſſitatis ipſam vitam alteri defenſionis meae cauſſa eripere poſſum, immo et conſeruationis meae cauſſa, quidni et res eius mihi vindicare?

Ad argumenta Alberti reſp. 1. negando eſſe furtum, quia furtum eſt ablatio rei alienae *fraudulosa lucri faciendi cauſſa* facta. Hic autem nec fraus vel dolus adeſt, nec lucri faciendi conſilium. 2. Si ergo non eſt furtum, nec eſt malum morale, ſed mere phyſicum: ex duobus vero phyſicis malis eligendum eſt minus. Et quis negauerit autem, minus phyſice malum eſſe, alteri perire fruſtum panis, quam mihi vitam.

§. 7.

Sed tamen et hic obſeruandum 1. extremam hic ſupponendam neceſſitatem, e. g. famem extremam, quam nemo vel fruſto panis oblato leuare velit: 2. non plus ſibi ſumat, quam opus eſt. conf. PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. lib. II. cap. 6. §. 5.* SELDEN. *de iur. nat. et gent. ſecund. diſciplin. Ebraeor. lib. VI. cap. 7.* et THOMAS. in *Iuris prud. diuin. lib. II. cap. 2.*

§. 8.

3. Ne ei eripiat, qui ipſe indigeat. Nam a) vti nemo tenetur alteri ſuccurrere cum detrimento ſuo, nec dilectio proximi ſuperare debet dilectionem ſui: ita nec communio reuiuiſcere poteſt, ſi ipſe indigeam; b) in dubio ſemper melior eſt conditio poſſidentis.

§. 9.

4. Vt habeat animum reſtituendi: nam ſufficit, rem eſſe alienam; ſi damnum dederis, reſtitue.

Obiici poſſet: qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam, ergo ceſſat obligatio reſtituendi.

Sed reſp. concedo nemini, hunc facere iniuriam. Sed iniuriae correlatum non eſt reſtitutio, verum poena. Ergo recte ſequitur, vt puniri non poſſit, tamquam fur: ſed non ſequitur, vt immunis ſit a reſtitutione damni dati.

§. 10.

Rem egregie illuſtrat Grotius exemplo loci bello occupati. E. g. bellum gerimus cum Gallis. Exercitus per Colonienſem ditionem aduenturus dicitur. Occupamus aliquot loca munita in hac ditione, ne a Gallis occupentur. Hic ſane nos iure noſtro vti nemo negabit: ſed tamen quis dicat, ideo nos haud obſtrictos eſſe ad reſarciendum damnum? Elegans quoque eſt, quod ex XENOPHONTIS *Expedit. Cyri, lib. V. cap.* 1. refert exemplum, de multis mercatorum capiendis ad tranſitum.

§. 11.

Vidimus primam exceptionem proprietatis ſemel introductae, nempe caſum extremae neceſſitatis. Sequitur altera, *officium innoxiae vtilitatis.* Quid hoc eſt? Eſt officium imperfectum, ex regula honeſti natum, quo alteri teneor praeſtare vtilitatem, quam ſine detrimento praeſtare poſſum.

Notanda ergo regula: *quod tibi non nocet, et alteri prodeſt, ad id es obligatus.* E. g. erranti monſtrare viam, pati, vt vicinus lumen de lumine meo accendat.

Haec qui non praeſtat, non quidem iniuſtus eſt, ſed tamen ſumme inhumanus, quia 1. id negat, quod per virtutem debet, et ſine damno poteſt, quum et detrimentum quoddam minus negligere debeamus in vtilitatem proximi. 2. Quia reuera tunc reuiuiſcit primaeua communio, vti alteri res noſtrae prodeſſe poſſunt ſine damno noſtro.

§. 12.

Iam ex hoc principio varios caſus expendit auctor. Et hinc quaerit, 1. *an flumina ſint in communione?* Reſp. Flumen conſideratur aut vt totum, aut quoad ſingulas partes toto illo contentas.

Si quoad totum, flumen eſt in proprietate populi. Nam, vti ſupra demonſtrauimus, quoties per vniuerſitatem adquiritur, toties qui totum occupauit, is et ſingulas totius partes cenſetur occupaſſe. Ergo et flumina.

Sin quoad partes, tunc quaedam eius partes ſunt exhauſti vſus, vt piſces in flumine, aurum, quod flumen vehit, et ſimilia.

ſimilia. Et haec denuo non ſunt communia, ſed populi vel principis, cui populus conceſſit. Alia ſunt inexhauſti vſus, vt aqua profluens; et haec omnino manſit communis, adeo vt is neget officium innoxiae vtilitatis, adeoque inhumaniſſimus ſit, qui aquam hauriri ex flumine non patitur. Hinc illi verſus elegantes OVIDII:

Quis vetet adpoſito lumen de lumine ſumi;
Atque cauum vaſtas in mare ſeruet aquas?

item:

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt.

Enimuero haec regula admittit exceptionem: *ſi nobis res ſit cum hoſtibus.* Quum enim in ſtatu naturali hoſti in hoſtem in infinitum omnia liceant, nec poteſt hoſtis ab hoſte expetere officia innoxiae vtilitatis. Hinc elegans controuerſia cuius fundamentum refert *L.* 2. §. 46. *D. de orig. iur.* Ligarius Caeſaris hoſtis oram Africae tenens infirmum Tuberonem adplicare non permiſerat, nec aquam haurire: quo nomine eum accuſauit Tubero, et Cicero defendit. Profecto ius belli id Ligario permiſit, hoſtem excludere littore, eique aquam prohibere.

§. 13.

Quaeritur II. *an vicinis poſſimus denegare tranſitum per noſtras terras et regiones?*

Tranſitus autem peti poteſt ex pluribus cauſſis, 1. ſi gens expulſa finibus nouas et vacuas ſedes quaerit: 2. ſi gens commercium expetit cum gente ſepoſita: 3. ſi gens cum gente bellum iuſtum gerit, nec poteſt ei nocere, niſi concedatur a nobis tranſitus.

Id quidem negari nemini poſſe ſibi perſuadet Grotius, idque late demonſtrat per omnes numeros §. 13. ſed perperam, vti paullo poſt videbimus.

I. Primum argumentum deſumit ab obligatione praeſtandi officia innoxiae vtilitatis: *quod tibi non nocet, et alteri prodeſt, ad id ſumus obligati.*

Tranſitus vicinorum nobis non nocet; illiſque prodeſt.

Ergo ad eum ſumus obligati.

Minorem inde probat, quod ſupponatur hic tranſitus innoxius, vbi copiae transducantur ſine damno noſtro, vbi cibaria

et

et quaeuis alia iuſto pretio emantur, vbi nemini fiat iniuria.

num. 2. II. Alterum argumentum Grotius ex hiſtoria Moſaica deſumit, Numer. *cap.* 20. *et* 21. Nam quum Idumaei et Amorraei tranſitum innoxium negarent populo Iſraelitico, bello petiti ſunt ab Iſraelitis, et quidem iuſſu Dei. An autem Deus iniuſtum bellum praecipiat?

num. 3. III. Accedit conſenſus gentium, ex quo Grotius ius gentium deriuare ſolet. Hinc allegat reſponſum Clearchi ex Xenophonte, Ageſilai, Lyſandri, Batauorum.

Vbi quum Athenienſium refert tranſitum per fines Corinthiorum, hique illos, ſe inſciis tranſiiſſe conquererentur: quaeſtionem ea occaſione mouet Grotius: *an et inconſulto altero id liceat?* Athenienſes putabant, omnia patere debere plus valentibus. Ageſilaus iocoſe Macedonum legatis reſpondit: *conſultet, nos interea tranſibimus.* At Grotius putat, omnino prius poſtulandum eſſe tranſitum; ſed ſi negetur, vindicari poſſe.

num. 4. Hactenus Grotius ſuam ſententiam propoſuit, iam et obiectiones ſoluit. Obiicitur

1. Metui poſſe multitudinem tranſeuntium. Reſpondet a) metum alterius ius meum non tollere: b) poſſe caueri, vt diuiſis manibus tranſmittantur, vel, vt inermes tranſeant, vt dent obſides.

2. Poſſe hoſtem alio flectere iter, quam dicat. Reſp. a) nec hunc dolum interuertere obligationem tranſitum concedendi. b) Si iniuſtum bellum eum moliri videam, nos poſſe tranſitum negare.

num. 5. Denique ea, quae de tranſitu ipſorum exercituum dixit, extendit etiam ad commercia, et eorum quoque cauſſa liberum tranſitum concedendum putat, etiamſi nobis lucrum decedere videatur. Sed loco argumentorum nihil allegat, praeter loca quaedam ex Philone, Plutarcho, Libanio, Euripide, et Floro, quae illuſtrant non probant.

Hactenus Grotii doctrinam breui ἀναλύσει et bona fide propoſuimus. Iam videbimus, quid in ea deſiderandum ſit. Ponit tres caſus, quibus tranſitum peti poſſe exiſtimat: 1. ſi gens ſedibus ſuis expulſa vacuas ſedes quaerat; 2. ſi commercia expetantur, cum gente ſepoſita, 3. ſi bellum iuſtum cum gente remotiore gerendum.

Primo

Primo caſu diſtinguendum, an pauci exſules et eiecti ad ſedes iam praeparatas tendant, an tota gens ſedes incertas adhuc quaerat. De priore caſu adſentimur Grotio, et hinc non ſine inhumanitate negatus fuiſſet tranſitus Gallis religionis cauſſa eiectis, quum terras Brandenburgicas et Haſſiacas peterent. De poſteriore id negamus, et iure putamus a Romanis profligatos Cimbros, qui nouas ſedes quaeſituri tranſitum petebant.

Alter caſus de commerciis denuo admittit diſtinctionem. Nam ſi vicinus commercia expetit, quae ego vel iam exerceam, vel eadem ſpe lucri exercere poſſim: nulla inhumanitas eſt tranſitum negare. Et puto ipſos Hollandos negaturos Oſtendenſibus tranſitum ad interiora inſulae Ceylon, vt cinamomum emere poſſint. Quiſque ſibi proximus. Si vero vicinus commercia exercere velit, quae mihi nullam adferre poſſunt vtilitatem, tunc tranſitus concedendus. Et hinc iniuria Ruſſi Holſatis negarunt tranſitum ad Perſas, quum vellent ſericum inde Holſatiam adportare, quum tamen ipſi tunc nec nollent nec poſſent inde lucrum ſperare.

Tertius caſus de tranſitu exercitus plane numquam procedere videtur, niſi nobis res ſit cum foederatis, vel vltro illum concedamus ex pacto. Id iam demonſtrabimus. Nam

1. Grotius ſupponit tranſitum eſſe innoxium, quum talis numquam ſit, non modo ob incommoda, quae ſequi ſolent, ſi vel amicus exercitus tranſit, qui omnia iuſto emit pretio, ſed praecipue NB. ob hoſtis, qui petitur, ius nos pro illa humanitate hoſti ſuo praeſtita caſtigandi. Illuſtretur res exemplo imperatoris, qui quum electori Saxoniae tranſitum in Poloniam aduerſus Suecos conceſſiſſet, poſtea a Suecis in Saxoniam irruentibus pro hoſte habitus, et ad tractatus pacis Ranſtadienſis, ſibi parum vtiles, adactus eſt.

2. Exemplum Idumaeorum et Amorrhaeorum nihil ad rem facit. Erant hi Iſraelitarum conſanguinei ab Eſauo et Abraamo orti: non ignorabant, Iſraelitis has terras a Deo eſſe promiſſas, et tamen negabant tranſitum ex mera inuidia et odio erga Deum Iſraëlis: poterant ergo iuſſu Dei bello peti.

3. Reliqua exempla nihil probant, niſi quid factum ſit, non quid fieri debeat. Et ſane ex quam lubrico fundamento hoc ius deriuauerint, vel inde patet, quod Athenienſes nihil pro ſe allegare poſſint, quam quod omnia licere debeant potentioribus.

4. Denique quam nullius vſus ſint cautiones Grotii, res ipſa docet. Nam 1. in primo caſu ſupponit, ſedes quaeri vacuas: vbi autem ſunt ſedes vacuae? 2. In tertio ſupponit, per manus diuiſas tranſire hoſtem, vel inermem tranſire: quis vero bello tertium adgreſſurus id faciat? Annon priores manus et inermes hoſtis prius opprimeret, quam vel poſteriores manipuli vel arma ſequantur? Hinc magis adſentimur doctoribus nouis, qui in concedendo eo tranſitu paullo cautius procedendum exiſtimant, nec eum magis officiis innoxiae vtilitatis accenſent, quam ſeruitutes itineris, actus, viae, in fundis priuatorum.

§. 14.

nu. 1.2.3. Nouam iam quaeſtionem mouet auctor: *an mercibus tranſeuntibus vectigalia imponi poſſint?*

Recte diſtinguit Grotius inter onera perſonalia et realia. Illa ad ſuſtentandam rem publicam pertinent, haec ob ſecuritatem mercibus praeſtandam, reficiendas vias, portas, pontes cet. dantur. Illa non niſi ciuibus; haec et exteris imponuntur.

Rationes iam adduximus. Sed eae non ſunt primariae. Quas reddere oportuit Grotium, quia ipſe tranſitum mercium habuit pro officio innoxiae vtilitatis. Pro talibus officiis nemo ſane praeſtat vectigal. Ait ergo Grotius, id non praeſtari pro tranſitu, ſed in compenſationem ſecuritatis mercibus praeſtitae, refectarum viarum, pontium, cet.

Vera ratio eſt, quia qui merces inferunt et exportant, lucrum captant e re publica noſtra. Ergo nihil aequius eſt, quam vt partem lucri, tamquam ciues temporarii, concedant imperanti.

§. 15.

Rectius officiis innoxiae vtilitatis Grotius accenſet ius morandi in alieno territorio: cuius variae poſſunt eſſe cauſſae. E. g.

num. 1.2. 1. Valetudinis cauſſa: vti facultatem in ora maritima Africae commorandi petebat aegrotans Tubero. *l.* 2. §. 46. *D. de orig. iur.*

2. Diſtrahendarum mercium, vel

3. Reficiendarum nauium cauſſa.

Id inquit Grotius, ſine ſumma inhumanitate adeo vlli negari nequit, vt potius et tuguriolum exſtruere liceat. Quod enim nobis non nocet, et alteri prodeſt, cet.

Sed

Sed denuo diſtinguendum, an iuſta negandi cauſſa ſit, nec ne. Nam ſaepius morandi licentia recte negatur et aegrotis et mercatoribus,

1. Si metus et periculum ſit infectionis,
2. Si merces adducant vetitas,
3. Si vel hoſtes ipſi ſint, vel hoſtibus noſtris commeatum, aliaque neceſſaria aduehant.*

§. 16.

Porro officium humanitatis eſt, aduenis expulſis habitationem concedere. Qui enim habitationem quaerit, is ius ambit ciuitatis, legibus et oneribus ſe ſubiicit, adeoque ſumma inhumanitas eſt, hoſpites eiicere, vel non admittere.

Sed tamen et hic caute procedendum. Nam diſtinguendum, 1. pauci, an multi expetant hoſpitium. Poſteriore caſu res aliquando non caret periculo, maxime ſi aduenarum multitudo numerum indigenarum ſuperet, vel ſi diuerſae religioni addicti, quae non facile ſit ſociabilis.

2. Sedes noſtrae pluribus ſufficiant, nec ne. Sic ſi magna multitudo hominum in Heluetia ſibi ſedes quaereret nouas: vix id concedi poſſet, quum terra montoſa vix incolis alendis ſufficiat.

3. Homines probi ſint, an factioſi, ob ſeditiones domo pulſi. Nam poſteriore caſu et ſimile periculum noſtrae rei publicae imminet, et facile inde bellum conflari poſſet cum vicino, qui hoſtes ſuos recipi conqueretur.

§. 17.

Porro humanitatis officium exiſtimatur, ſolum ſterile concedere aduenis id poſtulantibus. Recte, non quidem ex ratione Grotii, *quod nullius eſt, cedit occupanti*, ſic enim non eſſet officium innoxiae vtilitatis, ſed perfectum, nec dici poteſt ſterile ſolum nullius, ſi territorio noſtro continetur, vt ſupra §. 4. probauimus: ſed vera ratio eſt quaerenda in axiomate: *quod tibi non nocet, alteri prodeſt, cet.*

Poteſt tamen et hic occurrere exceptio, ſi tractus terrae incultae genti pro munitione ſit, quale quid deprehendimus in hiſtoria Sinenſium, qui magnum tractum Tartariae extra murum

Sinenſem ferro et flammis deuaſtarunt, ne per tantam ſolitudinem exercitus poſſit duci.

§. 18.

Vidimus hactenus, quae res ſint communes: ſequitur vt et ad actus quoſdam communes progrediamur.

Sunt vero *actus communes*, qui a nemine impediri poſſunt; eorumque fundamentum eſt conſeruatio vitae humanae. Vnde regula: *ſine quo actu vita humana conſeruari nequit, iſte impediri non poteſt ab vllo.* Ii vel ſunt *ſimpliciter tales*, vel *ex hypotheſi*, ſeu ſuppoſitione. Simpliciter, qui communes ſunt ſemper: ex hypotheſi, qui communes ſunt certis ſuppoſitis circumſtantiis. De illis agitur §. 19. 20. 21. de his §. 22. *ad fin.*

Nihil hoc principio aequius, quippe quod ex ipſa ſocietate fluit. Neque enim homo cum homine viuere poſſet in ſocietate, ſi huiusmodi actus, ſine quibus vita humana ſeruari non poteſt, per conſpirationem impedirentur. E. g. famem expellere non poſſum ſine cibariis. Iam ſi omnes incolae huius loci conſpirarent, ne quiſquam mihi panem venderet: id eſſet ſane iniuſtiſſimum.

§. 19.

Iam Grotius recenſet iſtos actus communes. Talis eſt 1. emtio. Ergo ius omnibus eſt aequo pretio ſibi emere neceſſaria, non ſolum ciuibus, ſed et exteris.

Quaeritur autem, *an ob indigentiam et famem expellere liceat exteros?* Saepe id fecere Romani, eoque pertinent leges Iunii Penni et Papia, de expellendis vrbe peregrinis apud CIC. *de offic. lib. III. cap.* 11. Ita ſuo tempore ob famem peregrinos omnes expulſos adfirmat AMBROS. *de offic. lib. III. cap.* 7.

Diſtinguendum inter peregrinos ſemel admiſſos et nondum receptos. Hos arcere poſſumus: nemo enim tenetur aliis ſuppeditare cibum, vt ipſe eſuriat. At ſemel recepti iam ciues et ſubditi ſunt, et hinc ſine iniuria expelli nequeunt.

§. 20.

An autem ad vendendum ſimiliter quis cogi poteſt? Negat auctor, quia id ex natura dominii fluit, vt, an rem meam mihi ſeruare, an alienare malim, poſſim ſtatuere. Contigit tamen aliquando.

1. Vt

1. Vt quidam prohibeantur vendere, ſi merces videantur inutiles rei publicae. Sic in vniuerſis prouinciis Pruſſiae nemo vendere poteſt gauſape, *den Catun*. Olim apud Belgas vinum vendere nemo poterat, teſte Tacito.

2. Vt quidam vendere cogantur. E. g. in fame, ſi dardanarii magnam frumenti copiam coëmerint, eamque reſeruent, tantum vt pretium fiat immenſum: cogi queunt, vt vendant iuſto pretio.

§. 21.

Communis quoque actus cenſetur connubium: ne gens genti neget matrimonii ſocietatem. Id enim exigere videtur vitae humanae conſeruatio. Hinc nouimus, ſaepe bellum geſtum ob denegatas vxores: ſaepe et raptas eſſe virgines. Raptus Sabinarum notiſſimus eſt. *num.* 1.2.

Sed tamen dubito, an haec res actibus communibus recte accenſeatur. Nam

1. Non vita humana hic periclitatur, ſed tantum ſpes poſteritatis.

2. Nulla ratio eſt, cur quis non ex ſua potius gente vxores petat, quam a vicinis extorqueat. Populus enim virorum videtur rariſſimus, et ipſa hiſtoria Romana ideo a multis vocatur in dubium.

3. Poteſt gens quaedam tam barbara, tamque ſaeuis moribus eſſe, vt moratiores gentes iuſte iis denegent vxores.

4. Poteſt et religionis accedere periculum, ſi vicinae gentes ſint gentiles, Iudaei, Mahumedani.

5. Vix poteſt pro actu communi haberi inter vicinas gentes; quod ne inter ciues quidem pro actu communi habetur. Quis vero dubitet, quin cuiuis ciui filiam eius expetenti repulſam iure dare poſſet.

§. 22. 23.

Vidimus actus ex mente Grotii ſimpliciter communes: ſequuntur qui ex hypotheſi, vel ex ſuppoſitione ſunt communes. Quod enim vni conceditur, id ſine iniuria negari alteri nequit.

Eo Grotius refert 1. iura venandi, piſcandi, ſi alicubi promiſcue conceduntur et extraneis: tunc enim ſi vel vnus prohibeatur, ei fit iniuria.

Sed 1. hic quidem caſus erit rariſſimus: nec enim ſolent hodie

die huiuſmodi iura concedi exteris, nedum vt promiſcue omnibus concedantur.

Deinde 2. diſtinguendum etiam erit Grotio inter perfecte permiſſa, et imperfecte.

Perfecte permittitur, quod leges concedunt, imperfecte, quod leges praetereunt, et nec praecipiunt, nec vetant. Priore caſu vera eſt ſententia Grotii. Omnino enim ſi lex exſtat, vt omnibus exteris promiſcue hic liceat venari, piſcari, vniones colligere: ſine iniuria nemo poteſt prohiberi. At ſi leges tantum rem praetereunt, et hinc hactenus quidam ea iura veluti precario exercuerunt: nihil impedit, quo minus id lege noua mutari, eaque libertas reſtringi poſſit.

§. 24.

Subiungit Grotius quaeſtionem vere Belgicam: *an populus cum populo paciſci poſſit, vt populus certi generis fructus ſibi ſoli vendat*? Notum enim eſt, tale pactum Batauis intercedere cum Indis de cinamomo, et aliis aromatibus.

Negant nonnulli huius modi pactum iuri naturali eſſe conſentaneum, quia 1. monopolium inuehat, et 2. alios iure ſuo excludat.

Sed 1. monopolium non omni iuri naturae repugnat, ſed quod exercetur ita, vt iniuſto pretio res vendatur. Ergo ſi monopolae aequo pretio vendunt, nihil iniuſti huius modi pactum continet.

2. Falſum eſt, alios iure ſuo excludi; poteſt enim quiſque vendere, cui velit. Et ſi cui vendere nolim: is non iure ſuo excluditur, ſed ego meo vtor, adeoque nemini facio iniuriam.

CAPVT III.

DE ADQVISITIONE ORIGINARIA RERVM, VBI DE MARI ET FLVMINIBVS.

Bellum gerimus pro defenſione et recuperatione rerum noſtrarum: noſtrae ſunt res tum communes, de quibus *cap. 8.* actum, tum propriae. Quum autem res propriae fiant per adquiſitio-

ſitionem: de his adquirendi modis agitur *cap. 3. et ſeqq.* vſque ad *caput* 8.

§. 1.

Modi adquirendi vel ſunt *naturales*, vel *ciuiles.* Illi naturali, hi ciuili iure introducti ſunt, e. g. vſucapio.

Naturales a Grotio recte diuiduntur in *originarios* et *deriuatiuos.* Originariis aliquid adquirimus, quod non eſt in dominio, e. g. examen apum in ſylua circumuolans. Deriuatiuis adquirimus, quae iam in dominio ſunt, e. g. ſi aluearium a ruſtico emtum noſtrum fit traditione.

Originarii, vt PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. lib. IIII. cap. 6.* §. 1. docuit, denuo vel ſunt *ſimpliciter tales*, vel *ſecundum quid.*

Simpliciter tales, quibus ipſam rei ſubſtantiam adquiro, e. g. apes; ſecundum quid tales, quibus adquiro incrementum, quod rei ſubſtantiae vel naturae beneficio, vel arte atque induſtria mea adiungitur, e. g. mel.

Originarius modus ſimpliciter talis dicitur *occupatio*: nam olim, quum omnia eſſent in communione negatiua, res nullius adquirebantur vel per *diuiſionem*, vel per *occupationem.* At hodie rebus pleriſque redactis in dominium, vnus modus ſupereſt, occupatio.

Originarius modus ſecundum quid talis, dicitur *acceſſio*: denique deriuatiuus *traditio.*

§. 2. 3.

Hi ergo ſunt modi adquirendi. Addunt aliqui plures modos; veluti 1. *conceſſionem ſeruitutis*, et 2. *ſpecificationem.* Iam notum eſt, *ſeruitutem concedi*, quoties nobis conceditur ius, aliquid faciendi vel prohibendi in praedio vicino, e. g. vt poſſim ire, agere, vehere in fundo alieno, vt poſſim vicinum altius tollentem, lumina mea obſcurantem, cet. impedire et prohibere. *Specificatio* autem eſt, quando nouam formam induco materiae, e. g. ſi ex auro conficio annulum, ex argento poculum, ex lana veſtem. Quaeritur ergo, *an ea ſeruitus et ſpecificatio ſint modi adquirendi?*

Vtrumque recte negat Grotius, quamuis rationes eius ſint paullo obſcuriores. Nimirum

1. Seruitutis conceſſio non eſt modus adquirendi, quia loquimur de modis adquirendi dominium. Seruitus autem non

eſt

eſt dominium. Ergo ſeruitus non eſt modus adquirendi. Dominium enim non eſt in re incorporali, ſed in corporali.

2. In ſpecificatione aut materiae meae induco nouam formam, aut materiae alienae, aut materiae nullius. Primo caſu nihil adquiro, quia res iam mea eſt, et nihil noui producitur, niſi forma, quae mea fit per acceſſionem. Secundo caſu eſt quidem modus adquirendi ciuilis, verum non nouus, ſed denuo acceſſio. Tertio caſu res mea fit per occupationem.

§. 4.

Iam de occupatione. *Occupatio* eſt adprehenſio corporalis, qua noſtras facimus res nullius. *Res nullius* autem ſunt duplices, vel *ſua natura*, quae numquam dominum habuerunt, e. g. lapilli et vniones, a mari eiecti, vel *facto hominum* res pro derelictis habitae, id eſt, eo abiectae animo, vt eas in rebus noſtris amplius habere nolimus.

De vtriſque valet axioma: *quae nullius ſunt, ea cedunt occupanti.*

num. 1. Iam itaque quaeritur: *quaenam occupatione adquiri poſſint?* Et recte reſpondet Grotius: *dominium* et *imperium.*

Dominium eſt ius in re corporali, quod in facultate de ea diſponendi, ea cum excluſione aliorum vtendi, eamdemque vindicandi naſcitur.

Imperium autem eſt complexio iurium omnium maieſtatis, ad defenſionem populi vel vni, vel pluribus, vel toti multitudini conceſſa. Dominium ergo eſt priuatorum in imperio. Imperium eſt ipſius rei publicae, vel qui eam repraeſentant, principis, vel optimatium. Vtrumque poſſe per occupationem adquiri, res ipſa docet. Sic dominium examinis apum adquirit ruſticus occupando: imperium in homines ſui iuris ſibi occupauit Nimrodus occupando.

num. 2. Sed *quodnam eſt imperii obiectum?* Reſp. duplex, primarium et ſecundarium. *Primarium* ſunt homines vel populus, qui in vnam rem publicam coaluit; nam in hunc immediate imperium exercet ſummus imperans: *ſecundarium* territorium, in quo populus iſte conſedit. Nam in hoc imperium exercetur propter homines, qui id occuparunt.

Poſſet aliquis exiſtimare, haec vix differre, ſaltim ſemper coniuncta eſſe, et vno plerumque actu quaeri. Sed reſp.

1. Non

1. Non ſemper eſſe coniuncta, e. g. in deſerto Moſes, vel potius ipſe Deus per Moſen imperium exercebat in populum Iſraeliticum: et tamen is nullum adhuc territorium ſibi adquiſiuerat.

2. Non ſemper in eum, qui partem territorii poſſidet, competit imperium, quum tamen id competat in territorium. Sic e. g. ſi ciuis Groninganus in hac prouincia habet praedium, ſed Groningae habitat: in eius perſonam ordines Friſiae nullum exercent imperium, quum tamen in praedium omne ipſis imperium competat. Sunt ergo diuerſa et ſeparata imperium in homines et imperium in territorium. Q. E. D.

§. 5.

Quaeritur porro, *an lege anteuerti in imperio poſſit ius occupandi res mobiles?* Senſus quaeſtionis hic eſt. Multae ſunt res mobiles ſua natura in nullius conſtitutae dominio, adeoque communes, e. g. ferae beſtiae, aues, piſces cet. Quae ergo nullius ſunt, eas cedere oporteret occupanti, ſed tamen fere vbique leges ciuiles prohibent venationem promiſcuam: vnde quaeſtio eſt, *an lege anteuerti et prohiberi potuerit haec mobilium occupatio?*

Reſpondetur, omnino id potuiſſe iure fieri. Nam

1. In imperio per vniuerſitatem quaeſito nihil eſt nullius, ſed omnia populi. Si populi ſunt, populus potuit earum rerum occupationi et vſui leges praeſcribere.

2. Iuris quidem naturae et gentium eſt, has res eſſe communes, ſed non praeceptiui, verum permiſſiui. Ius naturae autem permiſſiuum legibus ciuilibus reſtringi poſſe iam *libro I.* demonſtrauimus. Hoc facilius intelligetur, quam quae in hac paragrapho diſſerit Grotius.

§. 6.

Sequitur de perſonis adquirentibus: quamuis ea res loco alieno tractetur. Occupatio eſt adprehenſio, ergo fit *corpore*: eadem eſt modus adquirendi dominium, ergo fit *animo* ſibi habendi; adeoque nec ſolo corpore, nec ſolo animo res adquiritur, ſed vtroque ſimul.

Inde vero ſequitur, infantes, furioſos, dementes non poſſe aliquid adquirere vel habere in dominio: quia non habeant animum ſibi adquirendi.

Sed reſp. Grotius: ius Gentium ob vtilitatem communem introduxiſſe, vt et infantes et furioſi dominia accipere et retinere poſſent, perſonam illorum interim quaſi ſuſtinente humano genere. Sed haec philoſophia paullo dilutior. Quis enim dixerit, humanum genus ſuſtinere perſonam infantis vel furioſi?

Alia ergo ratione opus eſt. Adprehenſio fit animo et corpore. Animus eſt conſenſus, is vel verus eſt, vel praeſumtus. Verus requiritur in hominibus ſanis et adultis, praeſumtus ſufficere videtur in furioſis et infantibus. Adprehenſio corporalis fit vel per nos ipſos, vel per alios noſtro mandato. Mandatum denuo vel verum, vel praeſumtum. Si ergo tutor nomine infantis, curator nomine furioſi adprehendit, id facere intelligitur ex mandato praeſumto infantis vel furioſi. Vnde et quaſi contractus eſſe intelligitur inter tutorem et pupillum, curatorem et furioſum.

§. 7.

Iam auctor aliquas *res ſua natura nullius* conſiderat, et quaerit, *an occupatione poſſint adquiri*. Inprimis agit *de fluminibus* §. 7. *de mari* §. 8--13. *de effectu occupati maris et fluminum* §. 14--18.

Flumina auctor concedit, occupari poſſe, et recte. Nam 1. ſunt in territorio, vbi nihil diximus eſſe nullius, ſi quaeſitum ſit territorium per vniuerſitatem.

2. Non ſunt inexhauſti vſus quoad ius vectigalium, piſcandi, aurum hauriendi: quamuis inexhauſti vſus plerumque ſit aqua profluens, quae et ideo communis manere ſolet.

Hinc fruſtra obiiciunt, 1. flumen non includi territorio, ſed plerumque extra territorium porrigi, e. g. Danubius fluit per Germaniam, ſed ea non includitur, nam et per Hungariam tranſit: immo nec hac includitur, ſed per Seruiam Bulgariamque ſe in mare exonerat. Reſp. ſufficit, quod pro parte in territorio eſt, et pro ea parte poteſt occupari. Similitudine res fiet clarior. In Auſtria eſt ſilua, quae per Carinthiam, Carniolam, Croatiam, in ipſas Turcicas prouincias porrigitur: an ideo ſilua non poteſt pro parte illa, quae in ditione imperatoris eſt, occupari? Quis negauerit? Similis eſto de flumine deciſio.

2. Res in flumine non poſſe cuſtodiri, ergo nec occupari, e. g. piſces, qui iam in Germanica parte Danubii agitantur, cras

cras fore in Hungaria, perendie in Turcia; Germanos eos coërcere, et laqueis catenisque conſtringere non poſſe, adeoque nec dicere ſe dominos eorum eſſe. Reſp. res quamdin in flumine ſunt, nondum ſunt occupatae; adeoque de illis non eſt quaeſtio, ſed an non ius ſit Germanis ſolis occupandi piſces in Danubio intra Germaniam? Id quis neget?

§. 8.

Pergit iam auctor ad mare. Et quum ſupra oſtenderit, per occupationem vel dominium adquiri, vel imperium: quaeſtionem mouet;

1. *An maris dominium occupari poſſit?* §. 8—12.
2. *An eiuſdem imperium?* §. 13.

Primam quaeſtionem ita Grotius adfirmat, vt complures addat limitationes. Nam

1. Hac ipſa paragrapho exigit, vt is, qui maris dominium occupat, terras poſſideat ad latus vtrumque, aut ſupra et infra, ſi ſit fretum. Et ſic dubitari non poſſe, ait, quia mare rubrum a Turca: fretum Siculum ab imperatore poſſit occupari.

2. Vt mare ſit tam exiguum, vt cum terris comparatum portio earum vel acceſſorium putari poſſit.

3. Vt idem liceat et duobus populis, ſi vtrinque terras poſſideant, quia ſic par ſit ius vtriuſque. Sic e. g. fretum Danicum commune eſſe deberet Danis et Suecis.

Ergo eo ipſo non contradicit Grotius libello *de mari libero*, quia ibi de mari magno; hic de paruo erat quaeſtio. Sed neſcio, an ei obiici poſſit, maius et minus non variare res. Sane cui emere fas eſt agrum vnum, ei non video cur et mille emere non liceat, ſi lex non obſtat. Et ſi exigua maris pars occupando fit noſtra, quidni et magna? Videbimus ergo infra, quid in hac doctrina Grotii ſit deſiderandum.

§. 9.

Contra hanc doctrinam ipſe obiectionem mouet Grotius ex iure ciuili, quod in legibus in margine allegatis docet mare eſſe iure gentium commune. num. 1.

Sunt equidem, qui commune hoc idem eſſe aiunt, quod publicum, adeoque ICtos exiſtimaſſe putant, mare non eſſe in-

communione totius generis humaui, ſed in dominio populi.

Num. 2. Id quod declarant etiam exemplo littorum, quae itidem communia dicuntur: quum tamen diſerte dicat CELSVS in *l. 3. D. ne quid in loc. publ.* ea eſſe populi Romani. Vnde colligunt, commune ICtis idem eſſe, quod publicum.

Sed reſp. Grotius 1. diſerte ICtos diſtinguere res communes et publicas, et in illis mare, in his flumina recenſere, *§. 1. Inſt. de rer. diuiſ.*

2. Theophilum in *Paraphraſi Graeca Inſtitutionum* diſerte dicere, mare eſſe κοινὸν πάντων ἀνθρώπων, commune non ciuium Romanorum, ſed omnium hominum.

3. ICtos addere, commune eſſe mare, ſicut aërem. Hunc autem non publicum eſſe, ſed vere communem.

4. Littora a Celſo dici publica, non quidem ratione vſus nauigantium, cuius reſpectu ſint communia, ſed intuitu aedificiorum in littoribus conſtituendorum.

Adeoque firmum id ac certum manet, ICtos veteres mare habuiſſe pro re communi. Quid ergo reſpondet Grotius ad hanc obiectionem?

§. 10.

Num. 1. Reſpondet 1. id ex inſtituto, non ex naturali ratione eſſe, id eſt, ex iure ciuili, non ex iure naturae. Sed haec reſponſio non ſatisfacit: vnuſquiſque enim facilius credet communionem maris eſſe ex iure naturae, quam ex iure ciuili, quia natura omnia primum voluit eſſe communia. Ergo altera reſponſio magis quadrat.

2. Dum fatentur ICti, mare eſſe res communes nullius, id eſt, in communione negatiua conſtitutas, concedere etiam debere, id poſſe occupari. Quae enim nullius ſunt, cedunt occupanti. Id quod illuſtrat exemplo fluminis, quod quum publicum ſit, admittat tamen dominium, ſi quis in diuerticulo eius per longiſſimum tempus piſcatus ſit cum aliorum excluſione. *L. 7. D. de diuerſ. temporal. praeſcript.*

3. Paullum ipſum *l. 14. D. de iniur.* concedere, poſſe mare ad alicuius ius proprium pertinere.

Num. 2. 3. Inde argumentatur: ſi ergo mare in priuati poteſt eſſe dominio: quidni et in dominio gentis, quae terras poſſidet vtrimque vel circum circa? Vnde colligit, Romanos ideo mare dixiſſe

xiſſe commune, quod quamuis natura et iure naturali occupatum ſit, tamen iure gentium ea occupatio non concedatur facile, adeo vt ne Romani quidem ea vſi ſint.

§. 11.

Poſtquam itaque conceſſit Grotius, mare exiguum poſſe occupari; iam aliquot limitationes addit, et monet

I. Occupationem non praeſumi, ſed docendam. Ergo non ſufficere, vt quis dicat, ſe terras vtrimque poſſidere, ſed requiri, vt occupatio vel quaſi poſſeſſio doceatur. Et recte, nam occupatio eſt facti: quae facti ſunt, probanda.

II. Si poſſeſſio deſeratur, tunc et ius ex occupatione quaeſitum ceſſare, et mare veluti ad priſtinam libertatem redire. Hinc occupatum intelligi mare, quamdiu e. g. naues bellicae ibi reperiantur, iis autem ſubtractis poſſeſſionem ceſſare. Quam doctrinam nuper ſingulari libello pereruditio demonſtrare conatus eſt vir ill. Cornelivs van Bynkershoek *de dominio maris*. Sed neſcio, an omnes hoc admiſſuri ſint. Notum etiam eſt, poſſeſſionem quidem adquiri animo et corpore ſimul, ſed retineri etiam animo ſolo. Quis dixerit, me adprehenſa poſſeſſionem praedii, illa ſtatim excidere, ſi iter faciam, praediumque vacuum interea relinquam? Hinc Bynkershoekius argumenta ex hoc fundamento refellit Thomas. in *ſcholiis ad Vlr. Huberi libellum de iure ciuitatis*.

§. 12.

III. Monet, quamuis aliquis maris dominium occuparit, tamen nemini negari poſſe tranſitum innoxium, vel nauigationem impediri.

Sed eo ipſo totam ſuam doctrinam, quod portio maris exigua in dominio eſſe poſſit, deſtruit Grotius. Quid enim eſt dominium? Eſt ius in re corporali re ſolitarie vtendi, eiusque vſu alios excludendi, de ea diſponendi, amiſſamque vindicandi. Ex hac definitione argumentor:

Cui nec eſt ius alios rei vſu excludendi, nec diſponendi, nec vindicandi, ei non eſt dominium.

Ei, qui mare occupauit, non eſt ius alios maris vſu exclu-

dendi per §. 12. *nec diſponendi*, per eamdem §. *nec vindicandi*, *quia ceſſante poſſeſſione ſtatim ius amittit* per §. 11. *Ergo. qui mare occupat, non eſt dominus.*

Quum itaque tot contradictionibus ſe inuoluat Grotius: quid de tota re ſentiendum.?

Ego quaeſtionem; *an mare ſit in dominio?* eiuſdem naturae puto, ac illam, an in dominio ſit terra? Terra aeque communis eſt natura, ac mare. Iam videamus, quatenus terra ſit in dominio. I. In terra aliqua ſunt inexhauſti vſus, e. g. gleba, tranſitus innoxius per terram, et ea manent communia omnium. Et hinc nemo temere actionem inſtituet contra eum, qui ex agro ſuo glebas ſuſtulit, vel per agrum non conſitum iuerit. Ita et mare omne commune manet, quatenus eſt vſus inexhauſti. Inexhauſti vero vſus eſt nauigatio, et aquae hauſtus. II. Quemadmodum deinde terra non tota in dominio eſt vnius, nec eſſe poteſt, niſi humanum genus ſublatum velis: ita nec mare poteſt eſſe totum in dominio vnius. Hinc ridicula eſt quaeſtio de dominio Oceani. III. Sicut terrae pars, quatenus eius vſus exhauſtus eſt, potuit per occupationem adquiri: ita et maris pars, quatenus eſt vſus exhauſti. Talis vero eſt piſcatio. Qui ergo in parte maris eam occupauit, is excludere alios poteſt, et, ſi gens integra id fecit, eius idem ius eſt: modo vere piſcatio illa exhauſti vſus ſit. IIII. Vti in terra dominium diſtinctum eſt ab imperio, adeoque vt et res nullius in terris tamen imperio ſubiaceant, e. g. viae publicae, loca deſerta, metalla nondum quaeſita: ita et mare etiam a priuatis non occupatum, admittit imperium, quatenus eſt acceſſorium territorii. V. Vti imperium manet; etiamſi et exteris acceſſum non denegemus, denegare tamen poſſumus, ſi e rep. videatur: ita et imperans per mare nemini temere denegabit nauigationem, ſed denegabit tamen, ſi ſalus rei publicae exigat. VI. Quemadmodum exteri, qui in territorio noſtro ſunt, fiunt ſubditi temporarii: ita qui in mari noſtro nauigant. Hinc nullum eſt dubium, quin puniri a Belgis poſſit, qui in mari hoc auſtrali piraticam exercuit, vel homicidium commiſit, quamuis ſit exterus. Haec doctrina probe cohaeret, et his paucis obſeruatis theſibus tota quaeſtio recte decidetur, quum alias ſit immenſae obſcuritatis, niſi recte formetur ſtatus controuerſiae.

§. 13.

§. 13.

Iam ad imperium maris auctor progreditur: idque concedit *num.* 1. 2. adquiri potuiſſe: probatque

1. A natura occupationis. Vti enim imperium in terrae partem adquiſitum vel per vltroneum, vel vi extortum populi conſenſum: ita et imperium maris, vel per vltroneam ſubmiſſionem, nauigationem, dum vltro imperium agnouerunt; vel per coactionem, dum imperans nauibus armatis omnes imperium ſuum agnoſcere coëgit.

2. Ex conſenſu gentium. Nam et Argiuos, et Spartanos, et Athenienſes, et Tyrios ſibi imperium in partem maris vindicaſſe, ex hiſtoria docet. Qua de re egregia ſunt, quae ex ſcriptoribus antiquis collegit Io. Henr. Boeclervs in *diſſ. Minos, maris dominus.* Immo, quod probe notandum, quum vulgo contendant, Romanos ita mare habuiſſe commune, vt nullum ſibi in illud imperium vindicarint, idque demonſtrare audeant ex *l. ἀξίωσις 9. D. de leg. Rhod. de iact.* ſingulari ac pereruditа diſſertatione eam legem illuſtrauit Iac. Gothofredvs, et ex illa ipſa demonſtrauit contrarium, quod nulla gens ſtrictius exercuerit imperium in mare, quam Romani.

§. 14.

Vidimus, quatenus maria et flumina et in dominio imperioque eſſe poſſint: iam porro de effectibus huius dominii et imperii agit auctor, quorum praecipui ſunt,

1. *Ius imponendi vectigalia*, §. 14.
2. *Ius circa has res, earumque vſum diſponendi.* §. 15-18.

I. Primus effectus eſt *ius imponendi vectigalia*: cuius iuris aequitatem Grotius ſuo more probat 1. ex eo, quod dentur in compenſationem impenſarum in defenſionem nauigantium factarum a re publica: 2. ex moribus et conſenſu gentium. Oſtendit enim, et Romanos, et Byzantinos, et Athenienſes exegiſſe a nauigantibus vectigalia.

De vtraque ratione quid ſentiendum ſit, alibi vidimus. Trium gentium mores non faciunt ius: et, ſi omnes gentes conſenſiſſe doceo, tantum probo, quid factum ſit, non quid fieri debeat. Et ſi defenſio nauigantium eſt fundamentum vectigalium,

lium, cur tempore belli nauigantes ſuis impenſis conducere tenentur naues praeſidiarias, (*convoyers*)? cur et tempore pacis exiguntur vectigalia? cur et iis locis exiguntur, vbi nullum eſt a piratis vel hoſtibus periculum, e. g. in fluminibus mediterraneis?

Dicimus itaque ex eadem ratione, ex qua vectigalia in terris exiguntur, exigi etiam poſſunt in mari ab eo, cui maris imperium eſt. Qui mari noſtro vtuntur, ſunt ſubditi temporarii, et lucrum captant ex vſu rei noſtrae. Ergo aequiſſimum eſt, vt et partem lucri conferant ad vtilitatem rei publicae noſtrae.

§. 15.

II. Pergimus ad alterum effectum, *diſpoſitionem* puta *circa has res, et earum vſum.* Qui enim dominus eſt, quique imperans, ille re ſua vtitur liberrime, eique vſui pro arbitrio leges praeſcribit. Ergo id et fluminum mariumque domini et imperantes faciunt. Quaeritur itaque

I. *An poſſit per foedera caueri, ne quis, niſi certis locis, nec vltra certum terminum nauiget?* Talia foedera paſſim exſtant in hiſtoria Romana, et maxime memorabile eſt, quod cum Carthaginienſibus initum, apud Polybium initio hiſtoriae, quo cautum, vt neutra pars vltra promontorium pulchrum nauigaret. Simile foedus cum Antiocho factum refert LIV. *Hiſtor. lib. XXXVIII. ſub fin.*

num. 2. Videri poſſet, hoc foedus libertati naturali repugnare, quum nauigatio ſit res inexhauſti vſus, et hinc communis merito habeatur. Sed reſp. minime iuri libertatique naturali illud repugnare. Nam quiſque poteſt iuri in fauorem ſui introducto renunciare, adeoque et pactione promittere, ſe vltra certum terminum non nauigaturum.

Nos addimus, et inuitis vicinis imperantem maris poſſe leges de vſu nauigationis praeſcribere, e. g. ne naues armatas mari immittant ſine litteris (*paſſeports*), ne merces aduehant hoſtibus ſub poena confiſcationis cet. Si id inuito altero fieri poteſt, quidni et per foedera et pactiones?

§. 16.

num. 1. 2. 3. II. Quaeritur, *quid iuris ſit, ſi flumen limitaneum alueum et curſum mutet,*

mutet, an et imperii terminus mutetur? E. g. Rhenus iam in ſuperiore parte Germaniae eſt limes inter Germanos et Gallos. Iam ſi curſum mutaret, et non amplius cis Argentoratum flueret, ſed vltra: an ideo Argentoratum accederet Germaniae?

Reſp. auctor; diſtinguendum eſſe inter agros *diuiſos*, *adſignatos*, et *arcifinios*. Quod diſcrimen tale explicant ſcriptores de limitibus, vt IVL. FRONTINVS, AGGENVS VRBICVS, cet.

Diuiſi ſunt, qui habent limites manufactos, e. g. vallum, columnas, cippos, lapides ſignatos.

Aſſignati, qui ad certam menſuram dati, e. g. huic principi in feudum data ſunt decem millia iugerum. Et hi duo vocantur in iure noſtro agri *limitati. L. 16. D. de adquir. rer. domin.*

Arcifinii ſunt, qui nec manufactis terminis incluſi, nec ad certum numerum dati, ſed naturali termino, e. g. ſilua, flumine, finiuntur.

Duobus prioribus caſibus mutante curſum flumine, nihil domino terrae accedit vel decedit: poſtremo omnino decedit. Hinc ſi e. g. ditio Brunſuico-Luneburgenſis ad Albim eſſet limitibus arte factis incluſa, et Albis curſum mutaret et ad orientem per terras Brandenburgicas fluere inciperet, nihil accederet ducatui Luneburgenſi, quia ditiones eſſent limitatae. Aſt ſi Rhenus curſum mutaret occidentem verſus vltra Argentoratum: haec vrbs de iure reſtituenda eſſet Germanis, quia per pacem Badenſem Rhenus conſtitutus eſt limes, et ditiones factae ſunt arcifiniae.

§. 17.

III. Tertia quaeſtio eſt *de aluei mutatione plena*. E. g. ſi quum antea flumen fuerit vnius leucae, iam ſit ſex leucarum, vel, quum antea flueret ſupra ſuperficiem terrae, iam terram per aliquot leucas ſubeat, et alio loco erumpat, quale quid conſtat fieri in Hiſpania in flumine Guadiana? *num.* 8.

His caſibus nihil mutatur circa dominium, ſi fluuius ſit limes, ſed manet medium fluminis terminus vtriuſque ditionis. Id elegante argumento demonſtrat Grotius. Ait enim, ſi flumen plane exaruiſſet: media pars aluei pertineret ad vnum, altera dimidia ad alterum. Ita et ſi flumen fiat latius, vel ſi alia mutatio contingat.

num. 2. Sed quid ſi de eo quaeſtio oriatur, *an ditio ſit arciſinia, an limitata, pro qua parte eſt praeſumtio?* Reſp. pro ea, quae ditionem dicit arciſiniam. Ratio in promtu eſt. Flumen, quod duas diuidit ditiones, limitaneum eſſe, eſt res iuris. Ditionem vel terminis manu factis incluſam, vel ad certam menſuram datam eſſe, eſt quaeſtio facti. Res facti numquam praeſumuntur, ſed probantur. Ergo oſtendendi ſunt termini manufacti, demonſtrandae exhibendaeque ſunt litterae inueſtiturae, (*die Lehen-Briefe*), vel tabulae foederum et pactionum, ex quibus conſtet, agros eſſe limitatos, non arciſinios.

§. 18.

IIII. Quaeritur; *an ſemper flumen ex parte dimidia ad vnam, ex altera ad alteram ditionem pertineat?* Idque recte negat auctor. Saepe enim contingit, vt vnus populus ſibi ante per occupationem flumen adquiſiuerit, quam altera gens littus occupa-rit oppoſitum.

Eius modi exempla paſſim obuia ſunt. Sic e. g. Viſurgis quamuis ditiones Oldenburgicas et Friſicas Orientales, diuidat, tamen non eſt communis, ſed in ſolidum ad Oldenburgicam terram pertinet.

Ordinarie tamen praeſumitur flumen limitaneum commune. Elegans exemplum eſt in flumine Vidaſſo (Bidaſſon) qui Hiſpaniam a Gallia diuidit in Biſcaiae finibus. In medio illo flumine eſt inſula faſianorum, quae quum pro parte dimidia Hiſpanici, pro altera parte Gallici iuris ſit: is locus viſus eſt commodiſſimus, in quo anno 1659. pax Pyrenaea iniretur. In media inſula poſita menſa legati Gallicani in ſuo, Hiſpanici itidem in ſuo territorio adſederunt, et ſic omnis euitata eſt de iure προεδρείας controuerſia.

§. 19.

num. 1. Diximus ſupra, res nullius cedere occupanti, eaſque duorum generum eſſe, vel natura, vt aer, vel facto hominis per derelictionem. Quum itaque hactenus de prioribus actum, iam et de rebus pro derelictis habitis agendum eſſet: ſed auctor eum tractatum reſeruat capiti ſequenti quarto: et ſub finem capitis tantum monita quaedam ſubiungit.

Primum eſt, quod aliquando dominium plenum ſit penes

ſub-

ſubditos, aliquando tantum vtile, directo rei publicae, vel populo, vel principi competente. Id fieri poteſt pluribus modis. Inprimis tamen tribus:

1. Si ſubditi ſua omnia poſſident ſub nexu feudali a principe vel republica accepta: tunc vaſalli ſunt domini vtiles, dominus directus princeps vel res publica.

2. Si ſubditis tantum ſuperficies data, reſeruato rei publicae ſolo, pro quo ſoluendum annuum ſolarium. Tunc ſuperficiarii ſunt domini vtiles, res publica eſt domina directa. Elegans exemplum de Carthagine eſt apud IVSTIN. *Hiſtor. lib. XVIII. cap. 5.* Vid. STRABO *Geograph. lib. XII.*

3. Si princeps totam terram adquiſiuit, eamque deinde ſubditis vel victis conceſſit iure emphyteutico pro canone annuo. Id quod Romani facere ſolebant in prouinciis. Ager enim omnis fiebat populi, iſque vel cultus erat, vel incultus. Si cultus dabatur pro annuo canone, tunc agri dicebantur vectigales: ſin inculti, emphyteutici. Eleganter id omne ex antiquitatibus Romanis illuſtrauit celeberrimus PETRVS BVRMANNVS in libello egregio *de vectigalibus populi Romani.* Eodem modo ex hiſtoria noua notum, Reges Caſtiliae occupaſſe Americam, ac deinde agros pro canone adſignaſſe colonis Hiſpanis. Hic ergo rex eſt dominus directus, coloni dominium tantum vtile habent.

Secundum monitum eſt, quod his caſibus, deficiente domino vtili, res non fiat nullius, ſed ad dominum directum redeat. Deficere autem videtur dominus vtilis, ſi heredes non relinquat, vel maſculos, vt in feudis, vel nullos plane, vt in ſuperficie, et emphyteuſi. *num. 2.*

Tunc dominium directum et vtile *conſolidantur*, vti loquuntur iureconſulti.

CAPVT IIII.

DE DERELICTIONE PRAESVMTA, ET EAM SEQVVTA OCCVPATIONE, ET QVID AB VSVCAPIONE ET PRAESCRIPTIONE DIFFERAT.

§. I.

Iam ſuperiore capite monuimus, occupationi locum eſſe in rebus nullius. Res nullius eſſe vel *natura ſua*, quae antea in nullius fuere dominio, vel *ex facto hominis*, ſcilicet *ex derelictione.* Quando enim dominus rem ſuam eo animo abiicit vel deſerit, vt eam in rebus ſuis habere nolit, tunc fit res nullius, et cedit occupanti. Vnde negandum, res pro derelictis habendas, quas abiiciunt ebrii, furioſi, iocantes, naufragi, quibus non eſt animus derelinquendi.

Ea derelictio vel *vera* eſt, vbi animus iſte manifeſto declaratur, vel *praeſumta*, quae ex negligentia domini colligitur. E. g. theſaurus habetur pro re derelicta, quamuis reuera domino non fuerit conſilium illum derelinquendi, ſed ſibi ſeruandi et cuſtodiendi, quia dum iſte nec effodit theſaurum. nec eumdem heredibus vindicauit, ipſo facto eum deſeruiſſe cenſetur.

Ex hac praeſumta derelictione etiam defenditur *uſucapio.* Qui enim intra longum tempus in rem ſuam non inquiſiuit, nec eam, quum potuiſſet, vindicauit, is eam dereliquiſſe cenſetur, adeoque res cedit occupanti: et cui potius, quam bona fide, iuſto titulo, ſine interruptione poſſidenti?

Hinc ea occaſione agit Grotius de *vſucapione*, quae, vti ex iure ciuili notum, eſt adiectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. *L.* 3. *D. de vſurpat. et vſucap.* Et de ea quaeritur

1. *An locum habeat inter gentes et ſummos imperantes.* §. 1. 2.
2. *Ex quibus ſignis colligatur, rem a populo vel ſummo imperante pro derelicta habitam?* §. 3-7.
3. *Quid ad obiectiones ſit reſpondendum?* §. 8-11.
4. *An vſucapioni locus ſit inter principem et ſubditos?* §. 12-14.

5. *Quae*

5. *Quae vſucapione adquiri poſſint?* §. 15.

I. Quod ad primam quaeſtionem attinet, 1. haud pauci ſunt ſcriptores, qui vſucapionem iuri naturae plane aduerſari exiſtimant, ex ea ratione, quod, quum dominium ſit ius perpetuum, iniquum ſit id ſolo tempore alicui adimi, quum tempus, tamquam idea abſtracta et relata nihil operari poſſit. Ita ipſe CVIAC. *ad l.* 1. *D. de vſurpat. et vſucap.* Sed hoc facile refelles. Neque enim alicui eripitur dominium ob ſolum temporis lapſum, ſed ob praeſumtam derelictionem. Quid enim certius, quam eam rem habere nolle, qui intra decem annos eam non indagat?

2. Sunt, qui vſucapionem nihil iniqui habere fatentur, ſed eam tamen negant locum habere in controuerſiis gentium. Hinc VASQVIVS *lib. II. cap.* 51. *n.* 8. negat ei locum eſſe 1. inter gentes. E. g. ius imp. in terras Venetorum non ſublatum eſt, quamuis Veneti illas per aliquot ſaecula poſſederint. 2. Inter reges. E. g. rex Britann. adhuc titulo vtitur regis Franciae, quum per tot ſaecula domus Valeſia et Burbonica in poſſeſſione ſit. 3. Inter regem et ſubditum extraneum. E. g. ſi mercatori Gallo aliquid deberet imp. nullam praeſcriptionem locum habere. 4. Inter ſubditos diuerſorum imperantium. E. g. ſi Gallus mercator debeat mercatori Belgae. 5. Nec contra imperantem ratione ſubditorum ſuorum. E. g. ſi iuris dictionem nobilis dicat ſe praeſcriptione adquiſiuiſſe. Vnus ergo caſus remanet, ex mente Vaſquii, quod ſubditi inter ſe poſſint vſucapere. Eius ratio eſt, quod vſucapio certi temporis lapſu non intelligitur. Tempus illud definit imperans. Ergo eſt auctor vſucapionis. Ergo nec ipſe, nec exteri hac lege tenentur.

Sed contrarium defendit Grotius, et oſtendit, omnino et inter gentes huic iuri locum eſſe, idque duplici probat argumento.

Primum eſt, quia ſic controuerſiae inter gentes forent aeternae, adeoque bellorum numquam non in promtu ſit occaſio, quum tamen ſocietas humana pacem et tranquillitatem exigat.

§. 2.

Alterum argumentum ſumit a conſenſu gentium. Ad praeſcriptionem enim prouocarunt Hebraei *Iud. XI.* 26. (qui locus

 eſt

eſt admodum notabilis,) Lacedaemonii, Athenienſes, Macedones, Romani.

Sed facile haec controuerſia poteſt componi. Vaſquius loquitur de vſucapione iuris ciuilis: et ea inter gentes non habet locum. Quo iure enim gens genti legem praeſcriberet? Grotius de praeſcriptione iuris gentium: et haec omnino et inter gentes obtinet.

Diſcrimen in eo conſiſtit. Vſucapio iuris ciuilis requirit certum tempus, e. g. in mobilibus trium; in immobilibus inter praeſentes decem, inter abſentes viginti annorum. Hoc tempus quum lege ciuili definiatur, alios obſtringere non poteſt, niſi ſubditos. At praeſcriptio iuris gentium nihil aliud eſt, quam derelictio praeſumta rei, per longum et indefinitum tempus haud repetitae.

§. 3.

II. Iam ergo merito quaeritur, *ex quibus ſignis huius modi derelictio iudicetur?* Neque enim aliquid praeſumi poteſt, niſi ſigna adſint, vel rationes, hoc vel illud praeſumendi. Maxime hoc loco ſignis opus eſt, quia quaeritur de animo derelinquendi, qui in ſenſus non incurrit, adeoque ex ſignis vnice colligitur. Inter haec ſigna ex mente Grotii primum locum occupant 1. VERBA. *Ac de verbis quidem*, inquit ſub finem paragraphi, *expedita res eſt.* Et id verum. Nam ſi declaret gens, ſe hanc prouinciam amiſſam, vel id ius ab altero quaſi poſſeſſum recuperare nolle, nemo dubitabit, animum derelinquendi adeſſe. Sed hoc ſignum huc non pertinet. Si quis enim verbis declarat mentem, ea derelictio non eſt praeſumta, ſed vera. Praeſumitur aliquid, quando leges aliquid colligunt vel fingunt, vel ex aequitate, vel ex aliis ſignis phyſicis vel moralibus. Si vero adſit declaratio expreſſa, nihil colligitur, nihil fingitur, ſed derelictio vera adeſt.

§. 4.

Alterum ſignum ſunt FACTA, quae et inter priuatos et inter gentes arguunt derelictionem.

Inter priuatos huc pertinet 1. *abiectio.* Quis enim rem abii-
Num. 1. cit, quam velit ſibi retinere? Sed tamen recte addit Grotius circum-

circumſtantias debere ponderari, e. g. perſonae, an infans, furioſus, ebrius abiecerit? cauſſae impulſiuae, an forte ex ebrietate vel ioco id factum? temporis; an tempore incendii, ruinae, naufragii abiecerit? Tunc enim hoc ſignum non ſufficit. 2. *Redditio chirographi.* Reſp. haec eſt remiſſio, non derelictio, et quidem tacita, non praeſumta. Rectius dixeris, debitum pro derelicto haberi, ſi creditor chirographum lacerarit, inciderit, abiecerit. 3. *Contractus de re noſtra initus.* E. g. Titius poſſidet hortum meum, ab eo illum emo. Eo ipſo videor hortum pro derelicto habuiſſe. Verum et hic adiicienda exceptio, niſi mihi res ſit cum eo, qui vi vtitur, e. g. ſi rem raptam a latrone vel pirata redimo.

Inter gentes loco ſigni eſt ſcientia et patientia. E. g. ſciunt Lacedaemonii, Athenienſes ſibi vindicare ius maris ſui, nec contradicunt: videntur ius illud dereliquiſſe. Idem obtinet inter imperantes et ſubditos. Scit imperans, Maeuium in agris ſuis ius venandi exercere. Non contradicit per diuturnum tempus: ius illud imperans videtur pro derelicto in illis agris habere. *num.* 2.

Sed hic merito notanda exceptio, niſi iuſtus ſit imperantis error. Poteſt enim ille exiſtimare, Maeuium id ius habere ex conceſſione maiorum, ex inueſtitura, titulo oneroſo. Si error pateſcet, nihil Maeuio proderit ſcientia et patientia domini.

§. 5.

Tertium ſignum ſunt NON FACTA, quo praecipue referunt 1. *ſilentium.* Nam qui tacet, quum loqui poſſet et deberet, conſentire videtur. Locus inſignis *num. XXX.* 5. 12. de voto, ab eo, qui in aliena poteſtate eſt, ſuſcepto. *num.* 1. 2.

2. *Abiecta ſpes recuperandi*, e. g. ſi lupus agnum rapuit. Sed id falſum. Spes eſt amor boni futuri, quod nobis repraeſentamus tamquam facile obtinendum. Ergo ſpes abiecta eſt amor boni futuri, quod nobis repraeſentamus tamquam difficulter, vel plane nullo modo obtinendum. Ergo ſpes ſiue abiecta ſiue praeſens eſt amor. Amor vero ſemper cupit rem habere. Hinc impium eſſet agnum alienum lupo ereptum ſibi retinere, impium bona naufragorum ſibi vindicare.

Sed et, quod de ſilentio dictum, cum exceptione intelligendum. Nam praeſupponenda 1. ſcientia tacentis 2. vltroneum ſilen- *num.* 3.

lentium. Nihil ergo operatur, quod vi et metu periculi quis tenet. E. g. Nobilis crudelis e ruſticis quaeſiuerat, an in agris ſuis aliquis ſit, qui ad alium pertineat? Ruſtici tacebant metu periculi. Repetebat quaeſtionem: tacebant denuo, ſed murmurabant. Poſtea data occaſione meliore inſtituebant actionem. Nobilis opponebat exceptionem vſucapionis. Ruſtici replicabant, ſe vſucapionem interrupiſſe murmurando. Exſtat de hoc caſu rariore elegans diſſertatio IO. FRIDEMANNI SCHNEIDERI *de interruptione vſucapionis per murmurationem.*

§. 6. 7.

Quaeritur autem, *an non et tempus quoddam certum exigatur, vt res tacite derelicta et vſucapta cenſeatur?*

Diſtinguendum inter vſucapionem inter priuatos vel iuris ciuilis, et vſucapionem iuris gentium.

Vſucapio inter priuatos tempus habet definitum lege ciuili, e. g. iure Romano in mobilibus triennium, in immobilibus decem annos inter praeſentes, viginti inter abſentes; iure Saxonico in immobilibus 31. anni, 6. hebdomades, et 3. dies indiſtincte requiruntur.

Vſucapionis vel praeſcriptionis iuris gentium nullum certum et definitum tempus eſt, quia nulla lege illud definiri potuit ita, vt omnes ea obſtringerentur. Sufficere ergo creditur tempus immemoriale.

Sunt, qui putant, immemoriale tempus eſſe centum annorum, quia haec ſit vita hominum longiſſima. Sed ſufficit quantumcumque tempus, modo ex ſenioribus nemo meminerit, rem aliter ſe habuiſſe.

Huius immemorialis praeſcriptionis ideo magna vis eſt, quod inde magna naſcitur praeſumtio, rem pro derelicta habitam eſſe, quam nec ipſe, nec eius heredes tanto temporis ſpatio non vindicarint, quum dubitari nequeat, quin non vna vindicandi occaſio ſe interea obtulerit.

§. 8.

III. Iam obiectiones quaſdam ſoluit Grotius, quae opponi poſſe videntur huic doctrinae de vſucapione vel praeſcriptione iuris gentium, quam in praeſumta rei derelictione conſiſtere diximus. Obiiciunt

1. Nemi-

1. Neminem praeſumere ſuum iactare, adeoque ſigna illa maxime, quae in non facto conſiſtunt, non ſufficere ad amittendum dominium. *num.* 1.

Reſp. Grotius, bene ſperandum eſſe de hominibus, nec putandum, eos hoc eſſe animo, vt rei caducae cauſſa hominem alterum velint in perpetuo peccato verſari: id eſt, non credendum eſſe, dominum iuris ſui tam tenacem eſſe, vt alterum per tot annos velit in peccato viuere. Sed haec, ſi quid video, nihili ſunt. Nos reſpondemus, de voluntate et conſilio hominum ex effectu iudicari. Effectus teſtatur de cauſſa. Nec aliter in moralibus interna aeſtimare poſſumus; quippe quae in ſenſus haud incurrunt. Iam argumentamur:

Qui ſuum non iactat, is illud vindicat.
Qui patitur alterum vſucapere, et tacet, is non vindicat ſuum.
Ergo qui patitur alterum vſucapere, et tacet, is ſuum iactat.

Vbi itaque ipſa adſunt rerum argumenta, quid opus praeſumtione.

2. Obiicitur in ſpecie, quod ad imperia attinet, ea tam eſſe pretioſa, tam hominibus cara, vt abſurdum ſit, praeſumere, quemquam illa pro derelictis habere velle. *num.* 2.

Reſp. Grotius, 1. At imperii etiam magna eſſe onera, quae ſaepe ſubigere poſſunt imperantes, vt imperio, quo priuati ſint, aequo animo carere malint, quam cum periculo de eo litigare. Elegans inprimis eſt, quod de Antiocho, Syriae rege, narrat Valer. Max. *lib. XIIII. cap.* 1. quod gratias egerit Romanis, qui ſe magna oneris parte leuarint. Nos addimus

2. Saepe pertaeſos principes imperii vltro ſe principatu abdicaſſe, vel ob vitae tranquillae ſtudium, quale celebrat Boethivs:

Stet, quicumque volet, potens
Aulae culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio;

vel ex conſcientia infirmitatis; quae prohibet ipſos, quo minus fraena imperii tenere poſſint, vel ob ſuperſtitionem, vt cucullo monaſtico induantur, vel ob ſubditorum iniurias. Sic impe-

rio aequo animo et vltro ſe abdicarunt Sulla, dictator perpetuus, PLVTARCH. in eius *vit. pag.* 414. Diocletianus et Maximianus imperatores, LACTANT. *de mort. perſecut. cap.* 10. *ſeq.* Lotharius imp. PITHOEVS in *Annal. Franc. pag.* 322. Carolus V. imp. GODELEVAEVS *de abdicat. Caroli V.* Chriſtina regina Sueciae, Io. Caſimirus rex Poloniae, Philippus V. rex Hiſpaniae, et alii. Vid. OLEAR. *Diſſ. de principe magiſtratu ſe abdicante.* Quod ergo factum eſt toties, quidni fieri poſſet? et quum non rara ſit derelictio imperii vera, quidni et locus ſit praeſumtae? vbi tot ſigna concurrunt.

num. 3. Accedit 3. quod, ſi inter priuatos ea vſucapio et derelictio praeſumitur, ne dominia rerum in incerto maneant, multo magis interſit generis humani, ne in incerto ſint imperia. Quum enim controuerſias priuatorum iudex componat, de controuerſiis de imperio non niſi ſanguine et cladibus humani generis tranſigatur? Ergo ex hypotheſi argumentamur:

Si non iniqua vſucapio iuris ciuilis, quia intereſt ſocietatis humanae, ne dominia in incerto ſint: multo minus iniqua erit vſucapio imperiorum, quum humani generis interſit, ne imperia in incerto maneant?

num. 4. 4. Denique vbi duae ſunt praeſumtiones: fortior vincit infirmiorem: illa vero infirmior, quae nullo ſigno nititur, vel, vt Grotius loquitur, cuius nulla editur ſignificatio idonea. Iam hic duae adſunt praeſumtiones: altera, neminem praeſumi ſuum iactare; altera, rem, quam quis tempore immemoriali non vindicat, pro derelicta habendam. Illi praeſumtioni nullum adminiculatur ſignum. Supponimus enim, illum rem negligere, tacere, nec poſſeſſionem alterius interrumpere. Huius vero ſignum clariſſimum eſt, quod non vindicet, quod taceat. Eſt ergo haec praeſumtio fortior, adeoque vincit infirmiorem. Q. E. D.

§. 9.

Addit et 5. quintam rationem Grotius, putatque, hanc vſucapionem non modo iuri naturae eſſe conſentaneam, ſed et videri *iuris gentium poſitiui*, vel *voluntarii*, id eſt gentes ſponte et communi conſenſu ſtatuiſſe, et legem ſibi hanc condidiſſe, vt poſſeſſio immemorialis transferat dominium.

Sed huius modi ius gentium poſitiuum vel voluntarium iam

ſupra

ſupra profligauimus, docuimuſque, gentes nec ſeparatim, nec coniunctim poſſe vt legiſlatores concipi: nec ex hiſtoria conſtare, vmquam ea de cauſſa in vnum conueniſſe, vt ius ſibi nouum conſtituerent. Ergo haec tranſeant.

§. 10.

Maioris momenti eſt quaeſtio, *an nondum natis ius ſuum* num. 1.
tacite tali derelictione poſſit decedere? E. g. imperium Conſtantinopolitanum debetur iure Palaeologis, ex qua familia hodienum aliqui ſuperſunt in Graecia. Iam fingamus, horum maiores id imperium pro derelicto habuiſſe: an idem damno erit poſteris tum nondum natis? Si negabimus, tum nullius vſus erit vſucapio vel derelictio praeſumta, qua non certa fiunt rerum dominia, ſed controuerſiae in eodem ſtatu manent. Si adfirmabimus: tunc iniquum quid adfirmabimus. Nam non valenti agere non currit praeſcriptio.

Prolixe reſpondet Grotius, e. g. nondum natorum nullum num. 2.
ius fuiſſe, ergo nec quidquam iuris eos amittere: populum ius 3. 4.
nondum natis potuiſſe de imperio ſtatuere, quod pater derelinquerat: aliud eſſe ius naturae, quod dicat dominatum derelictione praeſumta exſpirare, aliud ius ciuile, quod horum poſtumorum rationem habeat, eosque fingat natos, et iura iis omnia ſalua relinquat.

Haec quidem non mala, ſed minus ſufficere videntur ad ſoluendam quaeſtionem. Potius itaque reſpondendum, poſteros nullo iure gaudere, niſi quod iure hereditario a maioribus ad eos tranſmittitur. Quod itaque maiores non amplius habuerunt, id nec potuerunt tranſmittere. Atqui, quod dereliquerunt, non habuerunt amplius. Ergo quod dereliquerunt, non potuere tranſmittere. Ergo Palaeologorum nullum ius eſt.

§. 11.

Quaeritur porro, *an et populus aduerſus populum, rex aduerſus regem, immo et rex aduerſus ſubditos hoc vſucapionis praeſidio tutus ſit?* Recte id adfirmatur. Quae enim ſunt iuris gentium, ea inter gentes et earum rectores obtinent. Vſucapio, vti ſupra demonſtratum, eſt iuris gentium: debet ergo et inter gentes, earumque rectores, locum habere. Hinc e. g.

praeſcriptione immunitatem a vectigalibus in freto Danico recte tuentur Bataui aduerſus Danos. Hinc rex Pruſſiae recte de praeſcriptione defendit aduerſus Polonos circa ius colligendi electrum. Hinc recte principes quidam Germaniae ſubditis opponunt exceptionem praeſcriptionis, ſi vrgent, comitia debere conuocari.

Obiicitur: quae ab initio ſunt irrita, et iniuſta, illa ex poſtfacto non conualeſcunt. Reſp. verum id eſſe, niſi accedat noua cauſſa. Hic vero noua cauſſa accedit, ex vna parte longi temporis poſſeſſio, ex altera patientia et ſilentium.

§. 12.

num. 1. 2. Pergimus ad partem IIII. vbi diſquirit auctor, *an leges ciuiles de vſucapione etiam principem obligent?* Veteres gloſſatores adfirmant. Grotius recte negat. Nam

1. Leges ciuiles praeſcribuntur ſubditis. Atqui imperans reſpectu ſui nec imperans, nec ſubditus eſt. Ergo ſibi nec leges praeſcribit, adeoque illae non obligant principem.

2. Si princeps ſibi leges de vſucapione tuliſſet, poſſet etiam ſibi indulgere contra legem, (quod vocact diſpenſare,) ſi diſpenſat; ceſſat obligatio.

3. Finis vſucapionis ciuilis eſt, vt dominia inter ſubditos ſint certa: princeps non eſt ſubditus, ergo et eius cauſſa non data eſt vſucapio.

Et hinc fruſtra ſunt, qui regalia, domanialia bona, cet. poſſidentes aduerſus principem prouocant ad praeſcriptionem ordinariam iuris ciuilis. At audiendi ſunt, ſi immemorialem praeſcriptionem allegent, quippe quae quum ſit iuris gentium, etiam principes obligat.

§. 13.

Diximus de regalibus: *an ea vſucapione adquiri poſſunt?* Reſp. regalia accipiuntur vel *in ſenſu iuris gentium*, pro iuribus maieſtatis, vel *in ſenſu feudali* pro iuribus quibuſdam fiſcum locupletantibus, e. g. iure venandi, piſcandi, metalla fodiendi. De poſterioribus nullum eſt dubium, quin poſſint vſucapione adquiri etiam a priuatis, vti in Polonia ius ſalinas fodiendi eſt penes priuatos nobiles de Morſtein per praeſcriptionem. De prioribus

bus porro diſtinguendum, ſintne iura maieſtatis incommunicabilia, an communicabilia? Illa ſunt, ſine quibus maieſtas conſiſtere non poteſt, e. g. ius ferendi leges: haec quae ſalua maieſtate et ab aliis exerceri poſſunt, e. g. iuris dictio, ius munera quaedam conferendi. Illa nulla praeſcriptione adquiruntur: haec adquiri poſſunt. Quae enim poſſunt in dominio poſſidentis eſſe, ea poſſeſſione recte adquiruntur.

Addatur obſeruatio de confuſione communicationis et diuiſionis iuris maieſtatis: et negandum eſſe, moneatur, quod ius de non adpellando ſubditis competere poſſit.

§. 14.

Quaeritur porro contra monarchomachos, *an praeſcribi poſſit* nu. I. 21
libertati? E. g. Ruſſi ſe ſubiecerunt imperio monarchae ſui ſine reſtrictione. Imperantes iſti etiam ſine interruptione per aliquot ſaecula id imperium exercuerunt, et ſic ſi titulus deeſſet, etiam vſucapione tuti haberi poſſent. At monarchomachi negant praeſcribi poſſe libertati: adeoque ſemper fas eſſe putant populis excutere iugum, et ſe in priſtinam libertatem vindicare. Quaeritur itaque, *an verum id ſit?* Ita argumentantur monarchomachi:

Aut vi quaeſitum imperium, aut populi conſenſu.
Si vi, tunc vim licebit vi repellere, quandocunque fuerit occaſio.
Sin populi voluntate et conſenſu, tunc populus poterit voluntatem mutare, et abrogato imperio monarchiae libertatem reſtituere.

Sed hoc dilemma falſum. *Aut vi quaeſitum imperium, aut conſenſu.* Recte. *Si vi, tunc vim licebit repellere.* Illatio haec falſiſſima. Nam et vis iuſta eſſe poteſt, cui non eſt reſiſtendum; et ſi iniuſta fuerit ab initio, poteſt iuſtus titulus naſci ex pacto, ſiue expreſſo, ſiue tacito, ſubſequente. *Sin voluntate populi, tunc populus voluntatem poteſt mutare.* Falſiſſimum denuo. Contractus enim vel pactio hic eſt bilateralis, quae ſolui non poteſt vnius, ſed vtriuſque conſenſu. Quis diceret emtionem venditionem, quia venditoris voluntate initur, etiam ſolui, ſi venditor voluntatem mutet? Nugae.

§. 15.

V. Supereſt pars quinta capitis, vbi quaeritur, *quaenam res hoc modo per vſucapionem adquiri queant?* Reſp. omnes, quae poſſunt poſſideri. Ex poſſeſſione enim naſcitur vſucapio.

Ex quo ſequuntur duae regulae. 1. *Quae non habent quotidianum exercitium, non poſſunt praeſcriptione adquiri vel amitti.* E. g. gaudet quis iure patronatus, vel conferendi munus eccleſiaſticum. Auus eius miniſtrum eccleſiae conſtituit, qui ſexaginta annos eo functus eſt officio. Iam dum ei ſucceſſor deſignatur, quaeritur, an id ius praeſcriptione exſpirauit? Minime.

2. *Quae merae facultatis ſunt, non ſubiacent praeſcriptioni.* Res merae facultatis ſunt, quae arbitro meo ſubſunt, e. g. emere apud hunc vel illum mercatorem, cet. An mercator, ſi per triginta annos ab eo ſolo emerim, ſibi ius me cogendi, vt porro emam, adquiſiuit praeſcriptione? Minime.

CAP. V.

DE ADQVISITIONE ORIGINARIA IVRIS IN PERSONAS, VBI DE IVRE PARENTVM, DE MATRIMONIIS, DE COLLEGIIS, DE IVRE IN SVBDITOS, SERVOS, CET.

§. 1.

Adquiſitio originaria eſt, rerum, quae in nullius adhuc dominio fuerant. Si pro dominio ſubſtitueris poteſtatem, tum et ad perſonas adplicari poterit definitio. Nam et has noſtras eſſe dicimus ob poteſtatem aliquam, qua in illis vtimur, e. g. liberos, ſeruos, vxores, ciues. Tres autem cauſſas conſtituit Grotius, ex quibus haec adquiſitio naſcitur,

a) *generationem, qua adquirimus liberos*, §. 2-7.

b) *conſenſum, quo adquirimus coniuges*, §. 8-16.
ciues et collegas, §. 17-25.
in liberos adoptiuos, §. 26.
in ſeruos, §. 27-31.

e) ex

c) *ex delicto perſonae.* §. 32.

I. GENERATIONE adquiruntur liberi a parentibus. Et quidem quum ad generationem vtique et pater et mater concurrant, vtrique etiam poteſtas in liberos eſt. At, quum tamen imperium duobus commune facile fiat mater diſcordiarum, quum vnus velit, quod alter nolit: ſequi ait Grotius, vt in dubio praeferendum ſit patris imperium ob ſexus differentiam.

Haec Grotius. Vbi tamen plura monenda. Nam 1. falſum eſt, ſolam generationem producere patriam poteſtatem. Quum enim a) parentes ſint liberi, ipſi quoque procreant liberos, et nemini obnoxios, ſibi pares, non inferiores. b) Spurii generantur a patre et matre aeque, ac legitimi, nec tamen vlla gens patri poteſtatem in ſpurium conceſſit. c) Si ſola generatio eſt cauſſa patriae poteſtatis, ſequitur, vt et ſerui poteſtatem habeant in liberos ex ſe genitos, quod abſurdum.

2. Falſum quoque eſt, ex praeſtantia ſexus deduci poſſe praerogatiuam patris. Aut enim praerogatiua illa ſita eſt in animo, aut in corpore, aut in vtroque. Non in animo, quia saepe Nabal ducit Abigaëlem. Non in corpore, quia huius praeſtantia nihil conducit ad educationem. Nec in vtroque, quia ſaepe contingit, vt et corpore, et mente ſuperet vxor maritum.

Ergo, aliud principium quaerendum eſſe, iam alii viderunt.

Hobbeſius ad occupationem inclinat. Infantes nati, inquit, ſunt nullius. Res nullius cedunt occupanti. Mater prima occupat. Ergo et praecipua eſt eius poteſtas. Infantem a ſe occupatum etiam cum patre communicat. Ergo et hic adquirit poteſtatem, ſed materna inferiorem. Sed hoc multo abſurdius. Quae nullius ſunt cedunt occupanti. Quaenam? res, non perſonae. Omnes liberi homines ſunt nullius: an ideo cuiuis occupanti cedunt? Nugae.

Hinc vera huius iuris ratio eſt EDVCATIO. Infanti opus eſt educatione, alias illi eſſet pereundum. Educationem illam natura, vel ipſe potius Deus demandauit parentibus, dum ipſis amorem erga liberos incredibilem impreſſit. Quum vero ea educatio non poſſit fieri ſine poteſtate quadam dirigendi liberorum actiones: ergo Deus, qui voluit, vt liberi a parentibus educentur, idem etiam voluit, vt parentibus eſſet poteſtas liberorum dirigendi actiones. Quae ipſa eſt patria poteſtas iuris naturalis.

§. 2.

§. 2.

Iam porro quaeritur, *quanta ſit parentum in liberos poteſtas.* Grotius primo tempora diſtinguit §. 2-6. deinde ſtatum naturalem et ciuilem §. 7.

I. Tempora tria diſtinguenda monet cum Ariſtotele: 1. *tempus infantiae*, quum nullum adhuc eſt animi iudicium, 2. *tempus poſt infantiam*, vbi quidem ſcit filius, quid agat, ſed tamen adhuc manet pars familiae, 3. *tempus quo filius ipſe familia excedit.*

Iam obſeruat Grotius, maximam eſſe parentum poteſtatem in liberos infantes, paullo minorem in adultiores, omnino minimam in eos, qui e familia exceſſerint; adeoque hoc ius creſcente liberorum aetate decreſcere et imminui. Recte omnino ita cenſet Grotius. Quis enim exiſtimet, patri fas eſſe, filium iam emancipatum et honoribus fulgentem virga caſtigare? Sed non animaduertit vir acutiſſimus, ita ſe principium ſuum deſtruere. Si enim poteſtas parentum eſt ex generatione, ſequitur, vt ea per omnem vitam ſit eadem. At poſterius eſt falſum. Ergo et prius. Ex noſtra autem hypotheſi res clara eſt. Fundamentum prtriae poteſtatis eſt educatio. Ea maiore labore fit in infante, quam in adulto, ergo et poteſtas dirigendi actiones decreſcere debet procedente aetate, et demum fere exſpirare poſt liberorum diſceſſum ex familia.

Iam videbimus, quanta ſit poteſtas parentum ſingulis his temporibus?

1. Primo tempore obſeruat Grotius 1. omnes actiones liberorum abſolute dirigi a parentibus. Recte. Nam tunc ipſi nihil agere poſſunt.

num. 2. 2. Parentibus quoque competere omne ius adminiſtrandi horum liberorum bona. Ob eamdem rationem. Adminiſtrandi, inquam. Nam quod leges ciuiles ſtatuerunt, omnia liberorum bona adquiri parentibus, id ideo non eſt ex iure naturae, quia ſecundum hoc et infantes aliquid proprii poſſidere poſſunt. Facilius tamen cum iure naturae conciliari poteſt conſuetudo multis gentibus communis, quod vſus fructus bonorum aduentitiorum cedat parentibus, quum his non inuidendum videatur hoc educationis praemium.

§. 3.

II. Secundo tempore parentes dirigunt actiones liberorum ad familiae ſtatum pertinentes, non reliquas, quae iam rationes ipſius filii exigunt: vel, vt magis perſpicue rem exprimamus, officia inter parentes et liberos iam incipiunt fieri reciproca. Parentibus nihil iniuriae debent inferre liberi, at nec liberis parentes. Illi nihil debent agere inuitis parentibus; ſed nec parentes cogere liberos ad quidquam, quod vel eorum naturae, vel rationi repugnat.

Inde facile deciditur quaeſtio, *an poſſint Iudaeis et haereticis liberi inuitis intercipi, vt baptizentur, et in vera religione educentur?* Reſp. minime. Nam infantium actiones omnes vi patriae poteſtatis dirigere poſſunt parentes. Ergo et religionem. Sin vero de adultis ſermo ſit, multo abſurdior quaeſtio eſt, quia ad religionem cogi nemo debet. At nec parentes tunc poſſunt. Hinc ſi filius Iudaei adultus vltro, et conſcientia cogente Chriſtianam religionem amplecti velit: pater fruſtra repugnaret, quia haec actio non ad familiae ſtatum, ſed ad ipſum filii iudicium pertinet. Vid. P. AERODII *tract. de patr. poteſt.*

§. 4.

Ex eodem principio noſtro ſequitur, vt vtroque tempore parentes gaudere debeant iure coërcendi, quia ſine eo educatio procedere haud poſſet. Sed tamen et hic ad aetatem reſpiciendum. Infans aliter coërceri poteſt, ac adultior. Ille et virga caſtigatur, hic minime. Ille etiam ob delicta inuoluntaria, hic ob voluntaria tantum.

§. 5.

Incidit et quaeſtio, *an parentes liberos et alienare poſſint?* Reſp. minime, quamuis Grotius id concedere videatur, ſi lex ciuilis non impediat. Nam planum eſt argumentum:

Quod quis non habet, alteri dare non poteſt.

Dominium in liberos parentes non habent.

Ergo parentes dominium in liberos aliis dare non poſſunt.

Minor clara eſt. Nam patria poteſtas conſiſtit in poteſtate dirigendi actiones liberorum, non in dominio.

Hinc videmus cur veteres Romani huius modi ius patri conceſſerint : quia nimirum is liberos vere habebat in dominio iuris Quiritium, vti praeclare demonſtratum ab ill. BYNKERSHOEKIO in *Opuſc. de iure occidendi liberos.*

§. 6.

III. In tertio tempore filius eſt αὐτεξούσιος, id eſt, ſui iuris. Ceſſante enim educatione, ceſſat et ius actiones dirigendi. Ceſſante enim cauſſa ceſſat effectus.

Sed tamen remanet et hic parentum veneratio : non ob educationem adhuc durantem, ſed ob eamdem olim ſuſceptam. Gratos enim quum eſſe deceat liberos, hinc etiam ſoluta patria poteſtate iis omnem reuerentiam praeſtare, nihil ſine eorum conſilio ſuſcipere, et eos maximi ſemper facere tenentur.

§. 7.

Deinde diſtinguit auctor inter ius naturale et ciuile. Nam permulta ſuperaddiderunt leges ciuiles, quae ex iure naturae deduci nequeunt, veluti

1. Quod ea poteſtas ſit perpetua, et non niſi morte patris vel voluntaria filii emancipatione finiretur;

2. Quod eadem ſe extenderet ad nepotes, pronepoteſque ex filio;

3. Quod ſoli patri ea poteſtas competeret, non item matri;

4. Quod in iure vitae et necis, facultate ter venumdandi filios, et omnia per eos adquirendi conſiſteret.

Haec omnia enim Romanis propria fuiſſe, ipſe agnoſcit IVSTINIANVS in *pr. Inſt. de patr. poteſt.*

§. 8.

num. I. II. Sequuntur perſonae, quas PER CONSENSVM adquirimus, inter quas primum locum tenent *vxores*. Vnde iam de coniugio agitur ab auctore §. 8.-16. et quidem

1. Quaeritur, *quanta ſit mariti in vxorem poteſtas*? Reſp. auctor, imperium inter coniuges non eſſe commune, ſed penes maritum; in rebus ſaltim coniugii et familiae. Iam illud imperium mariti omnes leges diuinae et humanae agnoſcunt, nec de iure naturae vllus veterum dubitauit. At de fundamento, huius

huius imperii non omnes item ſentiunt. Sunt, qui illud poſitum exiſtimant in praeſtantia ſexus maſculini. Sed ea ſaepe non tanta eſt, vt ideo imperium marito competere poſſit. Alii ex pacto. Sed ſi paciſci poſſunt coniuges, vt imperium ſit penes maritum, paciſci etiam poterunt, vt ſit penes vxorem: quod tamen negabunt multi ob *Eph. V.* 23. et ſimilia dicta. Verum itaque fundamentum vidit Grotius, nempe, quia vxor fit pars familiae mariti, non maritus pars familiae vxoris. Quando autem in familiam mariti tranſit, eo ipſo etiam marito imperium et directionem in ſe concedit, non ſecus ac is, qui ſe arrogari patitur.

2. Quaeritur, *quid ſit de natura coniugii?* Reſp. Grotius, *num.* 4. coniugium eſſe talem habitationem maris cum femina, quae feminam conſtituat quaſi ſub oculis et cuſtodia mariti. Idque inde probat, quod talis cohabitatio etiam inter animalia quaedam bruta obſeruetur, veluti inter columbas.

Sed neſcio, quid ſibi hic velit Grotius. Quaeſtio eſt, quid ſit de natura coniugii? Id aliter doceri nequit, quam per definitionem. Definitio autem haec coniugii admodum manca eſt. Nam ſi vir caelebs conducat ſibi ancillam, tunc cohabitat mas cum femina, tunc femina conſtituitur ſub cuſtodia et oculis maris, nec tamen inter eos coniugium eſſe, quiſquam dixerit.

Ergo rectius dicitur, eſſe coniugium viri et mulieris coniunctionem ad liberos procreandos educandoſque comparatam. Quidquid itaque ex hac definitione fluit, id eſt de natura coniugii: quod inde non fluit, ex iure poſitiuo vel ciuili eſt; qualia exempla ſunt in *n.* 1. *huius paragraphi*, e. g. quod maritus poſſit vota vxoris ſoluere, quod apud quoſdam populos maritus bona vxorum vendere poſſit, cet. Ex hoc itaque fundamento facile deciduntur reliquae quaeſtiones.

§. 9.

3. Nam quaeritur porro, *an et polygamia, et diuortium ſit* *num.* 12. *contra naturam matrimonii?*

1. De polygamia Grotius agnoſcit, illam non poſſe eſſe contra ius naturae. Recte. Nam et maris cum pluribus feminis coniunctio poteſt eſſe ad procreandam educandamque ſobolem comparata, adeoque illa nihil continet, quod ſit definitioni coniugii contrarium.

Deinde idem liquet ex eo, quod in V. T. tolerata fuit polygamia Iudaeorum. Nam et patriarchae, veluti Iacobus, Dauides, cet. plures vxores habuerunt, et ipſe Deus pro beneficio ſuo reputat, quod Dauidi plures vxores dederit. 2. *Sam.* *X.* 1. 8. Id vero fieri non poſſet, ſi polygamia eſſet iuri naturae contraria.

num. 2. 2. Idem de diuortio dicendum. Nam nec hoc repugnat iuri naturae, modo ex cauſſa iuſta fiat. Quum enim matrimonium ſit maris et feminae coniunctio, ſobolis procreandae educandaeque cauſſa inita: ſequitur, 1. vt, quemadmodum mutuo conſenſu initur, ita et mutuo diſſenſu diſſolui ſua natura poſſit, 2. vt, ſi alteruter coniugum ineptus ſit ad procreandam educandamque ſobolem, vel iis contaminatus vitiis, vt in ſocietate cum eo viui commode nequeat, diſſolui poſſit matrimonium.

Et hinc ipſa etiam lex V. T. conceſſit diuortia, ipſo fatente Chriſto *Matth. V.* 32. *XVIIII.* 9. An vero Deus aliquid praecepiſſet contra ius naturae immutabile? Minime.

Quamuis vero et polygamia et diuortium non repugnet iuri naturae, nec legi voluntariae V. T. vult tamen Grotius, Chriſti legem naturam coniugii ad perfectiorem normam redegiſſe, et non modo diuortium, ſed et polygamiam prohibuiſſe. Diuortium quidem *Matth. V.* 32. *XVIIII.* 9. polygamiam autem 1. *Cor. VII.* 4. dum et vxori dat ius in corpus mariti. Ex quo ſequitur, vt quemadmodum maritus prohibere poteſt, ne vxor corpus communicet cum pluribus: ita eodem iure vti poſſit vxor ratione viri.

Accedunt et alia argumenta, veluti quod Chriſtus locis citatis prouocet ad inſtitutionem primaeuam: Deus autem iunxerat vnum marem et vnam feminam in ſocietatem indiſſolubilem. Item, quod Paulus dicit, vxorem debere habere ἴδιον ἄνδρα, virum proprium. Haec omnia itaque recte ſe habent.

Sed in eo Grotius errorem ſibi familiariſſimum immiſcet; quod Chriſtum nouam et V. T. legibus contrariam legem condidiſſe arbitratur. Nam, 1. falſiſſimum eſt, Chriſtum eſſe nouum legiſlatorem, quum potius ſit veteris legis interpres. Notum, quid ipſe Chriſtus de ea re dicat *Matth. V.* 17. *ſeq.* 2. Ipſe Seruator, dum prouocat ad primaeuam inſtitutionem, ſatis aperte docet, non nouam a ſe legem dari, ſed illam renouari, et a pſeudermenia phariſaeorum vindicari.

Sed

Sed quid dicemus de conceſſione diuortii et polygamiae in V. T. Reſpondet ipſe Chriſtus: *Moſes vobis haec conceſſit propter duritiem cordis veſtri.* Fuit ergò conniuentia Dei, qui multa tolerabat in populo illo duriſſimi ingenii, quae non probabat.

Hinc facile etiam carebimus recenſu illo plurium gentium, quae et diuortii libertatem ſuis permiſere, vti Romani, vel polygamiam, vti Aegyptii, Perſae, Graeci antiquiores. Nam 1. gentium mores, vt ſaepe diximus, non faciunt ius gentium. 2. Facile his opponi poſſunt gentes moratiores, quae polygamiam improbarunt, vt Romani, Graeci recentiores, Germani. 3. Ipſae gentes ſemper laudabiliorem monogamiam exiſtimarunt, quam πολυγαμίαν, ceu ex TACITI libello *de moribus Germanorum* patet. *num. 4.*

§. 50.

4. Tranſit Grotius ad conſenſum parentum, et quaerit, *an ſine eo ratum ſit coniugium?* Non iam quaeſtio eſt, an conſenſus ille merito exigatur? et an non peccent liberi contra honeſtatem, qui illum negligant? ſed quaeritur, *an ita de neceſſitate ſit, vt eo non impetrato matrimonium ſit irritum?* *num. 5.*

Recte id negat Grotius. Nam 1. non omne, quod honeſtati repugnat, irritum eſt. E. g. parum honeſtum eſt, plus donare, quam vires patrimonii ferunt, ſed ideo haec donatio non eſt irrita; non admodum honeſtum videtur, ſenem vxorem ducere, vel ob ſolas diuitias nubere, ſed ideo huius modi nuptiae non irritae habentur. 2. Id nec ex definitione nuptiarum, nec ex definitione patriae poteſtatis fluit. Non ex illa: nam poteſt coniunctio maris et feminae eſſe coniugium; poſſunt et liberi procreari et educari, quamuis non conſenſerint parentes. Non ex hac, quia patria poteſtas, vt paullo ante diximus, educatione ſola nititur. Liberi autem inituri nuptias in eo ſunt, vt educatione non amplius indigeant; ſed eo ipſo excedere ſolent familia paterna.

At ius Romanum nuptias irritas eſſe iubet, niſi patris conſenſus praeceſſerit. *pr. Inſt. de nupt.* Sed facile reſpondetur. Hoc non ex iure naturae, ſed ex lege ciuili eſſe: idque probabitur 1. ex eo, quod patris ſolius conſenſus exigitur eo iure, non matris, quum tamen iure naturae ſit par vtriuſque paren- *num. 2. 3.*

tis in liberos poteſtas. 2. Quod nec opus ſit filio emancipato patris conſenſu, quum tamen emancipatio iure naturae non tollat venerationem debitam parentibus. 3. Ipſum ius diuinum, quamuis parentum conſenſum requirat, tamen irritas non pronunciat nuptias ſine conſenſu parentum contractas. Id quod Grotius probat exemplo Eſaui, *Geneſ. XXXVI.* qui quum inuitis parentibus nuptias inauſpicatiſſimas contraxiſſet, non tamen a parentibus prohibitus eſt, vxores illas male conciliatas in matrimonio habere et retinere.

§. 11.

5. Quaeritur, *an etiam ii, qui iam in matrimonio viuunt, aliud inire poſſint?* Vbi recte Grotius diſtinguit inter ius naturae et gentium et ius diuinum poſitiuum.

Iure naturae quum licitum ſit diuortium, licebit etiam matrimonium ſoluere, et aliud inire, modo grauis aliqua et idonea cauſſa id ſuadeat.

At iure diuino poſitiuo quum per Chriſti interpretationem nefas ſit repudium vxori dare, non niſi morte ſoluitur matrimonium et diuortio propter adulterium, vti vulgo ex *Matth. V.* et *XVIIII.* colligunt.

Vnde merito quaeritur, *an ex his textibus id ſequatur?* Nos negamus ob has rationes:

1. Aut ſolum adulterium ſoluit matrimonium, aut et aliae cauſſae. Si poſterius: habemus, quod volumus. Sin prius: non potuit Paullus 1. *Cor. VII.* nouam diuortii cauſſam adſignare, malitioſam deſertionem. Atqui adſignauit. Ergo non ſolum adulterium ſoluit matrimonium. Quumque expreſſe dicatur in textu *Matth. V.* 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας, et *XVIIII.* 9. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ: conſequens eſt, vt πορνεία hic non ſignificet ſolum adulterium.

2. Quid autem ſignificet, praeclare oſtendit SELDENVS *de vxor. Hebr. lib. III. cap.* 22. idque ex ipſa connexione patet. Phariſaei tentaturi Chriſtum, hanc ei quaeſtionem proponebant: *an fas eſt cuiquam repudiare vxorem ſuam* κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *ob quamcumque cauſſam?*

Nimirum erat haec inter Iudaeos eius temporis maxima controuerſia. Schola Schammaitana id negabat, et diuortium non niſi ob cauſſam *turpitudinis* concedebat, vti Moſes loquitur *Deut.*

XXIIII.

XXIIII. 1. Contra Hillel, eiuſque ſchola, docebat, ob quamcumque cauſſam licitum eſſe diuortium. Prior ſententia viris probis et iuſtis placebat, id eſt, paucis: poſterior plebi, cui grata erat illa diuortiorum licentia. Quumque fama percrebuiſſet, hanc ſententiam ſcholae Hillelis voce caeleſti fuiſſe probatam, ipſum ſynedrium magnum eam publica auctoritate ratam habuit.

Dum ergo phariſaei interrogant: an fas eſt homini repudiare vxorem ob quamcumque cauſſam? perinde eſt, ac ſi dixiſſent: tune probas ſententiam Hillelis? Si adfirmaſſet, tunc multis videri potuiſſet Seruator vir parum ſanctus et pius: ſi negaſſet, occaſio illis fuiſſet eum tamquam haereticum denunciandi ſynedrio.

Quid ergo Chriſtus? reſpondet pro Schamaitanis: *dico vobis, qui repudiat vxorem*, niſi ἐπὶ πορνείᾳ, *adulterium committit.* Ex quo ſequitur, 1. vt πορνεία hic ſit quaeuis res turpis, et fini matrimonii contraria, maxime cum 2. ea ſignificatio vocis ſit Helleniſtis frequentiſſima, et hi fere omnia delicta adpellare ſoleant πορνείαν, vti cum adparatu probauit Seldenus. Quod et 3. inde liquet, quod Paullus 1. *Cor. VII.* alteram cauſſam diuortiorum, nempe malitioſam deſertionem addidit, quod ſane non potuiſſet, ſi πορνεία ſignificaret adulterium.

§. 12.

6. Iam noua et ea quidem vexatiſſima naſcitur quaeſtio *de inceſtis nuptiis*, ſeu *gradibus prohibitis*. Quum fere omnes gentes honeſtiores abſtinuerint a nuptiis conſanguineorum; a) quaeritur: *an ea prohibitio ſit iuris naturae?*

Negat id Grotius *n.* 1. excepto coniugio inter parentes et liberos, de quo *n.* 2.

Negat, inquam, hanc prohibitionem eſſe iuris naturae. Nam 1. ea non fluit ex definitione connubii antea explicata. Liberi procreari et educari poſſunt etiam a parentibus conſanguineis.

2. Rationes, quas vulgo adferunt, ſunt nullius ponderis. E. g. quod PLVTARCH. *Quaeſt. Rom.* 108. et AVGVSTINVS *de ciuit. Dei, lib. XV. cap.* 16. exiſtimant, eas nuptias prohibitas, vt latius ſpargantur amicitiae, nec intra vnam familiam conſtarent adfinitates. Ratio enim haec magis politica eſt, quam iuris naturae.

3. Immo

3. Immo aliquando hae nuptiae vtiliſſimae videntur, e. g. ſi iam liberi ex priore matrimonio adſint, et nouerca ſit vxoris defunctae ſoror, ſane tolerabilior erit nouerca, quam extranea. Ita etiam ſi virgo ſit ἐπίκληρος, id eſt, ex aſſe heres, conſuletur familiae, ſi agnato nubat, vt patrimonium penes familiam maneat. Quod hoc caſu ipſe Deus praecepit, *Ruth. cap.* 4. nec non lex Attica apud DEMOSTH. in *orat. ad Leocharem.*

num. 2. Attamen inter adſcendentes et deſcendentes matrimonia ipſo iure naturae prohibita videntur;

1. Quia turbantur reſpectus, e. g. ſi filius vxorem ducat matrem, tamquam filius eam venerari debet, tamquam maritus eidem imperare. Ita et liberi inde nati erunt patris liberi, et ſimul fratres vterini, matris filii et ſimul nepotes ex filio. Quae confuſio reſpectuum rectae rationi et matrimonii naturae repugnare videtur.

2. Quia pudori naturali repugnant huius modi nuptiae. Nam quem non puderet cum matre congredi?

num. 3. At poſterius argumentum non maximi momenti eſſe videtur, quamuis Grotius ad obiectiones quaſdam reſpondeat. Nam

1. Diogenes et Chryſippus prouocabant ad animalia quaedam ab inceſtu non abhorrentia, e. g. gallos gallinaceos.

Sed reſp. Grotius: quamuis ab his nuptiis non abhorreat natura brutorum, abhorrere tamen naturam humanam, adeoque id ſufficere ad probandum, quod repugnet iuri naturae, quod et teſtimoniis Xenophontis, Mich. Epheſii, Lucani probat.

num. 4. 2. Socrates apud Xenophontem in *Memorabilibus Socratis* exiſtimat, nihil turpe ineſſe his nuptiis, praeterquam inaequalitatem coniugum, eſſe enim eos aetate diſpares, et hinc plerumque matrimonia huius modi fore ſterilia.

Reſp. Grotius: ſic et prohibenda fuiſſe matrimonia inter ſenem et iuuenculam. Et ſane ſi pater ſit annorum 35. filia annorum 15. quis dixerit, ſperari non poſſe liberos.

num. 5. Denique vt Diogenem et Chryſippum eo fortius ſtringat, obſeruat, et beſtias quaſdam ab his commixtionibus abhorrere. Idque probat partim teſtimonio ARNOBII *lib. V. aduerſ. gent.* partim exemplo apud ARISTOT. *Hiſt. anim. lib. VIIII. cap.* 47. et OPPIAN. in Cyneg. *lib. I.* qui referunt, equum Scythicum

cum

cum matre committendum, refragatum, nec vmquam adduci eo potuiſſe, vt cum matre congrederetur, niſi equa inuoluta pannis.

Haec ſunt, quibus pudorem illum naturalem probat Grotius, quod eius argumentum tanti fecit LAMBERT. VELTHVYSEN in *Principiis iuſti et decori*, vt non ſolum graduum prohibitionem, ſed et totum ius naturae ex pudore naturali deriuandum putaret.

Sed paucis moneo: 1. pudorem eſſe adfectum indifferentem, et ſaepe pudere homines boni aeque, ac mali. E. g. bonum eſt, fateri peccata, et veniam eos rogare, quos offendiſti: ſed pudet.

2. Pudor apud omnes non eſt idem. Pro ratione enim temperamenti alium facile, alium difficulter pudor occupat. Sic Romanos pudebat matrimonii cum propinquis; Perſas non pudebat. Ergo inde nihil arguitur.

3. Hiſtoria illa de equo admiſſario lepida eſt, ſed admodum dubia. Sane quod olim factum, cur non hodie fit? Non ſolent hodie equi tam religioſi et caſti eſſe.

§. 13.

b) Hactenus de iure naturae: iam de iure poſitiuo vniuerſali. *num.* 14.
Quaeritur ergo, *an non ſaltim hoc prohibeat huius modi nuptias?*

Reſpondet Grotius, omnino prohibere, prouocans ad *Leu. XVIII.* et *XX.* Quumque nonnulli exiſtiment, has leges eſſe mere forenſes, adeoque non obſtringere Chriſtianos, contrarium triplici argumento demonſtrat,

1. Quia ſub finem iſtorum capitum dicat Moſes, et Cananaeos ob haec delicta terra expulſos. Vnde argumentatur:

Quicumque delinquunt, eos lex quaedam obligat.
Cananaei inceſtis nuptiis contractis deliquerunt.
Ergo eos obligauit lex.


2. Quia hae leges in N. T. repetuntur. Sic e. g. Paullus 1. *Cor. V.* 1. inceſtum damnat inter priuignum et nouercam, et eas nuptias, ipſis gentilibus abominabiles fatetur. Iam quum leges forenſes in Nouo Teſtamento nullius auctoritatis ſint; adparet ſane, has leges non eſſe forenſes, ſed morales.

3. Quod et Hebraei eas leges naturales eſſe exiſtiment, *num.* 15.

quia et verecundia naturalis ab his nuptiis abhorreat, et facile alias conuictus inter has perſonas quotidianus occaſionem dare poſſet ſtupris, niſi prohibitae eſſent hae nuptiae.

Sed tertium hoc argumentum admodum dilutum eſt. Nam pudorem naturalem nihil probare, iam ſupra oſtendimus. Alterum autem naturae humanae repugnat, de qua recte poëta: *Nitimur in vetitum.* An minus periculi a ſtupro erit inter perſonas coniunctas, quod prohibitio accedat?

num. 4. e) Iam noua naſcitur quaeſtio, *an* Leuit. *XVIII.* et *XX* *gradus prohibeantur, an perſonae tantum?* Illud plerique putant, quos et nos ſequimur; hoc e recentioribus Schilterus et alii quidam. Rationes noſtrae ſunt:



1. Quia vbi eadem ratio, ibi eadem eſt iuris diſpoſitio. At ratio ſita eſt in propinquitate carnis, quae eadem eſt in duabus perſonis eiuſdem gradus. Ergo et hic valet prohibitio, etiamſi perſona *Leuit. XVIII.* non expreſſa ſit. Sic e. g. ibi *v.* 13. prohibetur matrimonium cum matertera, non cum auunculo: et tamen, quum eiusdem gradus ſint, quis dubitet, quin matrimonium et inter hos non ſubſiſtat?

2. Quia haec natura omnium legum eſt, vt ob rationis latitudinem late interpretandae ſint, quia non omnes caſus exprimi queunt.

3. Quia hanc interpretationem ſuadet *v.* 6. vbi occurrit regula generalis, quam poſtea exempla ſequuntur. Vbi vero regula occurrit cum exemplis, ibi liquido extenſiua interpretatio locum habet.

num. 5. Redit Grotius ad Hebraeos, qui has leges *Leu. XVIII.* vniuerſales putare *n.* 3. diximus. Iam addit Grotius, eoſdem has leges arceſſere ab ipſo Adami tempore, vt tanto facilius reddi poſſit ratio, cur omnes homines obligent. Alias enim, inquiunt, non poſſet reddi ratio, cur Deus et gentiles puniuerit ob inceſtas nuptias.

Sed haec ſola coniectura eſt Hebraeorum, nullo nixa fundamento certo et hiſtorico: vnde nec ei immorabimur.

num. 6. Iam ad alias gentes, quas itidem huius modi nuptias damnaſſe obſeruat. Hinc ex Mich. Epheſio, Diod. Siculo, Platone, Dione Pruſaeenſi demonſtrat, communem hanc fuiſſe omnium gen-

gentium ſententiam, praeterquam Aegyptiorum, Perſarum, et aliquot Barbarorum.

Quamuis autem huiusmodi inductio, vt ſaepe monui, non probet ius gentium, nec adeo certum ſit, omnes gentes in eo conſpiraſſe, quum et de Cimone Athenienſi referat Cornelius Nepos eum ſororem habuiſſe in matrimonio, idque licuiſſe facere legibus Athenienſium: hic tamen haec obſeruatio alicuius momenti eſt. Nam quum et Romani, et aliae gentes eoſdem fere gradus, quos *Leu. XVIII.* prohiberi intelligimus, prohibuerint, et tamen ratio ſola nullam huius prohibitionis ſuggerat rationem: merito quaeras, vnde hanc notitiam ſibi adquiſiuerint gentiles? Et recte *n.* 7. reſpondet Grotius, per veterem legis diuinae famam, vel per traditionem. Gens enim res huiuſmodi a gentibus vicinis didicit. Ab Hebraeis Phoenicii, ab his Graeci, ab his Romani, et ſic porro. Exemplo eſſe poſſunt res plures, e. g. quod omnes gentes numerent per decurias, quod omnes tempora metiantur per ſeptimanas. Vid. Grot. in opuſculo *de veritate relig. Chriſtianae*, vbi et alia huius generis collegit.

§. 14.

d) Addit et alia monita Grotius, veluti, quod in vlterioribus gradibus aliquando perſona prohibetur, altera conceditur, quum ſint eiuſdem gradus. Sic e. g. prohibitum eſt ducere amitam. *v.* 12. At non prohibitum ducere fratris filiam. Nec rara inter Hebraeos fuere huius modi matrimonia. Quaeritur itaque, *quae ratio diſcriminis?*

Grotius ſequitur Ebraeos, et hanc adſignat cauſſam, quod in fratris domos minus pateat aditus, quam ad aedes auorum et auiarum: adeoque hic maius ſit ſtupri periculum quam illic. Sed haec nihili ſunt. In promtu eſt ratio ſolidior, nempe turbatio reſpectuum. Amita eſt loco matris, ergo non poteſt decore vxor eſſe eius; a quo filialem venerationem iure exigeret. At in nuptiis cum fratris filia non turbantur reſpectus, quia facilius haec marito praeſtabit obſequium, quum eum quodammodo patris loco venerari debeat.

Altera obſeruatio eſt, leges de inceſtu inter adſcendentes et deſcendentes, nec non de matrimonio fratrum et ſororum ſem-

per irrita reddere huius modi matrimonia: at reliquas leges plerumque poenam tantum irrogare. Id probat ex canonibus apoſtolicis, qui tantum deponi iubent clericum, alios poenitentiae eccleſiaſticae ſubiiciunt, ſi inceſtum admiſiſſent.

Sed hoc non vbique receptum. Plerumque enim omnia matrimonia *Leuit. XVIII.* prohibita irrita ſunt. In reliquis locus eſt diſpenſationi principis.

num. 3.4. Tertia obſeruatio eſt, quod pleraeque gentes vltra gradus *Leuit. XVIII.* prohibitos et alios quoſdam prohibuerint, tamquam ſepimentum legis, ne ob vicinitatem violarentur leges *Leu. XVIII.* Sic. e. g. inter patrueles Deus non prohibuit matrimonium, nec inter conſobrinos: quia tamen proxime hoc matrimonium accedit ad nuptias fratrum et ſororum, illud prohibitum reperimus *l. 3. C. Th. de inceſt. nupt.*

Sed hac ratione abuſi ſunt pontifices Romani, qui initio ad ſeptimum, deinde ad quartum gradum ſuae computationis prohibuerunt nuptias, tantum vt principes haberent obnoxios, et pro diſpenſatione extorquere poſſent pecuniam. Vid. THOMASII *not. ad Lancellot. Inſtitut. iur. canon.* tit. *de nuptiis.*

§. 15.

num. 1. Hactenus de vero coniugio: iam quaedam *de concubinatu* adduntur. Hic ante omnia ſtatus controuerſiae recte formandus. Non iam loquimur de muliere, quae marito alieno ſuccumbit; haec enim non concubina eſt, ſed pellex: nec de ea, quae furtim cum caelibe rem habet; hoc enim ſcortum eſt: ſed de femina, quae ſine ſollemnitate nuptiali ſe viro iungit, ita vt inter hos ſit coniunctio perpetua ſobolis procreandae educandaeque cauſſa inita. De hac *coniunctione* quaeritur, *an iuri naturali repugnet?*

Id recte negatur. Nam 1. definitio matrimonii ſupra data etiam huic quadrat concubinatui; atque inde ſequitur, concubinatum eſſe verum matrimonium iuris naturae, quod in nuptiis nullam ſollemnitatem exigit, quamuis non ſit ciuile, adeoque et effectibus ciuilibus deſtituatur. Hinc concubina non gaudet iure vxorum, non capit partem hereditatis, liberi ex ea procreati non ſunt in patris poteſtate ciuili, non ſunt heredes ſui, quamuis iure naturae ſint vere liberi, et hinc vocentur liberi naturales.

2. Ho-

2. Honeſtae eſſe poſſunt huius concubinatus cauſſae, e. g. diſparitas conditionis. Sic ſaepe magni principes amant honeſtam feminam, ſed plebeiam, quumque eam vxorem habere nequeant, eam ducunt quaſi vxorem, quem concubinatum vocari nouimus matrimonium ad morganaticam. Ita enim concubina loco vxoris adſcita aliquando eſt, ne nouerca liberis induceretur. Id quod factum nouimus ab Antonino Phil. imp. vt eſt apud Ivl. Capitolin. *eius vit. cap. vlt.* *num.* 2.

§. 16.

Denuo ad quaeſtionem delabitur Grotius, *an matrimonia contra has leges inita irrita ſint ſemper?* Sed quia de hac quaeſtione ad §. 14. *n.* 2. actum eſt: iterum hic actum agere nolumus. *num.* 1. 2.

§. 17.

Egimus hactenus de perſonis, quae noſtrae fiunt per conſenſum. Conſenſus iſte duplex eſt, vt Grotius ſupra §. 8. *n.* 1. docuit, vel conſiſtit in conſociatione vel in ſubiectione. Per conſociationem fiunt nuptiae, de quibus hactenus, et *vniuerſitates*, de quibus in poſterum.

Eae iterum duplices, vel *priuatae*, vel *publicae*. *Priuatae*, quae habent pro fine vtilitatem priuatam, e. g. ſocietas mercatorum: *Publicae*, quae vtilitatem publicam. Et hae denuo vel *in populum* fiunt, vel *ex populo*. Si multi conſociantur in populum, tunc ex hac conſociatione naſcitur *res publica*: ſin multi ex populo conſociantur, inde fit *vniuerſitas*, *collegium*, *corpus*, cet.

1. Quia omnes conſociati conſtituunt vnam perſonam moralem, ea voluntatem ſuam exſerit vel per paucos, vel per plures, vel per omnes. Primum eſſet iniquum, tertium impoſſibile; ergo reliquum manet ſecundum.

2. Quia alias numquam ad liquidum perueniretur. Nam qui in collegio ſunt, ſunt aequales. Aequalis aequali legem praeſcribere nequit. Ergo nec poterit vrgere, ſuum ſuffragium ſapientius eſſe ſuffragio alterius. Ergo nec ponderari poſſunt ſuffragia, ſed numerari, adeoque plura ſuffragia ſemper vincunt pauciora.

3. Res ipſa et experientia docet, infeliciſſimas eſſe vniuerſitates, vbi aliud obtinet. E. g. cur in Polonia nihil ad liquidum perduci poteſt? cur omnia comitia ſine fructu diffluunt? Quia ibi vnus omnium ſuffragia reſcindere poteſt.

§. 18.

Regula II. *Si par eſt ſuffragiorum numerus, nihil agitur.* Quum enim ſuffragantes ſint aequales et eiuſdem conditionis et poteſtatis in re publica, ſequitur, vt vna pars alteram cogere non poſſit, vt ſibi adſentiatur. Excipiuntur tamen caſus

1. *Si calculus Mineruae accedat*, id eſt, ſi pares fiant condemnantium et abſoluentium ſententiae: tunc enim reus abſoluitur. Vocatur *calculus Mineruae*, ſi cui iudicum vel praeſidi facultas datur ſuffragium ſuum addendi vel condemnantibus vel abſoluentibus. Dicitur autem calculus Mineruae, quia quum Clytemneſtra maritum Agamennonem occidiſſet, filiuſque vtriuſque Oreſtes mortem patris ultus, matrem interemiſſet: parricidii accuſatus in areopago pluribus ſententiis iudicum condemnatus eſt, quam abſolutus. Minerua itaque calculum addidit abſoluentibus, ut ſuffragia fierent paria, quo facto abſolutus eſt. Eo calculo nihil aequius eſt. Vid. Io. HENR. BOECLERI *Diſſ.* elegantiſſima *de calculo Mineruae*, quae habetur in *Diſſ. acad. tom. I. pag.* 200.

2. Si paria ſuffragia ſint, et alteruter poſſideat. Tunc enim in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quia in eius perſona duo iura concurrunt, alterum certum poſſeſſionis, alterum dubium tituli, quum alter ſolum titulum dubium, pro ſe alleget.

§. 19.

Reg. III. *Duae ſententiae pari ſuffragiorum numero nixae, ſi ſint eiuſdem naturae, coniungendae ſunt, vt id valeat, in quod vtraque pars conſenſit.* Id euenit, 1. quoties in quantitate tantum differunt ſuffragantes, e. g. Titius ab vna parte condemnatur in decem, ab altera in 20. tunc decem ab eo exiguntur, quia in hos vtraque pars conſenſit. 2. Quoties in modo rei non conueniunt, et vterque modus coniungi poſſit. E. g. vna pars cenſet, reum eſſe priuandum officio, altera eumdem relegandum.

Vnde plane huic regulae non eſt locus, ſi ſententiae diuerſae ſint natura. E. g. vna pars Titium condemnauit in viginti, altera relegari iuſſit. Hic iniquum eſſet coniungere ſententiam,

quum

quum altera pars in alterius ſententiam diuerſae naturae non conſenſerit.

§. 20.

Reg. IIII. *Abſentium nulla habetur ratio.* Videri hoc poſſet iniquum, quia et abſens eſt membrum collegii, adeoque et ſcripto poſſet dare ſuffragium.

Sed facilis reſponſio. Sententiae dicuntur praeuia deliberatione et conſultatione. Qui vero abeſt, is conſultationi non interfuit, nec audiuit alterius partis rationes, adeoque nec ſententiam dicere poteſt, ſine praeiudicio praecipitantiae. Saepe domi quis ita adfectus eſt animo, vt pronus ſit in ſententiam, quam facile dimitteret, ſi alterius rationes audiuiſſet. Exemplo eſſe poteſt Iulius Caeſar, qui in cauſſa Ligarii eo propoſito audiebat Ciceronem, vt hominem condemnaret; ſed audita ea oratione ita mente perturbatus, commotuſque eſt, vt abſolueret.

§. 21.

Reg. V. *Qui prior in collegio fuit, in ordine quoque prior eſt.* Sunt enim pares. Inter pares nihil poteſt praerogatiuam dare, quam aetas, vti videmus in fratribus, ſociis, collegis.

Fallit tamen ea regula, ſi in collegio ſint diuerſi ordines, nam tunc ei tantum aetatis inter ſe habent rationem, qui ſunt eiuſdem ordinis. E. g. conſilium aulicum imperatoris conſtat ex nobilibus et eruditis, nobiles numquam poſtponuntur eruditis, quum ſint aetate poſteriores; at inter nobiles ipſos aeque ac inter eruditos aetatis vel temporis habetur ratio.

§. 22.

Reg. VI. *Vbi non omnium eodem modo intereſt, ibi in ſuffragiis ſeruatur proportio non arithmetica, ſed geometrica.*

Iuſtiſſimum enim eſt, vt proportio ſeruetur inter id, quod cuiuſque intereſt, et numerum ſuffragiorum, ne ii, quorum parum intereſt, ſuffragiorum numero vincant reliquos.

Sic e. g. ſi tres ſint heredes, vnus ex ſemiſſe, reliqui ex quadrante, iniquiſſimum eſſet, ſi vnus, qui ex maxima parte heres, duorum reliquorum ſuffragiis ſtare cogeretur.

Et inde eſt, quod in re publica Belgii foederati non ſunt pa-

ria omnium prouinciarum ſuffragia, ſed vti Hollandia plus reliquis contribuit, ita plura habet ſuffragia.

Attamen id non vbique obſeruatur. Nam in Germania princeps minimus aeque virile ſuffragium habet, ac princeps potentiſſimus, idemque in Heluetia obſeruatur, vbi res publica Bernenſis, reliquis omnibus potentior, non plus pollet ſuffragio, quam reliquae.

§. 23.

Hactenus regulas de ſuffragiis dedimus. Pergit iam Grotius ad *poteſtatem ciuitatis in ſubditos, qui in ciuitate manent* §. 23. *in eos, qui ciuitate excedere volunt*, §. 24. et *in exſules*. §. 25.

De poteſtate ciuitatis in ſubditos recte docet, eam tamquam totum integrale in ſingulas partes ius maximum habere, adeoque de omnibus ciuium actionibus externis, leges condere poſſe. Recte addit, de actionibus externis. Internae enim non cadunt ſub imperium ciuile, adeoque abſurdum eſt leges praeſcribere velle intellectui, quid credere, quam religionem tenere debeat.

Poteſt equidem ciuitas religionis cuiuſdam, ſtatui ſuo incongruae, exercitium prohibere, (ſed hoc externum eſt), poteſt etiam eos, qui certam religionem profitentur, terris ſuis excludere, nec eis concedere aditum: at cogere homines, vt hoc credant, quod ipſis videtur incredibile et impium, id plus quam tyrannicum eſt. Vtrumque demonſtro. I. Omnes actiones externas ciuium ciuitati ſubiectas eſſe, ita probo:

Vbi conſenſus et conſociatio eſt in vnam voluntatem, ibi omnes actiones ciuium externae ciuitati ſubiectae ſunt.

In ciuitate eſt conſociatio omnium in vnam voluntatem,

Ergo, cet.

Minor clara eſt. Aeque abſurdum enim eſſet, in ciuitate vnumquemque agere, quod ſibi libeat, quam membrum aliquod corporis non ſubeſſe directioni mentis. Vnde et toties in libro Iudicum id repetitur, tamquam ſignum anarchiae: *eo tempore non erat rex in Iſraël, vnuſquiſque agebat, quod rectum videbatur.*

Minor patet ex ciuitatis origine et natura, de qua infra pluribus.

II. Religionem vel fidem non ſubeſſe ciuitatis imperio ita probamus:

Quid-

Quidquid cogi nequit, id nec legibus ſubeſt.
Intellectus, ad quem τὸ credere pertinet, non poteſt cogi.
Ergo intellectus, adquem cet. *legibus non ſubeſt.*

Minor clara. Intellectus eſt potentia neceſſaria; non poſſum ipſe intellectum cogere, vt credat circulum habere angulos, bis tria eſſe centum, cet.

§. 24.

Altera quaeſtio eſt, *an ciuibus de ciuitate abſcedere liceat, ſine venia?*

Hic primo obſeruat, in quibuſdam ciuitatibus id non licere, num. 1. veluti in Ruſſia. Immo et in Germania, et Polonia loca quaedam ſunt, vbi id non licet? Sed res facilis eſt. Diſtinguendum inter ſubditos, qui ſimul ſerui ſunt, et ſubditos liberos. Serui ſunt ſubditi 1. in imperiis deſpoticis vel herilibus, quale eſt Ruſſicum, Turcicum, Perſicum, cet. 2. in imperiis, vbi ſoli nobiles ingenui, plebeii ſeruilis conditionis, vti in Polonia, vel 3. vbi ruſtici ſaltim ſunt ſeruitutis iugo adſtricti, vt in Weſtphalia, ducatu Meklenburgico, Holſatico, in Luſatia. Hi ergo omnes, quum ſint glebae adſcripti, poſſunt cogi, vt in ciuitate maneant, et ſi fugam capeſſant, vindicari a dominis, Vid. Hertius in *Diſſ. de homin. propr. tom. II. Opuſc.*

Vbi autem ciues ſunt liberi, ibi alia obtinet diſtinctio. Aut num. 2. 3. enim gregatim abſcedere conantur, aut vnus vel alter. Priore caſu id poteſt impediri, poſteriore non item. I. Ratio prioris membri eſt, quia quum ſemel ciues conſenſerint in id, quod ſalus rei publicae exigat, conſenſiſſe etiam intelliguntur, ſe non diſceſſuros, vbi periclitetur ea diſceſſione res publica. Et hinc quum ex municipiis Italicis tam multi Romam migrarent, vt vrbes pene inanes relinquerentur, lege Mucia Claudia cautum eſt, vt omnes cogerentur in patriam redire. II. Ratio poſterioris membri eſt, quia ex vnius vel alterius diſceſſu nihil detrimenti capit res publica, adeoque nemo cogendus in ciuitate manere, cuius membrum eſſe nolit. Sed tamen res ipſa docet, id non licere;

1. Si quis ad hoſtes velit deficere, quia haec proditionis ſpecies:
2. Si aeris alieni vel delicti cauſſa abſcedere, quia haec fuga eſſet.

3. Si periculum eius perſonam exigat. Hinc miles in obſidione vel imminente praelio fruſtra miſſionem flagitabit.

§. 25.

Tertio quaeritur, *an et in exſules ciuitati, vnde profecti, ius ſit?* Negat Grotius. Nam exſilium eſt amiſſio ciuitatis. Si ergo ciues eſſe deſierunt, nec vlla in eos poteſtas eſt ciuitati.

Sed tamen et exſules comiter venerari patriam tenentur, nec ad hoſtes deficere. Notum eſt illaetabile et triſte fatum baronis de Patkul, crurifragio puniti a rege Sueciae Carolo XII. qui ex Liuonia exſul, ad Ruſſos et regem Poloniae ſe contulerat, et bellum fouerat aduerſus Suecos. Supplicium dirum et iuſto ſeuerius eſt: nec tamen ſine noxa fuiſſe exiſtimandus Patkul.

§. 26.

Diximus ſupra, conſenſu in poteſtatem noſtram redigi perſonas vel per conſociationem, vel per ſubiectionem. Ex conſociatione oriuntur matrimonia, vniuerſitates, ciuitates, collegia, de quibus hactenus: per ſubiectionem fiunt *liberi adoptiui*, §. 26. *ſerui*, §. 27-30. *populi deuicti*. §. 31.

Arrogationis fundamentum eſt libera ſubiectio. Homo enim ſui iuris quum ſe poſſit addicere in ſeruitutem: quidni etiam in poteſtatem patriam, multo mitiorem et vtiliorem?

Sed de adoptione paullo ſubtilior quaeſtio eſt, an pater poſſit filium ſuum alii dare in adoptionem? Videtur enim patrium ius eſſe perſonaliſſimum, quod non magis alii cedi poteſt, quam ius in vxorem. Et hinc Grotius diſerte negat, naturam hoc ſinere, et hinc tantum concedit, vt pater filium alendum det alii.

Sed reſp. patria poteſtas iuris naturalis, vt ſupra docuimus, nihil aliud eſt, quam ius dirigendi actiones liberorum ob educationem. Quum ergo alius ſaepe ipſis parentibus aptior ſit ad dirigendas filii actiones; quidni huic ius patrium cedi poſſet? Si pater per aliquot annos paedagogo ius ſuum recte cedit, quidni et alii in perpetuum, ſi id filio vtile fore intelligat?

§. 27.

num. 1. Altera ſubiectionis ſpecies, eaque ignobiliſſima, eſt in ſeruitute.

uitute. Quamuis enim Romano iure liber homo non ſit in commercio, adeoque nemo ſe poſſit in ſeruitutem mancipare: ius naturae tamen id non impedit. Cuilibet enim licet iuri in ſui fauorem introducto renunciare, adeoque et libertati.

Vnde et legem hanc Romanam apud alias gentes non valuiſſe, obſeruat ipſe Grotius.

Poſſet videri, ſeruitus iuri naturae repugnare. Sed id merito negatur. Seruitus enim 1. in ſe nihil aliud eſt, quam obligatio ad perpetuas operas. Si non iniuſtum eſt obligari ad annuas operas, quidni et ad perpetuas? *num. 2.*

2. Ipſa quorumdam natura ad ſeruitutem aptiſſima et tota comparata eſt, ita vt nec actiones ſuas dirigere, nec victum et amictum ſibi lucrari poſſint. Vnde Ariſtoteles, quamuis parum adcurate, quoſdam natura ſeruos eſſe dixit. Hi homines ſi alieno beneficio et arbitrio viuunt; quid hoc iniqui eſt?

3. Ipſe Deus ſeruitutem probauit, tum in V. T. inter Iſraelitas, tum in N. T. per Paullum 1. *Cor. VII.* 20. 21. 22.

§. 28.

An autem *ius naturae dominis etiam ius vitae et necis in ſeruos concedit*? Negat Grotius, additque rationem, quia nemo poſſit hominem occidere, niſi capital commiſerit.

Sed facile patet, Grotium hic mutaſſe ſtatum quaeſtionis, quem primus recte formauit THOMAS. in *Fundament. iur. nat. et gent.* Nimirum ius vitae et necis non eſt promiſcua occidendi licentia, ſed ius coërcendi delinquentes etiam ſupplicio capitali. Quum enim principi competat ius vitae et necis in ſubditos: quis tamen dixerit, eum poſſe promiſcue ſaeuire in vitam ciuium? Eſſet haec iniuria et tyrannis, non ius vitae et necis. Si ergo delinquentes coërcere non iniuſtum eſt: ergo in ſe nec iniuſtum eſt, ſi id ius conceditur dominis in ſeruos.

Sed tamen quum id non ſit iuris naturae praeceptiui, ſed permiſſiui, omnino ciuitas id ius dominis recte adimit; 1. quia facile degenerare poteſt in tyrannidem, quia 2. aliquando delicta manerent impunita, ne domini ſeruorum iacturam facerent.

§. 29.

Progreditur auctor ad nobilem quaeſtionem, vtrum parentem *num. 1.*

tem ſequatur partus ſeruilis? Legibus ciuilibus fere certum eſt, partum ſequi ventrem, adeoque ex duorum dominorum ſeruo et ancilla prognatum ad dominum ancillae pertinere. Sed iure naturae communem eſſe partum arbitratur Grotius, quia vterque parens ſit cauſſa partus.

Ego neutrius puto iure naturae eſſe, ſed liberum; nullus enim hic titulus eſt, cur dominus eum, qui liber natus eſt, ſibi vindicet: homo autem ſemper liber naſcitur.

num. 2. Sed obiicit Grotius, vernam ſeruum merito fieri in compenſationem alimentorum, quae a parentibus accipere nequeat. Sed reſp. 1. ſeruum et peculium habere poſſe, vnde vernam alat; 2. alimenta puero, ſerui filio, data non eſſe tanti, vt in comparationem venire poſſint ſeruitutis perpetuae.

§. 30.

Obſeruat Grotius, eſſe quoſdam ſeruitutis gradus, quos paullo adcuratius deſcribemus. Nam

1. Eſt ſeruitus mercenaria, omnium mitiſſima, quia et mercedem accipit ſeruus, et non niſi operas conuentas debet.

2. Eſt ſtatu-libertas, ſeu libertas ſub conditione vel ex die conceſſa, quia libertatem ſperant.

3. Eſt eorum, qui ſe addicunt vltro, nam hi vendi non poſſunt iure naturae qui perſonam domini elegiſſe videntur.

4. Eſt eorum, qui venditione adquiſiti, nam hi in commercio ſunt.

5. Eſt captiuorum, nam hi ob animum hoſtilem et fugae periculum durius haberi poſſunt.

§. 31.

Tertio et victae gentes ſe ſubiiciunt per deditionem. Eſt autem *deditio* vel *perfecta*, Germanis vocata *auf Gnade und Ungnade*, quando dedititii ſibi nullas conditiones ſtipulantur, alia *imperfecta*, quae fit ſub certis conditionibus.

Priore caſu quamcumque conditionem iis imponere poteſt victor; modo non in eos ſaeuiat. Mortis enim euitandae cauſſa ſeſe dediderunt: et dum eos recipit victor, non poteſt illos occidere, quia in hanc conditionem conſenſit.

Poſteriore caſu adcurare implendae ſunt conditiones. Ex pacto enim et hoſti obligamur, qui hic non vt hoſtis, ſed vt homo conſideratur. Vnde iuri naturae et gentium aduerſantur, qui dedititios ſub conditione receptos durius habent.

§. 32.

§. 32.

III. Vltima cauſſa, ex qua ius in perſonam naſcitur, eſt delictum. Sed quamuis facile largiamur

1. Ex legibus ciuilibus delicti cauſſa aliquos ſeruos fieri, vt iure Romano incenſos, feminas ſeruili amore bacchantes, libertos ingratos, qui ſe pretii participandi cauſſa venumdari paſſi, cet. nec negemus

2. leges has iuſtas eſſe poſſe; quia quum iure naturae delicta morte puniri poſſint, nihil obſtat, quo minus et ſeruitute puniantur. Tamen

3. nego iure naturae ob delictum quemquam fieri ſeruum eius, quem delicto laeſit, quia delictum vt actus tranſiens etiam poenam tranſeuntem requirit, non ſeruitutem, quae eſt conditio perpetua. Iuri naturae huiusmodi ſeruitus non repugnat, ſed tamen non eſt iuris naturae, quae ſaepe auctores confundunt.

* * * * * * * * *

CAPVT VI.

DE ADQVISITIONE DERIVATIVA FACTO HOMINIS, VBI DE ALIENATIONE IMPERII, ET RERVM IMPERII.

§. 1.

SVpra diximus, adquiſitionem vel originariam eſſe, vel deriuatiuam. Originaria adquirimus, quae antea in nullius dominio vel poteſtate fuerunt, et quidem vel quoad rei ſubſtantiam per occupationem, vel quoad eiuſdem incrementa per acceſſionem. Deriuatiua autem adquiſitio pertinet ad rem, quae iam in alterius dominio eſt, et ad nos transfertur per traditionem, alioſque modos, de quibus paullo poſt. Hactenus ergo actum de modis originariis, iam de *deriuatiuis* agendum. *num.* 1.

Adquiſitio deriuatiua denuo duplex eſt, et vel *facto hominis* fit, vel *facto legis*. Facto hominis 1. *per traditionem*, de qua §. 1-§. 13. 2. *per teſtamenti factionem*, de qua §. 14. De adquiſitione, quae fit facto legis, agetur capite ſequente.

Poſſe aliquem per traditionem dominium rei ſuae in alium transferre, expediti iuris eſt. Nam 1. id fluit ex definitione dominii, quae et ius de re diſponendi comprehendit. Atqui non poteſt quis dicere, ſe de re ſua libere diſponere, niſi habeat ius alienandi, dominiumque ſuum transferendi in alium.

2. Id ius etiam inde poteſt demonſtrari, quia vnicuique licet rem ſuam derelinquere. Si id poteſt ita fieri, vt res cedat cuiuis occupanti: quidni poſſem et in alterius fauorem dominio meo renunciare?

Sed tamen, vt tranſlatio dominii ſubſiſtat, quaedam et in dante requiruntur, et in accipiente.

In dante requiritur actus externus, ex quo colligi poſſit, eum alterum dominum eſſe velle. Cogitationis enim nulla certa notitia eſt.

Ex quo facile deciditur quaeſtio, *an traditio praeciſe requiratur?* Iure ciuili res certa eſt: neque enim poteſt hoc iure ius in re naſci ex ſolo contractu, ſed ex ſubſequente traditione. Sed de iure naturae id negandum videtur. Recte. Nam 1. quid opus eſt traditione, vbi de voluntate tradendi conſtat? ſane qui vult antecedens, vult et conſequens. 2. Quid iniquius eſt, quam me iure meo excidere ob intermiſſum actum, qui non eſt in mea poteſtate, ſed in poteſtate alterius, quocum contraxi? E. g. emi a typographo librum, ſolui pretium, ſed librum non tradidit, pollicitus ſe eum mihi cras traditurum: accepto pretio librum Maeuio vendit et tradit. Non poſſum iure ciuili vindicare librum tamquam meum, quia mihi nondum traditus eſt, quum tamen traditio non a me, ſed ab illo fieri debuerit. Sic ob intermiſſum actum, qui in poteſtate non mea, ſed alterius erat, dominio rei pecunia mea emtae priuor. Quid iure naturae iniquius?

Hinc recte dixeris, haec eſſe ex iure ciuili, quod et plura alia, e. g. iudicialem reſignationem, effeſtucationem, in Geldria receptam, ſeruileſque ritus, inuexit, ne homines dicerent, ſe non animo deliberato tranſtuliſſe dominium. Haec de requiſito ex parte dantis.

§. 2.

Ex parte accipientis itidem requiritur voluntas ſigno quodam declarata, quia 1. tranſlatio dominii eſt actus δίπλευρος vel bilateralis, 2. quia beneficium nemini obtruditur, et 3. quia incer-

incertum alias eſſet, an placeat conditio, ſub qua tradenda res, eiuſque transferendum dominium.

Acceptat autem aliquis vel *expreſſe* per declarationem ſubſequentem, e. g. dono tibi librum, ego accepto: vel *tacite*, per rogationem antecedentem, e. g. dona quaeſo mihi hunc librum: dono. Hic etſi alter non iterum acceptet, acceptaſſe tamen videtur, dum rogauit, in anteceſſum.

Sed de tacita obſeruandum, eam ſufficere, ſi idem datur, quod rogatum, non, ſi minus vel plus. E. g. vende mihi, quaeſo, hos quatuor equos: vendo tibi vnum: vel, vende mihi duos: vendo quatuor.

§. 3.

Iam haec ſuo more ad negotia publica transfert Grotius, et quaerit, *an et imperium alienari poſſit*, *ſiue totum*, §. 3. *ſiue per partes*. §. 4-13.

De toto regno iam ſupra *lib. I. c.* 3. §. 12. vidimus, illud vel *patrimoniale* eſſe, vel *vſu fructuarium*. Si patrimoniale eſt, eſt in dominio ſummi imperantis, adeoque ab eo poteſt alienari. Sin vſufructuarium, tunc nec poteſt a rege alienari, quia non eſt in proprietate et dominio regis; nec a populo, quia regi iam eſt ius, quod ei inuito auferri nequit.

Poteſt ergo ab vtroque ſimul, quia ſic nullius intereſt, cui ius ſit alienationem impediendi. Sed de hoc ſupra iam actum.

§. 4.

Iam de partibus ſummi imperii quaeritur, *an et illae alienari queant*? Et reſpondet Grotius, id fieri non poſſe niſi ipſa illa pars conſentiat. Ratio eſt, quia 1. qui ſe ciuitati vel regno adſociarunt, cenſentur formam rei publicae et modum imperandi elegiſſe, ergo ex pacto non poſſunt reiici, et iis aliud obtrudi imperium. 2. Poteſt et fieri deterior partis alienandae conditio, dum imperii minus potentis pars fit. Et hinc merito id illa inuita fieri non poteſt. Hinc quum rex Franciae Ioannes, Philippo, filio iuniori, Burgundiae ducatum et comitatum daret, id non prius fieri potuit, quam conſentirent Burgundiae ordines. Conf. SERRAN. *Hiſt. Franc.* in *Carolo ſap.* et *Franciſco I.* Ita et notum, quum Albertus, landgrauius Thuringiae, totam prouinciam Thuringicam venderet Adolpho, Naſ-

ſouio, imperatori Romano, non ſolum filios, ſed et ipſos ordines Thuringiae ſe oppoſuiſſe, et armis quoque ſe defendiſſe.

§. 5.

Quum vero officia imperantium et ſubditorum tum inuicem, tum inter ſe ſint reciproca: ſequitur, vt nec pars quaedam imperii reliqua parte inuita ſe ſeparare poſſit. Nihil aequius; quum id fluat ex ipſa regula fundamentali iuris naturae: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam iniquum eſſet, ſi res publica Belgica vnam ex prouinciis foederatis inuitam et innocentem foedere excluderet: tam iniquum foret, ſi vna reliquis inuitis diſcedere vellet.

Excipitur tamen et hic neceſſitas, quae non habet legem; e. g. ſi pars quaedam ciuitatis bello oppreſſa a ciuitate liberari nequeat, poteſt ſibi conſulere.

§. 6.

Hic obiectionem remouet Grotius:

Si neceſſitate vrgente pars poteſt ſe ſeparare a toto imperio, totum imperium autem neceſſitate quidem vrgente partem recte alienat, ſequitur, vt parti in totum plus liceat, quam toti in partem.

At poſterius eſt abſurdum.

Ergo et prius.

Sed reſpondet Grotius admodum ſubtiliter et ſcholaſtice, 1. partem eſſe in toto imperio, tamquam in ſubiecto adaequato indiuiſibiliter, vti anima ſit in corpore; 2. partem vti iure, quod ante ſocietatem habuerit, non item corpus.

Sed haec nihili. Tu dixeris, haec fluere ex pacto. 1. Qui ſe imperio aggregant, ii ſibi ſtipulantur defenſionem a toto, non autem cuiquam permittunt facultatem ſe alienandi. Ergo totum imperium non poteſt alienare partem inuitam. 2. Imperium, quod partem recipit in communionem rei publicae, promittit defenſionem, ergo ea non praeſtita, vel quando praeſtare eamdem nequit, ceſſat partis obligatio, et hinc ſibi conſulere poteſt.

§. 7.

Aliud autem eſt pars imperii, aliud locus vel regio quaedam in imperio. Pars conſtat ex regione, et hominibus illam incolen-

incolentibus, et imperio ſubiectis; locus vel regio et hominibus vacare poteſt. Illam inuitam ciuitas alienare nequit, haec libere alienatur.

Ex quo colligit auctor, partem territorii deſertam a ciuitate vel populo libero recte alienari, et quidem vel a rege et populo ſimul in regnis vſufructuariis, vel a rege ſolo in patrimonialibus.

Ratio ſatis clara. Vbi nemo eſt, qui contradicere poſſit, ibi aliquid iure fit. Hic autem territorii pars vacua hominibus nec poteſt contradicere, nec conqueri, ſibi factam iniuriam, adeoque iure illud alienatur a populo.

Populo autem ius eſt contradicendi, ſi ex poſſeſſione huius modi terrae rei publicae periculum immineat, e. g. ſi montana regio vendatur, et emtor eam caſtellis et praeſidiis muniat.

§. 8.

Quum itaque partem imperii alienare nefas ſit ſine eius conſenſu: quaeritur, *annon exceptionem admittat haec regula?*

Sunt quidam ex ICtis in margine allegati, qui duplicem comminiſcuntur exceptionem, 1. vbi neceſſitas totius corporis id exigit, 2. vbi ſuadet vtilitas inſignis.

Sed recte Grotius vtramque exceptionem reiicit. Nam

1. ob neceſſitatem ſe pars illa corpori adgregauit. Ergo abſurdum eſſet, ſi vrgente huius modi neceſſitate alienaretur, et contra naturam pacti reiiceretur a corpore.

2. Ob vtilitatem nihil contra pactum fieri a ciuitate poteſt cum detrimento tertii: ergo nec ob vtilitatem alienari poteſt pars imperii, niſi ea alienatio vtrique vtilis, et pars illa conſentiat. Abſurdum enim eſſet, vnum paciſcentem pactum violare poſſe ſub praetextu vtilitatis.

§. 9.

Quum ergo alienatio partis imperii prohibita ſit: quaeritur, *an alienatio et infeudationem ac oppignorationem comprehendat, adeoque et illae prohibitae ſint?*

Regulae de ea re paullo adcuratius formandae. Regnum vel patrimoniale eſt, vel vſufructuarium.

I. In patrimonialibus imperans; quum alienare poſſit pro

lubitu, poteſt et infeudare et oppignorare, nec quiſquam id iure impedit.

II. In vſufructuariis quum omnis alienatio prohibita, prohibita etiam infeudatio et oppignoratio, niſi conſenſu populi, vel eorum, qui populum repraeſentant, ſtatuum. Sic e. g. princeps eccleſiaſticus adhibere tenetur conſenſum capituli; rex vel princeps pares curiae, vt in iure feudali vocantur.

Porro ſciendum, feuda vel de nouo conſtitui, vel antiqua renouari, vel aperta nouo vaſallo concedi. III. Primo caſu valent regulae paullo ante expoſitae. IIII. Secundo caſu non opus eſt populi conſenſu, immo iniuriam facit dominus vaſallo, ſi inueſtituram deneget, quia ex contractu tenetur. V. Tertio caſu et vſufructuario conceditur infeudatio in rebus infeudari ſolitis. I. *Feud.* 6. II. *Feud.* 35. *fin.*

Sed quaeritur, *cur in infeudatione et oppignoratione idem iuris ſit, quod in alienatione, quum tamen in infeudatione dominium directum, in oppignoratione plenum dominium retineatur?* Reſp. 1. quia dominium directum omni vtilitate priuat dominum. Omnes enim fructus capit vaſallus, adeoque multum vtilitatis ſubtrahitur ciuitati vel reipublicae. 2. Quia in oppignoratione non ſolum poſſeſſio naturalis amittitur, ſed et ea recuperari nequit, niſi re veluti iterum emta.

§. 10.

Vidimus hactenus, quatenus prohibita ſit alienatio partis imperii: ſuccedunt iam aliquot limitationes et ampliationes, vti a ICtis vocantur.

I. Limitanda eſt regula in caſu functionum ciuilium, quas ex mente Grotii populus in perpetuum iure hereditario concedere poteſt, non item princeps vſufructuarius, ſiue electione, ſiue lege ad ſucceſſionem vocatus, quia temporarii regni effectus non niſi temporarius eſſe poſſit.

Sed hoc falſum, et periculo non caret iſtud principium; effectum temporarii regni non poſſe eſſe perpetuum. Quid fiet ergo paci et foederi ab huius modi rege inito?

Tu dic; *omnes principes et rectores ciuitatum poſſunt officia et munera ciuitatum in perpetuum et iure hereditario concedere, ſi id mos ciuitatis ferat: non vbi contraria conſuetudo eſt.* Nam

1. Res

1. Res non eſt tanti, vt ideo comitia ſtatim indicentur totius populi.

2. Quod ſemel conſuetudine inoleuit, in id populus conſenſit tacite. Quid enim intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis et factis? *l.* 32. §. 1. *D. de legib.*

3. Vbi conſuetudo huius modi non obtinet, ibi princeps ſequi tenetur officiorum naturam, quae in ſe non perpetua ſunt, ſed cum perſona exſpirant.

II.

II. Ampliatio pertinet ad bona principum domanialia. Princeps poſſidet bona triplicia. Alia enim pertinent ad patrimonium, (*Chatoull-Güther*) alia ad fiſcum, (*Domainen*,) alia ad aerarium.

Ad patrimonium pertinet, quidquid princeps poſſidet non tamquam princeps, ſed tamquam privatus, e. g. quod habuit ante principatum, tamquam priuatus, quod ſua pecunia emit, tamquam priuatus. Sic e. g. principes Friſiae orientalis patrimonium habent Eſens et Grietſiel, quia id poſſederunt iure allodii, antequam ad principatum perueniſſent.

Ad fiſcum vel domanium pertinet, quidquid ad ſuſtentandam principis aulam deſtinatum, vnde etiam in epiſcopalibus vocantur *Tafel-Güther*, eoque non ſolum pertinent iura quaedam pinguiora, e. g. venationis, metalli fodinarum, mulctandi, cet. verum etiam praefecturae quaedam, et praedia, *Cammer-Güther*, *Fürſtliche Ambachten*, cet.

Ad aerarium pertinent, quaecumque ſuſtendandis reipublicae oneribus inſeruiunt, vt tributa, vectigalia, cet. Quod diſcrimen et modos adquirendi egregie expoſuerunt KLOCKIVS, THOMASIVS, et CONRINGIVS.

In patrimonio princeps eſt dominus, in fiſco vſufructuarius, in aerario nudus adminiſtrator.

An ergo haec bona alienare poteſt? Patrimonium poteſt, domanialia, et quae ad aerarium pertinent, non poteſt, quia hic nullum dominium habet, quod poſſit in alium transferre.

Immo ne populus quidem alienare poteſt domania, quia principi eſt ius in illis quaeſitum: quum tamen poſſit populus

de aerario diſponere, in quo tanto plus iuris habet populus quanto minus princeps habet.

Et hinc ius illud naſcitur reuocandi domania, nulla obſtante praeſcriptione, quod ſaepe familias grauiter adfligit.

§. 12.

Monet iam Grotius, non confundenda eſſe patrimonia cum iis, quae in fructu ſint. Nam e. g. metalli fodinae ſunt in fructu, quia ſunt domanium, et hinc a principe alienari nequeunt; at pecunia, quae inde redit, eſt in dominio et patrimonio principis, et poteſt hic de ea pro lubitu diſponere. Quod exemplum clarius rem illuſtrat, quam quae adduxit Grotius.

§. 13.

Redit auctor ad oppignorationem, et quum antea docuerit, eam fieri non poſſe a principe ſine conſenſu populi: iam limitationem addit, niſi princeps plenum habeat et abſolutum imperium.

Nimirum in huius modi principatibus et regnis aliquando contingit, vt tributa ob neceſſitatem publicam non poſſint tam celeriter colligi. Hinc princeps pecuniam mutuam ſumit, et aliqua bona publica vel domanialia oppignorat: quae poſtea populus luere tenetur. *An id fieri poteſt?* Omnino. Nam proinde eſt, ſiue ſubditi tributa inferant in aerarium, ſiue iis luant bona oppignorata.

§. 14.

num. 1. Reliqua eſt poſterior pars capitis de teſtamentis. Nam et hic facto hominis dominium ab vno ad alterum transfertur. Hic quaeritur,

1. *Quid ſit teſtamentum?* Eſt alienatio rei conditionalis et reuocabilis, retenta interim poſſeſſione et pleniſſimo fruendi iure. Ita Grotius, ſed falſo. Definitio enim meras continet contradictiones. Alienatio eſt tranſlatio dominii. At teſtamentum non transfert dominium, quamdiu teſtator viuit. Immo ſe inuicem tollunt alienatio et reuocabilitas; alienatio et nullius iuris in heredem tranſlatio. Falſum quoque eſt, teſtatorem ſibi retinere tantum poſſeſſionem et ius fruendi. Retinet enim ipſum dominium

nium pleniſſimum, quia non poſſidet nomine heredis, ſed ſuo, et habet praeterea ius vindicandi rem ab vnoquoque, etiam ab ipſo herede. Quis autem dixerit, poſſeſſorem vindicare rem poſſe?

Hinc rectius dixeris, teſtamentum eſſe vltimam voluntatem de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Iure ciuili haec definitio non ſufficeret. Sufficit tamen, ſi abſtrahas a iure ciuili.

2. *An iuris naturae ſint teſtamenta?* adfirmat Grotius, quia licet vnicuique alienare ſub conditione, reuocabiliter. Sed hunc eius conceptum iam deſtruximus. Nam 1. teſtamentum demum valet, quum iam velle amplius nequit teſtator. Id tam inconcinnum eſt, ut voluntas noſtra incipiat, poſtquam velle deſiimus, id eſt, poſtquam non volumus. 2. Nullum poteſt reperiri fundamentum obligationis, cur mortui voluntati parere teneamur. Quod adeo verum eſt, vt LEIBNITIVS *in noua methodo iuris prudentiae* hic recurrendum putet ad immortalitatem animae; quaſi vero animae damnatae obligemur, aut quaſi beata curet, quid hic geratur. 3. Abſurdum eſt, leges de ſucceſſione ab inteſtato tolli voluntate priuati, maxime quum 4. pleraque teſtamenta ex inuidia, odio, et aliis vitiis oriantur.

Ergo iure naturae tunc valida videntur teſtamenta, ſi quis viuus transfert dominium rerum ſuarum vel poſſeſſionem. Sed tunc teſtamentum non erit irreuocabile.

3. *An et exteri teſtentur?* Recte Grotius huius modi prohi- *num. 2.*
bitionem ex iure ciuili eſſe ait. Sed tamen non ſequitur, ſi iure ciuili exteri non poſſunt teſtari, id poſſe eos facere iure naturae, quia iam oſtendimus, non abſolute teſtamentifactionem eſſe iuris naturae.

Ergo hypothetice reſpondendum erit. Poſito enim, teſtamentifactionem eſſe iuris naturae, et quatenus eſt iuri naturae conſentanea, eatenus nulla eſt iure naturae inter ciues et peregrinos differentia, et teſtamentifactio his aeque, ac illis, concedenda.

CAPVT VII.

DE ADQVISITIONE DERIVATIVA, QVAE FIT PER LEGEM, VBI DE SVCCESSIONE AB INTESTATO.

I.

Adquiritur aliquid vel facto hominis, vel facto legis. Lex vel naturae et gentium eſt, vel ciuilis.

Iam de lege ciuili non agitur, 1. quia modi fere infiniti ſunt variarum gentium legibus variis introducti; 2. quia et modi quidam adquirendi ciuiles iniuſti ſint, veluti bona naufragorum colligendi ius, quod multae gentes ſibi vindicant.

Hoc ius defenditur alioquin his argumentis:

1. Quod mare ſit ſub imperio populi, ergo et bona naufragorum tamquam acceſſorium maris facta. Reſp. eodem modo colliges: metalli fodinae ſunt principis: ergo ſi annulus incidit in hanc cauernam, ille fit principis; ſi annulus meus incidit in fontem Titii, fit Titii. Quaſi pro acceſſorio ſit habendum, quod nec natura, nec induſtria hominis rei accedit.

2. Res pro derelictis habitae ſunt nullius: cedunt ergo occupanti. Reſp. ſi nullius ſunt, quidni cedunt omnibus, ſed fiſco? Cur ipſi domino rem ſuam occupanti eripiuntur a fiſco? Et quis umquam audiuit, rem pro derelicta haberi, quam velim inter res meas habere?

3. Aequum eſt, has res pro defenſione maris cedere fiſco. Reſp. immo iniquum eſt, a miſeris exigere praemium vel mercedem et non potius ab illis, quibus defenſio profuit.

§. 2.

num. 1. Porro lege naturali et gentium dupliciter adquirimus, vel *expletione iuris*, vel *ſucceſſione ab inteſtato*.

Expletio iuris eſt ius accipiendi et ſibi vindicandi aliquid alienum, pro eo, quod ſibi debetur. Id non vno modo fieri ſolet, veluti:

1. Priuata

1. Priuata auctoritate, a) per retentionis ius, e. g. Titius mihi debet 100. commodauit mihi libros magni pretii, ego hos libros nego me redditurum, donec ſatis fecerit. Et hoc modo defendunt exemplum Iſraëlitarum, vaſa aurea et argentea Aegyptiorum pro mercede operarum debita retinentium. Vide locum TERTVLL. *lib. II. aduerſ. Marcion. cap. 10. in nota allegatum.* b) Per pignoris capionem. Sic e. g. moribus obtinet tantum non vbique, vt ſi hominem vel quadrupedem damnum dantem in meo deprehendam, tunc pignus capere poſſim, idque iudici offerre, tamdiu retinendum, quoad mihi fuerit ſatis factum.

2. Publica auctoritate, a) per arreſtum, ſi debitoris mei res iuſſu iudicis retineantur, donec mihi fuerit ſatis factum: b) Per repreſſalias, ſi gens nobis vel noſtris ſubditis ſatis factionem denegat, et nos ſubditorum alienorum rebus et bonis tamdiu manus iniicimus, donec fuerit ſatis factum.

Sed quaeritur, *an licita ſit huius modi iuris expletio?* Reſp. affirm. ſed certis caſibus. *num. 2.*

1. Si aliter rem recuperare non facile poſſim. E. g. ſi debitor in fuga ſit, vel in prouincia remotiore habitet, quis enim tunc vitio vertat, ſi iure retentionis vel arreſti vtamur?

2. Si alias incerta foret probatio. E. g. ſi boues agrum meum depaſcentes deprehendo, eoſque abigo, et deinde conqueror, vicini boues mihi damnum dediſſe: negabit hic, boues ſuos fuiſſe. Quis ergo vitio mihi vertet, ſi pignus ceperim?

3. Si plane a iudicibus nullum auxilium ſperandum, e. g. ſi exteri iudices nobis denegent iuſtitiam: tunc enim locum habent repreſſaliae, de quibus infra.

Ratio vna omnium horum iurium, quia quemadmodum mihi ius priuatae defenſionis reuiuiſcit, vbi iudicis non eſt copia: ita eodem modo et ius priuatae ſatis factionis, ſi a iudice nihil ſpei.

§. 3.

Alter modus adquirendi ex facto legis, eſt SVCCESSIO AB INTESTATO, eaque vel *priuatorum*, §. 3-11. vel *imperantium*, §. 12. *ad fin.*

Primo quaeritur, *quodnam ſit ſucceſſionis ab inteſtato fundamentum?*

Si

Si omnes leges ciuitatum variarum inter ſe comparamus, in ſucceſſione ab inteſtato duplicem earum finem deprehendimus. Alii enim populi ad familias, earumque conſeruationem, reſpexerunt, vti veteres Romani: vnde non ſuccedebant emancipati, non cognati, ſed ſoli liberi ſui, et his deficientibus, agnati; quia ex lege Voconia ne filiae quidem et agnatae admittebantur. Ita et apud Iſraëlitas filiis tota hereditas cedebat, filiabus ſola dos debebatur. Vid. BYNKERSHOEK *Obſeruat. lib. II. cap.* I. SELDEN, *de ſucceſſ. Ebr. lib.* I. *cap.* I.

Alii populi ſucceſſionem ab inteſtato referebant ad voluntatem defuncti praeſumtam. Vnuſquiſque enim praeſumitur res ſuas ei relinquere velle, quem habuit cariſſimum. Aut enim res voluit nullius eſſe, aut fiſci vel aerarii, aut iis obtingere, quos duce natura maximi fecit. Atqui primum abſurdum, ſic enim cederent occupanti, adeoque nemo per vitam ſciret, annon inimico, annon ſtulto adquirat. Secundum abſurdius; ſic enim fiſcus poſtremo ſolus omnia occuparet. Ergo praeſumtio eſt, relicta illa bona voluiſſe defunctum illis, quos habuerit cariſſimos. Et hoc fundamentum videtur iuris naturalis et gentium.

Si ergo porro quaeras, *quos habere videamur cariſſimos:* experientia docet, amorem deſcendere, ſi non habeat, quo deſcendat, tunc adſcendere, ſi nec adſcendere poſſit, ad latus divergere. Ergo ſucceſſio 1. eſt *deſcendentium*, 2. his deficientibus *adſcendentium*, ac denique 3. nec his ſuperſtitibus *collateralium*.

§. 4.

num. 1. Prima ergo et praecipua eſt ſucceſſio *liberorum* vel *deſcendentium*. Huius ſucceſſionis fundamentum Grotius conſtituit in obligatione ad alendos liberos: ſed perperam. Nam colligi non poteſt: parentes liberis debent alimenta: ergo et bonorum partem debent. Ita enim ſuccederent tantum parentibus liberi infantes, impuberes, et minores, non adulti, et maiores, nec hi tantumdem ſibi capere poſſent, quam illi. Immo agnati ſic plane non ſuccederent. Accedit, quod potius in contrarium argumentari liceat, parentes iam alimentorum onere premuntur, ergo non imponendum illis nouum onus liberis relinquendi bona. Ergo potius verum fundamentum eſt, quod paragrapho antecedente expoſuimus, nempe, quod amor deſcendit.

dit. Elegans ea de re eſt locus ARISTOTEL. *Ethic. lib. VIII. cap.* 12. *magis adficitur cauſſa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentem. Nam quod ex aliquo ortum eſt, id ei quaſi proprium eſt. Poſt hos autem magnum momentum ſitum in eodem ſanguine et eadem radice.*

Sed rem tamen expendemus. Quaerit Grotius, *an parentes alimenta debeant liberis?* Negant alii, alii adfirmant. Grotius vtroſque conciliare conatur diſtinguendo inter obligationem perfectam, vel iuſtitiam expletricem, et imperfectam, ſeu attributricem. Non priore, ſed poſteriore parentes obſtringi ad alimenta praebenda putat.

Verum videtur omnino obligatio perfecta eſſe. Idque probo 1. a fine Dei, qui dum liberos imbecilles, et ſui ipſius incurioſos creauit, voluit eos ab aliis ali: dumque parentibus tam tenerum eorum amorem inſeruit, praeciſe voluit, vt a parentibus alerentur. Quod vero voluit Deus, id pro lege naturae eſt, adeoque alendi obligatio, ex lege eſt, et proinde perfecta.

2. Ex effectu. Ita enim argumentor:

Si obligatio ad alendum tantum imperfecta eſſet, nemo poſſet puniri, ſi ea infanti denegaret, eumque perire fame pateretur.
At puniri poteſt.
Eſt ergo alimentorum obligatio perfecta.

Idem Grotius illuſtrat inſtinctu illo naturali brutorum: nul- *num.* 2. lum enim eſt animal, quod pullos non alat eouſque ſaltim, donec ipſi ſibi offulas quaerere poſſint. Quamuis itaque bruta id non faciant ex lege vel obligatione interna, ſed ex naturali inſtinctu: certe tamen inde licet argumentari.

Si ex hoc inſtinctu naturali patet, Deum velle, vt bruta alant pullos; multo magis ex amore hominibus inſito ſequitur, vt parentes alant liberos.

Quaerit porro, *quid de liberis ex damnato coitu natis ſentiendum? an et illi alendi?*

Ali illos vetat IVSTINIANVS *Nou. XXXXVIIII. cap.* 15. Quod abſurdum pleriſque videtur. Nam quum penes illos nulla culpa ſit, ſed penes parentes: quo iure poena illis irrogabitur, et tam dura quidem, vt fame pereant?

Sed quidquid ſit de verbis Iuſtiniani duriſſimis: ſane eius ſententia tam dura non fuit. Voluit enim, vt alimenta acci-

perent non ciuilia, ſecundum parentum conditionem, ſed naturalia et neceſſaria, quae ſufficiant vitae conſeruandae. Alii aliter.

Nobis ſufficit, quod ex iure naturae certiſſimum ſit, hos quoque liberos alendos. Haec enim obligatio eſt ex conditione liberorum ſibi alendis non ſufficiente. Quum ipſi ſe alere nequeant, ab aliis ſecundum intentionem Dei alendi. Sed a quo? In liberis iuſtis et legitimis hoc ipſum oſtendit inſtinctus parentum naturalis: idemque adeſt erga liberos illegitimos. Si vero in parentibus ſupprimatur, aut in odium mutetur, id inde eſt, quod parentes ex damnato huius modi coitu metuant poenam. Sufficit ergo, parentes eſſe liberorum huius modi cauſſam. Gignens vero cauſſa ſemper erga genitum adficitur, vti paullo ante ex egregio loco Ariſtotelis vidimus.

num. 4. Denique et liberos vlteriorum graduum alendos, recte obſeruat Grotius. Dum vero id Iuſtiniani teſtimonio probat ex *l. vlt. C. de bon. quae lib.* quippe qui hoc propter ipſam naturam fieri oportere ait, rem non ſatis demonſtrauit. Noſtrum fundamentum eſt ſolidius. Amor deſcendit, et, quo magis deſcendit, eo flagrantior eſſe ſolet. Vnde magis plerumque nepotes amant aui, quam liberos parentes. Ergo ex hoc ipſo inſtinctu naturali recte colligas, eos, ſi parentes praemortui ſint, ad alendos illos adſtrictos eſſe.

§. 5.

num. 1. Iam de parentibus. De iis concedit Grotius, quod ſint alendi, ſed non putat tantam eſſe obligationem, quam ſuperiorem, additque rationem, quia liberi in hoc mundi theatrum prodeuntes nihil ſecum adferant, parentes iam aliquid lucrari potuerint.

Nos ita dicimus. Obligationem aeque perfectam eſſe liberorum, alendi parentes, quam parentum alendi liberos. Quum enim illa ſolo inſtinctu naturali nitatur, huic accedit et alia cauſſa, nempe gratitudo; liberi enim ſimile beneficium a parentibus acceperunt. Immo ex regula iuſti concludi poteſt. Liberi inopes et rerum omnium indigi noluerunt negligi a parentibus: ergo nec hi negligendi a liberis. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Sed in eo eſt differentia, quod quum obligatio parentum ſit

ordinaria

ordinaria et abſoluta, quia liberi alimentis ſemper indigent, liberi obligentur extra ordinem et hypothetice, ſi ſcilicet parentes ſint inopes.

Hinc iam quaerit Grotius, *an* et *parentes ab inteſtato ſuccedant?* Negat Grotius, et magnam dicit differentiam inter parentum liberorumque ſucceſſionem. *num.* 2.

Hos ait ſuccedere ipſo iure naturae, adeo, vt apoſtolus ex ipſa ratione arguat: *ſi eſtis liberi, eritis etiam heredes*, et PAVLLVS in *l.* 7. *D. de bon. damnat.* id ex lege et ratione naturali deriuat, quod ſuccedant liberi.

Sed dupliciter hic videtur peccare Grotius, 1. quod principium ſuum deſerit. Liberi ſuccedunt parentibus, quia ab his alendi. Parentes non ſuccedunt, quum tamen alendi. Ergo aut principium Grotianum falſum erit, aut concluſio, aut vtrumque.

II. Quod negat, parentes ſuccedere liberis naturali iure. Quum enim totius ſucceſſionis fundamentum, vt ſupra dictum, ſit amor praeſumtus, liberis vero non exſtantibus, neminem magis amare praeſumamur, quam parentes: hos quoque liberis deficientibus ſuccedere aequum eſt. Verba Paulli apoſtoli interpretanda de ordine naturae, ſecundum quem parentes liberis non deberent eſſe ſuperſtites.

§. 6.

Vidimus hactenus ſuccedere liberos, et, his deficientibus, parentes. Liberi ſunt vel *primi*, vel *vlteriorum graduum*. Quaeritur itaque, *an et hi ſuccedunt?*

Reſp. diſtinguendum, an nepotum parentes adhuc ſuperſtites ſint, nec ne. Si ſuperſtites ſunt: ipſi nepotes per regulas rectae rationis non admittentur, quia ipſi iam per parentes heredes fiunt. Si parentes praemortui, merito admittuntur, quia tunc aeque amantur ab auis, ac ipſi liberi. Immo aui liberorum ſuorum veluti imaginem in nepotibus intuentur, et ſic eodem loco ſunt apud auos, quo parentes eorum adhuc viui fuerunt.

Ex quo ſimul recte colligas, nepotes tantumdem accipere ex hereditate auita, quantum accepturi fuiſſent parentes eorum, ſi vixiſſent. Vnde omnes leges agnoſcunt nepotes non ſuccedere in capita, ſed in ſtirpes iure repraeſentationis.

§. 7.

Sed hae regulae: ſequuntur exceptiones. Prima eſt, *ſi parentes vel abdicent, vel exheredent liberos.* *Abdicatio* erat, quando quis liberos male feriatos ex conſpectu ſuo abire, et ſuo nomine non appellari iubebat. *Exheredatio*, quando liberi quidem in poteſtate manent, ſed ſollemniter teſtamento exheredes fiunt. Illa Graecis, haec Romanis notior.

Facta hac abdicatione vel exheredatione exſpirat ius ſuccedendi. Nam ſuccedunt liberi ex praeſumta voluntate parentum, quia hi illos maxime diligere praeſumuntur. Atqui praeſumtio ſemper cedit veritati, quae tunc adeſt, ſi declarant parentes, ſe liberos nec amore, nec ſucceſſione dignos iudicare.

Ex quo tamen ſimul patet, 1. nec abdicationem, nec exheredationem valere tacitam, quia parentes iniuriarum obliuiſci potuerunt. 2. Eamdem factam eſſe debere ex iuſta cauſſa, ob ingratitudinem, quod et Iuſtinianus merito iuſſit obſeruari, quum olim liberi pro lubitu, et ſaepe ſine ratione in gratiam nouercae exheredes ſcriberentur.

§. 8.

num. 1. Altera exceptio eſt, *ſi liberi ſint incertae originis.* Nam tunc denuo ceſſat praeſumptio voluntatis parentum, quippe qui ignorantur.

Equidem de matre raro naſci poteſt dubitatio: ſed de patre tanto frequentius naſcitur. Elegans eſt locus Menandri a Grotio eam in rem adductus.

Sed quia ſaepe pater aeque neſcit, ſe parentem non eſſe, ac, ſe eſſe; immo ſaepe patres zelotypiae oeſtro perciti vxoris pudicitiam ſine ratione in dubium vocant: hinc leges ciuiles plerumque non teſtimonium patris ſequuntur, ſed praeſumtiones vrgentes. Hinc regulae: *pater eſt, quem iuſtae nuptiae demonſtrant.* Qui concubitum faſſus eſt cum muliere, is tenetur infantem alere, cet.

In *Hiſtoria ducis d'Oſſuna*, Hiſpani ingenioſi et acuti, legimus, ad eum, quum regno Neapolitano pro-rege praeeſſet; veniſſe patrem, et rogaſſe, vt ſibi liceret liberos ex vxore natos abdicare, quia dubitet, ſe patrem eſſe. Vxor pudica et honeſta

neſta vocata ad pro-regem, adſeuerabat, liberos eſſe patris, quia quotidie eodem ſecum lectulo vtatur, nec vmquam potuerit vel in ſuſpicionem ſe adducere. Pater haec omnia fatebatur, ſed negabat tamen, ſe certum eſſe, quia liberi non referant faciem ſuam, vxorem quoque eſſe formoſam, et hinc periculo inſidiarum expoſitam. Pro-rex quum videret, hominem zelotypia inſanire: quaerebat ex eo, an acquieturus ſit; ſi ei demonſtraret, quod liberi non alterius ſint, quam eius. Adfirmante hoc patre, pergebat: an tu fateris, liberos tuos eſſe vxoris? Fateor, inquit. Iam tibi vxori praecipio, vt liberos huic ſollemniter dones. Faciam, inquit haec. Ergo iam certiſſime, inquit pro-rex, tui ſunt. Lepida et iocoſa deciſio, ſed quo oſtendere voluit pro-rex, non poſſe circa hanc quaeſtionem omnia ad viuum reſecari, ſed ſtandum eſſe praeſumtionibus.

Tertia exceptio eſt *in liberis naturalibus*, per quos non intelliguntur ſpurii, quorum parens incertus, nec ex damnato coitu nati, veluti adulterini, inceſtuoſi, ſed ex concubina editi. *num.* 2.

Hi et ipſo iure ciuili ſuccedunt matri: patri non item, niſi ex iure nouiſſimo in ſextante vna cum matre, ſi adhuc exſtat.

Sed quum ſupra demonſtratum ſit, inter nuptias et concubinatum iure naturae nihil eſſe differentiae, facile patet, nec hanc prohibitionem ex iure naturae, ſed ex iure ciuili eſſe. Iure naturae naturales aeque ſuccedunt, ac legitimi, quia nuptiae nihil conferunt ad inſtinctum illum et amorem a natura impreſſum.

Quarta exceptio eſt *ex pacto*, ſi ineatur concubinatus vel matrimonium ad morganaticam, ea lege, *vt liberi non ſuccedant, ſed certa bonorum portione contenti ſint.* Tales coniunctiones frequentiſſimae apud Romanos, Ebraeos, Germanos, Brabantos; de quorum iure deuolutionis ſupra dictum.

Quaeritur autem, *an huius modi pacta non repugnent iuri naturae quum liberis auferant ius ſucceſſionis?* Reſp. neg. Nam fundamentum ſuccedendi non aliud eſt, quam praeſumta parentum voluntas, petita ex amore liberorum inſigni. Praeſumtio autem cedit veritati, id eſt, voluntati expreſſae, pactis declaratae. Quia tamen abuſus harum coniunctionum non leuis eſſe poteſt: hinc iure ciuili ſaltim priuatis pleriſque locis interdicuntur.

§. 9.

num. 1. Poſt liberos et parentes, vel his potius non exſtantibus, vocantur proximi collaterales.

Quum autem hi duorum generum ſint, *agnati*, a patre, et *cognati* a matre coniuncti: quaeritur, *qui praeferantur?*

Notum eſt, veteres Romanos agnatos ſolos admiſiſſe: ſero praetorem cognatos vocaſſe ex edicto, *vnde cognati.* Nouum ius inter agnatos et cognatos nihil ſtatuit diſcriminis, ſed ad ſolam proximitatem gradus reſpicit. Denique aliae gentes reſpiciunt ad originem bonorum, et in paternis praeferunt agnatos, in nouiter adquiſitis vtroſque ſimul admittunt.

Iam ſi quaeras, quodnam ius rationi, id eſt, iuri naturae quam maxime ſit conſentaneum? Grotio poſtrema ſententia placet.

Id probat, 1. ex praeſumta defuncti voluntate, qui cenſetur voluiſſe, vt bona eo redeant, vnde venerint.

num. 2. 3. 4. 2. Ex lege gratitudinis. Ea nihil aequius. Quum itaque defunctus beneficium acceperit a maioribus vel paternis, vel maternis: ſequitur, vt obligatus ſit ad gratitudinem, adeoque bona paterna illorum; materna horum poſteris relinquere teneatur. Defunctis enim gratia referri non poteſt, niſi in eorum liberis.

Id quod porro illuſtrat Grotius exemplo iuris Romani, quod olim fratres conſanguineos in paternis, vterinos in maternis bonis praetulit, et deinde concludit, ſi non exſtent eorum poſteri, a quibus bona ad nos peruenirent, tunc proximitatem gradus ſpectandam.

Haec eſt doctrina Grotii, ſed non extra omnem dubitationis aleam poſita, et hinc nec ab omnibus admiſſa, plerique enim naturaliſſimam putant ſucceſſionem, quae ad ſolam gradus proximitatem reſpicit. Idque probant, 1. ex praeſumta voluntate defuncti; quae non alio nititur fundamento, quam proximitate gradus, quae in cognatis ac agnatis eadem eſt. 2. Quia haec diſpoſitio fere locum habeat in immobilibus: in pecunia enim, aliiſque mobilibus ſaepe admodum dubium eſt, vnde ea peruenerint, quum tamen hic de ſucceſſione omnium bonorum quaeſtio ſit.

Ad argumenta Grotii facile reſpondetur. 1. Non praeſumitur defun-

defunctus voluiſſe, vt quos aeque amet, ii inaequaliter ſuccedant. 2. Gratitudinem debemus defunctorum poſteris, ſed non praeciſe, vt ſuccedant: a genere ad ſpeciem gratitudinis non valet conſequentia. Ita vnius cuiuſque benefactoris liberi praetendere poſſent ſucceſſionem in bonis clientis.

§. 10.

Iam de bonis nouiter quaeſitis, quae communia agnatorum cognatorumque eſſe fatetur Grotius. Recte, nam 1. fundamentum ſucceſſionis eſt, vt bona habeat, quem defunctus habuiſſe cenſetur cariſſimum, is vero proximus eſt gradu. *num.* 1. 2.

2. Succeſſio veluti tacitum teſtamentum eſt. Vti enim in expreſſo teſtamento quos amamus, et maxime honoramus: ita et tacite heredes iuſtituere videmur, qui nobis ſunt cariſſimi.

Poſſet obiici, ſaepe hanc praeſumtionem fallacem eſſe: nam quum fratrum quoque gratia rara ſit, multo rarior cognatorum eſſe ſolet. Sed reſp. praeſumtioni tamdiu locus eſt, donec aliud probetur. Amor eſt internus, nec poteſt, niſi ſignis externis, declarari: quod quum non fecerit defunctus, ſtandum eſt praeſumtioni.

§. 11.

Quaerit porro auctor; *quum hic ordo ſucceſſionis ſit iuris naturae, cur tam ſaepe legibus ciuilibus mutetur?* *num.* 1.

Reſp. quia hae leges 1. ſunt iuris naturalis permiſſiui, non praeceptiui, huius modi autem leges poſſunt attemperari ſtatui rei publicae, poſſunt mutari pactis et moribus. Hinc

1. Iure ciuili ius repraeſentationis valet in fratrum ſororumue liberis, iure Saxonico non valet.

2. Iure ciuili fratres germani praeferuntur vnilateralibus: aliis iuribus non praeferuntur.

3. Iure ciuili non diſtinguitur aetas et ſexus: aliis iuribus, veluti Hebraeo, praeferuntur primogeniti poſtgenitis, filii filiabus.

In his determinandis multa permittuntur legiſlatoribus.

Iam vero ad alteram capitis partem progreditur Grotius: et, vti ſemper ſolet prius ius naturae proponere, idque deinde adplicare quaeſtionibus illuſtribus: ita et hic tranſit ad ius *num.* 2.

pu-

publicum vniuerſale, et quaerit, *an in ſucceſſionibus in principatus et regna ſingulare quid obtineat?*

Recte obſeruat, diſtinguendum eſſe, an ſingulares eam in rem exſtent leges fundamentales, pacta familiae, mores et conſuetudines, an nihil horum exſtet. Priore caſu valere regulam: *omnes imperantes in regno probare ſucceſſionem, quam ſubditis ipſi praeſcripſerunt.* Sed addendum erat: *quatenus naturae regni non repugnat*; nam regni naturae, vti paullo poſt videbimus, repugnat, vt diuidatur inter plures eiuſdem gradus, quum nihil impediat, quominus priuatorum hereditates diuidi poſſint. Dicendum ergo de hac ſucceſſione in regnis paullo adcuratius.

§. 12.

Regna vel *patrimonialia* ſunt, vel *vſufructuaria.* In patrimonialibus regnum veluti priuati patrimonium conſideratur, adeoque imperanti de illo licebit pro lubitu diſponere, non requiſito populi conſenſu.

Ratio ex ipſa natura dominii arceſſenda. Dominii enim ea vis eſt, vt poſſit dominus de re ſua diſponere. Hinc ſequitur,

1. Vt diuidi poſſit etiam in partes minimas. Quum reges Hiſpaniae Mauris ſenſim expulſis regnum ſibi patrimoniale conſtituiſſent, non dubitarunt illud diuidere pro lubitu. Sic ſaepe vno tempore florebant reges Portugalliae, Algarbiae, Legionis, Caſtiliae, Arragoniae, Nauarrae, et hi iterum aliquando regna diuidebant in partes minimas.

2. Vt feminae et excludi poſſint, et admitti ab imperante. E. g. in Ruſſia adſunt filiae principis, nulli filii. Si voluerit imperator, filiae excludentur, et admittetur nepos: ſi voluerit, etiam hic excludet filias.

3. Vt et adoptiui ſuccedant. Hinc primi Romanorum imperatores imperium armis quaeſitum conſiderabant tamquam patrimonium, et ideo etiam adoptiui vocabantur. Immo certum eſt, imperatores de nouo electos dici ſolitos Caeſares, Flauios, Antoninos, tantum vt per adoptionem tranſiſſe in has regnatrices familias viderentur.

4. Vt et nothi admittantur. Luculentum eſt exemplum Alphonſi, regis Arragoniae; qui Neapolin, tamquam regnum armis Arragonum quaeſitum Ferdinando notho conceſſit.

5. Vt et extraneus, a primo adquirente ſanguinem haud

tra-

trahens, voluntate imperantis ſuccedat. E. g. in Ruſſia iam ante aliquot annos iurarunt ſubditi, ſe quemcumque imperator ſucceſſorem dicturus ſit, eum ſine contradictione recepturos.

§. 13.

Quid autem, ſi imperans de regno non diſpoſuerit? Tunc eam ſucceſſionis rationem probaſſe videtur, quam regni natura fert. Hinc

1. Regnum non diuiditur. Praeſumitur enim rex ſtatum rei publicae etiam in ſubditis probaſſe, quem probauit in ſe ipſo: maxime quum diuiſio illa et reges impotentes reddat, et ipſi regno periculoſa videatur.

2. Maſculi excludunt feminas eiuſdem gradus, immo et propiores, ſi per legem fundamentalem feminae imperare nequeant. Quum enim ad regnandum requiratur conſtantia, et animi magnitudo, quae raro cadit in feminas: ſequitur, vt eae non admittantur, niſi in ſubſidium, et ſi leges fundamentales permittant. Hinc quamuis Ruſſia ſit regnum patrimoniale, feminae tamen non ſuccedunt, quoad maſculi adſunt: et in Turcico imperio feminae plane excluduntur, quamuis regnum prorſus ſit patrimoniale.

3. Ius primogeniturae valet. Quum enim regnum diuidi nequeat per *theſ.* 1. nec feminae admittantur, quoad maſculi adſint, per *theſ.* 2. et tamen omnes filii ſint ratione originis eiuſdem conditionis: ſequitur, vt inter eos differentiam facere debeat aetas, adeoque primogenitus maſculus reliquos excludat.

Attamen poſtgenitis adſignanda eſt pecuniae ſumma, vel praedia danda ſunt, vnde commode poſſint viuere, quemadmodum et filiabus dos debetur. Haec bona vel pars terrae ſi ita dentur, vt poſſeſſor ſimul regalia, ſed ſub principe regnante exerceat, vocatur *paragium*. Sin ex praediis tantum reditus capit, nulla autem iura maieſtatis exerceat, vocatur *appanagium*, a pane, quem inde habent. Sic duces Burgundiae olim erant in ducatu et comitatu Burgundiae *paragiati*; at fratres electoris Hannouerani ſunt *appanagiati*. Vid. SCHILTERI et THOMASII *Diſſertationes de differentia paragiorum et appanagiorum.*

Ex quo ſimul patet, iniuſtiſſimum eſſe Turcarum et aliarum

gentium orientalium inſtitutum, dum poſt genitos vel trucidant, vel oculis priuant, vel perpetuo carceri mancipant, ne turbas dent in re publica. Neceſſitate ſe excuſant, ſed fruſtra, quum regnorum Europaeorum facies oſtendat, poſſe et ſine his artibus tyrannicis poſtgenitos in officio contineri.

§. 14.

Hactenus de regnis patrimonialibus. *Quid de vſufructuariis? an et ibi imperans poteſt de regnis diſponere?* Negatur, quia diſponit ſolus dominus, qualis non eſt rex vſufructuarius. Hinc recte ab Auſtriaca domo impugnatum eſt teſtamentum regis Hiſpaniae, Caroli II. quia regnum Hiſpanicum a linea Auſtriaca non fuit bello quaeſitum, ſed matrimonio. Vid. BVDDEI *Selecta iuris naturae et gentium, vbi num. 8. diſſertatio de teſtamentis ſummorum imperantium, ſpeciatim Caroli II. Hiſpaniae regis.* Cui oppoſuit quaedam VLR. OBRECHTVS, ICtus Argentoratenſis, *in Excerptis hiſtorico-iuridicis*: ſed quibus *Diſquiſitione vlteriore de iure gentis Auſtriacae in regnum Hiſpaniae* ita ſatis fecit Buddeus, vt cauſſam perorarit.

Poteſt tamen fieri, vt populus huius modi regi facultatem de regno diſponendi vltro permittat: et tunc recte et iure diſponit. Recentiſſima hanc in rem ſunt bina exempla reginarum, alterum Eliſabethae, reginae Angliae, quam ſaepe rogauerat parliamentum, vt ſucceſſorem ſibi nominaret: alterum Chriſtinae, reginae Sueciae, cui eamdem facultatem fecerant Sueciae ordines. Illa ex cauſſis politicis ea poteſtate vti noluit, ne turbae darentur, ſe viua; haec autem vſa eſt, et nominato ſibi ſucceſſore Carolo Guſtauo, comite Palatino, in Italiam ſeceſſit. Vid. PVFENDORFF. *Hiſtor. Sueciae.*

Quid vero ſi nihil huiuſmodi factum? Tunc obſeruanda regula: *ſucceſſio defertur ex praeſumta populi voluntate.* Quumque populus eam eligere cenſeatur ſuccedendi rationem, quae ſit vtiliſſima rei publicae: ſequuntur inde aliquot regulae, quas hac et ſequentibus paragraphis explicat Grotius.

Regula I. *Regnum eſto indiuiduum.* Nihil enim et regibus et populo diuiſione regni moleſtius. Regibus, quia plerumque de finibus oriuntur controuerſiae, ceu exempla filiorum Conſtantini M. et Ludouici Pii docent. Populo, quia ſic regni poten-

tia

tia imminuta, ſingulae partes facilius opprimuntur, ceu apparet exemplo veterum Anglo-Saxonum, a Danis et Normannis oppreſſorum.

§. 15.

Regula II. *Succeſſio ſtat inter eos, qui deſcendunt a primo adquirente.* Praeſumitur enim. 1. populus eam familiam regnatricem elegiſſe, non aliam. 2. Agnati a primo adquirente non deſcendentes nec iure hereditario poſſunt ſuccedere, nec titulo ſingulari. Non titulo ſingulari, quia non eliguntur a populo: nec vniuerſali, quia a maioribus in eos nihil iuris tranſmiſſum. Ergo plane non ſuccedunt.

Hinc quamuis magnae Britanniae rex hodiernus ſit ex domo Brunſuicenſi et Luneburgenſi: tamen exſtincta eius poſteritate regnum non deuolueretur in agnatos Guelpherbitanos, quamuis et ipſi ſint duces Brunſuicenſes, quia non deſcendunt a Sophia electrice, matre regis hodierni, tamquam primo adquirente.

§. 16.

Reg. III. *Non ſuccedunt extra legitimum matrimonium nati.* 1. Nam nothos origo contemtos reddit, cet. 2. Non ſatis certae originis ſunt, quum concubinis et pellicibus parum fidei et honeſtatis ineſſe ſoleat. Hinc tempore Iacobi II. Stuarti capitis damnatus dux Monmuthanus, quod regnum adfectaſſet, quum eſſet filius nothus Caroli II.

Solent huius modi nothi vel patris titulum gentilitium retinere, vel nouo indui, ita tamen, vt priore caſu dignitate differant. Sic nothus Caroli V. dictus Ioannes de Auſtria, non archidux Auſtriae. Antonius ſpurius Burgundiae ducis, Philippi Boni, dictus eſt Antonius baſtardus de Burgundia, non dux Burgundiae. Hodie nothus regis Poloniae dicitur *Comte de Saxe*. At in Gallia plerumque nouo ducatu vel comitatu honorantur, e. g. *Duc du Maine, Comte de Thouloufe.* At ſucceſſionis incapaces ſunt prorſus.

§. 17.

Regula IIII. *Maſculi praeferuntur feminis.* Ea regula non tantum valet in regnis, vbi feminae per leges fundamentales

 plane

plane excluduntur, verum etiam vbi admittuntur. Exſtante enim maſculo eiuſdem gradus, femina non admittitur. Sic in Britannia non admittebatur Maria et Eliſabetha, filiae Henrici VIII. quamuis eſſent natu maiores, quamdiu viueret Eduardus filius, quantumuis impubes.

Ratio eſt, quia et 1. conſtantia maior eſſe ſolet in maſculis, et 2. fortitudo peritiaque gerendi belli maior, et 3. minus etiam periculum, ne per matrimonium regnum ad exteros deuoluatur.

§. 18.

num. 1. Reg. V. *Natu maximus vel maxima anteferatur poſtgenitis.* Rationes ſunt, 1. quia rei publicae vtilitas exigit, ne regnum diuidatur, 2. quia inter pares nulla poteſt eſſe, niſi aetatis, praerogatiua.

Eſt autem *ius primogeniturae triplex*, aut enim 1. ex lege publica, quemadmodum in Germania inter Electores ſaeculares Aurea Bulla; aut 2. ex iure naturae, ob praeſumtam populi voluntatem, vti in regnis pleriſque; aut 3. pactis familiae, vti inter principes quoſdam Germaniae. Et haec locum habent, ſi antea ius contrarium inualuerat. Tunc vero nihil fieri poteſt, ſine omnium, qui familiae pars ſunt, conſenſu, quia illis iam ius quaeſitum eſt.

Ceterum facile adparet, non eſſe ius primogeniturae iuris naturalis abſoluti, (nam ſic iniuſta eſſet electio et diuiſio,) ſed permiſſiui, et ſuaſorii, vt ita dicamus. Vnde nec peccauit populus Francorum, qui Ludouico Pio diuiſionem regni inter tres filios conceſſit. Conf. BVDD. *Diſſ. de ſucceſſionib. primogenitor.* in *Selectt. iur. nat. et gent. num.* 3. *pag.* 149. *ſqq.*

num. 2. Quaeritur autem, *an et ius repraeſentationis locum habeat circa ius primogeniturae?* Saepe enim contingit, vt exſtincto ante patrem filio primogenito, et nepotes exſtent ex illo, et eiuſdem fratres. *Quinam praeferuntur?* Reſp. nepos primogenitus ex filio primogenito excludit filium ſecundo genitum, iure repraeſentationis. Ratio eſt, quia ius primogenito ſemel quaeſitum, ad omnes eius poſteros tranſit iure hereditario, nec fratribus prius ius aliquod reuiuiſcit, quam exſtincta linea primogeniti.

Idem obtinet, quamuis primogenitus iuri ſuo renunciarit. Nam poſteris hoc nihil praeiudicat: quia renunciatio haec fit in fauorem fratris, non in fauorem poſterorum eius. Friderici I. electo-

electoris Brandeburgici filius, Ioannes, ſuaſu patris renunciabat iuri ſuo, idque transferebat in fratrem. Si Ioannes reliquiſſet poſteros, nihil ipſis obſtitiſſet, quo minus ius ſuum repetere poſſent.

§. 19.

Quaerit porro auctor *an regnum ſit pars hereditatis?* Idque adfirmat, ſed addit, eſſe ſeparatum quid a reliqua hereditate, quemadmodum diſtincta in feudis ſit hereditas feudi et allodii.

Rationes etiam indicat, cur populi liberi regna voluerint eſſe hereditaria, 1. quia interfuerit imperii, vt imperantibus ex ipſo ſanguine auctoritas accederet. Facile enim contemnuntur homines, noui regno admoti, veluti Michaël Wiſnowiezki rex Poloniae. Et inde eſt, quod veteres reges originem ad deos referrent.

2. Vt eo commodior eſſet educatio. Facilius enim artes regnatrices addiſcunt inter ſceptra et purpuram educati, quam quia a ſtiua ad imperium trahuntur.

3. Vt regnum eo carius haberent, quod ſuum eſſe ſcirent. Non enim abs re obſeruauit BARCLAIVS in *Icone animorum*, raro reges electitios magnam curam gerere rei publicae, et opibus corradendis magis intentos eſſe ſolere, quam populi ſaluti.

Sed quamuis haec vera eſſe poſſint, (aliquando enim res aliter ſe habet, nec temere dixit Ol. Cromwellus, principum liberos neſcire imperare): falſum tamen eſt, regnum hereditarium eſſe partem hereditatis. Loquitur enim Grotius de regnis vſufructuariis. Quis autem dixerit, vſufructuarium eſſe heredem rei vſufructuariae, ſi vel maxime teſtamento cautum eſſet, vt vſusfructus ad filium tranſiret?

Quare paullo incautius Grotius confudit ius ſuccedendi in regno, et ipſum regnum. Quemadmodum ius vtendi fruendi poteſt ad heredem deuolui, ſi velit teſtator, ſed non ipſa res, ex qua vſus fructus percipitur: ita et ius ſuccedendi poteſt eſſe hereditarium, (vnde et filii primogeniti vocantur *Cron-Prinzen*, *Erb-Prinzen*, *Land-Prinzen*:) ſed non ipſum regnum vſufructuarium.

§. 20. 21.

Ponit porro Grotius caſum, *ſi diuerſa ſit ſucceſſio in feudis*

et allodiis, et regnum antea ſucceſſionem probarit, quae in allodiis ſeruatur, an poſtea mutetur ſucceſſio, ſi regnum fiat feudale? Et recte reſpondet Grotius, id negandum eſſe. Regnum enim fit feudale, non ratione ſucceſſionis, ſed ratione nexus clientelaris, et ſeruitiorum quorumdam domino praeſtandorum.

Sic e. g. Neapolitanum regnum olim erat patrimoniale, et ſic omnes ſuccedere poterant, quos ſuccedere vellet rex. Poſtea papa eo rem redegit, vt feudale fieret, et reges Neapolitani ſibi fidelitatem et ſeruitia quaedam, nempe quotannis equum album cum marſupio aureis repleto, iurarent. Et tamen circa ſucceſſionem nihil mutatum. Regnum enim illud etiam ad feminas deuoluitur.

Vnde aliud obtinet circa regna, quae ſemper fuere feudalia, quale Bohemicum. Ibi enim ſucceſſio feudalis obtinet, maſculique ſoli ſuccedunt: niſi alii mores feudales in locis illis inualuerint. Quamuis enim ius feudale Langobardicum ſit commune, non valet tamen, niſi in ſubſidium, quemadmodum vt ius Romanum non valet, ſi leges prouinciales et ſtatuta aliter rem definiuerint.

§. 22.

[illegible]m. I. 2. Sequitur alia diuiſio moribus recepta, quae vocatur *linealis*, eaque denuo diuiditur in *cognaticam*, ſeu Caſtilianam, *agnaticam* ſeu Francicam, et *mixtam*, ſeu Narbonenſem.

Cognatica his regulis conſtat, 1. vt primum vocentur liberi vltimi poſſeſſoris primi gradus, tam viui quam mortui, eatenus, vt ſuccedant nepotes iure repraeſentationis.

2. Vt inter plures primogenitus praeferatur poſtgenitis, maſculus feminae.

3. Vt liberis deficientibus ſuccedat proxima linea: ita tamen, vt maſculina linea femininae praeferatur.

4. Vt non e linea tranſitus fiat in aliam lineam. Exemplum dabit ſchema ſequens:

Philip-

Philippus, dux Burgund.

- Carol. V. imp. et rex Hiſpan.
  - Philippus II. rex Hiſpan.
    - Philippus III. res Hiſpan.
      - Anna Maria Mauritia, vxor Ludouici XIII. reg. Franc.
        - Ludouicus XIIII.
      - Philippus IIII. rex Hiſpan.
        - Mar. Thereſ. uxor Ludouici XIIII.
          - Delphinus
        - Carol. II. rex Hiſpan.
      - Maria Anna Ferd. III. imp. fil.
    - Catharina, duciſſa Sabaudiae, vnde omnes Sabaudiae duces.
  - Margaretha Parm.
    - duces Parm.
- Mar. reg. Hung.
- Ferdinandus I. imp.
  - Maximilian. II. imp. vnde omnes archiduces Auſtriae.
    - Leopoldus
      - Mar. Thereſ. uxor Ludouici XIIII.
      - Carol. II. rex Hiſpan.
      - Margareth. Thereſia, vxor Leopold. imp.
        - Ioſephus. Carolus.

Hic mortuo Philippo IIII. non poterant ſuccedere Galli, quia ſecundum regulam ſecundam maſculus praefertur feminae. Mortuo Carolo II, ſuccedere debuiſſet Delphinus Galliae, niſi mater et auiae renunciaſſent, vna cum patre et auo. Ergo ſuccedere debuiſſent Leopoldi filius natu maior Ioſephus, eoque renunciante, Carolus, imp. hodiernus. Ea linea exſtincta ſucceſſio debebatur Sabaudis: his exſtinctis Parmenſibus, niſi omnia turbaſſet Caroli II. teſtamentum.

§. 23.

§. 23.

Succeſſio linealis *agnatica*, vel Francica eſt, qua feminae omnes, ex iiſque nati in perpetuum excluduntur.

Eius ratio haec eſt, quod alias verendum eſſet, ne per matrimonia regnum ad exteros deuolueretur, ſicuti factum in Hiſpania, Britannia, Suecia.

Hic quoque, quamdiu adſunt aliqui ex priore linea maſculi, non ſuccedent alii ex ſequente linea. Sic e. g. in Gallia quamdiu Ludouici XIIII. poſteritas adeſt; tamdiu non ſuccedere poſſunt duces Aurelianenſes. His ſuperſtitibus numquam vocabuntur Burbonii, Condaei, Conti, et ſic porro.

In his regnis principes ſanguinis regii, quibus vlla ſpes ſucceſſionis eſt, vti ſolent titulis imperantis, niſi officia perſonalia complectantur. Sic omnes principes ſanguinis regii in Gallia dicuntur *principes Franciae*, omnes principes appanagiati Auſtriaci, *archiduces Auſtriae*, et ſic porro.

Denique ſucceſſio *linealis* Narbonenſis eſt, vbi ſucceſſioni feminarum locus eſt, ſed non, niſi omnibus maſculis exſtinctis. In cognatica quidem feminis praeferebantur maſculi eiuſdem lineae, in Narbonenſi autem maſculi omnes etiam diuerſarum linearum praeferuntur. Talis eſt ſucceſſio in principatibus Auſtriacis, Brunſuicenſibus.

§. 24.

Hi ſunt modi praecipui. Nec tamen dubium eſt, quin et alii inuehi poſſint pro arbitrio gentium, quia, vt ſaepe monui, haec omnia ſunt iuris naturae non abſoluti, ſed veluti ſuaſorii, permiſſiui, cet. Sic alicubi pares gradu ordine ſuccedunt, et excludunt remotiores, vt adeo veluti aetatis tantum habeatur ratio, e. g.

Primus.

Secundus. Tertius. Quartus.

Quintus. Sextus. Septimus. Octauus. Nonus. Decimus.

Vndecimus Duodecimus Decimus tertius.

Decimus Quartus.

Hic

Hic ex nominibus adparet, quo ordine ſuccedi ſolent. Talem ſucceſſionem olim in Ruſſia fere obtinuiſſe, genealogiae docent.

Alibi ſenior familiae indiſtincte vocatur. Aliquando et alternatio placet, quae vocari ſolet *die Mutſchirung*, vt fratres indiuiſim imperent, ſed ſinguli per vices dirigent. Aliquando ſorti locus eſt, vt is, cui ſors fauet, principatum obtineat, et vxorem ducat, reliqui appanagiati et caelibes maneant, niſi vbi principis coniugium ſit ſterile. Tale pactum auus regis Britanniae hodierni, Georgius, cum fratribus iniit.

§. 25.

Sequuntur adhuc quaeſtiones quaedam, quae ad ſucceſſionem pertinent, veluti I. *an filius a patre poſſit exheredari?* Reſp. de regnis patrimonialibus, quia in dominio imperantium ſunt, res dubio caret: At de vſufructuariis id negandum. Vnde nemo dubitauit, quin Ruſſiae imperator exheredem facere potuerit filium vnicum, ſi ponas, cauſſam exheredationis iuſtam fuiſſe. At ſi alii reges id vellent conari: filius nihilominus ſuccederet iure optimo, niſi ſimul populi lege fuerit excluſus.

Ratio eſt, quia in regnis vſufructuariis liberi non ſuccedunt beneficio patris, ſed prouiſione ipſius legis, quae eos ad imperium vocat. Hinc ſupra diximus, regna huius modi non eſſe hereditaria, quamuis ius ſuccedendi ſit hereditarium, id eſt, ordine ſucceſſionis ab inteſtato deferatur.

§. 26.

Quaeritur II. *an regnum poſſit abdicari?* Id facile expeditur.

1. In regnis patrimonialibus quiſque eſt regni dominus. Dominus autem poteſt iuri ſuo renunciare, eaque renunciatio et liberis nocet, quia hi non, niſi beneficio patris, ſuccedunt, tamquam heredes. Quod vero quis non habet, id ad heredes tranſmittere non poteſt.

2. In vſufructuariis diſtinguendum, vtrum iam liberi exſtent, an poſt abdicationem et renunciationem naſcantur. Priore caſu liberis non conſentientibus non praeiudicat renunciatio patris. Poſteriore caſu omnino nocet, quia iis ius nullum adhuc quaeſitum erat eo tempore, quo pater renunciabat.

Hinc illuſtris decidenda controuerſia. Diximus, exſtincto Carolo II. rege Hiſpaniae ſuccedere debuiſſe Delphinum, niſi mater renunciaſſet. At obiiciebant Galli, matrem quidem pro ſe renunciare potuiſſe, ſed non pro liberis. Recte reſpondebant Auſtriaci, verum id eſſe, ſi iam liberi exſtitiſſent, quibus ius quaeſitum fuerit: ſed eam vna cum rege Ludouico XIIII. iurato renunciaſſe, antequam nuptiae fierent.

§. 27.

num. 1. Quaeritur III. *ſi controuerſiae de ſucceſſione naſcantur, quem penes ſit deciſio?*

Deciſio duplex eſt: aut enim datur per modum iuris dictionis, aut per modum arbitrii.

Per modum iuris dictionis nec rex, nec populus decidere poteſt has controuerſias, quia ſemper, qui ius dicit, illud dicit ſubditis, non paribus. Vnde et vetus prouerbium: *de ſucceſſione regum iudicat Deus et gladius.*

num. 2. Per modum tamen arbitrii omnino ea cauſſa pie permittitur vel regi, vel populo: quia nato bello euitari nequit regni et humani generis clades. Quamquam, ſi verum fateri velimus, ea opera plerumque fruſtranea ſit, quum corriuales plerumque ad gladios ruant, nec vel rex, vel populus exſequutionis gaudeat iure. Exemplum eſt in Luſitanica hiſtoria. Obtruncato in Africa Sebaſtiano rege, Henricus cardinalis, ſenex regnum adminiſtrabat, qui quum prouideret, ſe mortuo rem ad arma venturam, corriuales inuitabat, vt coram ſe iure diſceptare mallent. Litigatum diu inter Hiſpanum, Antonium Luſitanum, et Sabaudum, ſed eo euentu, vt mortuo Henrico Hiſpanus facile armis ſibi ius diceret. Reliquis non ius deerat, ſed claſſes et exercitus.

§. 28. 29.

Quaeritur IIII. *an filius in regno natus praeferendus ſit illis, qui patre adhuc priuato ſuſcepti ſunt.* Vocatur ille Graecis πορφυρογέννητος, et ſaepe ea de re diſceptatum eſt in regnis fere omnibus. Exempla adduxit Grotius, in quibus memoratū digniſſimum eſt Germanicum, quia quamuis ibi nullum ius ſucceſſionis, tamen Henricus Rixoſus, Henrici Aucupis filius, praeferri volebat fratri Ottoni M. quia hic ante regnum natus ſit. Vnde bella perpetua.

Grotius

Grotius recte negat πορφυρογεννήτοις vllum ius eſſe, quamuis eius ratio nulla ſit. Non enim ſequitur, ſuccederent liberi ante regnum geniti in regnis diuiduis: ergo et ſuccedere debent in indiuiduis. Ab vna enim ſpecie ad alteram non valet conſequentia. Vera ratio eſt praeſumta voluntas populi, qui, dum voluit ſuccedere liberos regis primogenitos, nec diſtinxit conditionem naſcendi, procul dubio voluit, vt et ante regnum genitus ſuccederet.


Exceptiones tamen quaedam notandae. 1. ſi lex fundamentalis contraria exſtet, vt Spartae, 2. ſi regnum vel feudum datum ſit regi vel principi, et naſcituris.

§. 30.

Quaeritur V. *an locus ſit iuri repraeſentationis eatenus, vt* nu. 1.2.3.
nepos ex maiore filio praeferendus ſit filio minori? Sed quaeſtio iam ſupra deciſa, et plane ſuperuacua eſt. Aut enim ſucceditur ſecundum ordinem ab inteſtato, tunc res dubio caret, ſiquidem ſemper in hoc obtinet ius repraeſentationis in linea deſcendente: aut obtinet ſucceſſio linealis, tunc non poteſt tranſiri e linea in lineam, adeoque frater natu minor ſuccedere nequit, niſi maioris linea exſtincta, adeoque et hic iuri repraeſentationis locus eſt.


§. 31.

Hinc facile reliquae quaeſtiones omnes ſoluuntur, e. g. VI. *ſi ſuperſtes ſit frater regis minor et alterius maioris fratris filius, vter praefertur?* Reſp. vtique maioris filius, qui, ſi ordine ab inteſtato ſucceditur, iure repraeſentationis ſubit locum parentis: ſin linealis eſt ſucceſſio, ad fratris minoris lineam tranſſiliri nequit, quum ſuperſit linea fratris natu maioris.




§. 32.

VII. *Rex reliquit fratris filium, et patruum: vter praefertur?* Fratris filius, ob eamdem rationem. Exceptio eſt, vbi plane non eſt locus iuri repraeſentationis, ſed gradus proximitati. Patruus enim gradu par eſt, vti ſchema docet: ergo aetatis vel ſexus habenda ratio.




§. 33.




VIII. *An nepos praefertur filiae?* Vtique, quia ſexus femininus non niſi in ſubſidium admittitur, ſi in linea eadem nullus adſit maſculus. Exceptio eſt, vbi promiſcue femina gradu propior admittitur, quod rariſſimum.

§. 34.



VIIII. *Rex reliquit minorem nepotem ex filio, maiorem ex filia, vter praefertur?* Reſp. in lineali minor ex filio, in hereditaria maior ex filia: ex eadem ratione.


§. 35. 36.



X. *Pater reliquit neptim ex filio primogenito, et filium poſtgenitum, vter ſuccedet?*

Reſp. Si linealis ſucceſſio obtinet; neptis praefertur, quia ex vna linea non fit tranſitus in alteram. Vbi iure hereditario ſucceditur, neptis eſt eiuſdem conditionis, ac filius, ob ius repraeſentationis, adeoque ob ſexus praeſtantiam ab hoc excludetur. Quod exemplo Arragonico illuſtrat Grotius.

§. 37.



XI. *Rex reliquit ex fratre maiore neptem, ex fratre natu minore nepotem; vter praefertur?* Reſp. in lineali ſucceſſione: neptis: in hereditaria nepos, quia inter pares praefertur maſculus feminae.

CAPVT VIII.

DE ADQVISITIONIBVS, QVAE VVLGO DICVNTVR IVRIS GENTIVM.

§. 1.

HActenus actum de adquiſitionibus iuris naturae: ſequuntur illae, quae ſunt iuris gentium, quamuis is ordo parum adcuratus ſit. Quamuis enim ius naturae et ius gentium non ſint diuerſa, et hinc ICti recte modos adquirendi diuidant in naturales et ciuiles: Grotius tamen addit tertiam ſpeciem, adquiſitiones iuris gentium, quia ipſe, ceu ſupra docuimus, ſtatuit ius gentium a iure naturae diuerſum.

Quum autem ex eius mente nulla ſit adquiſitio iuris gentium, praeter eam, quae per bellum fit, ipſe vero eam tractationem reſeruet libro tertio: facile patet, nullum adquirendi modum in hoc capite explicari, qui ex Grotii mente ſit iuris gentium. Et inde eſt, quod rubrica ſe ita habet: *de adquiſitionibus, quae vulgo dicuntur iuris gentium.* Et reuera hic agitur de adquirendi modis iuris naturae, et quidem

1. *de ſpeciebus occupationis*, §. 2-7.
2. *de ſpeciebus acceſſionis*, §. 8-24.
3. *de ſpeciebus traditionis*, §. 25. 26.

§. 2.

Occupationis prima ſpecies eſt I. captura ferarum, auium, piſcium. Vbi 1. quaeritur, *an ferae ſint res nullius?*

Notum eſt, ICtos hic diſtinguere inter feras et piſces viuariis incluſos, et in ſiluis vel ſtagnis circumuagantes. Illos dicunt res nullius, hos in dominio eſſe fatentur. *l.* 3. §. 14. *D. de adquir. poſſeſſ.*

Sed dicit Grotius, hodie pleraſque gentes et feras in ſiluis vagantes, et piſces in ſtagnis et fluminibus non pro rebus nullius habere, idque ipſi iuſtiſſimam videtur habere rationem. Nam

1. Piſces in ſtagno aeque includuntur, ac in viuario, haecque non differunt tantum vt laxius et anguſtius.

2. Siluae etiam poſſunt eſſe bene circumſeptae, eoque caſu ferae non magis erunt in dominio, quam ſi domi includantur. Ita Grotius.

Sed videtur Grotius Neruam ICtum in *leg. alleg.* non ſatis intellexiſſe. Quaeſtio enim eſt, an ferae et piſces noſtrae dici poſſint? Id negant veteres, et dicunt, eſſe res nullius, adeoque cedere occupanti.

Obiici poterat, atqui haec animalia eſſe in ſiluis et ſtagnis noſtris, adeoque noſtra eſſe. Reſpondet ICtus, ſed tamen non poſſe noſtra dici, quia numquam poſſeſſionem eorum adprehenderimus, adeoque ea non occupauerimus. Id vero facile probatur. Poſſeſſio adprehenditur corpore et animo. Atqui feras in ſiluis et piſces in ſtagno corpore non occupauimus, ergo eas eoſque non poſſidemus.

Aliud dicendum de feris captis, quas domi vel in horto, vel in alio loco clauſo habemus: aliud de piſcibus in viuario. Haec enim animalia ſemel occupauimus animo habendi, ergo eorum poſſeſſio vera nobis adquiſita.

Interim verum eſt, hodie aliter philoſophari homines, et furti reos eſſe, etiam qui e ſtagnis alterius piſces, vel e ſiluis alterius feras capiunt: ſed non ex rationibus ab auctore adductis, ſed quia in terris per vniuerſitatem occupatis nihil cenſetur nullius, quod non inexhauſti vſus eſt.

§. 3.

2. *Quamdiu ferae noſtrae ſint?* quaeritur. Hic denuo examinat ICtorum ſententiam, qui *l.* 3. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* ſtatuunt, deſinere feras in noſtro dominio eſſe, ſimul ac noſtram effugerint cuſtodiam.

Sed id omnino non ſolum rationi, ſed et principiis iuris naturae repugnat. Ratio et ius ciuile inculcat, quod ſemel noſtrum eſt, id ſolo animo retineri, e. g. res amiſſas, ſeruos fugitiuos. At hic quaeritur de fera noſtra amiſſa, fugitiua, furto intercepta: quo iure dicimur eius dominium amiſiſſe?

Si obiiciatur, videri rem pro derelicta habitam, quia difficilis ſit perſequutionis: facile reſp. 1. derelictam videri rem, eo abiectam animo, vt eam noſtram eſſe nolimus: hunc animum

vero

vero hic non adeſſe. 2. Praeſumtionem cedere veritati, e. g. ſi quis ferae ſigna vel crepundia addiderit.

3. *Quando ferae per occupationem noſtrae fiant?* Reſp. occupatio fit corpore et animo ſimul. Qui vulnerauit, nondum corpore occupauit fugientem beſtiam, ergo is nondum eſt dominus, adeoque illa ab alio poteſt occupari.

§. 4.

Quum vero occupatio corporalis requiratur: porro 4. quaeritur, *an ea ſolis manibus fiat, adeo vt non prius noſtra ſit fera, noſter piſcis, quam ſi manu tetigerimus?* Et facile reſp. quod quis per alium facit, id ipſe feciſſe videtur. Ergo et quod in decipulis, laqueis, retibus ab eo poſitis habetur, eius eſt, nec ſine furti crimine ab alio poteſt ſurripi: 1. modo inſtrumenta noſtra ſint, 2. in loco licito poſita, 3. fera ita incluſa, vt ſe non vindicet in libertatem, 4. aliquid in retibus reperiatur, quod non ſit in alterius dominio, e. g. equus, vacca, capra: Elegans referatur exemplum de vitulo, naufragio amiſſo, et mari extracto, apud PLAVTVM in *Rudent. act. IIII. ſcen. 3.*

§. 5.

5. *An haec omnia hodienum recepta?* Id refellit experientia. Pleriſque enim locis non ſunt ferae nullius, ſed principis, vel eorum, quibus princeps ius venandi conceſſit. Et hinc non cedunt cuiuis occupanti, ſiue manibus adprehenderit, ſiue decipulis retibuſque ceperit. Hinc, vt diximus, furti rei ſunt, et qui feras, et piſces ſurripiunt. Illi in Germania tertium deprehenſi, ſi venatoribus reſiſtant, laqueo puniuntur; alias ad operas publicas condemnantur: hi extra ordinem puniuntur.

Nonne id iniquum, et contra ius naturae quod feras nullius eſſe monet? Reſp. minime 1. ius naturae dicit feras eſſe nullius, quae nondum ſunt occupatae. Atqui populus, dum per vniuerſitatem occupauit prouinciam, occupauit etiam, quidquid prouincia illa complectitur, adeoque ferae ſunt populi. Quum vero quae noſtra ſunt, aliis cedere poſſimus: populus non facit iniuſte, quod, quum ipſe commode eo iure vti indiuiſim non poſſet, illud ceſſerit principibus, vt inde dignitatem ſuam ſuſtinerent.

2. Pro-

2. Promiſcuum ius occupandi feras eſt iuris naturae permiſſiui. Ergo legibus nouis poteſt reſtringi et tolli.

§. 6.

Per occupationem adquiruntur II. ἀδέσποτα, id eſt, quae dominum non habent. Sed hic plures limitationes addendae. Nam locum habet haec occupatio,

1. Si occupatio fiat corpore et animo ſimul. Id quod denuo elegante illo exemplo inſulae Acanthi colonis vacuae demonſtrat Grotius, quae non cedebat Andriis, qui priores ſagittam iniecerant, ſed Chalcidenſibus, qui priores intrauerant. Hiſtoria eſt apud PLVTARCH. in *Quaeſt. Graec. cap.* 29. Negat quidem hanc regulam eſſe iuris naturae. NIC. HIER. GVNDLINGIVS in *Gundlingianis*, ſed non niſi ex ea ratione, quod contra humanitatem ſit, alteri id praeripere, quod ſe occupaturum vel verbis, vel tacite declarauerat. Sed procul dubio errat. Nam 1. quod inhumanum eſt, non ſtatim iniuſtum habetur, vt pauperi non donare. 2. Ipſe agnoſcit occupationem fieri debere: ſed quis dixerit factam occupationem ab eo, qui vult occupare? Quod facere volo, nondum feci.

2. Si ſinant id leges ciuiles, quae illam naturalem permiſſiuam tollere poſſunt. Hinc abſurdum eſſet, priuatum occupare velle hereditatem ἀδέσποτον. Lex enim vult, vt non exſtante herede vllo, fiſcus ſuccedat. Simile quid animaduertimus in lapillis, electro, mari eiectis.

§. 7.

Eodem refert Grotius III. theſauros, de quibus tamen res maxime dubia, inuentori illi cedant iure occupationis, an domino fundi iure acceſſionis. Prius dicendum videtur, quia theſauri ſunt res nullius: poſterius, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. Vnde et vtrumque fundamentum coniunxiſſe videtur Hadrianus imp. dum ſanxit, vt theſaurus inter inuentorem et dominum fundi diuidatur. Vid. SPART. in *Hadrian.*

Si quaeras, *vtrum fundamentum ſit aequius?* Grotius praefert prius, et ſtatuit, theſaurum naturaliter eſſe inuenientis. Et ſane theſaurus eſt res derelicta, res derelictae ſunt nullius, quae nullius ſunt, cedunt occupanti. Sed ex altera parte negabatur

gabatur; theſaurum eſſe nullius, qui in alieno fundo reperitur, quum acceſſiones fundi pertinere videantur ad fundi dominum. Verum facile reſp. id negandum eſſe de acceſſionibus ſubterraneis, quae tamquam res indiuiduae et communes rectius vel fiſco vindicantur, vel inuentori.

Et hinc etiam Grotius obſéruat, apud multas gentes theſauros fiſco vindicari. Dum autem addit Germanos, fallitur, deceptus loco *iuris prouincialis* vel *Speculi Saxonici cap.* 35. Ibi enim non eſt quaeſtio de theſáuris, ſed de metallifodinis.

§. 8.

Haec de occupatione. Sequuntur quaedam ſpecies *acceſſionis*. Per *acceſſionem* autem intelligitur incrementum, quod vel naturae beneficio, vel induſtria humana rei noſtrae adiungitur; vnde et in *naturalem*, *induſtrialem*, atque *mixtam* diuidi ſolet. Naturalis exemplum eſt *alluuio*, *inſula*, *alueus derelictus*, de quibus §. 8-17. *foetura*: §. 18. induſtrialis *ſpecificatio*, *confuſio*, *commixtio* §. 19. 20. *et adiunctio* §. 21. mixtae, *plantatio*, *inſitio*, *aedificatio*, §. 22. *poſſeſſio b. f.* §. 23. 24.

1. De alluuione, inſula, alueo derelicto quid tradat ius Romanum, notum eſt. Nempe 1. alluuio cedit proximo fundo, non item ſi vi fluminis fundo aliquid adiectum. 2. Noua inſula in medio flumine nata eſt eorum, qui vtrimque praedia poſſident: ſi alterutri ripae propior, tunc eius eſt, qui ex ea parte fundum habet. 3. Alueus derelictus etiam communis eſt pro modo praediorum.

Haec quum veteres ICti omnia tribuant iuri naturae et gentium: quaeritur, *an vere ſint iuris naturae et gentium*. Idque negat Grotius, quia multas falſas hypotheſes poſuere. Nam

1. Supponunt, ripas eſſe partem fundi, et hinc incrementum latens ſeu alluuiónem fundo accedere. Id vero falſum, Nam ripae ſunt publicae; ergo et alluuio publica erit. Quod et pleriſque locis obſeruatur.

2. Inſulas ſupponunt natas ex terra proxima, ergo ei accedere debent. Id denuo falſum. Potius incertum eſt, vnde particulae terrae ablatae ſint. Hinc ratiocinari debuiſſent ita: flumen eſt publicum, ergo et inſula in flumine nata. Id quod etiam multis locis obſeruatur.

3. Supponunt, alueum derelictum iam deſinere eſſe publicum,

cum, quia non amplius ſit flumen. Sed id aeque abſurdum, acſi quis exiſtimet, curia incendio deleta, aream non eſſe amplius ciuitatis, quia deſierit eſſe curia.

Ergo certiſſimum eſt, haec omnia non ex iure naturae et gentium, ſed ex iure ciuili eſſe.

§. 9.

num. 1. *Quid* ergo *de his rebus ſtatuendum*? Grotius recte obſeruat, 1. populum terras adquiſiuiſſe per vniuerſitatem, et ex eo demum tempore in terris illis dominia priuatorum coepiſſe. Id ſatis certum. Neque enim Nomadum more gentes Europaeae circumuagantur, et cuique faciunt poteſtatem, terram, quam velit occupandi, vti fit apud Tartaros, ſed in rebus publicis viuunt. Ergo tota terra eſt populi: partes autem ſunt in dominio priuatorum, *quatenus adquiſitae*. Quaecumque enim non adquiſita, ea manſerunt populi.

Inde ergo ſequitur, 1: alueum derelictum non eſſe priuatorum. Hi enim flumen numquam adquiſiuerunt, adeoque nec ciuitatem illam, per quam flumen ruit. Quum itaque omnia a priuatis non adquiſita ſint publica: talis etiam erit alueus derelictus.

num. 2. 2. Inde ſequitur, vt et alluuio non ſit priuatorum, ſed publica. Fundos enim adquiſiuerunt priuati vſque ad ripam, non ipſam ripam, quae fluminis pars eſt, adeoque publici iuris. Ergo talis etiam erit alluuio. Quod et praxi Hollandorum probat auctor, cui nos et Germanos addimus.

Addimus et aliam rationem. Ipſi veteres ICti agnoſcunt, alluuioni locum eſſe tantum in terris arcifiniis, non in limitatis. Atqui priuati agri nuſquam ſunt arcifinii, ſed ſemper limitati. Ergo nec in iis locum habet alluuio.

num. 3. 3. Sequitur, vt et inſulae ſint publicae. Nam et flumen, in quo naſcuntur, numquam adquiſiuerunt priuati. Si ergo verum eſt, acceſſorium ſequi ſuum principale; verum erit etiam, inſulam nouam pertinere ad populum, vel principem, cui populus conceſſit.

Obiiciunt, quae nullius ſunt, cedunt occupanti. Sed reſp. ſic falſum erit, vicinis praediis accedere inſulam: nam et tertius occupare poterit. Aut ergo nullius eſt inſula, aut eſt alicuius; ſi nullius eſt, non praeciſe vicinis cedit praediis, ſed cuilibet

occu-

occupanti; ſi alicuius, id non aliter eſſe poteſt, niſi per acceſſionem. Atqui inſula eſt acceſſio non terrae proximae, ſed fluminis: ergo inſula eius eſt, cuius eſt flumen.

§. 10.

Quaerit porro auctor de *inundatione*: *an ea dominium mutet?* Idque recte negat. Romani ICti, qui hic iterum praeſe ferunt, ac ſi velint ius naturae et gentium inculcare, diſtinguunt inter inundationem grauiorem, quae diutiſſime durat, et momentaneam. Haec dominium non mutat, inquiunt, illa mutat, adeo, vt ne piſcari quidem liceat in fundo inundato. num. 1.

Sed rectius dicitur, inundationem numquam dominium mutare. Nam 1. magnae et paruae inundationis non poſſunt eſſe diuerſi effectus morales. 2. Non poteſt mihi dominium rerum mearum auferri ſine facto meo. 3. Quamuis praeſcriptione alias ius meum excludatur, id tamen locum non habet, vbi nulla mea negligentia eſt, id eſt, vbi rem meam vindicare non potui.

Concedit tamen Grotius, id legibus ciuilibus mutari poſſe; et ſtatui, vt ſi intra certum tempus non exſiccetur terra, eius dominium amittatur. Nec id iniuſtum, quia plerumque exſiccatio tot requirit ſumtus, vt publica pecunia ad eam rem opus ſit. Quum ergo priuati exſiccare, nec ſumtus reſtituere nequeant, et interſit tamen rei publicae ne terra mari permittatur: omnino aequum eſt, vt terrae ab imperante exſiccatae imperanti cedant.

§. 11.

Obiectio ſequitur, quam remouet Grotius. Poſſet quis ita ratiocinari:

Si particularum per alluuionem alterius fundo adiectarum dominium amittit prior dominus, ſequitur, vt et fundi inundatione obruti dominium merito amittatur.

At prius verum eſt.

Ergo et poſterius.

Sed facilis reſponſio. Negatur conſequentia. Nam in alluuione non poſſum ſcire, cuius ex agro hae vel illae particulae abreptae ſint; hinc nec eas vindicare. At fundum meum eſſe exſiccata terra ſcire poſſum, et demonſtrare.

Ex quo colligunt ipſi ICti Romani, id, quod vi fluminis

ab agro meo auulſum eſt, meum manere. §. 21. *Inſt. de rer. diuiſ.*

§. 12.

num. 1. Ita ſe res iure naturae habet. Sed leges ciuiles in his multa mutarunt. Nam iure Romano et quorumdam locorum ſtatutario, alluuio a fluminibus facta conceditur priuatis, dum modo eorum agri ſint arcifinii.

Id iure fieri facile probatur. Quum enim, vt ſupra oſtendimus, iure naturae et gentium alluuio ſit populi, vel imperantis, quis neget, eum huic iuri ſuo renunciare, idque in priuatos transferre poſſe. Idem poteſt princeps, ſi regnum ſit in eius patrimonio. Sin vſufructuarius ſit, recte quidem renunciat iuri ſuo, ſed non in praeiudicium populi et ſucceſſoris. Vnde ab hoc tamquam domanium ſemper poteſt reuocari.

Quum autem diſtinctio hic obſeruetur inter agros arcifinios et limitatos: quaeritur, *quales in dubio praeſumantur?* Et reſp. territoria publica, in dubio ſemper praeſumuntur arcifinia, niſi contrarium probetur, idque oſtendimus ſupra. At agri priuatorum, quia menſura eorum certa et definita eſt, ſemper praeſumuntur limitati, donec contrarium probetur: idque rariſſime probari poterit, niſi agri ſint nouales.

num. 2. *Quomodo vero probabitur, agrum priuatum eſſe arcifinium?* Reſp. 1. ex libris vetuſtis cenſualibus, ſi in illis dicantur ad flumen vſque pertingere. 2. ex litteris feudalibus, ſi in iis terra detur ſine expreſſa menſura ad flumen vſque; 3. ex poſſeſſione vel quaſi iuris alluuionis immemoriali, ſi oſtendi poſſit, ſemper poſt hominum memoriam agro huic aliquid acceſſiſſe, nec vmquam eam acceſſionem a re publica vindicatam; 4. ac denique ex ipſo loci ſitu, ſi inter flumen et agrum nec ſaepimentum, nec via intercedat, quibus ager a flumine diuellatur.

§. 13. 14.

Eodem modo ſe res habebit in nouis inſulis. Quamuis enim eas iure naturae et gentium populi eſſe docuerimus: poſſunt tamen et aliis per leges et priuilegia concedi.

1. *Per leges.* Quales ſunt Romanae, itemque Geldricae, per quas poteſt vnuſquiſque nouam inſulam occupare, ſi vehiculo inſiſtens ex ripa per flumen in inſulam contendat.

2. *Per*

2. *Per priuilegia.* Quale luculento priuilegio gaudet elector Palatinus, vt omnes nouae inſulae in Rheno, ſiue in ſuo, ſiue extra territorium natae ad fiſcum eius pertineant. Quamuis ſi tale quid contingeret extra eius territorium, dubitem, an id ei conceſſuri ſint vicini principes, quia iis ſuperioritas territorialis per *Inſtrumentum pacis Weſtphal. art. gaudeant*, conceſſum eſt indiſtincte.

§. 15.

Pergit auctor ad vaſallos, et quaerit, *an iis quoque iura fluuialia competant*? Sed res expedita eſt. Quidam acceperunt a domino ſuperioritatem territorialem, ita, vt tantum poſſint in terris ſuis, quantum rex in toto regno. Et tales vaſalli ſunt principes imperii in Germania. Aliis feuda dantur ſine ſuperioritate territoriali, quamuis aliquibus regalibus gaudeant, e. g. iuris dictione omnimoda, quales ſunt plures comites, quorum comitatus a principibus conceduntur in feudum. Sic e. g. Comites Bentheimenſes gaudent in comitatu ſuo variis regalibus, ſed non ſuperioritate territoriali, quia ſubſunt epiſcopo Monaſterienſi. *num.* 1.

Qui vaſalli ſunt cum ſuperioritate, eorum eſt totum territorium, ergo et flumina, adeoque et iura alluuionis, inſulas occupandi, cet. merito exercent.

Qui poſterioris generis: nihil habent, niſi quod expreſſum in litteris inueſtiturae. Ergo ſi huius modi iura exercere volunt, docere debent, ea ſibi conceſſa eſſe a domino. Hinc ſuperius dixi, in Marchia Brandeburgica nobiles inueſtiri ſolere alueo Albis, (*mit der alten Elbe.*)

Poſſunt tamen et hi reliquorum ſubditorum iure vti, ſi ius ciuile haec iura priuatis concedit, eorumque agri ſunt arcifinii; id quod iterum ex litteris inueſtiturae iudicandum. Exſtat elegans tractatus Io. Oetingeri *de iure et controuerſiis limitum et finium regundorum*, qui in his regionibus haud paruum praeſtare vſum poterit.

§. 16. 17.

Sequitur noua obiectio. Quum enim ſupra oſtenſum, alluuionem non eſſe priuatorum: obiiciunt ICti Romani: quem penes eſt incommodum, penes eum et commodum eſſe debet. Atqui priuati ſentiunt incommodum fluminis. Ergo et commodum. Reſp. Grotius acute. 1. Regula vera eſt, ſi commodum

ex re mea naſcatur, e. g. quia ex agro tributa ſoluo, merito etiam fructus capio. At hic commodum non eſt ex agro, ſed ex re aliena, nempe flumine.

2. Si vera eſſet hoc caſu regula, deberet idem dici de agris limitatis, quos tamen ipſi veteres ICti exceperunt.

Addo: 3. ſi hic locum habet canon, locum etiam habebit in vi fluminis, quod ICti denuo negant.

§. 18.

II. Sequitur altera ſpecies acceſſionis *foetura animalium*, de qua quum ICti veteres regulam repererint, *partus ſequitur ventrem*: quaerit auctor an id iuri naturae et gentium *ſit conſentaneum*?

Negat id Grotius. Nam 1. ſi acceſſorium ſequitur principale: quis negarit, vtrumque parentem natura eſſe principale. 2. Si ad cauſſam reſpicimus, negari denuo nequit, vtrumque parentem eſſe foetus cauſſam, nec ſine vtriuſque concurſu naſci, poſſe viuum animal.

Sed fallit tamen hoc, 1. ſi pater incertus ſit. Ridiculus caſus de gallina aliena oua excludente apud BESOLDVM in *Theſauro practico*. 2. Si dominus animalis maſculi mercedem pro opera ab animali ſuo praeſtita acceperit. Quod inter ruſticos obſeruatur, vbi vnus communem bouem, totius gregis maritum, alit.

§. 19.

num. 1. III. Tertia ſpecies acceſſionis eſt *ſpecificatio*, per quam intelligitur actus, quo quis alienae materiae nouam formam introduxit, adeoque nouam inde ſpeciem fecit.

Dici non poteſt, quantum de ea inter ſe digladiati ſint veteres, Proculiani et Sabiniani. Illi enim dicebant, formam eſſe materia nobiliorem, adeoque ſpecificantem fieri dominum. Hi materiam dicebant eſſe principale, cui forma tamquam acceſſorium adiungitur; ergo potius dominum materiae praeferebant. Denique Iuſtinianus rem ita decidit, vt ſi res ad priorem formam reduci poſſit, dominus materiae ius ſuum retineat, ſin minus, ſpecificans. Exemplo eſſe poſſunt, qui ex alieno argento poculum, et qui ex aliena lana pannum confecerit. Controuerſiam eleganter pertractauit MERILL. in *comment. luculento ad L. Iuſtiniani Deciſiones*.

Quaeri-

Quaeritur ergo 1. *quid ius naturae et gentium ea de re ſta- tuat ?* Reſp. Grotius, rem iure naturae merito fieri communem pro rata materiae et operae. Idque probat inde, quia et res confuſae et commixtae fiant communes. num. 2.

Sed 1. magna eſt differentia inter commixtionem et ſpecificationem. Ibi duae coniunguntur materiae, quarum quaeque in dominio fuit, ergo non poteſt non maſſa eſſe communis. Hic autem forma non eſt ſubſtantia, ergo nec in dominio. 2. Ita nihil reſponſum. Id enim nemo negat, materiam eſſe Titii, formam Maeuii ſpecificantis: ſed id quaeritur, cui ius ſit rem retinendi, alterique ſoluendi pretium ? Id ex Grotii deciſione non fiet liquidum.

Ergo rectius oſtendit THOM. *in Diſſertatione* elegantiſſima *de pretio adfectionis in res fungibiles non cadente*, diſtinguendum eſſe, an materia ſit res obuia et fungibilis, an tam rara, vt non facile recuperari poſſit ? Priore caſu ſpecificantem bona fide fieri dominum: ſi enim dominus materiae eiuſdem quantitatis et qualitatis materiam recipit, non eſt, quod conqueratur. Sin vero materia ſit rarior, e. g. electrum inſignis raritatis, tunc nihil aequius eſt, quam vt artifex domino materiae ſpeciem relinquat, pretio operae ſoluto. Res tam clara eſt, vt mireris merito, veteres de lana caprina litigare voluiſſe.

§. 20.

Quaeritur 2. *an iuris naturae ſit, vt mala fide ſpecificans ſpeciem amittat ?*

Id quoque Grotius non ſine ratione negat: nam ademtio illa eſt poena, poenas autem non definit ius naturae et gentium. Sic quidem iuris naturae eſt vt puniantur homicidae: ſed vtrum laqueo, an gladio, an exſilio puniendi ſint, non determinat.

Si ſuperius principium de materia, re fungibili, et in quam non cadit pretium affectionis conſideres, poena haec videtur paullo atrocior. Domino enim materiae nulla fit iniuria, ſi tantumdem eiuſdem bonitatis materiae accipit, quia in rebus fungibilibus tantumdem eſt idem.

§. 21.

CONNANVS, qui luculentos *Commentarios iuris ciuilis* ſcripſit, *lib. III. cap. 6.* exiſtimat, aequitatem naturalem requirere, vt

minus

minus acceſſorium habeatur maioris, e. g. purpura veſtis, gemma annuli, et hinc et argentum auro alterius adferruminatum vel mixtum fiat domini auri. Quaeritur itaque, *an id fundamentum habeat?*

Reſp. Grotius negando. Idque probat inde, quia dominium eſt qualitas moralis, quam non mutat maius et minus. Sic e. g. qui caſam habet, non minus eius dominus eſt, quam alter palatii: et qui vigeſimam partem praedii habet, non minus dominus eſt, quam qui partes eiuſdem poſſidet nouendecim. Ergo nulla eſt ratio, cur illi magis ius ſuum auferri poſſit, quam huic.

Accedit, quod maius phyſice non ſemper eſt maius moraliter, vel contra. E. g. parua auri maſſa moraliter maior eſt, magna mole ligni, et gemma mole exigua ſaepe moraliter ſuperat magnam auri argentiue maſſam. Si ergo Connanus intelligit maius et minus phyſice: tunc iniqua erit deciſio: ſi maius moraliter, tunc falſa erunt exempla. Purpura enim ſaepe veſte pretioſior, gemma annulo pretioſior, cet.

§. 22.

IIII. Quarta acceſſionis ſpecies eſt *plantatio* et *ſatio*. Notum enim eſt, iure ciuili cautum eſſe, ſi quis alienum agrum ſuo ſemine conſeuit, aut ſuum agrum alieno ſemine, quod tunc, quod ſolo implantatum, ſolo cedat. Quaeritur *an idem conſentaneum ſit iuri naturae?*

Negat Grotius, idque ex ratione ipſa probat, qua veteres vſi ſunt. Exiſtimarunt enim, quod implantatum ſolo, id alimentum ex ſolo capere, adeoque fieri eius, cuius ſit ſolum. Vnde etiam conceſſere, vt poſſet quis plantam tollere, ſi nondum radices egerit, quia tunc nondum attraxerit alimentum. Atqui, reſpondet Grotius, alimenta non totam ſubſtantiam rei abſoluunt, ſed partes, quae creſcenti plantae vel ſemini pullulanti paullatim accedunt: ergo nec tota planta vel meſſis erit domini, adeoque planta erit communis pro rata.

Idem etiam V. de *inaedificatione* iudicat: quis enim dubitet, aliquod ius commune pro rata duos habere in aedificio, quod alter bona fide exſtruxit, quum alterius ſit fundus? Ergo conſtituetur eo ipſo ius ſuperficiei. Sed hic clarum eſt, hanc definitionem iure ciuili eſſe inuectam: nam rationem ipſi ICti reddunt, id ideo cautum, ne vrbs ruinis deformetur; quam rationem ius naturae ignorat.

§. 23. 24.

§. 23. 24.

Sexta ſpecies eſt VI. *bonae fidei poſſeſſio.* Notum enim eſt, iure ciuili eum, qui bona fide rem alienam ex iuſta cauſſa adquiſiuit, quamuis dominus non ſit, tamen fructus lucrari perceptos et conſumtos, et reddere tantum exſtantes: contra malae fidei poſſeſſorem ad reſtitutionem fructuum perceptorum et percipiendorum condemnari. *An hoc iuris naturae et gentium?*

Reſp. neg. Quid enim aliud bonae fidei poſſeſſor exigere poteſt, quam vt indemnis ſeruetur? Atqui indemnis praeſtabitur, dummodo ei impenſae in culturam rei factae reſtituantur. Ergo non debet lucrum ex re aliena captare, ſiquidem ius naturae non patitur, vt quis cum alterius detrimento fiat locupletior.

Quod ad malae fidei poſſeſſorem attinet, is fructus percipiendos reſtituit in poenam. Atqui poenas non determinari a iure naturae et gentium, iam ſupra oſtendimus. Ergo haec omnia ex iure ciuili eſſe manifeſtum eſt.

§. 25. 26.

Hactenus de ſpeciebus quibuſdam occupationis et acceſſionis: reliqua eſt pars capitis vltima *de traditione.* De ea tradit ius ciuile, ex ſolo contractu non transferri dominium, vel aliud ius in re, ſed per ſubſequentem traditionem. Pauci excipiuntur caſus, veluti vltimae voluntates, hypotheca, adiudicatio ex tribus iudiciis diuiſoriis, familiae erciſcundae, communi diuidundo, et finium regundorum, vbi traditio non requiritur. *Quaeritur* itaque, *an ea omnia ſint iuris naturae et gentium.*

Negat et id Grotius: 1. quia voluntas vtriuſque iure naturae ad dominium transferendum ſufficit. 2. Quia ſi naturale eſſet hoc ius, nec exceptiones illae admitti poſſent. Nulla enim ratio eſt, cur magis legatum fiat noſtrum ſine traditione, quam aedes nobis venditae et nondum traditae. 3. Quia traditio haec tantum eſt ſignum tranſlati dominii, ideo inuentum, vt lites euitentur. Sed ea de re iam ſupra ſententiam noſtram expoſuimus *lib. II. cap. 6. §. 1, 2.*

Demum concludit auctor hoc caput, reddita ratione, cur haec tam adcurate expenderit? Videlicet, vt adpareat non omnia eſſe iuris naturae et gentium, quae talia eſſe dicunt veteres

ICti. Quae obſeruatio probe tenenda. Saepe animaduerti, in diſputationibus iuridicis hoc loco.* editis paſſim teſtamenta, aliaque huius generis ex iure naturae et gentium deriuari, tantum, quia id adſerunt veteres. Quis, quaeſo, ius naturae et gentium ex corpore iuris probet. Eius modi theſes aliter probari nequeunt, quam ex ſana ratione, non ex auctoritate. Sed ita adſueſiunt iuuenes a doctoribus ſolius iuris ciuilis notitia aliqua imbutis.

* Franequerae vero tum adocebat diuus Heineccius.

CAPVT VIIII.

QVANDO IMPERIA VEL DOMINIA DESINANT.

§. 1.

Vidimus hactenus varios modos, quibus adquiratur vel dominium, vel imperium. Quum itaque contrariorum contraria ſit ratio: conſequens eſt, vt etiam dicendum ſit, quibus modis amittantur et dominia, et imperia; id quod fit hoc capite. Tales modi plures ſunt. E. g. 1. *derelictio*, de qua ſupra actum, 2. *rei interitus*, 3. *perſonae interitus*.

De hoc agitur in praeſenti, et demonſtratur; exſtincta perſona exſpirare etiam dominium. Cauſſa in promptu eſt. Dominium eſt ius adeoque attributum perſonae: non entis enim nulla ſunt attributa. Ergo nec perſonae exſtinctae vllum eſt ius vel dominium.

Et hinc ſi quis moriatur nullo relicto herede, cui vel defunctus, vel ipſa lex hereditatem addicant, res eius fiunt nullius iure naturae, ſerui liberi fiunt; quamuis leges ciuiles fiſco addicant hereditates caducas.

§. 2.

Quod itaque de vna perſona verum, id et de tota familia. Quamdiu ex illa ſupereſt vel vna perſona, illi ius familiae ſaluum eſt, tota familia exſtincta illud ceſſat. E. g. notum eſt, familiam Carolingicam in Francia et Germania ſatis libere imperaſſe. Ea in Germania exſtincta nouus conſtituebatur rex

Con-

Conradus I. in Gallia Hugo Capetus. An horum familiae eodem iure vtebantur, ac olim Carolingica ? Galli Hugoni eamdem detulere potentiam. At Germani minime : nam horum imperium factum eſt electitium, adſtrictum, indiuiſibile, cet. An iure ? Omnino, exſtincta enim familia, et iura eius exſpirant.

Ita et ſi in Ruſſia regnatrix familia exſpiraret, et res ad nouam electionem rediret: non cogerentur Ruſſi nouo imperanti, eiuſque familiae, eamdem deferre potentiam, qua polluere imperantes in hunc vſque diem.

§. 3.

Quod in familiis obtinet: idem et de populo dicendum, ſi et iſte exſpiret. Hic vero ante omnia quaeritur, *an populus interire poſſit?* *num.* 1.

Plerumque id negatur, et tritiſſima ſunt illa: populus eſt immortalis, ciuitas non moritur.

Ratio huius doctrinae in ſe veriſſimae haec eſt, quia populus vel ciuitas eſt corpus morale, perſona moralis ex mille phyſicis compoſita. Morte autem ſoluuntur non perſonae morales, ſed phyſicae. Nam quod ad corpora moralia attinet, iis ſemper noua membra accedunt, vno mortuo, non deficit alter: et ſi deficiat per degenerationem, tamen deficientium locum alii peregrini facile occupabunt: adeoque nunquam deficiet corpus iſtud morale, quamuis nemo eorum ſuperſit, qui primi ciuitatem vel populum conſtituerunt.

Elegans, quo id illuſtrari poteſt, ſpecies eſt in *l.* 76. *D. de iudic.* Populus conſtituerat iudices, e. g. viginti. Ex hoc collegio ſenſim quidam ſe excuſauerant, quidam obierant, ita vt demum nulla perſona ſupereſſet, quae vixiſſet eo tempore, quo vel actio inſtituebatur, vel lis conteſtabatur. Quaerebatur, an idem intelligatur iudicium? Reſponſio Alfeni Vari eſt elegantiſſima.

Hoc et Alfenus Varus, et ipſe Grotius illuſtrant ſimilitudine ab ipſo corpore noſtro deſumta. Corpus noſtrum phyſicum conſtat ex partibus fluidis et ſolidis. Ex vtriſque per tranſpirationem quotidie aliquid decedit, in eiuſque locum aliae ſuccedunt particulae per nutritionem. Cibus enim in chylum, chy- *num.* 2.

 lus

lus in ſanguinem, ſanguis per varias excretiones in lympham, ſuccum neruoſum, carnem, oſſa, cet. mutatur. Vt adeo dici poſſit, vel parum vel nihil nobis iam ſupereſſe eius materiae, quam in hunc mundum ex vtero materno attulimus.

Iam dicimus. Quemadmodum nihilominus idem corpus manet, quamuis nouae ſint eius partes, eadem nauis, quamuis poſt ducentos annos ne feſtuca quidem ex prima materia ſuperſit: ita idem manet populus, quamuis nullus ex primis, qui illum conſtituerunt, hominibus ſuperſit.

num. 3. Male itaque ratiocinatur Piſo apud TACIT. *Annal. lib. II. cap.* 55. Quum enim Athenienſibus Germanicus multum honoris detuliſſet, Piſo, eius inimicus, illos increpans obiicit, *quod contra decus Romani nominis non Athenienſes tot cladibus exſtinctos, ſed colluuiem illam nationum comitate nimia coluiſſet.* Abſurde, populus enim non moritur, ſed idem manet; licet alii accedat, immo licet in aliam paene naturam mutetur. Sic Franci fuere Germani origine: in Gallia, quam deuicerant, Romanis et Gallis mixti, eorum mores, naturam, et linguam adoptarunt, et ideo tamen nihilominus manent Franci.

Haec doctrina magni momenti eſt. Nam inde poſſumus rationem reddere, cur foedera cum populis inita, iura populis conceſſa ſint perpetua. Et hinc ſi vel maxime demonſtrari poteſt, ex iis, quibuſcum pax vel foedus initum, neminem viuere ſuperſtitem, foedus tamen vel pax ideo violari non poteſt.

§. 4.

Quamuis vero populum non mori hactenus demonſtratum ſit: id tamen intelligendum de eo, quod fit ordinarie et per ſe. Nam per accidens aliquando et integri populi exſtinguuntur. Idque fit vel *exſtinctis partibus*, §. 4. vel *ſublato toto corpore*, §. 5. vel *ſoluta forma*. §. 5.

Primo id fit exſtinctis partibus, e. g. 1. inundatione. Tale quid de magna inſula Atlantica referunt veteres, eam totam cum vniuerſo populo mari abſorptam. Si ergo Atlantici iuribus pinguiſſimis vſi eſſent, illa dudum fuiſſent exſtincta.

2. Si ciuitas chaſmate vel terrae motu hauriatur, cuius rei exempla ſunt apud Tertullianum, Senecam, et alios. Recentiſſimum eſt opulentiſſimae ciuitatis Plurs in Heluetia, quae a monte

te proximo obruta; omnes ciues vno momento ſub ruinis aedium ſuarum ſepulti ſunt. Iam lacus eſt, vbi ciuitas fuit.

3. Si populus ſponte ſe interimat. Triſte Saguntinorum exemplum eſt apud Florum, et alios ſcriptores Romanorum. Ii enim diuturna obſidione preſſi ab Hannibale, quum nulla ſpes ſalutis ſupereſſet, vino ſe inebriarunt ex communi ciuitatis decreto, incenſiſque aedibus viui ſe omnes combuſſerunt, ita vt ne vnus quidem in hoſtium poteſtatem perueniret.

§. 5.

Idem fit ſublato corpore; non partibus corporis moralis. Nam ſi populus diffluit, ob peſtilentiam, bellum, vel aliam calamitatem publicam, populus eſſe deſinit. Sic interiit pridem populus Iſraëliticus, res publica Ebraea, regnum Iudaicum, quamuis innumeri vbique Iudaei ſuperſint.

Hoc tamen cum grano ſalis accipiendum. Nam ſi ob periculum vel calamitatem ad tempus fiat huius modi diſceſſio, cum animo redeundi: non ideo populus exſtinguitur, ſed priſtina iura ſua retinet. Exemplo eſſe poſſunt ciuitates illae olim fortiſſimae, Spira, et Wormatia. Vtraque diriſſime combuſta a Gallis, ciues per vniuerſam Germaniam diſpergebantur. Reddita pace, domum redierunt; vrbes illas reſtaurarunt, vt iura aliquantulum reſpirare videantur. An ideo omnia priſtina iura amiſerunt? Minime.

§. 6.

Denique et forma aliquando perit, per ſeruitutem. Nam ciuitatis forma eſt nexus inter imperantes et ſubditos. Sublato illo nexu, et populo vniuerſo in ſeruitutem redacto, populus eſſe deſinit, et fit acceſſio populi victoris.

Exemplum eſt in Iſraëlitis a Nebuchadnezare Babyloniam abreptis, in Thebanis ab Alexandro ſub corona venditis, in Capua in praefecturam a Romanis redacta.

§. 7.

Quaeritur, *an idem per ſolam migrationem contingat?* Negatur. Ratio: vbi nec partes populi intereunt, nec totum corpus, nec forma, ibi nec populus interit. Atqui per migrationem, cet. *Ergo* cet.

Abſurde ergo quis dixiſſet, interiiſſe populum Francorum ideo, quod in Galliam tranſiiſſet, populum Langobardorum quod in Italiam, populos Anglo-Saxonicum et Friſicum, quod in Britaniam tranſiiſſent.

§. 8.

num. 1. Quaeritur porro, *an et mutata rei publicae forma deſinat aliquis populus eſſe?* Intelligimus vero hic non formam internam, quae conſiſtit in vnione voluntatum, (ea enim exſtincta omnino et populus exſtinctus videtur; vid. ſupra §. 6.) ſed externam, quae vel in monarchia, vel in ariſtocratia, vel democratia, vel quadam earum mixtione conſiſtit. *Si ergo haec mutatur, an tunc populus idem eſſe deſinit?*

Negatur, quia tunc nec partes pereunt, nec totum corpus; nec nexus inter imperantes et ſubditos. Manet enim imperium, quamuis non ſit apud eumdem vel eoſdem. Populus conſideratur vt corpus, imperans vt caput. Manet vero corpus, manet caput, ſiue vnus, ſiue plures imperent.

num. 3. Hinc iam variae ſoluuntur quaeſtiones. Sequitur enim inde, 1. vt ſi populus aes alienum contraxerit, mutata rei publicae forma, nihilominus illud teneatur exſoluere, quia idem manet populus. Sic e. g. Romanus populus non deſinebat creditoribus ſuis debere, eiecto Tarquinio, et conſulibus conſtitutis.

2. Vt mutata imperii forma nouus imperans eumdem locum teneat, quem tenuere ſuperiores imperantes. Hinc cum Phocenſes Philippo Macedonum regi ſummum in ciuitate ſua imperium detuliſſent, eodem loco in Amphictionum conſeſſu is ſedebat, quo olim ſederant magiſtratus Phocenſes. Sic et rex Pruſſiae tamquam dux Magdeb. princeps Halberſtad Mindenſis, Caminenſis, cet. eadem loca in comitiis occupat, quae olim occupauerat archiepiſcopus Magdeb. et epiſcopi Halberſtadienſis, Mindenſis Caminenſis, cet. niſi quod in ſcamno ſaecularium, vt vocant, adſidet.

3. Vt foedus antea cum populo contractum, mutata rei publicae forma non tollatur. Exarſit inde bellum Latinum. Latini ſe Romanis ſubiecerant ſub Tarquinio. Eo eiecto nolebant amplius ſubeſſe Romanis, quia non cum conſulibus, ſed cum rege Tarquinio foedus iniiſſent. Quaeritur, an rationi conſentanea

fuerit

fuerit haec eorum ſententia? Id merito negatur, quia idem manet populus.

§. 9.

Quaeſtio noua oritur, *an populus eſſe deſinat per vnionem?* Id Grotius negat, ſed paullo diſtinctius reſpondendum.

Vnio fit tripliciter, vel 1. *per communem imperantem*, vti hodie Germania, Hungaria, Boëmia, Neapolis, Sicilia, communi imperanti ſubſunt, et tamen nullus populus alteri obnoxius eſt. 2. *Per foedus*, vt hodie vnitae ſunt ſeptem prouinciae Belgicae, 13. ciuitates Heluetica. 3. *Per ſubiectionem*, eamque vel *plenam*, ita vt ſuo imperio excidat populus ſubiectus, vti olim prouinciae Romanorum, hodie prouinciae a Gallis deuictae, vel *minus plenam*, quae ſuum ſibi imperium retinet, e. g. Pruſſia, Curlandia, quae eatenus ſe Polonis ſubmiſere, vt ſubeſſent propriis ducibus, Polonorum clientibus.

Iam facile patet, non deſinere populum per vnionem primam, nec per ſecundam, nec per quartam, quia hic manet nexus inter imperantem et ſubditos. At in caſu tertio nexus ille ceſſat, vt hinc ſit populus acceſſio dominantis rei publicae. Hinc hodie vrbes et terrae, quas res publica noſtra in Flandria et Brabantia adquiſiuit, non conſtituunt ſingulares populos, vti ſeptem prouinciae, ſed tamquam ſubditi ſunt acceſſorium populorum foederatorum.

§. 10.

Quid vero ſi diuiſio fiat? Tunc omnino populus eſſe deſinit. Fiunt enim populi duo vel plures, quorum nullus ab altero dependet. Quotcumque enim ſunt ſumma imperia, tot ſunt nexus inter imperantes et ſubditos, ergo et totidem populi. Sic e. g. olim Hiſpani non conſtituebant vnum populum, ſed tot, quot erant regna independentia. Sic quum Galli et Germani ſub Carolo M. et Ludouico Pio eſſent vnus populus, ſub nomine Francorum notus, poſt Ludouici Pii tempora diuerſi facti ſunt populi.

Excipitur tamen caſus, ſi diuiſio ita fiat, vt nihilominus vni ſuperiori nexu clientelari obſtricti maneant. E. g. Germania in multos principatus, comitatus, et res publicas diuiſa eſt: quia tamen

tamen omnes clientelari nexu obſtrictae ſunt imperatori et imperio, hinc manet vnus populus Germanicus.

§. 11.

Iam ſequitur nobilis, vt auctor ait, quaeſtio; ſed ex cuius deciſione ſatis adparet, eum in Gallia et inter pontificios ſcripſiſſe. Quaeritur, *an Romanum imperium tranſlatum ſit ad Germanos?* Id negat auctor, et putat, populum Romanum eumdem eſſe, qui olim fuerit, ſui iuris, et nullo modo ſubiectum Germanis. Videbimus rationes.

1. Germania magna nunquam fuit ſub Romano imperio; ergo in reges Germanorum non potuit transferri imperium Romanum. Nulla conſequentia. Nam 1. Romanum imperium non ſe ſubiecit Germanis, ſed tantum ſe obſtrinxit iſte populus, ſe eumdem imperatorem habiturum, quem Germani habeant regem; idque pactum initum ſub Ottone M. 2. Saepe populus ad incitas redactus, qualis ſub Carolo M. et Ottone M. erat populus Romanus, ſe ſubiicit alii, vel ſaltim alterius populi clientelam rogat.

2. Mutatio et tranſlatio imperii non praeſumenda, ſed probanda. Probabimus ergo. De tranſlatione, ſub Carolo M. facta, ne ipſi quidem Galli dubitant. Vid. NATAL. ALEX. *Hiſtor. eccleſ. ſaec. VIIII.* Pactum cum Ottone M. initum integrum exſtat apud GOLDASTVM in *Conſtit. imper. tom. I. pag.* 34. et ex parte in ipſum ius Canonicum migrauit, *d.* 63. *c.* 23. Hinc *Auctor vitae Mathildis* coaeuus *cap.* 5. apud LEIBNITIVM *tom. I. Script. rer. Brunſuic. totius populus Romanorum ſe ſponte ſubiugauit ipſius dominatui, et ſibi ſoluebant tributa, et poſt illum ceteris ſuis poſteris.*

3. Populus Romanus olim elegit imperatores, ſiue in comitiis, ſiue per ſenatum. Id quod tale probare conatur per *n.* 2. 3. 4. Et hinc colligit, nec hodie Germanos eligere poſſe Romanorum imperatorem, ſed ipſos Romanos, et qui eos repraeſentat, pontificem. Sed haec omnia falſa. Nam 1. ex hiſtoria notiſſimum, olim imperium inter Romanos fuiſſe ſucceſſiuum, adeo, vt et adoptiui admitterentur. 2. Poſt Neronem elegiſſe legiones Iudaicas, et hinc poſtea quoque electionem plerumque per milites factam, ita tamen vt filii ſuccederent patri. 3. Tranſla-

Tranſlatum in orientem imperium itidem ſucceſſiuum fuiſſe, et imperatores ibi ſemper inconſulto populo Romano imperaſſe. 3. Si concedatur, populum Romanum imperatorem ſibi eligere potuiſſe: potuit ſane id etiam in reges a Germanis electos transferre, et iuri ſuo renunciare.

4. Denique quum negare ſaluo pudore nequeat, in Carolum M. et Ottonem M. tranſlatum eſſe imperium, aeque ac in eorum poſteros, addit tamen ſub finem *n. 3. ita tamen, vt ius ſibi aliquod retineret*, cet. Rectius ſaeculo XII. GVNTHERVS in *Ligurino lib. III.* num. 3.

Quemcumque ſibi Germania regem
Praeficit, hunc diues ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, et verſo Tybrim regit ordine Rhenus.

5. Non potuiſſe aliquem Romanum imperatorem eſſe ſine coronatione epiſcopi Romani. Ergo electionem ab electoribus factam tantum conſtituere regem Germanorum, coronationem pontificis imperatorem. Sed ea omnia 1. rationibus politicis refragantur: Nam coronatio numquam dat ius imperandi, ſed eſt ſignum imperii iam legitime delati. Non quis coronatur, vt ſit rex, ſed quia iam eſt rex. 2. Hodie a temporibus Caroli V. coronatio Romana omittitur, et tamen reges Germanorum dicuntur ab ipſo pontifice *electi* Romanorum imperatores.

6. Epiſcopum Romanum vacante imperio inueſtituram tribuere feudorum imperii Romani. Id falſum. De furto aliquando id auſus eſt in ducatu Hetruriae et Parmenſi, (et quid non audet pontifex?) ſed ſemper contradixerunt imperatores, qui et vtrumque ducatum ſibi hodienum vindicant tamquam feuda imperii. Vid. GVNDLINGII *Diſſ. de iure imperat. et imperii in ducat. Hetrur.* et BOEHMERI *Diſſ. de iure imperii in ducatum Parmenſem.*

§. 12. 13.

Diximus ſupra morte exſtingui dominium. Iam ſequuntur binae exceptiones:

1. Ex iure ciuili, quod dominium in herede continuetur, iſque cum defuncto pro vna perſona habeatur: Sed id, vt dixi, ex iure ciuili eſt.

2. Ex iure gentium, quod victor continuet iura victi. Sed hic diſtinguendum. Non continuat victor iura victi perſonalia. Hinc non fit vxoris victi maritus, non liberorum victi parens,

cet, Continuat tamen iura victi in re, ſcilicet, quae habuit in re publica, e. g. ius venandi, piſcandi, ius ex foederibus quaeſitum. Sed de his infra *libro III.* erit agendum pluribus.

CAPVT X.

DE OBLIGATIONE, QVAE EX DOMINIO ORITVR.

§. 1.

num. 1. DIximus hactenus de dominio, quomodo et adquiratur, et deſinat, ſeu amittatur. Dominium vero quum ſit ius aliquod in re: non poteſt non certos effectus producere. Iſti effectus conſiſtunt in obligatione aliorum. Si enim dominus ſum, alii obligati ſunt, vt me non turbent, vt mihi rem meam reddant, ne ex meo lucrum captent, cet. Et de his obligationibus erga dominum agitur hoc capite, vbi

1. praemittuntur duae regulae huc pertinentes, *§.* 1. 2.
2. ex his regulis varii caſus et quaeſtiones ſoluuntur. *§.* 3. *ad fin.*

num. 2. Regula I. haec eſt: *qui rem noſtram in ſua poteſtate habet, efficere tenetur, quantum in ſe eſt, vt in noſtram poteſtatem veniat.*

Regula aequiſſima eſt, et ex pacto deriuanda. Res omnes olim erant in communione. Poſtea homines introduxere dominia. Id fieri aliter non potuit, quam per pactum, quo alter alteri promiſit, ſiue expreſſe, ſiue tacite, quod quiſque occupaſſet, id eius futurum. Atqui eius non eſſet, ſi vnicuique liceret rem alienam ſibi retinere: ergo tenetur, qui habet, reddere, vel operam dare, vt ad priorem dominum perueniat. Ex quo patet, hanc obligationem perfectam eſſe, et ex ipſa regula aeternae veritatis fluere, *pacta ſunt ſeruanda.*

Additur tamen, *quantum in ſe eſt*, quia (1. nemo tenetur ad impoſſibile. Hinc ſi verus rei dominus inueſtigari nequit, in dubio omnino eſt melior conditio poſſidentis. 2. Quia nemo tenetur id ſuis impenſis facere. Nam vti ego non poſſum ſalua iuſtitia cum alterius damno locupletari, ita nec alter debet cum

meo.

meo. Ergo ſi intelligam, dominum rei, quae apud me eſt, Romae viuere, is debet ſuo ſumtu rem recuperare.

Quaeritur autem, *an circa regulam diſcrimen ſit inter bonae et malae fidei poſſeſſorem*? Ratio dubitandi eſt, quod, qui rem alienam bona fide et iuſto titulo adquiſiuit, non peccauit, adeoque et iactura rei ſuae puniri nequeat. Reſp. non hanc obligationem ex delicto eſſe, ſed ex re ipſa, et hinc nihil intereſſe, ſiue quis bona, ſiue mala fide poſſideat. Rem meam repeto, non quia alter iniuſte eam adquiſiuit, ſed quia mea eſt. Repeto non ex delicto, ſed ex pacto illo primaeuo inter homines, de quo *n.* 2. diximus. *num.* 3.

Ex eo ſequitur, vt omnes contractus poſteriores huic obligationi cedant, e. g. depoſitum, commodatum eſt reddendum. Et tamen ſi quis rem alienam apud me depoſuerit, vel mihi commodarit, eam reddere non teneor deponenti, vel commodanti, ſed vero domino ſuperuenienti, et rem ſuam vindicanti. *num.* 4.

Rationem huius iuris hanc reddit Grotius, quod haec obligatio ſit ex contractu illo primaeuo et antiquiſſimo, de quo *n.* 2. vnde ei cedere debeant contractus recentiores et poſteriores. Sed commodior et propior dari poteſt ratio. Nam contractus non valent, vbi contrahens iure contrahendi deſtituitur. Atqui de rebus alienis contrahens iure omni deſtituitur contrahendi. Ergo eius contractus non valent, adeoque dominus praefertur merito deponenti vel commodanti, qui nullum ius rem alienam deponendi commodandiue habuerunt.

Sed obiici poſſet, 1. dominium non eſſe ex iure naturae, ſed ex inſtituto hominum, contra ex iure naturae eſſe regulam, quod pacta ſint ſeruanda. Reſp. negando antecedens, et diſtinguendo. Non eſt dominium ex iure naturae abſoluto, Deus enim omnia creauit in communione primaeua: eſt tamen ex iure naturae hypothetico. Poſito enim, homines dominium introduxiſſe, ſequitur etiam, vt dominus in rei ſuae poſſeſſione non ſit turbandus. Contra ius naturae numquam dicit, contractus eſſe ſeruandos, vbi perſona nullum contrahendi ius habet. *num.* 5.

2. Neminem debere locupletiorem fieri cum alterius damno, at locupletiorem fieri dominum, ſi ego eius rem titulo onero-

ſo; adquiſitam gratis reddere tenear. Reſp. negamus dominum fieri locupletiorem, nam rem ſuam recipit. Nec alter gratis id facit: pretium enim repetit ab auctore ſuo Sed forte is non adeſt, vel non ſoluendo eſt. Reſp. tunc id infortunium ferre non poteſt dominus, ſed imputare ſibi debet is, qui cum ignoto contraxit.

Recte ergo tradunt ICti, poſſeſſorem rem alienam reſtituentem, ne εὕρετρον quidem exigere poſſe, id eſt, ne honorarium quidem, (*einen Recompens*,) quia dominus rem ſuam non tenetur bis emere. Aliud ſi εὕρετρον promiſſum: tunc enim inuentor illud ex pacto exigit.

§. 2.

num. 1. Sequitur regula altera: *qui rem alienam bona fide poſſidet, in tantum tenetur ad reſtitutionem fructuum, in quantum iis factus eſt locupletior.*

Ratio eſt, quia cuius res eſt principalis, eius quoque ſunt acceſſiones, id eſt, fructus. Ergo ſi hos retineret poſſeſſor, fieret cum alterius damno locupletior. Iam quum hoc iniquum ſit, ſequitur ſane, vt tantum reſtituere teneatur, in quantum factus eſt locupletior.

Hinc varias concluſiones elicit auctor, e. g. ſequitur inde

num. 2. 3. 1. Vt ex actu ſerui inſtitoris teneatur dominus, non ſolum ex iuſſu et mandato, ſed etiam ſi ſe ignaro contraxit, modo in rem ſuam verſum ſit. Cur? nemo debet cum alterius damno fieri locupletior.

2. Vt qui pro altero fideiuſſit et ſoluit, licet pro ignorante, poſſit actione negotiorum geſtorum vtili indemnitatem petere. Cur? ex eadem ratione.

3. Vt qui pecuniam mihi ſurreptam a ſeruo, tamquam rem peculiarem conſumſit, mihi teneatur ad reſtituendum, ex eadem ratione.

4. Vt ſi cum pupillo contraxerim, agere aduerſus illum poſſim, ſi ſit locupletior factus, quum alias contractus huius modi ex parte pupilli nullam producat obligationem.

5. Vt ſi a creditore pignus alienum fuerit venditum, in tantum teneatur domino, in quantum factus eſt locupletior. Et

quae

quae ſunt alia huius generis exempla. Innumera enim in iure vniuerſo, maxime in materia de quaſi contractibus, paſſim occurrunt.

§. 3.

Haec prior pars capitis. Sequitur iam altera, in qua varias quaeſtiones ex his principiis ſoluit auctor. Nam

1. Quaeritur, *an bonae fidei poſſeſſor rei alienae teneatur ad reſtitutionem, ſi ea perierit*? Reſp. minime. Nam 1. res perit ſuo domino, 2. bonae fidei poſſeſſor, vt ſupra §. 2. diximus, tenetur tantum, quatenus factus eſt locupletior. Atqui dum nec rem habet, nec pretium, non eſt factus locupletior, ſed pauperior, ergo nihil reſtituit.

§. 4.

Qu. 2. *an bonae fidei poſſeſſor reſtituat fructus exſtantes*? Reſp. omnino, 1. quia acceſſorium ſequitur ſuum principale, 2. quia alias cum alterius damno fieret locupletior.

Sed diſtinguendum tamen monet auctor inter fructus rei, et fructus induſtriae, quia hi, inquit, non rem, ſed induſtriam ſequuntur. Sed id recte intelligendum. Qui e. g. agrum meum habet, et eum colit, et conſeuit, procul dubio mihi debet meſſem; ſed induſtriales fructus ſibi capit, id eſt, non accipio meſſem, niſi ſoluerim impenſas in culturam et ſemen factas. Alias enim dominus cum bonae fidei poſſeſſoris damno locupletaretur.

§. 5.

Qu. 3. *an bonae fidei poſſeſſor teneatur ad reſtituendos fructus conſumtos*? Reſp. quatenus factus eſt locupletior. Tunc autem cenſetur factus locupletior, ſi iis ad neceſſitatem, non voluptatis cauſſa, e. g. piris, pomis, leporibus, cancris, cet. vſus eſt; quia in promtu fuerunt, non factus eſt locupletior, quia iis facile caruiſſet, niſi fuiſſent in promtu.

§. 6.

Qu. 4. *an teneatur bonae fidei poſſeſſor ad reſtituendos fructus percipiendos*? Negatur, 1. quia nec rem habet, nec pretium. 2. quia non factus eſt locupletior.

Obiici poſſet, male eum egiſſe, quod hos fructus neglexerit. Reſp. bonae fidei poſſeſſor ſe putat eſſe dominum, et hinc quoque in ſuo arbitrio poſitum credit, velitne fructus percipere, nec ne. Aliud ergo in malae fidei poſſeſſore, qui cum ſciat rem eſſe alienam, merito et percipiendos fructus reſtituit.

§. 7.

Qu. 5. *an ſi quis rem alienam ſibi donatam alii iterum donarit, verus dominus ab hoc pretium repoſcere poſſit?* Neg. quia 1. rem reſtituere non poteſt, quam non habet, nec 2. pretium, quia donando non factus eſt locupletior, ſecundum §. 2.

Excipitur tamen donatio remuneratoria, vel neceſſaria. Nimirum donationem diuidimus in ſimplicem, quae fit ex mera et ſola liberalitate, et remuneratoriam ac neceſſariam, quae ſalua exiſtimatione omitti nequit, e. g. quam ſponſus facit ſponſae. Poſteriore caſu, ſi quis rem alienam donat, omnino fit locupletior, dum ſuae rei parcit, adeoque tenetur ad reſtituendum, per *reg.* 2. §. 2.

§. 8.

Qu. 6. *Si quis rem alienam emtam iterum vendiderit, an reſtituere debeat vero domino pretium?*

Reſp. aut eodem pretio rem vendidit, quo emit, tunc nihil reſtituit, quia nec rem habet ſecundum *reg.* 1. §. 1. nec locupletior factus. *reg.* 2. §. 2. aut maiore pretio vendidit, quam emit, tunc lucrum debet reſtituere, quia in tantum factus eſt locupletior, *reg.* 2. §. 2. E. g. emit quis annulum viginti florenis, eum iterum vendidit 30. florenis: tunc quia 10. florenis factus eſt locupletior, tantumdem etiam reſtituit.

Sed hoc ſi non doloſe alienauerit. Nam ſi quis bona fide rem alienam emit, et, poſteaquam intelligit, verum dominum vindicaturum, eamdem doloſe vendit, licet eodem pretio, quo emit, tunc totum pretium reſtituit, quia dolo ius naturae non adſiſtit. Et hinc eſt, quod iure ciuili is, qui dolo poſſidere deſiit, pro poſſeſſore habetur.

§. 9.

§. 9.

Qu. 7. *an, qui rem vero domino reſtituit, pretium eius, quod ipſe expendit, repoſcere poſſit?* num. 1.

Reſp. minime, 1. quia ne εὕρετρον quidem exigere poteſt, §. 1. *n.* 5. ergo multo minus pretium, 2. quia dominus non eſſet dominus, ſi rem ſuam de nouo emere, et pecunia ſua dominium eius recuperare deberet; 3. quia emtor rei alienae, ſi in bona fide ſit, poteſt ab auctore vel venditore ſuo pretium repetere, quippe qui ei ad euictionem tenetur.

Excipit tamen auctor caſum, ſi ne dominus quidem rem ſuam recuperaturus fuiſſet ſine pretio quodam oblato, tunc illud bonae fidei emtori ſolui aequiſſimum eſſe. E. g. adferri aliquis iuſſit merces ex India: piratae nauem intercipiunt, et merces vendunt. Maeuius bona fide aliquas res emit, verus dominus eas vindicat. Tunc aequitas ſuadere videtur, vt partem pretii reſtituat emtori; quia ſine λύτρα vel pretio res ſuas ne a piratis quidem recepiſſet.

Ita Grotius. Sed ego diſtinguere mallem inter regulas iuſti et honeſti. Ex regula honeſti res certa eſt, non autem ex regula iuſti, quae dominum non iubet res ſuas bis emere. Hinc laudabitur eius virtus, qui partem pretii reſtituet, ſed non dicetur iniuſtus, qui non reſtituet. Qui enim iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam.

Hinc conſectaria quaedam eruit auctor, veluti 1. quod qui impenſas alieni funeris fecit, eas iure ab heredibus repetat, num. 2. quia hi facti locupletiores; 2. quod negotiorum geſtor lucri cauſſa aliena negotia adminiſtrans tamen iure repetat tantum, in quantum abſens factus locupletior; 3. quod ei, cuius res nauis leuandae cauſſa iactae ſunt, reliqui, quorum res ſeruatae, merito teneantur ad contributionem ſecundum legem Rhodiam de iactu. Dum enim alterius detrimento res ſuas ſeruarunt, facti ſunt locupletiores. Sed haec facilia, et ex ipſo iure ciuili nota.

§. 10.

Qu. 8. *Si rem alienam emerim bona fide, et poſtea, vbi intellexi, dominum eam vindicaturum, eam reſtituerim venditori, vt mihi pretium redderet; an ita liberor?*

Neg.

Neg. 1. quia dolo poſſidere deſii, doloque ius naturae non adſiſtit, 2. quia obligatio reſtituendi adeſt, ſimulac comperi, rem eſſe alienam. *Reg.* 1. §. 1. Dum ergo rem non domino reſtitui, furtum commiſi.

§. 11.

Qu. 9. *an, qui rem alienam, cuius dominus ignoratur, poſſidet, eam teneatur pauperibus dare?* Ita vulgo docent caſuiſtae, Caietanus, Soto, et alii. Satis callide. Nam, quinam illis ſunt pauperes? Clerici et monachi, quia votum paupertatis conceperunt, inprimis Franciſcani vel fratres minimi, qui ideo id nomen adſumſere, vt in eos quadrare videretur dictum Seruatoris: *quidquid feceritis vni ex minimis fratrum meorum, id mihi feciſtis.*

Sed ius naturae id non docet, 1. quia in re aliena nulli ius eſt, praeter dominum. 2. quia vbi dominus ignoratur, ibi nullus adeſſe videtur dominus: non eſſe enim, et non apparere, in iure pari paſſu ambulant; 3. quia in dubio melior conditio eſt poſſidentis.

Interim vti ſemper pium eſt, benefacere pauperibus; ita et res inuentas illis concedere pium eſt, modo ne quis exiſtimet, pauperibus ius aliquod eſſe, illas ſibi vindicandi.

§. 12.

Qu. 10. *an, quod ob turpem cauſſam datum, reſtituendum ſit cauſſa non ſequuta?*

Neg. 1. quia res non eſt aliena, quippe cuius dominium ipſe verus dominus in accipientem tranſtulit. 2. quia, licet conditionaliter data ſit, ſi quid turpe fiat; tamen implementum huius conditionis exigere non poteſt dominus, quum ſit contra leges, adeoque moraliter impoſſibilis.

Quia tamen iure conditio impoſſibilis contractui vel pacto adiecta, contractum reddit nullum: hinc nec accipiens rem ob turpem cauſſam acceptam retinere poteſt. Et hinc plerumque illa a magiſtratu vel fiſco in poenam eripitur.

§. 13.

Qu. 11. *an res alienas pretio oblato retinere inuito domino poſſimus?*

MEDI-

Medina *de reſtitutione*, *qu.* 10. id affirmat, ſi res ſit fungibilis. Grotius autem refellere conatur Medinam, et dicit, in rebus fungibilibus tantumdem eſſe idem, ſi conſenſus domini accedat, e. g. in mutuo, non autem iuuito domino.

Sed Medinae deciſione nihil aequius eſt. Nam certiſſimum eſt, res fungibiles non admittere pretium adfectionis. Demonſtrauit id Thomasivs in *Diſſ. de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.* Iam vbi nullum eſt pretium affectionis, ibi tantumdem eſt idem.

Quam ridiculus eſſet, qui mihi indignaretur, quod ei eiuſdem bonitatis, quantitatis, et fabricae chartas reſtituam, non autem eam ipſam, quam a tertio bona fide emerim? Hinc hodie omnes auctores adſentiuntur Medinae contra Grotium, cuius deciſio tunc demum iuſtam habet rationem, ſi vel vlla in rem cadere poteſt affectio.

CAPVT XI.

DE PROMISSIS.

§. 1.

Svpra diximus, alium eſſe modum adquirendi, alium titulum. Modus adquirendi eſt cauſſa dominii proxima: titulus eſt cauſſa eiuſdem remota. Ille iure ciuili tribuit ius in re; hic ius ad rem: ille producit actionem realem; hic perſonalem, e. g. ſi praedium emtum mihi traditum eſt: traditio eſt modus adquirendi, titulus emtio.

Quum itaque ſupra actum de modis adquirendi: ſequuntur iam varii tituli. Inter quos primus eſt *pactum* vel *promiſſio.* Agit auctor

1. *de modis promittendi*, §. 1-4.
2. *de perſonis promittentibus*, §. 5-7.
3. *de rebus quae promittuntur*, §. 8-9.
4. *de promiſſionibus per alios factis*, §. 10-13.
5. *de acceptatione* §. 14. 15. ac denique,
6. *de effectu promiſſionum.* §. 16. *fin.*

I. De *modis promittendi* notum eſt, promitti aliquid poſſe vel *num.* I.

per

per modum pacti nudi, vel per modum contractus. Per modum pacti, ſi res futura promittitur; per modum contractus, ſi praeſens adeſt obligandi cauſſa, quam veteres vocant συνάλλαγμα. Iam itaque

1. Quaeritur, *an et nuda pacta ſine cauſſa praeſenti, vbi nullum eſt* συνάλλαγμα, *obligent?*

Si de iure ciuili Romano quaeſtio eſſet, facile reſponderetur, pacta nuda nec obligationem, nec actionem producere, ſed exceptionem tantum ex edicto praetoris. At hic non quaeritur de iure ciuili, ſed naturali. Omnes agnoſcunt, iure naturae inter pacta et contractus quoad effectus nullam eſſe differentiam. Solus FRANC. CONNANVS, qui *Commentarios iuris ciuilis* ſatis doctos ſcripſit, *lib. I. cap. 6.* et *lib. V. cap. 1.* in alia omnia it, ſtatuitque, nec iure naturae pactum vel promiſſionem nudam producere obligationem.

Argum. 1. Eius argumenta haec ſunt: 1. quia hic in pari culpa verſentur promittens et is, cui promittitur: ille, quia ſine iuſta cauſſa praeſente promittit, hic quia temere promittenti credit.

2. Quia ita periculum immineat omnium fortunis, et ſaepius homines ex temeritate et oſtentatione, quam animo deliberato promittant.

3. Quod alias nullum eſſet diſcrimen inter honeſtum et iuſtum. Honeſtum eſſe, huiusmodi promiſſa ſeruare, ſed non iniuſtum, ſi non ſeruentur. Videri haec ſingulorum virtuti et pudori relicta.

4. Quod ſaepe promiſſa ipſi ſtipulanti ſint inutilia, et hinc et ob eam cauſſam ceſſet obligatio.

Ergo, inde concludit Connanus, iure naturae nullam promiſſionem obligare, ſed tantum ex legibus ciuilibus. Has autem non pactis nudis adſiſtere, ſed contractibus tantum.

Ceterum id falſum eſſe, multis argumentis demonſtrari poſſet. Grotius vtitur

1. Argumento ab abſurdo, et ita ratiocinatur: *ſi verum eſt, pacta nuda iure naturae non valere, tunc ſequitur, ut nec foedera inter gentes vllius momenti ſint: nam ea plerumque in ſola futuri promiſſione conſiſtunt. At poſterius eſt abſurdum. Ergo et prius.*

2. Simile abſurdum inde deducit, dum ita argumentatur: *ſi pacta iure naturae non valent, tunc obligationem ſuam nanciſcuntur*

tur

tur ex lege. Atqui lex ipſa in ciuitatibus democraticis eſt pactum. l. 2. D. de legib. Pactum ex mente Connani eſt inualidum. Ergo pacta quaedam valent, ob pacta, quae non valent. Quid abſurdius excogitari poſſet?

3. Supra demonſtrauimus, ipſum dominium in alium transferri ſola voluntate noſtra. Quidni et obligatio perſonalis?

4. Idem Grotius demonſtrat ex conſenſu ſapientum, eam- *num. 4.* que in rem laudat teſtimonia ICtorum *l. 1. D. de pact. l. 1. D. de pecun. conſtit.* cet. Ciceronis, Horatii, Platonicorum. Sed hic quidem conſenſus ſapientum tantum abeſt, vt ius faciat, vt ne gentium quidem conſenſus, vti ſaepe diximus, pro iure ſit.

Potius itaque videbimus, quid ad Connani argumenta reſpondendum ſit. Ea hoc ordine refellit Grotius, vt 1. praemittat tres gradus promiſſionum, quos vulgo confundunt, *n.* 5. deinde vero 2. ſingula argumenta expendat *n.* 4.

I. Primus gradus eſt *aſſertio*, explicatus de futuro animum, qui nunc eſt. Et hic eſt actus μονόπλευρος, vnilateralis, ex quo nemini ius naſcitur. E. g. ſi inter ſermones familiares dixerim, Titium aliquando heredem inſtituam. Hic tantum explicaui animum meum, quid futurum me ſtatuerim, ſed nihil promitto.

Et de hoc primo gradu obſeruandum, *voluntatem hominis ambulatoriam eſſe vſque ad mortem*; nec vlli fieri iniuriam, ſi Titium heredem non ſcribam. Ratio duplex eſt, 1. quia ex actu μονοπλεύρῳ nemini ius quaeſitum eſt, vt poſſit mutationem hanc impedire; 2. quia nemo ſibi ipſe legem dicere non poteſt, a qua recedere non liceat. Legem enim ferre eſt ſuperiorum, legi parere inferiorum. Nemo autem ratione ſui ipſius vel ſuperior eſt, vel inferior, ergo nemo ſibi ipſi legem dicit, adeoque ſemper quis voluntatem ſuam mutare poteſt.

II. Secundus gradus eſt, quando voluntas non ſolum explicatur, ſed et determinatur, et ea determinatio certo et perſpicuo ſigno explicatur. Hic quoque eſt actus μονόπλευρος, et iure naturae nos obligat; ſed alteri ius nullum eſt rem a nobis exigendi. Dicitur alias *pollicitatio.* E. g. vocato notario cum teſtibus declaro, me Titio aedes donatas velle. Titius non adeſt, nec acceptat. Vnde non pactum eſt, ſed pollicitatio. Quaeritur, *an obligatus ſim?* Sine dubio, turpe enim eſt promiſſa non ſeruare. *An autem alter habet actionem ad aedes a me exigendas?* Minime, quia eſt actus μονόπλευρος, ex quo nullum alteri ius quaeritur.

Si obiicias, abſonum videri, me obligari, alteri vero non eſſe ius exigendi: facilis eſt reſponſio, omnia officia imperfecta obligationem producere, ſed non dare ius exigendi. E. g. obligatus ſum ad eleemoſynas dandas, ſed non ideo pauper eas a me iure exigit.

§. 4.

num. 1. Tertius gradus eſt, vbi voluntas de futuro non ſolum determinata eſt, et luculento ſigno explicatur, verum etiam ab altero acceptatur.

Hic autem actus διπλευρος vel bilateralis eſt, et inde alteri ius naſcitur, et plena ex parte noſtra obligatio.

Ratio eſt, quia tum hoc modo paciſcimur, aut dominio noſtro nos abdicamus, quod fit promiſſione de dando aliquo, vel libertatis noſtrae parti renunciamus, quod fit promiſſione de faciendo. Atqui quilibet poteſt iuri in ſui fauorem introducto renunciare, et ad renunciata tunc non datur regreſſus.

Id illuſtrat Grotius ex ipſa Scriptura ſacra vbi 1. dicitur, ipſum Deum promiſſa violare non poſſe; quanto magis homines, qui legibus ſubſunt. 2. Salomon dicit, promittentes illaqueari verbis oris ſui. *Prouerb. V.* 1.2. Promiſſum Ebraice dicitur אסרה *Oſereth*, *vinculum*.

num. 2. 3. Iam itaque ad Connani argumenta. Primum eſt, in pari culpa verſari promittentem et eum, cui promittitur. Reſp. verum id eſſe, ſi non deliberato animo, non ſerio, ſed per ſermones et iocum fiat promiſſio. Et hinc leges Romanae ſtipulationem, tanquam certum ſignum promiſſionis ſeriae conſtituiſſe. Enimuero inde non ſequitur, vt ſine ſtipulatione promiſſio non poſſit eſſe ſeria et ex deliberato animo certoque conſilio profecta. Iam itaque reſpondemus: ſi paciſcentes in pari culpa ſunt, et alter temere et non ſerio promittit, alter temere promittenti credit, tunc concedimus nullam eſſe obligationem. At quis dixerit, pactum nudum eſſe promiſſionem temerariam et minus ſeriam?

Alterum argumentum nullius momenti eſt. Dicit, inde magnum fortunis noſtris imminere periculum, quia promti ſint homines ad promittendum. Reſp. promti ſunt homines ad promiſſiones et ſecundi generis, ſed inde nullum imminet fortunis periculum. Primi enim generis promiſſio poteſt reuocari, alterius generis nullum tribuit ius exigendi. Ad tertii generis pro-

promiſſa non magis promti erunt homines, quam ad contrahendum, ſi nouerint, obligationem inde naſci.

Tertium ergo plane nihili eſt. Sic futurum putat Connanus, vt nihil diſcriminis ſuperſit inter iuſtum et honeſtum. Sed quidni? An non multa alia ſunt officia miſericordiae, liberalitatis, gratitudinis, quae ex ſolis honeſtatis regulis fluunt?

Denique quartum argumentum fere ridiculum eſt. Poſſunt pacta nonnumquam vtrique inutilia eſſe: Ergo non producunt obligationem. Nam 1. idem dici poteſt de contractibus: quis enim neget e. g. contractum emtionis venditionis vtrique aliquando inutilem eſſe? et tamen ea ex mente ipſius Connani obligationem producit. 2. Si vtrique inutile erit pactum, tunc illud poſſunt mutuo diſſenſu tollere.

Maneat ergo certum fixumque, nullum eſſe iure naturae inter pacta et contractus diſcrimen, ſed illa aeque, ac hos, obligare, modo ſint ſeria, et ex animo deliberato profecta.

§. 5.

II. Pergimus ad alteram partem huius capitis *de perſonis num.* 1. *promittentibus*, vbi regula generalis: *in promittente requiritur rationis vſus.* Qui enim promittit, debet animum habere vel dominio, vel libertati ſuae naturali renunciandi. Illum animum habere nequit, qui rationis vſu deſtituitur. Ergo hic paciſci et promittere non poteſt. Ex quo ſequitur,

1. Vt amentis, furioſi, infantis promiſſio nulla ſit. Circa furioſum tamen obſeruanda exceptio. Nam ſaepe ſunt dilucida furoris interualla. Quum ergo iis durantibus furor ceſſet: quaeri poteſt, *an tunc promittere poſſit furioſus?* Plerumque id indiſtincte adfirmatur. Sed rectius diſtinguitur inter actum *tranſeuntem*, et qui explicari ſtatim poteſt, e. g. donatio, emtio venditio, et *permanentem*, vbi actio explenda per diſtinctas praeſtationes, e. g. promiſſio matrimonii, patrocinii forenſis, cet. Ille a furioſo expediri poteſt, durante dilucido interuallo, hic non poteſt. Vid. PVFENDORFF. *de iure naturae et gent. lib. III. cap. 6. §. 3.*

2. Vt minoris promiſſio valida ſit. Quamuis enim ius ciuile minorenni concedere ſoleat reſtitutionem in integrum: id beneficium tamen ignorat ius naturae. Minor enim non deſtituitur ratione, ſcit, quid agat. Ergo ſaltim naturaliter obligatur.

num. 2, 3. Sed quaeri ſolet, *quando puer ratione vti incipiat?* Reſp. id non iure naturae, ſed iure ciuili eſſe definiendum. Ratio eſt, quia ius naturae non niſi regulas vniuerſales ſuppeditat. De hac re autem nihil vniuerſaliter ſtatui poteſt. Nam pro diuerſitate ingenii, temperamenti, patriae, vel climatis, alii citius adoleſcunt et ſapere incipiunt, alii tardius. Ius ciuile ergo hic ſequitur id, quod in ſingulis locis vt plurimum fit.

An, cum ius ciuile circa eam rem non ſit vbique idem, quid obtineat, ſi diuerſarum rerum publicarum ciues contrahant? Et reſp. ſequendum eſſe ius loci, vbi contrahitur. Ergo ſi in mari, vel in inſula contrahatur, vbi nulli coloni reperiuntur, tunc res redit ad ſimplicitatem iuris naturalis, adeoque non ad aetatem contrahentium reſpicitur, ſed diſquiritur, an contrahentes vſum rationis habuerint, cuiuſcumque aetatis ſint.

§. 6.

num. 1. Secundo in promittente requiritur, vt velit promittere. Voluntati vero obſtant error et metus, hinc de illo §. 6. de hoc §. 7. agitur.

Notum eſt, quam multa ICti praecipiant de errore circa ſubſtantiam et accidentia contractus, de dolo dante cauſſam contractui et incidente, de contractibus bonae fidei et ſtricti iuris.

Sed haec omnia cum ſint iuris mere ciuilis: merito quaeritur, *quid hic ſtatuat ius naturae?*

Grotius exiſtimat, omnem errorem, ſine culpa noſtra admiſſum, promiſſum vitiare. Idque probat

num. 2. 1. a ſimili. Si lex fundatur in praeſumtione facti, quod factum reuera ſe ita non habet, ibi lex non obligat. E. g. in l. 5. *C. de ſeru. fugit.* dicitur, ſi mancipium reipublicae ſollicitatum aufugerit, tunc ſollicitatorem non modo daturum pretium, ſed et defenſorem ciuitatis adactum iri ad mancipia reſtituenda. Cur? Fundatur ea lex in praeſumtione, quod defenſor ciuitatis negligens fuerit in perſequendo mancipio. Si iam ergo demonſtrari poteſt contrarium legis, nulla erit obligatio. Quum itaque hoc circa legem obtineat: idem etiam obtinebit circa legem, pacta, et promiſſa, vt ſi fundata ſint in praeſumtione certae qualitatis, ſi ea non adſit, obligatio quoque ceſſet. E. g. promitto centum pro poculis argenteis;

genteis, fundo hic promiſſionem in eo, quod pocula ſint argentea. Si ergo aenea ſint, merito ceſſabit obligatio.

2. Idem probat inde, quia omnis promiſſio certa ratione conditionalis eſt. Promittimus enim ſub conditione, ſi haec rei qualitas adſit. Iam conditionale promiſſum non exſiſtente conditione non obligat, ergo nec promiſſum ab errante factum.

At hanc regulam fere deſtruunt exceptiones. Nam 1. promiſſum errantis obligat, ſi ipſe ſua culpa errarit, rem non recte conſiderando. E. g. vendebat aliquis aedes: emtor omnes eius partes viderat, et placuerant. Poſtea erraſſe ſe dicebat circa materiam, putaſſe ſe totas aedes eſſe lapideas, quum partes ſuperiores ſint ligneae. Errauerat hic ſua culpa. *num. 2.*

2. Si erratum in re, in qua promiſſum non fundatur. E. gr. Emit aliquis equum, putauit eum eſſe Holſaticum, iam Friſius adparet. Si cetera recte ſe habeant, fruſtra ad hunc errorem prouocatur.

Ergo rectius dicitur, *in dubio ſemper error nocet erranti*, niſi 1. ſit error inuincibilis, 2. alterius dolo excitatus.

§. 7.

Iam de *metu* quaeritur, *an* is *pactum vel promiſſum vitiet*? *num. 1.* Veteres ICti exiſtimabant, promittentem ex metu obligari: poſtea praetor dabat reſtitutionem in integrum vel actionem quod metus cauſſa. Ergo iure ciuili ſtricto metus actum non vitiat, ſed iure praetorio reſcinditur.

Ratio repetenda ex philoſophia Stoica, cui dediti erant ICti. Nam Stoici ſtatuebant, ſapientem affectibus carere omnibus, eum nec metuere, nec ſperare, nec gaudere, nec laetari: ſi in Phalaridis tauro ſit, tamen dicturum, eia quam ſuaue eſt, quam nihil curo. Hinc colligebant, eum, qui metuit, non eſſe ſapientem, ſed ſtolidum, ſtolidum autem non debere fructum capere ſtultitiae ſuae.

Iam omnes exiſtimant, haec ratione carere, idque luculenter demonſtrauit GVNDLINGIVS in *Diſſ. de efficientia metus iniuſti in ſtatu naturali et ciuili.* Et tamen Grotius defendit ſententiam Stoicorum et ICtorum, putatque, ex metu initum pactum omnino obligare. Rationes has habet, 1. quia hic re vera ſit conſenſus. Coacta voluntas etiam eſt voluntas, immo quam maxime voluntas; 2. quia hic non eſt conſenſus conditionatus, ſed purus. Vult enim ſe a periculo liberare.

Poſſet

num. 3. Poſſet obiici, dari tamen reſtitutionem in integrum. Reſp. Grotius, id eſſe ex iure ciuili. Hoc ſaepe actus iuſtos reſcindere ob rei publicae vtilitatem, e. g. contractus minorennium, cet.

Sed haec doctrina non eſt publici ſaporis. Metus eſt affectus, qui non in ſtultos ſolum cadit, ſed in ſapientiſſimos quoque. Repraeſentato enim malo futuro, et difficulter declinando, neceſſario metus oritur. Iam ergo non quaeritur, an ego conſenſerim, ſed an alteri ius fuerit metum incutiendi, eoque modo conſenſum eliciendi. Si illi ius eſt, tunc et promiſſum metu extortum valet, e. g. ſi debitor moroſus metu carceris promittat, ſe intra octiduum ſoluturum. Sin alteri nullum ius eſt, promiſſum quoque nullum eſt. Hinc alio tempore allegaui elegans epigramma MARTIALIS *lib. II. ep.* 59.

Quid ſi me tonſor, dum ſtricta nouacula ſupra eſt?
Tum libertatem diuitiaſque roget,
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat, res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curua cum tuta nouacula theca,
Frangam tonſori crura manuſque ſimul.

Hanc doctrinam ipſe auctor agnoſcere tenetur in verbis §. 2. *ſed illud ſimul veriſſimum cenſeo.* cet.

§. 8.

num. 1. Sequitur pars III. capitis *de materia vel re, quae promittitur.* De ea primo notanda regula: *res promiſſae debent eſſe in poteſtate promittentis.* Si enim non ſint in poteſtate illius, ſunt impoſſibiles. Impoſſibilium autem nulla eſt obligatio. Hinc ſequitur,

1. Rerum illicitarum promiſſionem eſſe nullius effectus. Vnde enim naſcitur obligatio promittentis? Ex iure naturae, quod dicit pacta ſunt ſeruanda. At idem ius prohibet res illicitas. Ergo fieri nequit, vt idem ius ſimul prohibeat homicidium, et tamen promittentem homicidium, adigat, vt promiſſum praeſtet.

num. 2. 2. Inde ſequitur, vt valeat promiſſio rei futurae, et nondum exſiſtentis. Quamuis enim iam non ſit in poteſtate promittentis, ſufficit tamen, quod in poſterum eſſe poſſit.

3. Vt ſi promiſerit quis factum alienum, non teneatur, niſi

vt omnem diligentiam adhibeat. Impoſſibile eſt enim alienam operam praeſtare. E. g. promitto hanc virginem tibi nupturam.

4. Vt non valeat promiſſio matrimonii a coniuge facta. *num.* 31
Auctor quidem contrarium ſentit, et exiſtimat, ius ciuile ſolum reſcindere hanc promiſſionem, quum tamen exitum habere poſſit: ſed probe tenendum, hanc promiſſionem iuri naturae repugnare, quia promittitur res illicita, matrimonium nimirum ab eo, qui id inire non poteſt. Si dicas, promittitur res futura, in eum euentum, ſi caſus exſtiterit. Reſpondeo, et hanc promiſſionem turpem eſſe, quia ita ſperat et optat coniugis mortem, cui per omnem vitam ſe praeſtiturum promiſit.

Accedit et alia ratio politica. Nihil enim periculoſius eſt huius modi promiſſo. Non enim moriente coniuge; promittens facile eo adduci ſe patitur, vt manum illi inferat, et manu euacuet thalamum.

§. 9.

Quaeritur porro, *an valeat promiſſum rei natura vitioſae?* Id recte negatur, quia, vti iam dixi, non poteſt ius naturae adſiſtere promiſſo facti, quod ipſum ius naturae prohibet.

Ex quo ſequitur, vt huius modi ex promiſſo nulla naſcatur obligatio. Hinc nec qui aſſaſſinium promiſit, tenetur ad ſoluendum. Pactum enim nullum eſt: rei nullius autem nulli ſunt effectus.

At et hic diſſentit auctor; et putat, id quidem verum eſſe de pacto non impleto: ſin iam alter pacto ſatis fecerit, ei omnino pretium deberi, idque probat exemplo Iudae, qui Thamari, quam meretricem putabat, conuentam mercedem ſoluit. *Geneſ.* 35. 11.

Sed exempla non probant ius. Sufficit, quod huius modi pactum nullum ſit. Si nullum eſt, nullam poteſt producere obligationem. Perſoluit ergo Iudas mercedem ſcortationis promiſſam, ſed non perſoluere debuiſſet, ſi noluiſſet. Vterque paciſcens autem obligatur ad poenam.

§. 10.

Quaeritur, *quid ſentiendum de promiſſione rei iam tum debitae?* E. g. debitor debet iam antea 100. et iam creditori ſolutionem promittit.

Reſp. tanto magis debet, quia ad vetus debitum accedit noua obligatio ex promiſſo. Si promiſſio per ſtipulationem fit, tunc ius ciuile fieri dicit nouationem, quia quum antea deberetur ex contractu mutui, iam deberi incipit ex ſtipulatione. Sed hoc ius naturae ignorat, quia omnes contractus ſunt eiuſdem generis. Idem ius ciuile ſi pactum nudum repetatur, id vocat pecuniam conſtitutam. Sed et id ius naturae ignorat, quia, vt ſupra demonſtrauimus, non differunt pactum et contractus.

Sed quaeritur, *ſi vi creditor debitori ſuo extorqueat promiſſum, an tunc obligatio naſcatur?* Reſp. minime, quia haec eſt vis iniuſta. *Sed an ideo a ſolutione liberatur debitor?* Non, quia iam ante promiſſum debuit. Puniendus tamen, qui vim adhibuit, pro modo circumſtantiarum.

§. 11.

Iam ſequitur quarta pars capitis *de promiſſione per ſe, vel alium facta:* Poteſt quis promittere vel per ſe, vel per alium. Si per ſe, tunc requiritur certum ſignum, vel actus externus, ex quo voluntas promittendi colligatur, id eſt, verba, litterae, cet.

Addunt nonnumquam iura ſollemnitatem, e. g. apud Romanos reſponſionem congruam ad quaeſtionem, id eſt, ſtipulationem, apud veteres Germanos manus oblationem. Sed haec ſigna non ſunt iuris naturae, quia ſunt arbitraria, et apud diuerſas gentes diuerſa. Sufficit iure naturae, ſi mens et conſilium adiit promittendi, idque conſilium eluceat ex ſignis externis quibuſcumque.

§. 12.

An vero et per alium quis recte promittit? Reſp. omnino; quia quod quiſque per alium facit, illud ipſe feciſſe videtur; modo voluerit, alium pro ſe promittere, quae voluntas ex *mandato* colligitur.

Id *mandatum* vel *generale* eſt, vel *ſpeciale. Generale*, ſi quis alterum ei negotio praepoſuit, in quo opus ſit contractibus et promiſſis. Vnde ſcimus, inſtitore contrahente ius ciuile dare actionem inſtitoriam, magiſtro nauis contrahente, exercitoriam. *Speciale*, ſi quis alterum mandato inſtruit, ad hoc pactum vel promiſſum ſuo nomine faciendum.

Ratione

Ratione effectus ea differentia eſt, quod in generali ratum debeat habere, quidquid agit mandatarius, modo res ad negotium, cui praepoſitus eſt, pertineat. At ſpeciale mandatum non vltra obligat dominum, quam mandauit: non ergo ſi mandatum exceſſit. Ratio eſt, quia illo caſu alter, qui cum mandatario noſtro contraxit, neſciuit, quam illi poteſtatem fecerimus: at hoc caſu id ſatis ſcit ex procuratorio vel mandato.

Rem duplici exemplo illuſtrat Grotius. Quod ſpeciale mandatum non obſtringat dominum, ſi mandatarius limites mandati transſcenderit, patet exemplo legatorum. Legatus duplici munitus mandato agit, 1. litteris ad principem vel rempublicam directis, quae vocantur *das Creditiv.* In illis rogatur princeps, vt huic miniſtro noſtro fidem habeat, tamquam ipſi mandanti. 2. Litteris ad ipſum legatum directis, (*die Inſtruction,*) vbi praeſcribitur legato, quantum promittere debeat, vel concedere alteri parti. *Quid ſi fines huius inſtructionis transſcenderit?* Tunc non eſt pactum, ſed ſponſio, et tunc vel legatus dixit, ſe non eſſe inſtructum, ſed promittere ſub ſpe rati: tunc nulla ei, cui promiſſum, debetur ſatisfactio: aut ſimulauit, ſibi inſtructionem eſſe, et promiſit: tunc debetur ſatisfactio. Apud Romanos illa in eo conſiſtebat, quod legatus nudus, reuinctis in tergum manibus traderetur alteri parti. Exemplum eſt in ſponſione Numantina et Caudina apud LIVIVM, de quibus alio loco.

§. 13.

Alterum exemplum, quod docet, generale mandatum mandantem obligare ad omnia rata habenda, eſt actio exercitoria et inſtitoria. Inſtitor enim et magiſter nauis ſunt mercatoris mandatarii generales certis negotiis praepoſiti. Inde ſequitur, vt quod ratione iſtius negotii cum illis agitur, id ipſe dominus egiſſe videatur.

An ergo actiones exercitoria et inſtitoria, ſunt iuris naturae? Reſp. omnino, ſed qualitas tamen quaedam his actionibus acceſſit ex iure ciuili, nempe quod ſinguli praeponentes teneantur in ſolidum. Et hinc apud Hollandos id non receptum eſſe monet, ne homines negotiatione maritima abſterreantur.

§. 14.

Quintà capitis pars agit *de acceptatione.* Hac opus eſſe, facile probatur. Pactum eſt negotium bilaterale. Ergo non ſufficit vnius conſenſus. Si ergo vtrumque conſentire decet: alterius ſane eſt promittere, alterius promiſſum acceptare.

Ea vel *expreſſa* eſt, quae verbis poſt promiſſionem declaratur, vel *tacita*, quae ex antecedente rogatione colligitur. Nam ſi ego rogo centum, alter eos promittit, in anteceſſum videor acceptaſſe: modo tantumdem promittatur, quantum rogatum. Nam ſi rogatus centum, promittam viginti, acceptatione ſpeciali opus eſt.

Obiiciunt: atqui pollicitationem rei publicae factam ſine acceptatione obligare. Vid. *tit. D. de pollicitat.* Reſp. auctor, id iuris ciuilis eſſe. Poſſet addi, re vera hic loco rei publicae ipſam legem promiſſum acceptare, quemadmodum et acceptat pro pupillis et amentibus.

§. 15.

Quaeri etiam ſolet, *ſufficiatne acceptionem factam eſſe, an praeterea requiratur, vt innoteſcat illa promittenti?* Subtiliter auctor reſp. videndum eſſe, quid actum ſit, nam poſſe vtraque ſub conditione conueniri, ſi alter acceptet, et ſi innotuerit, illum acceptaſſe. Deinde videndum ait, an promiſſio ſit mutua, an vnilateralis. Ibi neceſſarium eſſe, vt mihi innoteſcat acceptatio, hic praeſumi, illum acceptaſſe.

Sed non opus eſt his ambagibus. Semper requiritur, vt acceptatio mihi innoteſcat. Non eſſe et non apparere in iure pari paſſu ambulant. Sed innoteſcit mihi vel per ſigna alterius expreſſa, e. g. verba, litteras, cet. vel per praeſumtionem, ſi alter tam ſit indigus, vt non poſſit adſpernari promiſſum.

§. 16.

Agi iam incipit de reuocatione promiſſi. Ea vero fieri poteſt 1. nondum ſequuta acceptatione: Ea enim nondum facta, nondum eſt pactum, ſed actus vnilateralis, in quo voluntas ambulatoria eſt vſque ad mortem, vti nuper demonſtratum.

2. Mortuo eo, cui promiſſum, ante acceptationem. Quamuis enim obligatio ex promiſſo etiam ad heredes tranſeat: non

tamen tranſit obligatio a defuncto nondum adquiſita. Aliud, ſi modo ſpes adſit, e. g. ſi ſub conditione promiſſum, et defunctus acceptauit promiſſum.

§. 17.

3. Mortuo mandatario ante negotium explicatum. Mandatario, inquam, non internuncio vel tabellario: quia in mandatario induſtria perſonae eligitur. *num.* 1.2.

Prolixus hic eſt auctor in ratione huius iuris inueſtiganda; eamque in eo quaerit, quod illius verbis poſita fuerit obligatio. Hinc *n.* 2. addit auctor, ſi praeſumtio ſit, mandantem voluiſſe mandatum valere, etiamſi moriatur mandatarius. Qualem praeſumtionem adeſſe exiſtimat in legatis et promiſſis ad pias cauſſas.

Sec haec nihili. Non valet promiſſum nec factum, nec acceptatum. Mandatario promittentis mortuo, nec factum eſt promiſſum, nec acceptatum: ergo non valet, niſi id per alium fieri iubeat mandans. Praeſumtio hic nihil operatur, quum mandans, dum non per alium promittit, ſatis declarat, ſe iam nolle promittere. Et doctrina de cauſſis piis maxima ex parte pontificiis principiis ſuperſtructa eſt.

§. 18.

An et acceptatio fieri poteſt per alium? Hic non quaeritur de alio, cui mandaui, id enim extra dubium eſt, ſed de eo, qui pro me ſine mandato acceptat. *num.* 1.2.

Diſtinguit Grotius, mihine promiſſum ſit, an alteri. Si mihi, tunc ſoluendum eſſe, quod alterius bono acceptaui: ſin alteri, tunc denuo diſtinguendum putat, an mandato acceptandi inſtructus ſim, nec ne. Poſteriori obligatum eſſe promittentem, ſed alteri ius non naſci, niſi ratam habuerit acceptationem.

Iam videbimus exempla. Dixit aliquis: promitto tibi, me fratri tuo filiam vxorem daturum. Ego accepto. An recte? Omnino, quia non fratri, ſed mihi promiſit. Contra dixit aliquis: promitto fratri tuo, me ei filiam vxorem daturum; hic fratri promittitur: ſi ego mandato inſtructus accepto, valet promiſſum. Sin ſine mandato: promittens obligatur, ſed fratri tum

 demum

demum ius naſcitur, ſi ratam habuerit acceptationem meam. Et id quidem rectiſſime. Non prius enim fit pactum, quam acceſſerit vtriuſque in idem placitum conſenſus.

§. 19.

Qu. *an liceat et onus adiicere promiſſioni in meum vel tertii commodum?*

Facilis reſponſio. Si id fiat ante acceptationem, licet. Nam alteri ius nondum quaeſitum eſt. Si poſt acceptationem: id fruſtra fit, quia alteri ius per acceptationem quaeſitum auferri nequit.

Immo quum alias rogatio antecedens pro acceptatione ſit, hic tamen res ſecus ſe habet. E. g. rogo, vt mihi filiam deſpondeas: Deſpondeo, ſi ſoror tua nupſerit fratri meo. Hic non prius obligatur promittens, quam alter hoc onus acceptarit.

§. 20.

Qu. *an promiſſum, cui error, metus,* cet. *cauſſam dedit, poſſit conualeſcere?* In iure ciuili in multis valet regula: *quae ab initio nulla ſunt, ea ex poſtfacto non conualeſcunt.* At promiſſa conualeſcunt.

1. Si cauſſa ceſſet. E. g. Titius promiſit Maeuiae matrimonium, quia putauit, eam poſſidere viginti millia: poſtea adparet, eam ne mille quidem poſſidere. Interim ea ab agnato heres inſtituitur, et accipit 20000. Fingamus nulla fuiſſe ſponſalia ob errorem, non amplius tamen nulla erunt, ceſſante erroris cauſſa.

2. Si noua accedat paciſcendi voluntas. E. g. Titius ambiens munus publicum, a patrono cogitur promittere matrimonium Titiae. Poſtea opponit exceptionem, quod metus cauſſa. Interea perſonae in gratiam redeunt, et Titius Titiam amare incipit. Videtur iam de nouo rata habuiſſe ſponſalia.

Sed unum moneo, hac quaeſtione, quod ad errorem attinet, raro opus eſſe, quia ſupra contra Grotium demonſtrauimus, promiſſum huius modi non eſſe ipſo iure nullum, ſed in dubio errorem nocere debere erranti. Quid enim imputari poteſt Titiae, ſi numquam gloriata de diuitiis, diues tamen ipſa eſt ſponſo?

§. 21.

§. 21.

Qu. *an cauſſa expreſſa opus ſit ad validitatem promiſſorum?* Notum eſt, iure ciuili ſi alicui dederim chirographum, faſſus ſim, me ei debere centum, tamen non poſſe actionem ex hoc chirographo inſtitui, niſi cauſſa debendi, e. g. mutuum, emtio venditio cet. expreſſa ſit. *An* itaque *idem ius naturae exigit?*

Reſp. neg. quia iure naturae mihi licet, dominium rerum mearum et ſine cauſſa ex mera liberalitate in alium transferre, e, g. donare. Iura ciuilia id inuenerunt, quia ſaepe poteſt latitare cauſſa falſa, et vitioſa, e. g. debeo tibi centum, nimirum ex alea, Ius naturae hanc ſubtilitatem plane ignorat.

§. 22.

Vltima quaeſtio iam occupata eſt: Quaeritur nimirum, *an factum alienum promittens, eo non ſequuto, teneatur ad id, quod intereſt?*

Neg. quia factum alienum promittens non vltra ſe obſtrinxit, quam quatenus ſibi futurum ſit poſſibile. Impoſſibilium enim nulla promiſſio eſt. Iam nihil amplius ei poſſibile eſt, quam vt omnem operam nauet. Ergo ea nauata liberatur.

Exceptio tamen eſt, 1. ſi dixit perſonam alterius in ſua poteſtate eſſe, 2. ſi in dolo ſit, 3. ſi promiſerit indemnitatem.

CAPVT XII.

DE CONTRACTIBVS.

§. 1.

HActenus de pactis: iam de contractibus. Quum vero iam ſupra demonſtratum ſit, pacta a contractibus ratione effectus non differre: exiſtimari poſſet, fruſtra auctorem diſtincte de vtriſque egiſſe. Sed quamuis non differant pacta et contractus iure naturae, ratione formae, qua vtrobique mutuus conſenſus requiritur, nec ratione effectus quia vtrobique naſcitur obligatio: differunt tamen ratione obiecti. Paciſcimur enim de rebus omnibus, contrahimus tantum de rebus, quae ſunt in commer-

cio.

cio. Hinc e. g. nuptiae pactum ſunt, non contractus. Emtio venditio contractus et pactum iure naturae dici poteſt.

Caput noſtrum conſtat tribus partibus. Nam explicatur

1. *quotuplices ſint actus humani ad aliorum vtilitatem tendentes, e. g. contractus?* §. 1-6.
2. *quid contractus?* §. 7.
3. *quid iuſtum circa contractus?* §. 8-26.

I. *Actus humani* ſunt vel *ſimplices*, vel *compoſiti*, quos et §. 5. mixtos vocat.

Simplices ſunt, vbi vnus contractus eſt, e. g. emtio venditio.

Compoſiti, vbi negotium ex pluribus contractibus, compoſitum et conflatum eſt, e. g. loco alicui praedium ruſticum, et pro penſione mihi ſtipulor dimidiam partem fructuum. Tunc negotium conflatum eſt ex locatione conductione et ſocietate. Vnde huius modi conductor dicitur colonus partiarius. *l.* 25. §. 6. *D. loc. cond.*

§. 2.

Simplices denuo ſunt vel *benefici*, vel *permutatorii*, ſeu *oneroſi*.

Benefici, quando ex vna tantum parte onus, ex altera commodum eſt, e. g. commodatum.

Oneroſi vel *permutatorii*, vbi par vtrimque commodum et onus, e. g. in emtione venditione.

Benefici vel *meri* ſunt, vel *mutuam habent obligationem*. *Meri*, vbi nulla eſt alterius obligatio, e. g. mutuum; quo ſolus debitor obligatur, creditor nullo modo. *Mutuam habentes obligationem*, vbi vterque obligatur, vnus abſolute, et ſimpliciter, alter ex accidente, e. g. in commodato, depoſito.

Benefici meri aut *in praeſens abſoluuntur*, ſi ſtatim accedit traditio, e. g. ſi dono, et ſtatim trado, vel in futurum prominent, ſi promitto, ſed differo traditionem.

Benefici, qui *cum obligatione mutua ſunt*, aut de re ſine alienatione diſponunt, vti commodatum, depoſitum, vel de facto, e. g. mandatum.

§. 3.

num. 1. Hactenus de actibus beneficis: ſequuntur oneroſi, in quibus par vtriuſque commodum et incommodum. Hi vel *dirimunt partes*, vel *communionem induunt*.

Direm-

Diremtorii ſunt tres illi, quos innominatos vocant ICti, *do vt des, facio vt des, facio vt facias.*

De communicatoriis videbimus §. 4.

Nam antequam ad hos progrediatur auctor, quaeſtionem mouet, *an inter contractus nominatos et innominatos ſit iure naturae differentia?* *num.* 2.

Iure ciuili multum differunt. Nam 1. contractus nominati ſinguli ſuam producebant actionem: innominati omnes vnam communem actionem habent praeſcriptis verbis. 2. In contractibus nominatis locus non eſt poenitentiae, in innominatis locus eſt, cet.

Sed recte negat auctor, iure naturae aliquid intereſſe. Nam 1. quid aliud eſt emtio venditio, quam contractus do vt des? quid aliud locatio operarum, quam contractus do vt facias? 2. Vtrique contractus aeque antiqui et naturales ſunt, immo permutatio omnium antiquiſſima. 3. Perinde eſt, ſiue mihi pro re, et facto meo pecunia numerata detur, ſiue alia res, dummodo mihi ſatis fiat. *num.* 3.

Iam ergo ſingulorum contractuum diremtoriorum ſpecies recenſet auctor. Nam in contractu *do vt des* aut *num.* 4.

1. Res datur pro re, et tunc dicitur *permutatio.*
2. Pecunia pro pecunia, et tunc dicitur *cambium*, *collybus.*
3. Res pro pecunia, tunc dicitur *emtio venditio.*
4. Vſus rei pro re, vt in *pacto antichretico.*
5. Vſus rei pro pecunia, vt in *locatione conductione.*
6. Vſus rei pro re in eodem genere reſtituenda, *mutuum.*
7. Vſus rei pro re in eadem ſpecie reſtituenda, *commodatum.*

Contractus *facio, vt facias*, innumeras habere poteſt ſpecies, nec hae ſingulare nomen admittunt, quia facta ſunt innumera. *num.* 5.

In contractu *facio vt des*, aut datur pro facto

1. Pecunia, vt in *locatione operarum.*
2. Aut pro indemnitate praeſtanda pecunia, vt in contractu *adſecurationis.*
3. Aut pro facto alia res, tunc retinet nomen *facio vt des*, e. g. in aduocato alienam cauſſam agente.

§. 4.

Verſamur adhuc in diuiſione contractuum, quorum alii benefici ſunt, alii oneroſi. Hos iterum in diremtorios et communica-

nicatorios diuiſimus. De diremtoriis hactenus. Communicatorios quod attinet, ii vel res communicant, vel facta, vel vtraque. Et tunc inde naſcitur contractus, *ſocietas*. Ea, prout varii ſunt fines varia adquirit nomina. Sic ſi plures coëunt vitae communis et deuotionis cauſſa, vocatur *coenobium*, ſi mercaturae cauſſa *eine compagnie*, ſi nauigationis cauſſa, *eine admiralitaet*.

§. 5.

Hi ſunt contractus ſimplices: ſequuntur compoſiti vel mixti, 1. quando negotium non ad vnum contractum referri poteſt, ſed ex pluribus veluti conflatum eſt. E. g. vendo Maeuio aedes, ſed ipſi remitto dimidiam pretii partem. Hic mixtura venditionis et donationis. Fabro promitto mercedem, vt mihi ex ſuo ligno domum conſtruat, habemus negotium mixtum ex locatione et emtione. Sic et cambium ex variis contractibus conflatum. Inter remittentem et traſſantem eſt contractus do vt des, inter traſſantem et praeſentantem pactum ceſſionis, inter praeſentantem et acceptantem conſtitutum, inter traſſantem et acceptantem mandatum.

§. 6.

2. Sunt etiam mixti contractus, quando duo vel plures contractus coniunguntur, quorum vnus principalis, alter eſt acceſſorius. E. g. mutuo accedere poſſunt contractus pignoris, fideiuſſionis, chirographarius.

Mixta eſſe huius modi negotia facile adparet: nam inter debitorem et creditorem intercedit contractus mutui, inter debitorem et fideiuſſorem ſtipulatio.

§. 7.

Iam II. quaeritur, *quid ſit contractus?* Paucis re defungitur Grotius, dum dicit, omnes actus aliis vtiles, praeter beneficos, contractus eſſe.

Sed ea nec iuſta definitio, nec deſcriptio eſt.

Rectius dixeris, *contractus* eſt conuentio ſuper re, quae in commercio eſt, inita.

Dico *conuentio*, nam id eſt genus, cui ſubſunt ſpecies binae; pactum et contractus.

Addo

Addo *ſuper re, quae eſt in commercio.* Ita enim contractus differt a pacto, vti ſupra diximus.

§. 8.

Iam ſequitur III. pars, de eo, quod iuſtum eſt circa contractus. Hic praemittitur regula generalis: *in contractibus debet eſſe aequalitas.*

Id facile demonſtratur. In contractu alter alteri quid praeſtat, quod ex legibus humanitatis non debet. Quicumque huiusmodi quid praeſtat, is iure ſuo exigit ſatis factionem. Satis factio eſt, vbi par pari refertur. Vbi id fit, ibi eſt aequalitas. Ergo in contractibus requiritur aequalitas.

Ea vero ſe exſerit partim in actu contrahendi, partim in re, de qua contrahitur. Actus vel contractum praecedit, vel ipſum contractum ingreditur. Iam de ſingulis.

§. 9.

Actus praecedens contractum, 1. vt alter alteri rei vitia *num.* 1.
candide aperiat. Id fieri oportere demonſtro. Oſtendimus §. 8. in contractibus requiri aequalitatem. Ergo contra iuſtitiam agit, qui maius pretium ſumit, quam res exigit. At maius pretium ſumit, qui rei vitiis diſſimulatis pretium ſibi ſolui patitur rei haud vitioſae. Ergo tenetur alteri alter vitia indicare.

Hinc recte Graeci vtebantur prouerbio: *contractus lumen decet.*

Obiici poſſet: neminem teneri ad veritatem dicendam cum ſuo detrimento coniunctam. Reſp. id verum eſſe, ſi alteri neque perfectum, neque imperfectum ius ſit, veritatem a me exigendi. Hic autem contrahens a contrahente hoc iure exigit.

Sed loquimur de rei vitiis, non de circumſtantiis, quae rem *num.* 2.
ipſam non attingunt. Eas enim ſi diſſimulat contrahens, non quidem ſatis humanus eſt, ſed tamen nec iniuſtus. Elegans exemplum apud CICERONEM eſt *de offic. lib. III. cap.* 12. Vir bonus Alexandria magnum frumenti numerum aduehit Rhodum, in ſumma annonae difficultate. Si idem ſciat, complures mercatores Alexandria ſoluiſſe, naueſque in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum viderit, dicturuſne id ſit Rhodiis, an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus? Antipater putabat, eum id dicere debere, negabat Diogenes Babylonius.

Reſp. inhoneſtum eſſe id celare, ſed non iniuſtum; quia haec res non pertinet ad rei vitium vel interiorem naturam quam ſolam debet indicare contrahens.

num. 3. Deinde excipienda vitia, quae vel in oculos incurrunt, vel aliunde nota ſunt. Tale quid videmus,

1. Si vitia ſint externa, e. g. aedes venduntur ruinoſae.

2. Si ipſe emtor rem paullo ante poſſedit. Quo pertinet exemplum ex eodem CICERONE *de offic. lib. II. cap.* 16.

3. Si qualitas ſit rebus omnibus communis, e. g. quod aedes ſunt tributariae.

§. 10.

Deinde II. et id contractum debet praecedere, vt ſponte vterque decreuerit contrahere. Si enim alter ſponte, alter coactus contraheret, nulla inter contrahentes eſſet aequalitas. Hinc iam ſupra monuimus, contractum vi et metu extortum ipſo iure nullum eſſe, ſi metus iniuſte excutiatur.

Perinde vero eſt, ſiue vis ſit explicita et craſſa, ſiue implicita et ſubtilis, veluti ſi ſeruus roget libertatem, dum nouacula ſupra eſt, ſi medicus, dum coeci oculos vngit, contractum celebrare ſuadet. *l.* 3. *D. de extraord. cognit.*

§. 11.

num. 1. Haec ergo praecedere debent contractum. Actus, qui ipſum contractum ingreditur, ita deſcribitur a Grotio: *nemo contrahens plus exigito, quam par eſt.*

Nihil hac regula iuſtius. Contrahens, contrahenti debet ſatis factionem, §. 8. Qui minus dat, quam par eſt, is non ſatis facit, et qui minus accipit, quam par eſt, ei non ſatis fit: ergo tantum dandum, quantum par eſt.

Sed 1. id locum tantum habet in contractibus oneroſis, vel permutatoriis. In beneficis enim alter in ſe ſolum onus ſponte ſuſcipit, adeoque hic nulla requiritur aequalitas pretii, quia pretium plane non intercedit.

2. In oneroſis quoque ceſſat haec aequalitas, ſi alter ſponte quid de iure ſuo remittit. Sic e. g. Plinius ſponte Corelliae agrum minori pretio vendidit. PLIN. *lib. VII. ep.* 11. quo caſu ne ius quidem ciuile reſcindit contractum ob enormem laeſionem, *l.* 11. *C. de reſcind. vendit.* quia laeſus non dicor, ſi ſponte aliquid remitto.

3. Etiam

3. Etiam benefici contractus admittunt pretium. Non enim iniuſtum eſt, commodantem, depoſitarium, mandatarium mercedem ſibi ſtipulari: ſed tantum contractus tunc in aliam ſpeciem degenerat.

Ceterum eleganter ex Chryſoſtomo obſeruat Grotius, eum, qui contra hanc regulam peccat, furtum admittere. Quid enim aliud eſt acceptatio iniqui pretii, quam ablatio fraudulosa rei alienae inuito domino, lucri faciendi cauſſa facta? *num.* 2.

Quod autem de Hermia narrat, eam, vbi res vendita minoris iudicata videretur, pretio aliquid adiecisse: id quidem laudandum, tamquam honeſtum, ſed non iniuſte agit, qui tantum offert, quanti res iudicatur, quia volenti non fit iniuria; modo iudicans pretium vſu rationis polleat, iuſtaeque aetatis ſit. Quid enim ſi plane donaret?

§. 12.

Diximus ſupra, aequalitatem ſe exſerere, vel circa actum contrahendi, vel circa rem, de qua contrahitur, (§. 8.) De actu contrahendi tum praecedente, tum ingrediente contractum hactenus diximus: proximum eſt, vt rem ipſam, de qua contrahitur, conſideremus. *num.* 1.

Si res ſine culpa contrahentium vitioſa adpareat, id damnum contrahentes ſibi inuicem reſarcire debent. Ratio ex eodem fundamento fluit. Nam 1. quum in contractu requiratur aequalitas (§. 8.): non ſufficit pretium eſſe aequale rei, ſed rem quoque oportet eſſe aequalem pretio. Non autem aequalis eſt, ſi vitioſa. 2. Regula iuſti eſt *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Iam venditor non vult defraudari iuſto pretio; ergo nec emtor debet circumueniri re vitioſa.

Obiicitur 1. ius tamen Romanum non ob quodcunque rei vitium, vel quamcumque pretii inaequalitatem contractum reſcindere, ſed tantum ob laeſionem enormem. *l. 2. C. de reſcind. vendit.* Reſp. 1. leges ciuiles non omnia ad viuum reſecare poſſunt. Sufficit, modo illa vitia inhibeantur, per quae detrimentum capere poſſet res publica. 2. Intereſt rei publicae, ne litibus innumeris fatigentur iudices. Ergo nec expedit ei, vt ob quamcumque laeſionem minimam actiones dentur. *num.* 2.

Sed inde non ſequitur, eum non iniuſte agere, qui vel in re minima alterum ſecum contrahentem laeſit.

§. 13.

num. 1. 2. Supra diximus, regulam hanc de aequalitate proprie locum habere in contractibus oneroſis: quaeritur ergo, *an in beneficis plane exſulet aequalitas?*

Reſp. non omnino. Nimirum diſtinguimus inter id, quod ex ipſo contractu per ſe fluit, et quod ex poſt facto vel per accidens. Mandans e. g. non obligatur ex ipſa natura contractus, quia eſt gratuitus et beneficus: ſed obligatur tamen per accidens et ex poſtfacto, ſi mandatarius impenſas fecit, tunc enim mandans ei debet indemnitatem.

Sed quaeritur, *ſi res commodata apud commodatarium perierit, an tunc teneatur ad reſarciendum?* Id adfirmat Grotius, modo res non fuiſſet apud ipſum dominum peritura: idque inde probat, quia commodans non ſolum rem alienam habeat, ſed et vtilitatem et commodum inde capiat. Verum perſpicue falſum. Nam 1. caſum nemo praeſtat, ergo nec commodatarius. 2. Vtilitatem capit ex re aliena, ſed volente domino gratis. 3. Si teneretur ad reſarciendam rem, quae periit, nihil intereſſet inter emtorem, qui pretium nondum ſoluit, et inter commodatarium, quod abſurdum.

Ergo in contractibus beneficis nihil praeſtandum, praeter culpam, eamque vel maiorem, vel minorem, prout vel maius, vel minus commodum ex huius modi contractu quis capit?

num. 2. Hinc non ſatis adcurate auctor dicit, haec omnia quidem legibus Romanis congruere: ſed ex aequitate naturali proficiſci. Nam commodatarium caſum praeſtare, nec aequitati naturali congruit, nec legibus Romanis *l.* 18. 19. 20. *D. commod.*

§. 14.

Sed quaeritur porro: *quomodo iuſtum rei pretium definiendum ſit?*

Grotius eius fundamentum facit indigentiam. Sed hoc fundamentum admodum vacillat: nec enim ea, quibus maxime indigemus, pretioſiora ſunt. Quantum margaritis pretium fecit luxuria? quantum vnionibus?

Nos

Nos itaque rem paullo adcuratius expendemus. Pretium ſupponit 1. rem alicuius vſus eſſe, ſiue ad vitam commode exigendam, ſiue ad luxuriam, voluptatem, cet. Nam ſi nullius vſus ſit, nullius quoque pretii eſſe cenſetur.

2. Supponitur, rem non eſſe inexhauſti vſus. Si enim in tanta adſit copia, vt omnibus ſufficiat, tunc, licet vtiliſſima nullum admittit pretium. Haec vero rei tantum pretium aliquod conciliant. Quod autem pretium intenditur vel remittitur, id eſt

3. ex raritate. Quo enim rarior res, eo carior. Rarior autem dicitur, a) quod non, niſi rarius, reperitur, vt ambra, adamantes maiores; b) quod copioſus quidem reperiatur, ſed non niſi in regionibus diſſitis, vt piper, cinnamomum; c) quod maximo cum periculo aduehatur, e. g. per mare; d) quod cum ſummo labore et periculo reperiatur, vti Mercurius, vel argentum viuum; e) quod res qualitatem quamdam vel a natura, vel ab arte humana accepit, quam nuſquam vel raro alibi reperias.

Recte enim obſeruat auctor *n.* 2. habendam eſſe rationem laborum et expenſarum, quos fecerint mercatores.

Hinc facile redditur ratio, 1. cur res ad luxuriam pertinentes maioris vendantur, quam frumentum, aliaeque res vtiliſſimae. Quia nimirum illae prouida Dei cura ſunt rariores.

2. Cur res vilius vendatur, ſi ſit magna venditorum copia, magna ementium inopia? Quia tum non eſt rarior.

3. Cur libri fiſco addicti, haereticorum, atheorum ſint cariores? quia rariores.

4. Cur antiqua monimenta, nummi, marmora, ſtatuae, codices manuſcripti tanto pretio vendantur? Quia rariores. Ea in re tam ſtulta nonnumquam eſt hominis affectio, vt res nihili aeſtimet, tantum quod antiquae, et rariores ſint. Exſtat eam in rem elegans Lvciani *dialogus* ſub titulo: *in indoctum et multos libros coementem.*

§. 15.

Iam de quibuſdam contractibus ſpeciatim agit auctor, et *num.* quidem de emtione, *§.* 15. 16. 17. *de locatione*, *§.* 18. 19. *de mutuo*; *§.* 20-22. *de adſecuratione*, §. 23. *de ſocietate* *§.* 24. *ad fin.*

De

De emtione tria obſeruat auctor I. quod per illam dominium iure naturae ſine traditione transferatur. Iure enim ciuili aliud obtinere nouimus, ſecundum quod non prius tranſit dominium, quam re tradita.

Prior ſententia facile probatur ex fine contrahentium. Qui vendunt, id agunt, vt transferant dominium, et qui emunt, vt idem nanciſcantur. Quum ergo vterque in dominium transferendum conſentiat, quid opus eſt noua conſenſus declaratione per traditionem?

Ergo ſtatim omnino iure naturae transfertur dominium, niſi aliter pacti ſint contrahentes, quod fieri poſſe, nemo negauerit. Ex quo ſequitur,

1. Vt facta emtione, ſolutoque pretio, iure naturae res emta ſtatim mea ſit, vt a venditore alii vendi tradiue nequeat.

2. Vt periculum ſtatim ad emtorem pertineat, quia res perit ſuo domino. Haec recte cohaerent, quum contra ius ciuile neget, emtorem ante traditionem fieri dominum, et tamen concedat, periculum et commodum rei venditae tranſire ad emtorem, quae ſane vix conciliaueris.

num. 2. 3. Vt male ſtatuat Grotius, re bis vendita, ex duabus venditionibus eam valituram, quae in ſe continuit praeſentem dominii tranſlationem.

Quum enim ipſe faſſus ſit, iure naturae traditionem non requiri, ſed ſine ea quoque transferri dominium: ſequitur, vt prior venditio iure naturae ſemper praeferenda, altera vero indiſtincte nulla ſit, ſiue traditio acceſſerit, ſiue non acceſſerit. Si enim poſterior venditio nulla eſt, ſane non iuuabit emtorem, quod rem accepit traditam. Venditori enim poſt priorem contractum nec vendendi, nec tradendi poteſtas fuit.

Miſcet ergo hic Grotius ius naturae et ciuile quod ad transferendum dominium requirit traditionem.

§. 16.

Alterum, quod de emtione venditione tractat Grotius, eſt quaeſtio II. *An et monopolia concedi poſſint ſaluo iure naturae?*

Monopolium eſt priuilegium, quod vni conceditur, vt ſoli, excluſis aliis, ius ſit certas res in re publica vendendi.

Per

Per ſe ergo et ſua natura nihil habet iniqui. Si enim licet principi concedere priuilegia, licebit etiam indulgere monopolium. Nec iniquius eſt, vnum vendere, quam multos, dummodo iuſta rerum copia pro iuſto pretio venum proſtet.

Ergo in ſe nihil vitii habent monopolia, aeque ac luſus, vinum. Vti vero luſus et vinum, vtut in ſe bona, per accidens mala fieri poſſunt, ſi quis iis male vtatur: ita idem contingit in monopoliis. Ea mala fiunt ob has cauſſas,

1. Quia ſic non ſemper iuſta proſtat rerum abundantia.

2. Quia pretium a monopola plerumque ſtatuitur enorme, idque pro lubitu intenditur.

3. Quia hic multis praeripitur occaſio, lucrandi victum, ſi omnibus interdicitur negotiatio, praeter vnum.

Hiſce obſeruatis facile reſpondebitur ad propoſitam quaeſtionem. Monopolia iure naturae permiſſa ſunt, modo haec tria vitia euitentur. Nimirum 1. ſi non omnium rerum, ſed earum, quibus non quotidie opus eſt, monopolium concedatur, e. g. gemmarum, vnionum, aromatum, cet. 2. ſi iuſtum monopolae praeſcribatur pretium, quod ei excedere non liceat; 3. ſi ceterarum rerum, quibus quotidie opus eſt, vt frumenti, pannorum, lini, cet. negotiatio et commercium promiſcue omnibus concedatur.

Ceterum quod auctor prouocat ad Ioſephi monopolium circa frumentum, id huc non ſpectat. Nam id non conceſſum vni fuerat per priuilegium, ſed erat monopolium neceſſariarum. Quum enim nuſquam eſſet frumentum, neceſſario ſolus Pharao vendebat. Talis caſus etiamnum contingere poteſt tempore peſtis, obſeſſionis vrbium, cet. vt vnus tantum rerum neceſſariarum copiam habeat. Tunc tantum abeſt, vt illi priuilegio monopolias opus ſit, ad res ſuas vendendas, vt potius a magiſtratu ad vendendum cogi poſſit.

§. 17.

Poſtremum, quod auctor obſeruat, eſt III. quod pecunia, in emptione venditione non functionem recipiat in materia ſola; nec in ſpeciali appellatione aut forma, ſed in genere magis communi: id eſt, ſi rarior eſt pecunia, tunc eius pretium intenditur; ſin copioſior, tunc remittitur. Hinc facile patet:

1. Cur olim tam paruo pretio vendita ſint bona; nunc cariſſima? E. g. Thuringia ſaeculo XIII. vendita eſt 20000. florenis, quae hodie pro 100. millionibus non venderetur. Ratio eſt, quia Indiis nondum repertis aurum argentumque erat rarius.

2. Cur tempore belli pecuniae pretium intendatur. E. g. in Germania, durante bello tricennali, vnius thaleri tantum erat pretium, quantum hodie quatuor.

3. Cur in ditibus emporiis minores vſurae dentur, quam in aliis locis. Sic e. g. in Hollandia maximae vſurae habentur 3. vel 4. pro 100. in Germania 6. pro 100. ſunt vſurae ordinariae.

§. 18.

Iam de locatione conductione, de qua obſeruat Grotius I. quod, vti in emtione periculum ſtatim tranſit ad emtorem, ita et in conductione ad conductorem. Sed haec non ita liquida, adeoque paullo adcuratius expendenda ſunt. Periculum eſt vel *in re* vel *in fructibus*. De re certum eſt, eius dominium non tranſire ad conductorem, adeoque eum nec caſum praeſtare, ſed ſolam culpam, e. g. ſi aedes conductae incendio deletae ſint.

At fructuum dominium tranſit ad conductorem. Iis ergo pereuntibus, damnum eſt penes conductorem. Haec facile intelliguntur. Sed iam porro obſeruandum, locationem conductionem eſſe contractum, quo merces datur pro vſu rei. Ergo ſi re vti potui, debeo mercedem, ſi vti non potui, et merces ceſſat. *Vti re*, ſignificat, et fructus e re percipere. Ergo diſtinguo, an fructus perceperim, an ſine culpa mea percipere non potuerim. Si percepi, fructus mihi pereunt, e. g. ſi collecta meſſe horreum incendio fatali conſumitur. Si caſu quodam, e. g. ſterilitate, tempeſtate, locuſtarum multitudine agros depaſcente nihil percepi, tunc nihil debeo mercedis. Ratio plana eſt. Quo iure enim locator hic penſionem pro fructibus exiget, quos ne ipſe quidem, ſi non locaſſet, percipere potuiſſet.

Hinc recte ius ciuile concedit conductori remiſſionem penſionis ob damnum fatale. *l.* 15. *§.* 1. *ſeq. l.* 25. *l.* 33. *D. loc. cond.* Conductio enim ſua natura in ſe continet tacitam condi-

tio-

tionem, ſi fructus percipiam, ſi re vti potero, niſi quis caſus fortuitos in ſe vltro ſuſceperit.

§. 19.

Obſeruat 2. quod locatio conductio quoque admittat mercedem maiorem vel minorem, prout res vel opera magis vel minus obuia eſt. Sic e. g. ſi profeſſori iuris in Germania demandatur lis forenſis, is triplo plus ſportularum accipit, quam aduocatus, quia operas ſuas locare alias non ſolet, niſi amicitiae cauſſa. Sic ſi medicus operam addicit, ad ſectionem periculoſam calculi, vel herniae, merces plerumque ſatis grandis eſt, quia non vbique obuii ſunt, qui huius modi operationes dextre exſequantur.

At ſi res ordinariae et vbiuis obuiae, vel operae illiberales locantur: tunc aequalitas et proportio inter rem et mercedem obſeruanda Alias laeſio iuxta ſuperiores regulas de aequalitate ſeruanda erit reſarcienda. Vnde et locationem conductionem ius ciuile reſcindit ob laeſionem vltra dimidium. *l. 2. C. de reſc. vendit.*

§. 20.

Pergit auctor ad mutuum, et quaeſtionem circa mutuum *num.* 12 mouet famoſiſſimam, *an vſurae iure naturae permiſſae ſint?*

Plerique ſcholaſtici id negant, ſolo diſſentiente Abulenſi, quocum et Grotius facit.

Scholaſticorum argumenta haec ſunt.

1. Mutuum eſt contractus gratuitus. Ergo non poſſunt vſurae peti. Reſp. eſt gratuitus contractus, et, ſi merces vel vſura accedit, tunc res degenerat in alium contractum, ſed non ideo vſurae ſunt iniuſtae. Sic et commodatum eſt contractus gratuitus. Si quis mercedem a commodatario exigit, ex commodato fit locatio conductio: An ergo ideo iniuſtum eſt, mercedem a commodatario ſtipulari? Eadem eſt mutui ratio.

2. Pecunia eſt res ſterilis. Et ex ea non poſſunt vſurae peti. Reſp. eſt res ſterilis phyſice, quia nummus non parit nummum: ſed non eſt ſterilis ciuiliter, quia in commerciis et negotiationibus pecuniam lucrantur pecuniae.

3. Res in mutuo datur pro re. Res reſtituitur in eodem *num.* 4

genere. Quo iure plus exiget creditor. Reſp. ſi centum dantur mutuo, et centum redduntur, tunc res pro re redditur, Sed vſurae dantur pro vſu iſtorum centum.

Manifeſto eſt iuris naturalis, neminem debere cum alterius damno locupletiorem fieri. Atqui qui pecunia mea negotiatur et lucrum facit, iſte locupletior fit cum meo damno, quia interim re mea carere debeo. Ergo aequiſſimum eſt, vt mihi aequiorem vſuram praeſtet.

LVD. SEPTALIVS in libro elegantiſſimo *de Ratione ſtatus* ita probat, genus humanum carere contractibus vſurariis non poſſe, quia tunc fere ceſſaturum eſſet mutuum. Quis enim cum ſuo periculo alteri crederet pecuniam, ſi ſpes vſurarum ceſſaret? Nonne vnuſquiſque potius pecuniam ſuam arca reconditam teneret?

num. 3. At iam alia quaeſtio eſt, *an iure diuino poſitiuo concesſa ſit vſura?* Idque negat Grotius. Nam ſaepiſſime repetitur praeceptum diuinum in lege Moſaica: *ne foenus accipe a fratre tuo. Exod.* 22. 25: *Leu.* 25. 35. 19. 14. Id quod tam late acceperunt Ebraei, vt et eum, qui vel leuiſſimam mercedem accepiſſet, item ſcribam, qui chirographum vſurarium confeciſſet, excommunicatione dignum iudicarent. SELDEN. *de iur. nat. et gent. ſecund. diſciplin. Ebraeor. lib. VI. cap. 9.*

Si opponas, eſſe hanc legem Iudaicam, reſpondet Grotius, eſſe tamen honeſtam moraliter, et hinc *Pſ. XV.* laudari eos, tamquam beatos, qui ſine vſura credant. Immo quum Chriſtianos deceat ſanctius viuere Iudaeis, abſurdiſſimum eſſe, ſi putemus Iudaeos nos ſuperare poſſe veritate et ſanctimonia.

Sed 1. omnino haec lex mere Iudaica et forenſis eſt: idque clare paet ex *Deut.* 23. 19. 20. vbi dicitur: *ne foenus exerce aduerſus fratrem tuum: aduerſus alienigenam poteris exercere.* An vero ius naturae diuinum vniuerſale diſtinguit inter fidei eiuſdem homines et alienigenas? Obſeruauit haec recte SALMASIVS *de vſur. cap.* 20. 21. *pag.* 618. *et de foenore trapezitico, pag.* 203. 210.

2. Honeſtum moraliter eſt non ſumere vſuras, ſed ideo ſumere non eſt iniuſtum. Sic et debita remittere eſt honeſtiſſimum, ſed non ideo iniuſtus eſt, qui iure ſuo vſus dicit: ſolue, quod debes.

§. 21.

Monet porro Grotius, non confundendum eſſe contractum vſurarium cum aliis contractibus adfinibus. Sic e. g.

1. Pactum de indemnitate non eſt vſurarium. Differunt fine. Qui pactum de indemnitate init, is agit de damno vitando: qui vſuras ſibi ſtipulatur, de lucro captando.

2. Pactum de opera remuneranda. Si e. g. mercator mihi pecuniam conquirit, et non ſine magno labore reperit, qui mihi credant, tunc ſi mercatori aliquid ſoluam; id non eſt vſura, ſed merces laboris.

3. Pactum de periculo minuendo. Si e. g. alicui credo pecuniam, et mihi non ſatis cautum eſt, et inde mihi ſtipulor certam pecuniam; ne, ſi ſors pereat, damnum ſit nimium, ea non vſura eſt.

Sed quamuis huius modi pacta non ſint proprie vſuraria; tamen a moraliſtis pontificiis inuenta ſunt ad vſuram palliandam. His vero palliis nobis non opus eſt, perſuaſis quippe, pacta vſuraria nec iuri naturae, nec diuino repugnare.

§. 22.

Denique ipſe Grotius concedit, legibus ciuilibus permitti poſſe vſuras, saluo iure naturae et diuino, modo non mordaces, ſed modicae.

Exempli loco adfert exemplum Hollandorum, vbi ciuibus generatim octo pro centum; mercatoribus 12. pro 100. conceduntur. Et in nota infra addit, *idem in imperio conſtitutum.*

Sed hic moneo, 1. id falſum eſſe de imperio, vbi non niſi 5. pro 100. legibus permiſſa ſunt.

2. Falſum quoque eſſe, quod ſub finem ſubiungit Grotius, ſi hic modus excedatur, tunc leges quidem impunitatem dare, ius dare non poſſe. Nam id verum eſſet, ſi vel iure naturae, vel iure diuino hic modus conſtitutus eſſet. Iam quum numerus definitus non ſit, imperantis erit, pro modo circumſtantiarum et pecuniae in re publica copia vel inopia determinare legitimam vſurae quantitatem.

§. 23.

Pergit auctor ad contractum *adſecurationis*, qui eſt contractus, quo vnus vel plures pro certo praemio, quod ſibi ſolui curant, periculum nauis vel mercium naui impoſitarum in ſe ſuſcipiunt.

Hic vnam regulam inculcat ius naturae, vt pro magnitudine periculi, vel longitudine nauigationis praemium vel intendi, vel remitti debeat.

§. 24.

num. 1. 2. De ſocietate notum eſt ex iure ciuili quid ſit: hic monendum I. quod lucri et damni partes aequaliter diuidendae ſint inter ſocios.

Quum vero *aequalitas* duplex ſit, *arithmetica* et *geometrica*, id eſt, vt vel idem ſit vtrobique numerus, vel eadem vtrobique proportio: hinc quaeritur, *quaenam hic obſeruanda aequalitas*. Et recte Grotius reſp. geometricam, id eſt, omnes ſocii aequaliter participant non ratione numeri, ſed pro proportione ſummae collatae. Inde ſequitur,

1. Vt ſi omnes aequalem pecuniam contulerint, partes quoque damni et lucri aequales ſint.

2. Vt ſi vnus altero plus contulerit, cuiuis attribuenda ſit pars pro rata ſummae collatae. E. g. ſi Titius contulit 10000. Maeuius 20000. Sempronius 5000. et lucrum commune eſt 7000. tunc Titius accipit 2000. Maeuius 4000. Sempronius 1000.

3. Vt ſi quis non pecuniam, ſed operam conferat, is partem lucri et damni capiat, prout pacti ſunt ſocii, modo operam vt ſocius, non vt miniſter vel inſtitor conferat.

num. 3. II. Admitti etiam inaequalitatem, ſi partes conſentiant, modo non fiat ſocietas Leonina.

III. Societatem vniuerſorum bonorum nullam reſpicere aequalitatem. Hinc ſi e. g. ego cum Maeuio inierim ſocietatem vniuerſalem omnium bonorum, et in commune ego conferrem hereditatem 100000. floren. Maeuius autem non, niſi 12000. contulerit, tamen huic in maſſa communi non minus erit iuris, quam mihi.

§. 25.

§. 25.

IIII. In ſocietate nauali ſpectari vel communem defenſionem, e. g. ſi fiat *eine Admiralitaet*, vel communem praedam, e. g. ſi plures nautae tempore belli (*Commiſſ-Fahrers*) inter ſe ſocietatem ineant, ad intercipiendas naues hoſtiles, et praedam diuidendam.

Hic ius naturae nihil ſancit, niſi vt ſeruetur aequalitas geometrica in diuiſione lucri et damni: ſed leges ciuiles ea omnia ſpecialius definiunt, e. g. quantum ex praeda praecipuum habeat fiſcus, quantum attribuatur collegio iudicum rei nauticae, (*dem Admiralitaets-Collegio*), quantum magiſtro nauis, quantum ſingulis nautis.

§. 26.

Denique quaerit auctor, *an iure naturae inaequalitas, in quam conſenſum eſt, attendatur, quoad actus exteriores?* E. g. dicit Pomponius in lege in margine allegata, in pretio emtionis et venditionis licere ſe naturaliter circumuenire. Id ius non intilligit de actu interno mentis, quaſi dolum adprobet, quia ſemper deteſtandus, ſed de actu externo, an ille in foro mereatur animaduerſionem. Idque negabant veteres. Primus Diocletianus condidit *l. 2. C. de reſc. vendit.* et reſciſſionem conceſſit ob laeſionem enormem: quaeritur, *an id verum ſit, quod naturaliter hoc liceat., id eſt, iure naturae?* *num. 1.*

Reſp. Grotius, 1. naturale ſaepe dici de eo, quod paſſim recepti moris eſt, idque probat ex 1. *Cor.* 11. 14. vbi de coma eſt ſermo, qui tamen locus eſt difficillimus. *num. 2.*

2. Vellem quidem hanc eſſe iuris ciuilis diſpoſitionem, quia alias infinitis litibus daretur occaſio, ob incerta rerum pretia, ſed ideo non ſtatim eam permitti iure naturae in foro conſcientiae. Paucis verbis, ſed emphaticis rem eloquitur ſcriptor vitae Iſidori, dum ait: *iniuſtitiam hanc eſſe a legibus quidem permiſſam, ſed quae re ipſa iuſtum peruertat.* *num. 3.*

CAPVT XIII.

DE IVREIVRANDO.

§. 1.

num. 1. EGimus hactenus de promiſſis et contractibus, ad quorum confirmationem quum ſaepe accedere ſoleat iusiurandum: de eo quoque agitur hoc capite.

Praemittit autem auctor obſeruationem: apud ipſos quoque gentiles magnam fuiſſe iurisiurandi auctoritatem. Animaduertebant enim illi, ſi illud contemnatur, tunc ceſſaturam omnem religionem, firmiſſimum rei publicae vinculum, ceſſaturum nexum inter imperantes et ſubditos, qui plerumque iureiurando conſtringitur, ceſſaturam denique omnem fidem humanam. Hinc miro conſenſu docent, 1. iusiurandum eſſe vinculum fidei humanae arctiſſimum, quod Ciceronis teſtimonio probat Grotius.

num. 2. 2. Deum eſſe ſperiurii vindicem. Hinc eos diris omnibus ſubiacere adſeuerabant, qui fidem iuratam fallerent. Sane apud HERODOT. *lib. VI. cap.* 86. refertur, Glaucum tantum conſilium cepiſſe de interuertendo depoſito, quod ſe iurauerat redditurum: idque propoſitum et ſine effectu punitum eſſe ita, vt cum domo vniuerſa et prole exſtingueretur. Refert HEROD. *l. c.* et IVVEN. *Sat. XIII. v.* 199. *ſeqq.* quod quum rogaret Apollinem, an ſibi ſuaderet id facinus, reſponderit Apollo:

At iuramento quaedam eſt ſine nomine proles, cet.

Ita Graecos verſus vertit Grotius. Sed recte obſeruauit Gronouius, male verſos eſſe. In Graeco eſt ὅρκος, quod et iusiurandum ſignificat, et Deum periurii vindicem. De hoc loquitur Apollo; non de iureiurando, cui abſurde tribuitur proles.

num. 3. 3. Nihil ad maiorem indignationem prouocare Deum, quam periurium. Eſt enim affirmatio religioſa. Quid vero veneratione illa, quam Deo debemus indignius, quam eum inuocare teſtem mendacii?

Equidem CIC. *de offic. lib. III. cap.* 39. *dicit*: *iam enim non ad iram deorum, quae nulla eſt, ſed ad iuſtitiam et ad fidem pertinet.* Negare ergo videtur, deos iraſci periuris, ſed poenae tamen

men ſatis eos ſubire, quod fidem, qua nihil ſanctius, violarint.

Verum Cicero ibi diſputat ex mente Stoicorum. Stoici autem quum affectus pro malis et vitioſis reputarent, non poterant Deo huius modi imperfectionem tribuere. Sed nos edocti ſumus cum a ratione, tum a S.S. in Deo eſſe voluntatem puniendi malos, eumque ab omni imperfectione eſſe remotiſſimum. Id iam ſufficit, et Scriptura ἀνθρωποπαθῶς loquens eam voluntatem plectendi malos vocat iram Dei. Singularem ea de re librum ſcripſit LACTANTIVS *de ira Dei*, vbi Stoicos refellit, ſed verbis magis comtis et terſis, quam argumentis ſolidis.

Iam ergo poſt hanc praefationem Grotius rem ipſam adgreditur, et hoc capite agit

1. *de iurisiurandi requiſitis*, §. 2-12.
2. *de eiuſdem effectu vel obligatione*. §. 13. *fin.*

§. 2.

Primo itaque in iurante requiritur animus intelligens et deliberatus. Eſt enim iusiurandum non actus naturalis, qui ſine intellectus et voluntatis concurſu peragitur, vti circulatio ſanguinis, concoctio ſtomachi, cet. Sed actus humanus, qui ſemper ſupponit intellectum et voluntatem. Exinde ſequitur

1. Vt qui verba profert ſine conſilio iurandi, non obligetur. Narrat Ouidius, Acontium, quum Cydippen in ſui amorem pellicere non poſſet, pomo in eius ſinum proiecto inſcripſiſſe verba: *iuro me nupturam Acontio.* Ea quum legiſſet Cydippe, ferebat, illam periurii ream eſſe, niſi ſibi nuberet. Sed abſurdum. Legere enim verba ſine conſilio et deliberato animo iurandi, non eſt iurare. *Iurata lingua eſt*, inquit Euripides, *mente iuraui nihil.*

Hinc etiam ſecretarius iudicii praeiens verba iurantibus, non obligatur, quantumuis eadem verba proferat, quae alter reddit.

2. Vt, qui animo iurandi profert, obligetur, etiamſi obligari nolit. Sufficit enim, intellectum et voluntatem iurandi adfuiſſe. Et hinc abſurdum, quod Mediolanenſes periurii rei excuſandi cauſſa proferebant coram Friderico imp. *iurauimus tibi, ſed obligari tibi iuramento numquam voluimus.* Rem refert RADEVICVS in *Vit. et reb. geſt. Frider. I.*

Obſeruandum hoc contra reſeruationes mentales Ieſuitarum, de quibus alio loco dictum. Ii enim docent ſaepe, iurantem

non obligari, ſi inter iurandum ad aliud, quam de quo iurat, cogitationibus ſuis reſpiciat. Quo nihil ſane abſurdius.

§. 3.

num. 1. *Quid vero ſi quis animum iurandi non habeat, et tamen deliberato animo verba iuramenti protulerit?* Caſus exſiſtit, ſi quis praeter neceſſitatem temere iurat. Hoc ex conſuetudine facit, non ex animo deliberato. Quum tamen ſciat ſe iurare, re vera iurat, quamuis id faciat temere. *Quaeritur* ergo, *an nihilominus obligetur?*

Reſp. Grotius affirmando, rationemque addit, quia ſciens iurarit. Sed ſi recte ponas calculum, ea in re pontificiorum hypotheſin perperam ſequitur. Iusiurandum iure naturae non producit obligationem nouam, ſed obligationem quamcumque confirmat, quia eſt obligationis acceſſorium. Id ſtatim demonſtrabimus. Iurauit aliquis, ſe numquam pauperi vlli daturum eleemoſynam: ſane ſi per ſe iusiurandum producit obligationem, etiam hic debet illud ſeruare, et tamen, ſi ſeruat, perpetuo peccat. Quum ergo iusiurandum non producat nouam obligationem: conſequens eſt, vt ſi quis temere iurat, is quidem peccet, ſed tamen non magis teneatur, quam ſi temere, per iocum, et non deliberato animo iuraſſet.

Addit auctor exceptionem, ſi alio ſenſu acceperit iusiurandum is, cui detulit, quam qui praeſtitit. E. g. Titius petit vxorem filiam Sempronii; hic exiſtimans natu maiorem peti, iurat, ſe illam daturum: ſed poſtea adparet, deferentem ſenſiſſe de natu minore. Quaeritur, *an nihilominus hanc teneatur dare?*

Reſp. minime, quia haec generalis regula eſt, verba iurisiurandi interpretanda non eſſe ſecundum ſenſum iurantis, ſed deferentis. Quum ergo hic Titius Sempronio non detulerit iusiurandum ſuper filia maiore nata, ſed minore: iusiurandum etiam de maiore nata praeſtitum temerarium quidem eſt, quia prius interrogare debuiſſet, quam filiam peteret; ſed tamen non obligat.

nu. 3. 4. 5. Quaerit porro, *an in iureiurando admittatur tacita conditio?* Hanc quaeſtionem ſubtiliter magis quam ſolide ſoluit Grotius. Videbimus ergo primum, quid quaeratur?

Certum eſt, omnem promiſſionem complecti conditionem ſaltim tacitam. E. g. Deus promittit, ſe praemia piis elargiturum

rum, ſed ſub conditione tacita, niſi reſipiſcant impii. Quaeritur ergo, *an et iuramenta huius modi tacitam conditionem admittant?*

Id negat Grotius, idque probat loco *Hebr.* 6, 17. vbi Deus dicitur iuraſſe, adeoque impoſſibile eſſe, vt fallere poſſit. Vnde ſubtiliter iam philoſophatur de quaeſtione, *an Deus poſſit mutare decreta ſua?* quam quaeſtionem noſtram non facimus, ſed rem ipſam expendimus, et contrariam Grotio ſententiam hic merito amplectimur.

1. Quia ex hoc loco *Hebr.* 6. 17. nihil ſequitur. Nulla eſt conſequentia. Deus fallere non poteſt, ergo eius iuſiurandum non poteſt continere tacitam conditionem. Nam et de promiſſis diuinis idem dicitur, quod iis fallere Deus nequeat, et tamen Grotius concedit in iis eſſe tacitam conditionem.

2. Quia, vt diximus, iuſiurandum non producit nouam obligationem, ſed eam, quae adeſt, confirmat. Ergo ſi promiſſum cum tacita conditione intelligendum, cui accedit iuſiurandum, hoc quoque non aliter intelligi poterit.

3. Quia tacitae conditiones vel phyſice vel moraliter ſunt neceſſariae: ergo iureiurando non magis tolli poſſunt, quam promiſſo. E. g. *ducam te vxorem*, hoc promiſſum continet tacitam conditionem, ſi vixero. Haec phyſice eſt neceſſaria. An ergo et mortuus tenebitur ducere, ſi iurauerit, ſe ducturum?

Rem luculento exemplo illuſtrabimus. Iurauerat Herodes filiae Herodiadis, quidquid rogaret, ſe illi daturum. Rogabat illa caput Ioannis baptiſtae. Ex mente noſtra peccauit Herodes, dum iuſiurandum ſeruauit, quia hoc iuſiurandum continere dicimus tacitam conditionem, ſi rogauerit aliquid aequum, et a legibus permiſſum. At ex Grotii ſententia non potuit non iuſiurandum ſeruare, quia illud non continet tacitam conditionem: immo debuiſſet Herodes caput ſuum carnifici offerre, ſi id rogaſſet Herodias. Quo neſcio an quidquam fingi poſſit abſurdius.

§. 4.

Pergit auctor ad iuramenta extorta dolo, eaque omnino non obligare fatetur, partim, quia ius naturae dolo numquam adſiſtit, partim, quia hic iurans nec ſciens nec volens iurauit, quippe de alia re ſentiens, quam alter, qui eum decepit. *num.* 1.

Excipit tamen Grotius caſum, ſi incertum ſit, annon quis iuraturus fuiſſet, etſi haud deceptus eſſet: eoque refert exem- *num.* 2. 3.

 plum

plum Ioſuae, qui cum Gibeonitis ſimulantibus, ſe e longinquo fama rerum geſtarum excitos aduenisſe, foedus percuſſerat, idque iureiurando firmauerat. Hoc iuſiurandum tametſi dolo extortum religioſe tamen ſeruabat Ioſua. *Ioſ. cap.* 9. Cur? quia incertum, inquit Grotius, annon Ioſua iis iuraturus fuiſſet, etiamſi ab hoc dolo abſtinuiſſent.

Sed iam hanc rationem Grotii refellit PVFENDORFF. *lib. IIII. cap.* 2. *§.* 7. Nam 1. quis iudicabit, an errore remoto nihilominus quis fuiſſet iuraturus? 2. Non quaeritur, an alter obligatus eſſet, ſi ſine dolo iuraſſet, ſed an iam obligetur, vbi dolus iurandi cauſſam dedit.

Rectius itaque dicitur, iuſiurandum dolo extortum valere, modo alteri iuſta cauſſa fuerit, aſtu vtendi. Et talis erat Gibeonitis. Ioſua gentes Palaeſtinae radicitus exſtirpabat. Gibeonitis iuſtus metus ſuboriebatur, ne et ſibi idem fatum immineret. Id per foedus auertere conabantur. Veriti autem, ne Ioſua foedus adſpernaretur, fingebant, ſe non Palaeſtinos eſſe, ſed longe diſſitos. Nihil ergo hic illiciti occurrit, maxime quum Deus internecionem harum gentium non abſolute mandaſſet, ſed ſub conditione, niſi ſe ſubiicerent vltro, ceu ipſe Grotius *n.* 3. demonſtrat. Conf. et SELDEN. *de iur. nat. et gent. ſecund. diſciplin. Ebraeor. lib. VI. cap.* 16.

§. 5.

Iam de iuramentorum interpretatione, vbi recte monet Grotius, eorum verba vltra receptum morem non eſſe extendenda, modo addas limitationem, ſi ſcilicet latior iuramenti interpretatio durum quid vel inhumanum contineret: nam ſi talis caſus non adſit, interpretatio ſtricta potius cauillationem ſapiet, quam veram interpretationem.

Rem illuſtrabimus exemplis. Iurauerant Iſraëlitae, ſe Beniaminitis vxores non daturos. Perierat illa tribus bello praeter pauculos mares. His niſi vxores datae fuiſſent, aut exſtincta fuiſſet tribus vniuerſa, aut Beniaminitae coacti fuiſſent vxores ducere paganas. Vtrumque durum et inhumanum. Ergo ſtricte interpretandum videbatur iuſiurandum. Non dabant filias vxores, ſed patiebantur illas a Beniaminitis rapi. *Ioſ. cap.* 21.

Alexander Lampſacum obſidebat. Quum Anaximenes peteret colloquium, iurabat ille, nihil ſe eorum facturum, quae hic peteret.

peteret. Hic petebat, vt vrbs dirueretur. Sic ſeruata eſt. PAVSAN. *lib. VI.*

Antigonus filio Demetrio dixerat, ſe interfecturum Mithridatem innocentem, tantum quod ſomnium ſibi de eo obtigiſſet, quod portendere eius potentiam videbatur. Iureiurando obſtrinxerat filium, vt taceret, nec rem eloqueretur. Hic de ſalute amici innocentis anxius haſta, inſpiciente illo, arenae inſcripſit: *fuge Mithridates.* PLVTARCH. *in Demetrio.*

At intolerabilis eſt interpretatio Hattonis, archiepiſcopi Magdeburg. Quum enim Ludouicus III. imp. obſideret Bambergam, vbi Adelbertus, comes, rebellis delitefcebat, Hatto petiit cum comite colloquium. Hic illum in arcem recepit. Suaſit comiti, vt imperatori ſe dederet: et iuratus promiſit, ſe comitem, ſi imperatori ſupplex fieret, ſaluum reducturum in arcem. Credit comes iuranti epiſcopo, et cum illo caſtris adequitat. Quum haud procul ab arce abeſſent, dolere ſe ait Hatto, quod ieiunus profectus ſit. Comes rogat, vt ſecum in arcem redeat, eique dat ientaculum. Hinc denuo ad caſtra pergunt. Comes capite plectitur, dicente epiſcopo, ſe iuriiurando ſatis feciſſe, comitemque ſaluum reduxiſſe in arcem. OTTO *Friſ. Chron. l.* I.

§. 6.

Alterum iuriſiurandi requiſitum eſt, vt iuretur de re moraliter licita. Iuſiurandum enim 1. ideo obligat, quia Deus id acceptat. At non poteſt ſalua iuſtitia acceptare iuſiurandum, quo aliquid illicitum promittitur. 2. Si huius modi iuſiurandum obligaret, plus poſſet iuſiurandum quam ipſe Deus, cui iuratur. Bene AESCHYLVS *in Diris*:

Neque enim fides iurata plus pollet Ioue.

Peccat itaque iurans, quod iurauit, non autem, quod ius iurandum huius modi violauit.

Huc pertinent exempla Dauidis, Nabali iurantis exitium, 1. *Sam.* 25. nec non eius, qui latronibus ſilentium iurauit. Si enim iſtud ſilentium cum aliorum periculo coniunctum ſit, non obſtante iureiurando veritas proferenda. *C.* 18. *X. de teſt.* et *c. vlt. X. de teſt. cog.* Exemplum eſt apud GAIL. *Obſ. I,* 100. *n.* 4.

§. 7.

Idem dicendum, ſi res iureiurando promiſſa, non quidem *num. 1.2.*

illicita ſit, ſed tamen maius bonum impediat, et quidem moraliter bonum. Ratio eſt, quia aeque peccat, qui, quod praeceptum eſt, non facit, quam qui, quod vetitum, facit. Praecepta enim et prohibitiones ab eodem Deo ſunt. Hinc ſi quis iurauerit, ſe parentibus non benefacturum, ſed id potius, quod his dari decebat, in aerarium templi illaturum, iuſiurandum impium eſſet, ipſo docente Chriſto *Math.* 15, 5. de quo iureiurando Iudaeis frequentiſſimo, quod *Corban* vocabant, late Grotius *h. l.* et SELDENVS *de iur. nat. et gent. ſec. diſcipl. Ebr. lib. VII. cap.* 2.

Sic et impia ſunt iuramenta, quibus quis prohiberi ſe dicit, quo minus vtile humano generi medicamentum poſſit reuelare. Vid. LVCIANVS in elegantiſſimo *dialogo*, *Tragopodagia.*

§. 8.

Tertium requiſitum eſt, ne res, de qua iuratur, ſit impoſſibilis. Quum enim iuſiurandum, vti ſupra demonſtraui, ſit acceſſorium obligationis, at obligatio ad impoſſibilia nulla ſit: ſequitur ſane, vt et iuſiurandum circa impoſſibilia praeſtitum non obliget.

Nec tamen negandum, 1. eum peccare et periurii reum eſſe, qui ſciens aliquid impoſſibile promiſit, maxime ſi res non ſit abſolute impoſſibilis, ſed reſpectiue, e. g. ſi quis iuratus promiſerit, ſe plumbum conuerſurum in aurum, ſe perpetuum mobile facturum, quum ſciret, ſe nec alchymiſtam eſſe, nec mechanicum.

§. 9.

2. Eum quoque obligari, qui aliquid promiſit iureiurando, quod pro tempore eſt impoſſibile, eatenus, vt in pendente ſit obligatio, et ſeſe exſerat, ſi impedimentum ceſſet. E. g. iurauit aliquis, ſe aggeres exſtructurum. Ob perpetuas tempeſtates et inundationes id impoſſibile eſt per totum hunc annum. Tenebitur ergo ſequente, ſi ceſſet impedimentum. Hoc facile.

§. 10.

Quartum iuriſiurandi requiſitum eſt forma verborum, vt recte concipiatur iuſiurandum. Nam ſi iurem per blithri vel

per

per calacut, quis dicat me iuraſſe, quum verba haec nihil ſignificent?

Vt autem appareat, quomodo concipiendum ſit iuſiurandum: ſciendum eſt, id fluere ex definitione. *Iuſiurandum* eſt religioſa adſertio, qua quis Deum vindicem inuocat, ſi peierauerit.

Ex ea ergo definitione fluit, 1. eſſentiale id eſſe iuriiurando, vt Deus omniſcius inuocetur, vt ſi ſciens fallat iurans, is poenam ab eo repetat. Tales ſunt formulae veteres: *ſi ſciens fallo, tum Iupiter me eiiciat, vt ego hunc lapidem! Deus mihi faciat quaeuis mala, niſi hoc faciam!* vt et hodierna: *ita me Deus adiuuet!* Num ſatis poenarum dat, qui auxilio diuino deſtituitur.

§. II.

2. Inde ſequitur, vt iuramenta per creaturas ſint abſurda. *num.* 1. Sic ſaepe veteres iurabant per parentes, caelum, terram. Socrates iurare ſolebat per anſerem, anatem, columbam. Alii per caput, per oculos, per animam, per barbam, qui mos etiamnum apud Turcas obtinet. Qualia iuramenta dicuntur Socratica. Quaeritur ergo, *an talia iuramenta nomen iuramenti mereantur?*

Id credit Grotius, quia Chriſtus *Math.* 23. 21. non expreſſe prohibeat huius modi iuramenta, ſed tantum abuſum; immo addat, qui per templum iurat, eum per Deum iurare.

Immo *n.* 2. interpretatur ſententiam Hebraeorum, quod *num.* 2. huius modi iuramenta non putarint obligare, niſi adiecta poena. Hanc ergo opinionem ait a Chriſto refutari, oſtendique, iuſiurandum perinde obligare, ſiue per templum, ſiue per Deum iuretur.

Haec Grotius. Sed probe obſeruandum, hic non eſſe quaeſtionem, annon homo ita iurans obligetur? ſufficit enim illum iurandi animum habuiſſe, immo obligaretur, ſi plane ſine iuramento aliquid promiſiſſet: ſed quaeſtio eſt, *an non haec iuramenta ſint abſurda, Chriſtianis indigna, idololatrica?* Et hoc facile probatur:

1. Quia hic nulla eſt religioſa adſertio. Qua enim religione perſequimur terram, caput, barbam?

2. Quia iſtae creaturae nec teſtes, nec vindices eſſe poſſunt.

3. Quia Chriſtus huius modi iuramenta expreſſe prohibuit. *Math.* 23. 21.

4. Quia

4. Quia omnes horum iuramentorum interpretationes ſunt abſurdae. APVLEIVS *de Deo Socrat.* ea ita interpretatur: iuro per caput, barbam, anſerem, id eſt, Deum capitis, barbae, anſeris creatorem. Ergo creatura nobis creatorem denotabit? Alii dicunt, ſenſum huius modi iuriſiurandi eſſe, quod ſi fallamus, Deus vindictam a nobis ſumeret in oculis, in capite, cet. Sed et id abſurdum. Nam 1., ſic poena nonnumquam erit ſatis lenis, e. g. ſi barba pereat, vel anſer, vel anas. 2. Sic etiam poena feriet innocentes, e. g. ſi quis iuret per ſalutem principis. 3. Abſurdum eſt, Deo iudici ab ipſo delinquente praeſcribi poenam.

§. 12.

3. Inde ſequitur, vt iuſiurandum concipiendum ſit ad vniuſcuiuſque religionem. E. g. Iudaeus non cogendus iurare per Chriſtum, ſed per Deum, nec prohibendi gentiles iurare per deos fictitios, Mahomedani per Mahomedem. Sufficit enim, eos iurare per id, quod religioſe venerantur. Vid. *Geneſ.* 31. 53.

Sed *an periurium committit gentilis vel Mahomedanus ita iurans?* Videri poſſet, non committere eum periurium, qui ita non peierarit per verum Deum.

Sed reſp. omnino eum peierare, quia credit, hunc eſſe verum Deum. In delictis potiſſimum ad affectum reſpicitur. Quemadmodum Mucius Scaeuola, quum per errorem miniſtrum Porſennae pro Porſenna interimeret, non magis regicida erat, ac ſi regem occidiſſet: ita qui per deos falſos, quos veros putat, iurat, aeque periurus eſt, ac Chriſtianus, qui per Deum verum peierauit.

§. 13.

Sequitur pars capitis poſterior de *effectu* iuriſiurandi, qui eſt praecipue finis controuerſiae. Vnde et Paullus apoſtolus dicit: *iuſiurandum eſt finis omnis litis.*

num. 1. Ratio eſt, quia qui defert et praeſtat iuſiurandum, illi inter ſe veluti paciſcuntur, quod, ſi alter iuret, res deciſa eſſe debeat. Pactum vero huius modi obligare, nemo dubitat.

num. 2. Ex quo ſequitur, vt in omni iureiurando duo requirantur; 1. τὸ ἀληθορκεῖν, vt verba congruant animo, ſeu, quod perinde eſt, vt quis iuret ex animi ſententia, et τὸ εὐορκεῖν, vt factum

ctum

ctum congruat verbis, id eſt, ne iurans falſa vera, vera falſa eſſe peieret.

Ratio facilis. Nam quum, vt diximus, inter iurantem et deferentem intercedat pactum, pactum autem ex deliberato animo proficiſci, et nihil falſum continere debeat, conſequens eſt, vt nec in iureiurando id ferendum ſit. Haec facilia.

§. 14.

Alter effectus iuriſiurandi eſt, vt obliget. Obligatio vero aut Deo et homini ſimul, aut Deo tantum, ſed non homini, naſci dicitur. Quam ſcholaſticorum doctrinam ſequitur Grotius. Eam conſiderabimus.

Nimirum ſcholaſtici et Grotius diſtinguunt, vtrum deferenti ius ſit, me obligandi, nec ne. Si ius eſt, tunc et homini et Deo, ex iureiurando meo naſcitur obligatio. Sin alter ſine iure me obſtringit iureiurando, tunc quidem obligatio naſcitur Deo, cui iuratum, ſed non homini, qui iuſiurandum a me exegit. En exemplum. Latro me iurare cogit, me daturum mille. Hic, inquiunt, ius nullum eſt latroni, ad mille exigendos, ſed ex iureiurando tamen meo ius natum eſt Deo, vt me tamquam periurum punire poſſit, niſi ſoluam. At contra ſi debitor iuratus creditori promiſit debitum, et Deo et homini, ſcilicet creditori, obligatus eſt.

Sed haec nihili. Supra enim 1. oſtendimus, iuramenta non producere nouam obligationem, ſed veterem confirmare. 2. Sic alicui ſoluere cogor, cui non debeo, id eſt, obligor latroni et non obligor, id quod abſurdum. 3. Supra iam diximus, Deum iuſiurandum iniuſtum non acceptare, adeoque nec obligationem inde naſci poſſe.

Obiicit Grotius, Deum puniuiſſe reges Iſraël, qui Babyloniis fidem iuratam non ſeruaſſent, *Ezech.* 17, 12. *ſqq.* Sed reſp. hoc iuſiurandum non fuiſſe iniuſtum. Reges enim Iſraëlis metu Aegyptiorum et ex conſcientia impotentiae ſuae vltro ſe Babyloniis ſubiecerant.

§. 15.

Nihilominus tamen Grotius refutare iam eos conatur, qui ſtatuunt nobiſcum, qui latroni vel piratae iurauit, eum non *nu.* 1. 2. 3.

 teneri

teneri iureiurando. Argumenta Grotii ſunt :

1. Fidem iuratam et hoſti ſeruandam. Tunc enim nos non iuramus hoſti, tamquam hoſti, ſed tamquam paciſcenti, ab hoſte autem piratam non differre. Reſp. omnino differre. Hoſtis enim nobiſcum poteſt iuſtum bellum gerere, adeoque et ius ipſi eſt, armis nos cogendi ad iurandum. Latroni et piratae huius modi ius numquam eſt.

2. Etſi perſonae ius deficiat, tamen cum Deo nobis negotium eſſe. Sed reſp. iam oſtendimus Deum iniuſta iuramenta non acceptare, non magis, quam vota iniuſta.

3. Depoſitum latroni reddendum eſſe, ergo et iuſiurandum ſeruandum. Reſp. miram hanc eſſe concluſionem. Latro deponens nihil iniuſte agit, hinc eum iniuſte agere oportet, qui depoſitum negat. At iniuſtus eſt latro vel pirata, dum me cogit iurare. Ergo ego iniuſtus non ſum, dum non praeſto, quod iuratus promiſi.

§. 16.

num. 1. Quaerit porro Grotius, *an et perfido ſit ſeruanda fides iurata*? Recte diſtinguit, an iuſiurandum ſe primario fundet in promiſſione reciproca, an non. Priore caſu iuſiurandum me non obligare, niſi et alter praeſtet, quod promiſit : poſteriore abſolute me obligari. E. g. iurauit Titius, ſe heredem inſtituturum Maeuium, ſi hic eum a capitis periculo liberaſſet. Hunc ſi non liberauit Maeuius, non tenetur Titius. At ſi abſolute iurauit, quamuis id eo intuitu fecerit, vt Maeuium moueret, vt ſibi adſiſteret, nihilominus obligabitur, etiamſi Maeuius nihil in eius commodum fecerit.

num. 2. Obiici poſſet : iura tamen reſcindere pacta, ſi inaequalitas praeſtationum ſit nimia. Reſp. id verum eſſe, 1. ſi contractus ſint oneroſi. Iurata autem promiſſio poteſt nonnumquam merum beneficium continere. 2. Reſcindi contractus et pacta, vbi alter inſcius laeſus eſt. Qui autem iurat abſolute, ſe aliquid praeſtiturum, nec ab altero ſibi mutuam praeſtationem ſtipulatur, is vltro et ſciens iuri ſuo renunciat.

§. 17.

Nouam concluſionem ex doctrina ſua §. 14. *et ſeq.* propoſita elicit Grotius. Quia enim ex eius mente, qui iniuſte coactus iurauit,

iurauit, Deo quidem, ſed non homini obligatur: quaerit, *an et heres iurantis tunc teneatur ſoluere mille, quos latroni vi coactus iurato promiſerat defunctus?*

Et reſpondet, non teneri heredem, quia hic nec Deo, nec homini obligetur ad ſoluendos mille. Non homini, cui ne defunctus quidem obligabatur, (§. 14.) nec Deo, cui heres numquam iurauit.

Sed quamuis res vera ſit, tamen ea limitatione non opus eſt, ſi ſtatuimus cum recentioribus omnibus, iusiurandum vi et metu extortum iniuſte, nullum eſſe, et non magis producere obligationem, quam pactum vi huius modi extortum.

§. 18.

Quaeritur porro, *an non caſibus quibuſdam ſine periurio poſſim alteri negare, quod promiſi.* Reſp. omnino

1. Ex mente noſtra, quoties iusiurandum iniuſte extortum, adeoque nullum eſt.

2. Si cui iuraui, is ipſe natum ex iureiurando ius remittat. E. g. Titius Maeuiae promiſit iurato matrimonium, haec ſuo iuri renunciat.

3. Si quis iurauit intuitu certae qualitatis perſonalis. Tunc enim, ceſſante ea qualitate, ceſſat obligatio. E. g. iurauit aliquis tamquam miles, ſe vitam et ſanguinem ponere pro domino velle: non ſane tenetur, ſi miles eſſe deſiit.

4. Si occaſio deſit. Sic in eodem exemplo miles periurium non committit, ſi dominus bellum non gerat.

§. 19.

Noua oritur quaeſtio, *an id, quod contra iusiurandum factum illicitum tantum ſit*, (vt, qui fecit, peccet,) *an et irritum?* (vt factum pro infecto habeatur?)

Subtiliter diſtinguit auctor, quod aut ius ad rem iureiurando confirmetur, id eſt, obligatio, aut ius in re, e. g. tranſlatio dominii, datio pignoris, conſtitutio ſeruitutis. Priore caſu actus contra iusiurandum ſuſceptus tantum illicitus eſt, ſed non reſcinditur: poſteriore irritus eſt,

E. g. ſi quis promiſit, iurato ſe non acturum, et egit, illicite egit, ſed ideo actio non eſt nulla. At ſi quis alteri conſti-

tuit ſeruitutem iurato, et poſtea impedit, actus eius nullus eſt.

Ita Grotius: ſed vereor, vt recte. Nam et iusiurandum, vt ſaepe monui, eſt acceſſorium obligationis. Quemadmodum ergo quod etiam contra pactum iuratum ſit, irritum eſt, ita procul dubio etiam iuratum.

§. 20.

num. 1. Grauior eſt quaeſtio, *an actus principum contra iusiurandum ſubditorum, vel iusiurandum ſubditis praeſtitum valeant?*

Reſp. Grotius, ſuperiorem efficere non poſſe, vt iusiurandum non obliget, ſed tamen quia actus non omnes ſunt in poteſtate ſubditorum: hinc ſuperioribus duplex circa illos competit poteſtas, 1. circa perſonam iurantis, 2. circa perſonam, cui iuratur.

num. 2. Circa perſonam iurantis ea pollet poteſtate, vt poſſit

1. Irritum reddere iusiurandum, quod principis vel ſummi imperantis iuribus aduerſetur.

2. Vt poſſit adimpletionem eiuſdem impedire et prohibere. Sic e. g. ſi ſubditi homagium iuraſſent extraneo principi, imperans poteſt illos iureiurando ſoluere, quia in eius praeiudicium ſubditi ſe obligare non potuerunt.

Ratio in promtu eſt. Nam inter perſonas diuerſas obligatio prior poſteriorem reddit irritam, quia perſona iam vni obligata, alteri ſe obligare non poteſt. E. g. ſi quaedam Titio deſponſa eſt; non poteſt iam Maeuio deſponderi. Ergo nec principi ſuo obligati ſemel iam et aliis contrario iureiurando ſe poſſunt obſtringere, adeoque obligatio prior poſteriorem tollit.

Eleganter id ex ipſa lege diuina, quae parentibus et maritis permittit, liberorum et vxorum vota et iuramenta ſoluendi. *num.* 30. Si pater et maritus id poteſt: multo magis princeps.

Sed quid ſi princeps aliquem ſoluit iureiurando, quod principis vtilitatibus non aduerſatur? E. g. Tiberius iurisiurandi gratiam faciebat equiti, qui iurauerat, vxorem ſe numquam repudiaturum, quum haec deprehenſa eſſet in adulterio.

ZACHAR. HVBERVS *in Diſſertationibus*, quas coniunctim edidit, etiam vnam habet *de gratia iurisiurandi facta*, et exiſtimat, principis ſolutionem iurisiurandi nihil eſſe aliud, quam conceſſionem impunitatis in foro externo. Nam obligationem neminem tollere poſſe, praeter Deum, cui iuratum. Sed ego arbitror

tror nihil aliud eſſe, quam interpretationem iuriſiurandi. Princeps non tollit obligationem, ſed declarat, in caſu praeſente non adeſſe obligationem. Conf. PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. lib. II. cap. 2. §. vlt.*

Sic et in perſonam, cui iuratum eſt, hanc poteſtatem habet princeps, vt ei ius ex iureiurando adquiſitum auferat, et impediat eam, ne ius exercere poſſit, ſi id reipublicae videatur intereſſe. Sic e. g. princeps quidam Germaniae nobilem carcere, minis, et vi adegerat ad tranſactionem iniquiſſimam, et talem quidem, qua omnia bona ſua concedere tenebatur principi. Ea tranſactio iureiurando firmata fuerat. Poſtea nobilis liberatus actionem in iudicio aulico imp. inſtituit. Princeps opponebat exceptionem tranſactionis iuratae: imperator autem irritum faciebat iusiurandum vi extortum, i. e. declarabat, principi nullum ius eſſe ex illo iureiurando. *num.* 3. 4.

§. 21.

Tranſit iam Grotius ad quaeſtionem, *an iurare Chriſtiano liceat?* Nam quum *Matth.* 5. 23. dicat Chriſtus: *omnino non iurabitis*, idemque repetat Iacobus in *Epiſtola*: poſſet exiſtimari, iurare plane nefas eſſe, quod et anabaptiſtis, Memnonitis, et Socinianis videtur. *num.* 1.

Sed Grotius oſtendit, Chriſtum non prohibere iuramenta omnia, quae faciunt ad veritatem detegendam, ſed promiſſoria tantum de rebus futuris, quia facile contingere poteſt, vt ne poſſimus quidem promiſſa adimplere, adeoque periuri reperiamur. Id probat Grotius

1. Ex oppoſito: *audiſtis dictum eſſe veteribus: non peierabis, ſed reddes domino iusiurandum.* Reddere iusiurandum tantum dici poteſt de promiſſoriis: ergo et haec Chriſtus intelligit, dum addidit: *Ego autem dico vobis: ne iurate omnino.*

2. Ex ratione, qua Iacobus apoſtolus vtitur: *ne fallaces reperiamini.* Id enim itidem ad promiſſoria ſolum pertinet.

3. Ex verbis ſequentibus: *eſto ſermo veſter ita ita, non non.* Vbi ex indole ſermonis Hebraei oſtendit, ita et non prius pertinere ad promiſſionem, alterum ad implementum. Solebant enim Hebraei et Orientales promittere verbis: *ita*, *non*; vel Hebraice: *amen* et *ain*. Si iam adimpleſſet quis promiſſa, dicebatur: *Amen et ſic.* Si fefelliſſet, dicebatur: *Sic et non.* Patet id ex 2. *Cor. I.* 18. 20. *num.* 2. 3.

num. 4. 4. Ex interpretatione ipſorum Hebraeorum e. g. Philonis et Eſſenorum. Hi omnes enim dicebant, viri boni eſſe promiſſa non iuramentis firmare, ſed iniurata adimplere. Dicta eorum ipſe Grotius attulit. Ergo inde colligas, Hebraeis hanc doctrinam fuiſſe communem, et hinc eam Chriſtum quoque propoſuiſſe.

num. 5. 6. 5. A conſenſu gentilium, qui eamdem regulam inculcabant, e. g. Pythagorae, Scytharum, Ciceronis, Solonis, Alexidis comici, Hieroclis, Libani, Euſtathii, verba repetere, vel alia teſtimonia accumulare nihil opus eſt. Sufficit, ex his omnibus apparere, Chriſtum et Iacobum non omnia promiſcue iuramenta prohibuiſſe.

§. 22.

Inde conſectarium hoc elicit Grotius, quod in promiſſis quoduis ſymbolum vel ſignum, receptum publice, eiuſdem efficaciae eſſe debeat, ac ipſum iusiurandum.

Talia ſymbola varia erant, et ſunt etiamnum e. g. apud Romanos ſtipulatio, ſeu ſollemnis interrogatio et reſponſio, apud eoſdem et omnes fere gentes oblatio dextrae, apud Ruſſos oſculum cruci oblatum.

Et ſane vir bonus non iureiurando obligatur, ſed conſcientia. Non fidem ſeruat, quia iurauit, ſed iurauit, quia fidem ſeruare iam vltro decreuerat. Vnde et viri boni iniurati promiſſis plus fidei habendum, quam ſcelerati religioſiſſimo iuriiurando.

CAPVT XIIII.

DE EORVM, QVI SVMMVM IMPERIVM HABENT, PROMISSIS, CONTRACTIBVS, ET IVRAMENTIS.

§. 1.

num. 1. Solet Grotius primum materias ſingulas generaliter tractare, ac deinde eas adplicare ad quaeſtiones et controuerſias illuſtres, vel iuris publici. Poſtquam enim generatim, quid iuſtum ſit circa pacta, contractus, et iuramenta plenius docuit: iam ſpecia-

ſpeciatim diſquirit, quidnam circa pacta, contractus, et iuramenta imperantium ſit iuſtum. Et quidem quaeritur,

1. *quid imperantibus liceat circa pacta, contractus, et iuramenta propria?* §. 1-5.

2. *Quid circa actus ſubditorum?* §. 6-9.

3. *Quid circa ſucceſſores? et an ii quoque pactis, contractibus, et iuramentis imperantium obligentur?* §. 10-14.

1. Quaeritur, *quid imperantibus liceat circa pacta, contractus, et iuramenta propria?* Occaſionem huic quaeſtioni dedit Ioannes Bodinvs, ſcriptor vere impius, vt ex eius *colloquio heptaplomere*, quod MSC. in bibliothecis illuſtribus occurrit, adparet. Is *lib. I. de republ. cap.* 7. docet, principem non obligari pactis, promiſſis, et iuramentis ſuis, niſi quatenus ipſi haec ſint vtilia. Eius argumenta ſunt:

1. Quia ſubditos poſſit princeps aduerſus pacta promiſſa, iuramenta in integrum reſtituere: inde enim ſequi, vt et ſeipſum reſtituere poſſit.

2. Neminem teneri pactis, conuentionibus, iuramentis iniuſtis. Atqui iniuſtum eſſe, quidquid ſaluti rei publicae et imperantium aduerſetur. Ergo principem iis non teneri.

Sed recte ſcribit Gvndlingivs in *Via ad veritatem part. III. num.* 2. *cap. de pactis*, numquam tam omnem pudorem ponere ipſos principes, quam quidem eruditos. Argumenta enim haec tam ſunt ſubtilia, vt nihil ſupra. Nam

1. Princeps reſtituit in integrum ſubditos, ſed non pro arbitrio, quia pacta ipſi non placent, ſed quia ea ſunt contra leges, e. g. dolo, vi et metu extorta, cum minoribus inita, cet.

2. Falſum eſt, omnia eſſe iniuſta, quae ſaluti rei publicae vel priuatae principis repugnant. Saepe enim res publica et princeps iuſto bello in eam conditionem rediguntur, vt non poſſint ſeruari, niſi pactionibus, quantumuis parum vtilibus, Sic e. g. pax vltima, quam Sueci inierant, parum et rei publicae et regi profuit: ſed ideo non iniuſta.

Attamen et Grotius in eo peccare videtur in defectu, quod principes et pactis vi et metu iniuſto extortis, item pactis in minorennitate initis teneri dicit. Prius enim inde eſt, quod cum Stoicis exiſtimat, pacta vi extorta iure naturae valida eſſe, quod ſupra deſtruximus. Poſterius ſupponit, principem nihil agere ſine conſiliariis. Sed quid ſi princeps minorennis captus, et ad pacta iniqua adactus ſit?

§. 2.

§. 2.

num. 1. Si ergo quaeſtio eſt, *an reges obligentur pactis et iuramentis ſuis?* obſeruandae quaedam diſtinctiones, quarum vna a Grotio omiſſa, reliquae ab eo hac paragrapho expoſitae ſunt.

1. Diſtinguendum inter pacta iuſta vel iniuſta. Iniuſta autem non ſunt v. bellica extorta, quia ipſum bellum poteſt iuſtum eſſe, ſed e. g. a latronibus et rebellibus extorta, a captiuo principe maiorenne ſine conſenſu rei publicae inita, dolo alterius inita. Haec quum ne priuatum quidem obligent, multo minus principem: illa omnino obligant.

2. Diſtinguendum inter principem, cuius limitatum imperium eſt, et qui pleno iure imperat. Ille nihil poteſt, quod ad rem publicam, ſine ſtatuum vel ordinum conſenſu: hic omnia agit ſuo arbitrio. Si ergo prioris generis princeps aliquid promiſit vel inuenit contra ſalutem rei publicae, id non ratum eſt, niſi ordines conſentiant. Aliud, ſi princeps libere imperans.

num. 2. 3. Diſtinguendum inter actus regis quos tamquam priuatus, et eos, quos tamquam rex edit. Illi promiſcue obligant, niſi et priuatis conceditur remedium. Hi non, niſi iuſti ſint, et ab imperante initi, cui plenum eſt agendi arbitrium.

Iam aliquot exempla allegabimus. In Flandria receptum, vt ſi moriatur obaeratus, vidua et liberi, ſi velint venditionem bonorum impedire, marſupium cum clauibus imponant feretro. Quo facto plerumque creditores tranſigunt, et minorem ſummam accipiunt. Eſt ergo hoc remedium ciuile, aere alieno preſſis priuatis in Flandria conceſſum. Sed refert PONT. HEVTERVS in *Hiſtor. Burgund.* mortuo Philippo audace, duce Burgundiae et comite Flandriae, eius viduam impoſuiſſe feretro marſupium et claues. *Idne poterat?* Reſp. ſi aes alienum tamquam priuatus; non tamquam princeps contraxerat: potuit vidua vti beneficio priuatorum.

Franciſcus I. rex Franciae a Carolo V. captus taedio carceris iniquiſſima pacta inierat, quibus in ducatum Mediolanenſem, Burgundiam, Flandriam iuri omni renunciarat, magnam pecuniae ſummam promiſerat, cet. Vid. P. DANIEL *dans l'hiſtoire de France, tom. III.* Sub finem vitae Franciſci I. quaerebatur, an Franciſcus I. teneatur? Franciſcus I. conquerebatur, 1. pacta vi et metu extorta eſſe. Sed hoc nihili. Erat enim iuſto

bello

bello in captiuitatem redactus, et Carolus V. ei nullam praeterea vim intulerat. 2. Se paciſci non potuiſſe ſine conſenſu ordinum. Id omnino momentoſum. Quantumuis enim libere imperent reges Franciae, tamen eo tempore alienare nihil poterant ſine ordinum vel parliamenti conſenſu. 3. Se praeſtiturum, quod tamquam priuatus promiſerit, regem enim captiuum non eſſe regem. Iam promiſerat pecuniam, nuptias filii, cet. Et id omnino iuſte petebat. Quamuis enim captiuus maneat rex ratione iuris, tamen rex non eſt ratione exercitii. Conf. L. B. *de* DANKELMANN. in *Diſſ.* erudit. *de pactis principis captiui.*

§. 3.

Quaeritur 2. *quando rex iuſiurandum ſuum in ſpecie poſſit irritum reddere?* Et hic Grotius ait, poſſe eum id antecedenter, non conſequenter. Quid hoc ſibi vult? Reſp. ſenſus eſt, poſſe principem, antequam iurarit, ita paciſci cum ſubditis, et legem fundamentalem condere, eamque iureiurando confirmare, quod in certo caſu iuſiurandum principis valere non debeat. Si ergo nihilominus princeps in poſterum iuret: eum priore iureiurando et lege fundamentali impediri, quo minus poſterius iuſiurandum ſeruare poſſit, quamuis ex Grotii ſententia Deo obligatus maneat.

At ſi, poſtquam princeps iurauit, is tunc demum huius modi legem fundamentalem condere velit, id fieret in fraudem iurisiurandi prioris, et ei, cui iuratum, ius quaeſitum iniuſte auferretur, quod abſurdum.

Quaeſtio inſignem vtilitatem habet in Germania et Polonia. Notum eſt, ſummos imperantes ibi obſtringi lege fundamentali, quae in Germania *Capitulatio*, in Polonia *Pacta conuenta* adpellatur. Vtraque pacta imperantes tenentur iureiurando confirmare. In Capitulatione inter alia cauetur, ne quem nobilem, baronem, comitem, aliis principibus ſubiectum, in horum praeiudicium in principum ordinem adſumat. Fingamus ergo imperatorem alicui iureiurando promiſiſſe, ſe eum principem facturum: id non potuerit, quia antea iurauit, ſe id non facturum. Peccauit ergo dum iurauit, ſed peccaret magis iuſiurandum illud poſterius praeſtando.

§. 4.

Quaeritur 3. *an* et *reges ex promiſſis ſuis obligentur ſine cauſſa debendi?* Sed haec quaeſtio facillima. Nam 1. iam ſupra demonſtrauimus, hoc requiſitum, nempe cauſſam debendi, manifeſto eſſe ex iure ciuili, adeoque ad principes pertinere nequit. 2. Ratio etiam huius iuris in principe ceſſat. Nam aut cum alio principe vel re publica ipſi res eſt, aut cum priuatis. Aduerſus alios principes vel res publicas non ſolent eſſe liberales, adeo nec quidquam ſine cauſſa promittere. Subditis autem benefacere officium eſt principis: nec metus eſt, ne ideo ad paupertatem redigantur.

§. 5.

Denique 4. quaeritur, *an et iuribus ciuilibus in pactis et contractibus ſummorum imperantium locus ſit?* Id negat Vaſquius, et cum eo Grotius, et recte, modo diſtinguas inter ea, quae ius ciuile ex iure naturae et gentium deſumſit, et ea, quae ſunt proprie iuris ciuilis. Illa ſtringunt principem, non quatenus ſunt iuris ciuilis, ſed quatenus ſunt ex iure naturae et gentium. Haec non ſtringunt, quia ius ciuile dependet a principe. Princeps autem non ſibi, ſed ſubditis leges praeſcribit.

Exemplis res fiet clarior. Nuptiae fiunt conſenſu. Id iuris ciuilis quidem eſt, ſed ex iure naturae et gentium proficiſcitur. At quod fieri debeant nuptiae coram facie eccleſiae, et per benedictionem miniſtrorum eccleſiae, id iuris mere ciuilis eſt. Valebunt ergo principis nuptiae etiam ſine ſacerdotali benedictione, ſed non valebunt ſine conſenſu.

Obſeruandum tamen, recte facere bonos principes, ſi ſe huius modi legibus ſponte ſubmittant, ne ſcandalum praebeant ſubditis.

Hinc facile etiam deciditur quaeſtio, quam ridicule mouit VASQVIUS *Controu. illuſtr. lib. II. cap.* 51. *n.* 34. *an princeps poſſit emere ſine certo pretio? conducere ſine certa mercede?* Conſenſus enim in idem pretium vel eamdem mercedem requiritur a iure ciuili, ſed ex principiis iuris naturae et gentium.

§. 6.

§. 6.

Sequitur pars II. huius capitis, vbi quaeritur, *quid principi liceat circa actus ſubditorum?* Et primo quidem, quia ſaepe cum ipſis ſubditis paciſcitur princeps, quaeritur, *vtrum princeps his pactis vere obligetur, an ſubditis ius quaeſitum auferre queat, et ab obligatione reſilire?* num. 1.

Baldus, quem et alii ICti fere ſequuntur, dicunt, principem obligari quidem naturaliter, ſed non ciuiliter. Sed quum haec diſtinctio obſcura ſit, videbimus, quid in receſſu habeat.

1. Naturalis obligatio aliquando dicitur, quae ex honeſti regula; ciuilis, quae ex regula iuſti fluit, e. g. naturaliter obligamur ad dandam eleemoſynam, non ciuiliter. Si eo ſenſu accipiantur Baldi verba, abſurda ſunt. Sic enim ſemper imperfecta erit principis obligatio, nec cuiquam faciet iniuriam, ſi ab illa reſilit.

2. Naturalis obligatio dicitur ea, quae iure naturae quidem firma eſt, ſed ita, vt ius ciuile ei non adſiſtat: ciuilis, quae ciuili iure rata eſt, quamuis ius naturae eam non agnoſcat. E. g. pacta ſeruari iubet ius naturae, ſed ius ciuile ex pactis nudis non dabat obligationem. Eſt ergo obligatio naturalis tantum. Contra pactum vi et metu extortum iure naturae irritum eſt, at iure ſtricto ciuili ſeruandum. Eſt haec obligatio mere ciuilis. Si hoc ſenſu accipias verba Baldi, illa denuo abſurda ſunt. Senſus enim erit, obligari quidem principem ex pacto ſuo, ſed non, niſi in conſcientia, non autem cogi poſſe. Ergo ſi imperator violat capitulationem, ordines imperii non niſi ingemiſcere poterunt, non autem eum cogere, vt pactis ſtet. num. 2.

Quid ergo? Dicimus, obligationem ex principum promiſſis naſci plenam et perfectam, ſiue cum ſubditis agant, ſiue cum aequalibus. Rationes ſunt, 1. quia ius naturae ſine diſtinctione perſonarum dicit: pacta ſunt ſeruanda. 2. Quia princeps dum paciſcitur, non conſideratur vt princeps, ſed tamquam priuatus, et aequalis.

Obiicitur, me agere tamen non poſſe. Reſp. nec eo ſenſu verum eſt, principes non obligari ciuiliter. Nam ab actione ad obligationem non valet conſequentia. Agere non poſſum contra fugitiuum, ſed tamen is mihi ciuiliter obligatur. Pupillus quoque ipſe agere non poteſt, et tamen ei obligatur, qui cum

eo contraxit. Accedit quod in pleriſque rebus publicis boni principes ſe vltro iudiciis ſupremis ſubmittunt. Sic rex Galliae conueniri poteſt coram parliamento, elector Saxoniae coram iudicio aulico Lipſienſi.

§. 7.

Quaeritur porro, *an princeps alicui ius quaeſitum ex pacto vel iureiurando auferre poſſit?* Id ordinarie rogatur. Nam ideo principi ſubiicimur, vt ſit, qui iura noſtra conſeruet et defendat, non vt nobis ipſe iura auferat. Sed addit auctor duplicem exceptionem. Nam aliquando princeps id licite facit,

1. Vel poenae cauſſa, veluti quum laeſae maieſtatis reo bona omnia, ſimulque et iura auferuntur, et in fiſcum transferuntur: quamquam quum effectus huius poenae per indirectum etiam in liberos innocentes tranſeat, principes parciores eſſe decet in publicandis bonis.

2. Vi ſupereminentis dominii. Sed niſi id ius recte circumſcribatur, facile degeneraret in tyrannidem. Eſt ergo ius ſimile illi, quo vtuntur medici ad vrendum ſecandumque, ſi remedia ordinaria non ſufficiant. Hinc diſtinguendum inter ſtatum rei publicae ordinarium et extraordinarium. In ſtatu ordinario eſt res publica, ſi pax eſt, ſique omnia ſe recte habent. At extraordinarius ſtatus rei publicae eſt ſtatus morbidus, corruptus, ſi vel ſeditiones, vel bella gliſcunt. In hoc aliquid licet principi ob neceſſitatem, ſi reſarciatur damnum, ſed non in illo ſtatu ordinario. Hinc poteſt princeps agrum, quo ad munitionem opus eſt, ſibi ſumere, poteſt nautas cogere ad tranſmittendos milites, quamuis aliis promiſſis vel iureiurando obſtricti ſint. Sed non poteſt agrum eripere ſolius vtilitatis cauſſa. Vnde iam aliis obſeruatum eſt, Grotium, eiuſque ſectatores, quia ſolius vtilitatis rationem habent, non ſatis conſuluiſſe ſubditis contra imperantes, immo ex his principiis facile defendi poſſe factum Achabi, Nabothis vineam appetentis.

§. 8.

Fuerunt, qui diſtinguerent, inter ea, quae iure naturae, et quae iure ciuili alicui competant, exiſtimantque priora iura principem ob cauſſas hactenus enumeratas auferre non poſſe, reliqua vel poſteriora poſſe.

Enim-

Enimuero recte hanc ſententiam refellit Grotius. Ius enim hoc ſubditorum effectus eſt dominii. Dominium autem naſcitur, ſiue modus adquirendi naturalis ſit, e. g. dum adquiſitio fit per occupationem, ſiue iuris ciuilis, veluti dum adquiſiui per ſucceſſionem ex teſtamento. Sufficit enim, me factum eſſe dominum.

Exiſtimat Grotius, principem et exteris ius quaeſitum auferre poſſe in poenam, e. g. ſi vectigal defraudando retinuerint, non autem ex vi eminentis dominii, quia in res exterorum nullum ſit dominium eminens. Enimuero ipſe tamen infra fatetur, tempore belli non iniuſtum eſſe exterorum naues ad transmittendos milites inuitis dominis adhiberi, modo illis ſoluatur merces. Hinc recte dixeris, hoc ius in omnes ſe extendere ciues etiam temporarios, quales ſunt exteri in re publica noſtra commorantes: ſed eo diſcrimine, vt illis res et iura auferri poſſint in perpetuum, quia ſunt ciues perpetui, his ad tempus, quia temporarii.

§. 9.

Inſpergit Grotius quaeſtionem, *an verum ſit*, quod nonnullis viſum, *contractus principum leges eſſe?*

Negat id Grotius, et quidem rectiſſime. Nam 1. leges feruntur et inuitis, contractus fiunt conſentiente vtraque parte. 2. Leges non obligant principem, ſed ſubditos: contractus vtrosque. 3. Leges tolluntur a legiſlatore inuitis ſubditis: contractus non item. 4. Immo nullus contractus principis cum principe ratus eſſet, ſi contractus eſſent leges, quia princeps principi legem ferre nequit.

Poſſunt tamen per accidens fieri leges non ratione contrahentium, ſed ratione aliorum ciuium, quibus lege publica iniungitur, vt ne quid contra contractum agant. E. g. pax Weſtphalica, contractus locationis conductionis cum publicanis initus.

§. 10.

Hactenus de effectu iuriſiurandi vel promiſſi principis intuitu ipſius principis, et ſubditorum. Sequitur pars III. *quid iuris illi ſit in obligandis ſucceſſoribus?*

Aut ſucceditur vero iure vniuerſali per modum hereditatis;

 ſiue

ſiue patrimoniale ſit imperium ſiue vſufructuarium : aut titulo ſingulari, e. g. per electionem.

Priore caſu recte adſeritur, ſucceſſorem obligari promiſſis et iuramentis anteceſſoris, quia heres tranſit in omnia iura defuncti, adeoque et facta eius praeſtare debet. Et de eo nemo dubitat. Hinc nihil notius, quam ſucceſſorem heredem conueniri ex contractibus et promiſſis defuncti.

§. 11.

num. 1. 2. At de ſucceſſoribus ſingularibus diſtinguendum ; quod aut defuncti contraxerunt tamquam priuati : et tunc non tenentur ; aut tamquam principes intuitu rei publicae, et tunc tenentur.

Hinc recte Grotius dicit, eos non obligari ἀμέσως, immediate, ſed ἐμμέσως, mediate, mediante ſcilicet re publica.

Ratio eſt, quia imperantibus res publica conceſſit facultatem contrahendi pro re publica. Et inde eſt, quod princeps nouus electus ex foedere anteceſſoris obligetur, non autem ad aes alienum eius ſoluendum, niſi in rem ciuitatis verſum ſit.

§. 12.

num. 1. Attamen et hic notanda exceptio. Nam quamuis facultatem pro re publica contrahendi principi conceſſerit populus : ea tamen facultas non eſt illimitata et infinita. Id 1. in genere probatur, 2. in ſpecie oſtenditur, quouſque ſe ea facultas porrigat.

1. Quod reſtricta ſit haec facultas, generatim probatur 1. ex fine ciuitatis. Is non eſt, vt princeps pro lubitu agat, ſed vt id agat, quod ſalus et ſecuritas publica exigit. Sic e. g. Roma Neroni dederat facultatem imperandi, non occidendi promiſcue, non vrbem incendendi. 2. Quia omnia pacta habent tacitam conditionem, vt recta ratio ſeruetur. Rectae autem rationi repugnaret paciſci cum principe, vt ei liceat in nos impune graſſari. 3. A ſimili. Princeps veluti tutor eſt rei publicae. Tutori autem licet adminiſtrare, non ſpoliare.

num. 2. 2. Sed *quouſque ſe ea facultas extendit*? Reſp. vt princeps ſe et rem publicam obliget ob iuſtam rationem. Non ergo hic quaeritur

1. An pactum a principe initum vtile rei publicae fuerit ?

Nam

Nam ſaepe et optima conſilia male cedunt ; et caſum nemo praeſtat.

2. Nec an eo pacto res publica laeſa ſit ? Inter principes enim non ſemper locum habet aequalitas, ob inaequalitatem virium. Sic ſaepe potentior foederato impotentiori promittit auxilium 20000. hominum : quum impotentior reciproce promittat 3000.

3. Sed an pactum probabilem habeat rationem ; idque in dubio merito praeſumitur, donec contrarium probetur.

Addit auctor nonnullas obſeruationes huc pertinentes, velut, 1. veteres et eos laudare, qui anteceſſorum promiſſa praeſtiterant, vt Titum et Traianum, et eos vituperaſſe, qui promiſcue praeſtiterunt, vt Vitellium. De Tito vid. SVETON. *in eius Vit. cap.* 8. de Traiano PLIN. *lib. X. epiſt.* 66. de Vitellio TACIT. *Hiſtor. lib. III. cap.* 55. Sed diſtinguendum omnino, an ſalua re publica praeſtare poſſint, nec ne. Accedit, quod Titus et Traianus titulo vniuerſali ; Vitellius titulo ſingulari electionis ſucceſſerunt. *num.* 3.

2. Et rem publicam aliquando non teneri praeſtare promiſſum principis ſui, ſi iam pateat, illud manifeſto vergere in perniciem rei publicae, e. g. ſi princeps vicino obſequium ſine ratione promiſerit, eo mortuo res publica non tenebitur praeſtare, quod promiſſum, niſi expreſſe conſenſerit, vel principem promitti iuſſerit. *num.* 4.

Obiici poſſet, dixiſſe nos §. 11. *n.* 2. rem publicam teneri, et per rem publicam etiam ſucceſſorem ſingularem : quomodo ergo dici poſſe, huius modi promiſſum reuocari ? Recte reſp. Grotius, hic promiſſum non reuocatur, ſed ab initio nullum fuit, quia principi facultas huius modi quid promittendi conceſſa a populo non fuit.

3. Quae de contractibus dicta, eadem intelligenda eſſe de alienationibus. Si enim res domaniales ſine ratione alienauerit princeps, populum vel ſucceſſorem eas iure reuocare, iam ſupra demonſtrauimus. *num.* 5. 6.

Enimuero ea obſeruatio ſuperuacua eſt, quum alienatio a principe ſemper fere per contractus, raro per vltimas voluntates fiat. Contractus autem iniri non poſſunt de rebus alienis. Manifeſto autem res alienae ſunt domaniales, quippe quae ad rem publicam pertinent ; vſufructu dumtaxat principi competente.

§. 13.

§. 13.

Sequitur quaeſtio, *an ſucceſſor tollere poſſit vel reuocare beneficium ab anteceſſore datum*? Sunt, qui id promiſcue fieri poſſe exiſtimant: quod abſurdum, quum ſic principi non liceat eſſe benefico, quod tamen priuato cuiuis licet.

Rectius ergo cum Grotio diſtinguimus, de ſuo, an de rebus ad ciuitatem pertinentibus liberalis ſit princeps. Si de ſuo: id, quod ſemel datum, reuocare non poteſt, niſi in poenam vel ex dominio eminente. E. g. ſi donauit ex patrimonialibus, ſi vtenſilibus auro, argento cet. aliquem locupletarit. Sic enim donauit non tamquam princeps, ſed tamquam priuatus, adeoque eodem iure tenetur. At princeps beneficus de rebus ciuitatis de alieno liberalis eſt. Quum itaque huius modi donatio in ſe nulla ſit, ſequitur, vt et ipſi, et ſucceſſores, et res publica eam reuocare pro lubitu poſſint.

§. 14.

Bella eſt quaeſtio vltima, *an contractibus eorum, qui iniuſte inuaſerunt, teneantur ſucceſſores iuſti.* Habemus exemplum in Anglia, poſtquam Oliuerio Cromwello Carolus II. rex legitimus ſucceſſerat. Cromwellus multa foedera, multa pacta, etiam Angliae vtiliſſima inierat cum vicinis gentibus. An iis obſtringebantur etiam legitimi reges?

Negat id Grotius, quia princeps legitimus plane non eſt ſucceſſor eius modi inuaſoris, neque vniuerſalis, inquam, ſucceſſor, nec ſingularis. Ergo plane non tenetur illius factum praeſtare.

Addit tamen auctor exceptionem, ſi in rem verſum, id eſt, ſi in vtilitatem rei publicae vergit pactum ab inuaſore initum. Tunc enim quaſi negotia rei publicae vel principis vtiliter geſſit, adeoque hic obligatur ex axiomate illo notiſſimo, neminem debere cum damno alterius locupletiorem fieri.

CAPVT XV.

DE FOEDERIBVS ET SPONSIONIBVS.

§. 1.

HActenus de pactis et conuentionibus principum in genere. Quemadmodum ergo ſupra pacta priuatorum a contractibus diſtinximus: ita Grotius et pacta principum diſtinguit a foederibus et ſponſionibus, de quibus hoc capite 15. ita agit, vt

1. *oſtendat diuiſionem huius modi conuentionum publicarum*, §. 1-7.
2. *doceat, quid iuſtum ſit circa foedera?* §. 8-15.
3. *Quid iuſtum circa ſponſiones?* §. 16. 17.

Conuentiones ſunt vel *publicae*, vel *priuatae*. *Publicae*, quae niſi iure imperii fieri nequeunt, e. g. foedera, pax, pacta cum hoſtibus inita, induciae. cet. *Priuatae*, quae et a quouis priuato iure ineuntur, e. g. emtio, permutatio, donatio, cet.

§. 2.

Publicae denuo diuiduntur in *foedera*, *ſponſiones*, et *pactiones*. *Foedera* ſunt pacta inter gentes inita: *ſponſiones* pacta a legatis vel priuatis ſine iuſſu imperantium inita: omnes reliquae conuentiones vel cum hoſtibus, vel cum priuatis initae a re publica generale nomen retinent *pactionum*.

§. 3.

Inde facile patet, quodnam ſit diſcrimen foederum et ſponſionum. *Foedus* initur iuſſu ſummae poteſtatis, adeoque aeque obligat principem et rem publicam, ac contractus a priuato per mandatarium initus. *num. 1.*

At *ſponſio* eſt, quando ii, qui mandatum non habent a ſummo imperante aliquid promittunt nomine principis vel rei publicae. Quod fieri poteſt non vno modo, e. g.

1. Si legatus fines mandati exceſſerit, et plus promiſerit, quam princeps iuſſit.

2. Si dux bellicus ad incitas redactus turpi pacto vel foedere periculum auertere conetur iniuſſu rei publicae. Tale exemplum eſt in ſponſione Caudina apud LIVIVM, *Hiſtor. lib. VIIII. cap.* 8.

num. 2. 3. Si minor pars populi paciſcatur ignorante vel repugnante parte maiore, quale eſt elegans exemplum in hiſtoria belli Gallico-Romani. Galli Senones Romam occupauerant et incenderant, populus maximam partem Veios in caſtra, pauciores in arcem Capitolinam cum Manlio receſſerant. Hi arcem defendebant diutiſſime: extrema paſſi pactum inibant de vita illis pro pecuniae certo pondere concedenda. Dum iam pecuniam adpendebant, Furius Camillus cum exercitu ſuperueniens, rem omnem turbauit, negauitque, populi partem paciſci potuiſſe inuita parte maiore de re, quae ad vniuerſam ſpectet rem publicam.

Equidem ſi de ſe tantum pacti fuiſſent, pactum fuiſſet ratum; vti quotidie tempore belli videmus validas haberi pactiones deditionis cauſſa initas a duce praefecto praeſidio, quamuis a ſuperiore non confirmatas. At de ſumma rei paciſci nemo poteſt, niſi iuſſu rei publicae ſummi imperantis, alias eſt ſponſio tantum.

num. 3. Sed quaeritur, *quae ex ſponſione ſpondenti imponatur obligatio?* Poſſet videri, non alia naſci, quam quae ex promiſſione facti alieni. Ex ea enim tantum teneor ad operam quamcumque nauandam. Sed reſpondetur, id falſum eſſe. Hic enim non promitto factum alienum, ſed promitto pro alio, acſi ille mandaſſet, quum tamen non mandauerit.

Ergo diſtinguendum, praedixeritue ſpondens, ſe nullo mandato inſtructum, haec promittere, ſub ſpe rati; tunc non tenetur: an diſſimularit, et prae ſe tulerit, ſe mandatum habere; et tunc tenetur ad ſatisfactionem. Ea ſatisfactio vel ad id, quod intereſt, pertingit, vel, ſi dolus concurrat, ad poenam. Apud Romanos mos erat tradendi ſpondentes nudos, reuinctis in tergum manibus.

§. 4.

Quum Menippus, regis Antiochi legatus, apud Liuium tria conſtituat foederum genera: quaerit Grotius, *an ea diuiſio admittenda ſit?*

Ni-

Nimirum ex Menippi ſententia ſunt, 1. foedera, quibus bello victis leges dicantur, in quibus victoris ſit arbitrium, quid relinquere velit victis.

2. Foedera, quibus gentes bello implicitae pacem faciunt, tum plerumque res vero domino reddi, aut lites de iure et poſſeſſione rerum conuentione finiri.

3. Foedera, quae fiunt inter eos, qui hoſtes numquam fuerunt, qualia ſunt foedera de commerciis, mutua defenſione.

Sed haec diuiſio eo vitio laborat, quod primum genus foederum id nomen haud meretur, quippe quum foedus ſit conuentio inter ſocietates liberas. Gens autem deuicta et perdomita, cui leges praeſcribit victor, non amplius eſt libera. Deinde foedus eſt conuentio. Leges autem praeſcribere ſubiectis non eſt conuentionem vel pactionem inire, quum ſit actus vnilateralis.

§. 5.

Meliorem itaque daturus diuiſionem Grotius foedera diſtinguit in ea, quae nihil adiiciunt iuri naturae, et ea, quae aliquid adiiciunt. Prioris generis foedera generalia; poſterioris ſpecialia dici poſſunt.

1. *Generalia* ſunt, quibus aliquid nobis ſtipulamur, quod iam tum iure naturae debetur, e. g. ne alter nos laedat, vt amicitiam et vicinitatem nobis commodam percolat, cet. Vocantur haec foedera etiam amicitiae.

2. *Specialia* ſunt, quibus aliquid ſtipulamur, quod non debetur iure naturae, e. g. mutuam defenſionem.

Sed quaeri poſſet, *an non foedera generalia ſint ſuperuacua, et minus neceſſaria, quum certum ſit, iam iure naturae deberi, quod promittitur?* Verum reſpondet Grotius, ideo veteribus fuiſſe neceſſaria, quia poſt diluuium praeceptum iuris naturae, quod hominem homini inſidiari nefas ſit, oblitteratum fuerit improbitate hominum.

Hinc eleganter et erudite obſeruat, pleraſque gentes olim ita a priſtina virtute deſciuiſſe, vt latrocinari iis non viſum ſit turpe, modo latrocinia exercerentur aduerſus exteros, non ad- *num.* 2.

 uer-

uerſus ciues. Hinc Scythae, Germani, Parthi, latrocinia ſibi laudi ducebant. Hinc apud HOMERVM *Odyſſ. γ. quaeſtio: eſtisne praedones?* vbi ſcholiaſtes: *latrocinari apud antiquos non tantum infamia carebat, ſed inſuper glorioſum ducebatur.* Immo apud PLAVTVM, in *Milite glorioſo* non ſemel milites vocantur latrones ex veteri more, quo latrocinari non turpe erat.

Quamuis vero haec recte ſe habeant: non tamen vera haec eſt ratio, cur opus fuerit foederibus generalibus, quae potius a natura officiorum imperfectorum et ciuitatum eſt repetenda. Nam

1. Inter vicinas gentes aut ciuitates vel bellum, vel praeparatio belli, vel infida pax eſt. Semel autem exſtincta amicitia non facile reuiuiſcit, niſi huius modi foederibus.

2. Non laedere eſt officium perfectum: amicitiam et humanitatem praeſtare alteri, officium imperfectum. De hoc autem certus alter eſſe nequit, niſi foedere vel pacto illam ſibi ſtipuletur.

num. 3. Hinc etiam facile patet, *an inter pacta haec generalia referenda ſint foedera de iure hoſpitii, itemque de libertate commerciorum?* Gens genti hoſpitia et commercia iure perfecto non debet, quia non tenetur alterius commoda cum ſuo detrimento promouere.

Si ergo iure perfecto non debentur: opus eſt, vt pactis et foederibus ſibi hanc libertatem ſtipulentur gentes et ciuitates. Et ſane hoc reſpectu magis ſpecialia ſunt haec pacta; quam generalia. Quis enim dixerit, eum principem contra ius naturae peccare, qui commercia cum exteris prohibet, quod ipſe Deus fecit in re publica Iſraëlitica?

§. 6.

num. 1. Iam ſpecialia foedera porro ſubdiuiduntur in *aequalia* et *inaequalia.*

Aequalia, vbi vtriuſque paciſcentis par eſt conditio, e. g. ſi gentes ſibi inuicem promittunt mutua auxilia eiuſdem quantitatis.

Inaequalia contra, vbi impar eſt paciſcentium conditio, quale eſt foedus inter Francos et Heluetios.

Vtra-

Vtraque tum aequalia, tum inaequalia fiunt vel *pacis*, vel *ſocietatis* cauſſa. num. 2. 3.

Pacis cauſſa, quo pertinent foedera de pace conſtituenda, de reddendis captiuis, (quae vocantur *Cartels*,) de induciis, de munimentis quibuſdam a tertii milite cuſtodiendis (*Barriere-Tractaten.*

Societatis vel ad commercia pertinent (*commercien-tractats,*) vel ad bellicam ſocietatem (*off-und defenſiu-Allianzen.*

Omnia enim haec foedera vel aequalia, vel inaequalia eſſe poſſe, nemo non videt; e. g. in pace modo vtrique reſtituitur, quod bello extortum, modo alterutri. In foederibus commerciorum cauſſa initis modo vtrique, modo alterutri promittitur a vectigalibus libertas. In bellica ſocietate modo par vtrique imperatur militum nauiumque numerus, modo impar.

§. 7.

Inaequalia foedera denuo diuiduntur. Nam aut inaequalia num. 1. ſunt ratione praeſtationum, aut ratione modi praeſtandi.

1. *Ratione praeſtationum*, vbi inaequalis eſt praeſtationum mutuarum quantitas. E. g. rex rei publicae promittit 30000. res publica regi 10000. milites.

2. *Ratione modi praeſtandi*, in foedere vni praeminentia quaedam conceditur, e. g. Bauarus foedus cum Gallo inierat, ſed hic ſibi ſtipulabatur, vt Dux Gallicanus Bauaricas copias ſimul duceret in Germania. Sic Carthaginenſes quoque foedus poſt bellum Punicum I. et II. inibant, ſed ita, vt tributum annuum Carthaginenſes deberent Romanis, nec ſine eorum conſenſu bellum gerere poſſent.

Haec inaequalia ratione praeſtationum vel ſunt coniuncta num. 2. cum imminutione imperii, vel ſine imminutione huius modi ineuntur. *Cum imminutione coniuncta*, vbi alter foederatus alterius imperium ſemper et manifeſto agnoſcit, vti huius modi foedera erant inter Romanos et Carthaginenſes, inter Auguſtum et Herodem, hodie inter Batauos et reges Ceyloniae.

Quae *ſine imminutione imperii* ſunt, vel imponunt onus per- num. 3. petuum, vel temporarium. E. g. foedus Heleticum Heluetiis hoc perpetuum onus iniungit, vt pati teneantur milites a Gallis in ſuo territorio conſcribi: nec tamen eo ipſo ſummum Hel-

uetiorum imperium minuitur. At et Bauaro imponebatur onus, vt pati teneatur milites ſuos a Gallicano imperatore duci : verum hoc onus erat tranſiens.

Poſſet aliquis exiſtimare, foedera huius modi eſſe iniqua, quia ius naturae in conuentionibus exigat aequalitatem.

Sed, reſp: opus eſt ea aequalitate, vbi res certam admittit aeſtimationem, vt in contractibus priuatorum. At conſeruatio imperii eſt res inaeſtimabilis. Hinc quia impar eſt rerum publicarum potentia, hinc impotentior ſaepe promittit minus, potentior maius, ſi huius intereſt, minorem rem publicam a tertio non opprimi. Sed et impotentior ciuitas ſaepe vltro ſubit maius onus, ſi videat, aliter ſe ſaluam eſſe non poſſe, nec aliter adduci ſe paſſurum potentiorem, vt ei auxilio ſit.

§. 8.

Haec prima pars: ſequitur altera, vbi quaeritur, *quid iuſtum ſit circa foedera?* Prima et difficillima quaeſtio eſt, *an cum infidelibus liceat foedera inire?* Notum enim eſt, quam dicam olim Hiſpani ſcripſerint Franciſco I. regi Franciae, foedus ineunti cum Turcis aduerſus Carolum V. imperatorem.

Diſtincte ergo eam quaeſtionem ad ius naturae et ius diuinum poſitiuum exigit Grotius.*

Quod ad ius naturae recte negat, haec foedera repugnare huic iuri, ſempiterno. Nam ius naturae eſt commune omnium hominum ius. Si eſt commune omnium hominum, ſane non diſtinguit illud inter infideles et fideles. * Potius quemadmodum aeque iniuſtum eſt ethnicum occidere ac Chriſtianum, ita aeque iuſtum, cum ethnico paciſci quam cum Chriſtiano.

§. 9.

num. 1. Quid vero *de iure diuino*? Hic haud pauca ſunt S. S. loca, ex quibus ſequi videtur, foedera cum infidelibus Deum auerſari et prohibita velle. Sed Grotius tamen docet, ea nec *V. T.* nec *N.* repugnare principiis.

Nam 1: non improbantur foedera amicitiae cum infidelibus inita, quale eſt illud Iacobi cum Labano, *Gen.* 31, 44. *ſequ.* Deinde cum Edomitis et Aegyptis foedera Iſraëlitarum non improbat Deus, quia generatim voluit, ne Iſraëlitae Edomitas et Aegyptios

gyptios auerſarentur. *Deuter.* 33. 7.

Obiici poſſet, foedera tamen cum populis Palaeſtinae prohiberi expreſſe *Deut.* 7. 2. Sed reſp. Deum Iſraëlitis exſequutionem demandaſſe. Praeuaricatio autem fuiſſet, foedus inire exſequutores cum condemnatis. Ita Grotius. Sed ego exiſtimo, Deum Iſraëlitis non ſolum moraliter mala prohibuiſſe, verum etiam mala politice talia, quia Deus erat ſummus imperans Iſraëlitarum, eorumque reſp. vere Θεοκρατία dici poterat. Vid. HERM. CONRINGII *Diſſ. de theocratia Hebr. re publica ſine exemplo.* Atqui omnino politice malum erat, Hebraeos ad idololatriam natura procliues cum idololatris in ſua terra obuiis foedus inire. Magis conſultum erat, omnes has gentes funditus exſtirpari, ne corrumperent Iſraëlitas. Ratio ergo huius prohibitionis non moralis fuit, ſed politica.

2. Nec Deus prohibuit foedera commerciorum cauſſa cum infidelibus inita: idque probatur exemplo Salomonis, huius modi foedus ineuntis cum Hieramo, Tyriorum rege. 1. *Reg.* 5. 12. Iſque actus Salomonis expreſſe ibi tribuitur diuinae, quae in Salomone reluxerit, ſapientiae. Immo non ſolum cum Hieramo huius rei cauſſa foedus initum oportuit, ſed et cum gentibus Ophiriticis, ad quas nauigabant tunc homines Salomonis. *num.* 2.

Obiici poſſet: Deum expreſſe dixiſſe: *amabis proximum*, *num.* 3. 4. quod ipſi doctores Ebraei interpretati ſunt: *odio habebis inimicum.* Immo id tam late interpretabantur Iudaei tempore Chriſti, vt gentilibus ne quidem officia innoxiae vtilitatis praeſtarent, nedum vt cum iis inirent foedera. Vid. querelas gentium de ea Iudaeorum μισανθρωπίᾳ ab ipſo auctore hoc *n.* 3. collectas.

Sed recte hic reſpondet Grotius, fuiſſe hanc doctorum interpretationem falſiſſimam, et hinc a Chriſto efficaciſſime refutatam, non ſolum verbis *Matth.* 5. 43. *ſequ.* verum etiam ipſis factis. Chriſtus enim cum Samaritide loquutus eſt humaniſſime, cum ea bibit, apud eam diuertit, vt re ipſa doceret, non eſſe ſenſum legis diuinae verum, quem illi adfingebant Iudaei, quod abhorrendum plane ſit a gentibus exteris. Addit Grotius, etiam veteres fideles ita legem Dei interpretatos, nempe Dauidem, qui a Saule paſſus perſequutionem ad Philiſtaeos confugit, et Salomonem, qui in precibus, quibus templum dedicabat, etiam gentilibus conceſſum dicit, vt in atrio extremo templi orent. 2. *Reg.* 8. 41.

Soli

num. 5. Soli denuo ob rationes politicas excipiebantur gentes Palaeſtinae, et inter Iſraëlitas viuentes, ne familiarior iuſto conſuetudo cum his infidelibus Iſraëlitas ad idololatriam pelliceret. Vid. quae diximus ad *§. 9. n. 1.*

Hinc tantum abeſt, vt cum iis commercia habere potuerint Iſraëlitae, vt ne licuerit quidem iis officia humanitatis praeſtare. Diſerte enim Moſes *Deut.* 23. 6. *non quaeres proſperitatem eorum, nec bonum eorum, vllis diebus tuis vmquam.*

num. 6. 3. Nec foedera mutuae defenſionis cum gentilibus illicita fuerunt. Sic Abrahamus armis iuuit Sodomaeos, *Geneſ.* 14. 14. *ſequ.* Ita et Haſſamonaei foedus huius modi inierunt cum Romanis et Spartanis. Vid. 1. *Maccab.* 14. et 15. Quamuis enim hi libri non ſint canonici: habent tamen auctoritatem hiſtoricam, docentque, Haſſamonaeos, tamquam legis peritos, huius modi foedera in ſe non putaſſe illicita.

Obiiciunt loca 2. *Paral.* 19. 2. 25. 7. vbi increpatur Ioſaphatus, rex pius, quod foedus inierit cum rege Iſraëlitarum, contra Syres. Item 2. *Paral.* 20. 37. vbi itidem increpatur Ioſaphatus, quod foedus commerciorum cauſſa fecerit cum Achozo, rege Iſraëlitarum idololatra. Videtur ergo Deus plane haec foedera improbare.

Sed reſp. 1. non increpatur ipſum foedus, ſed Ioſaphati leuitas et pertinacia. Deus enim per Micham praedixerat, bellum illud male ceſſurum, et tamen Ioſaphat in foedere perſiſtebat.

num. 8. 2. Iſraëlitarum idololatrarum eadem erat ratio, ac gentium Palaeſtinarum inter Iſraëlitas viuentium. Familiaris enim cum illis conſuetudo facile pelliceere potuiſſet fideles ad ſimilem impietatem. Vbi ergo eadem eſt ratio, ibi eadem legis diſpoſitio.

num. 9. 3. Saepe non tam foedera a Deo reprehenduntur, quam animi conſilium, quo haec foedera inita ſunt. Saepe enim ea inibant Iſraëlitae ex diffidentia erga Deum, eoque pertinet exemplum Aſae regis. 1. *Paral.* 16. 12.

Quis autem ignorat, ob huiuſmodi prauam intentionem actus in ſe licitos vitiari? Exempla habemus 2. *Sam.* 24. de Dauide cenſum agente, et 2. *Reg.* 20. 13. de fiducia in Aegyptum poſita.

num. 10. 4. Denique Iſraëlitis non opus fuit foederibus, ſi eſſent probi, ob promiſſiones ſpeciales victoriae. *Deut.* 18. 7. Ergo plerumque

rumque aut inibantur ab Iſraelitis prauis et idololatria pollutis; tunc foedera huius modi Deo placere non poterant, quia nihil, quod fit ab impiis, Deo placet: aut inibantur a probis quidem, ſed Deo diffidentibus, nec ſic Deo placebant.

Vt paucis dicamus: foedera cum infidelibus non in ſe erant illicita, ſed facile mala fiebant et Deo diſplicebant pro ratione circumſtantiarum.

§. 10.

Pergimus ad ſcripturam N. T. et quaerimus, *an ei aduerſentur foedera cum infidelibus?* Id merito negat Grotius. *num.* 1.2.

1. Quia Euangelium etiam hoſtium caritatem per modum praecepti inculcat. *Matth.* 5. 43. *ſequ.*

Quamuis enim ſalua manere debeat graduum differentia, adeoque aequiſſimum ſit, vt plus amoris praeſtemus fratribus, quam aliis: omnibus tamen Chriſtianus debet amorem. Quod eleganter ita eloquitur Paullus apoſtolus: *benefacite vnicuicumque, maxime tamen inquilinis fidei.*

2. Nec Chriſtus inhibuit conuictum et conuerſationem cum infidelibus. Potius et ipſe, et apoſtoli, frequentiſſime inter gentiles et Iudaeos verſati, cum illis ederunt, biberunt, cet. *num.* 3.

Obiici poſſent loca 2. *Theſſal.* 1. 15. 2. *Cor.* 6. 14. vbi omne commercium cum haereticis et religionis deſertoribus videtur prohiberi.

Sed haec prohibent 1. conuerſationem totalem, qua corrumpi poſſent fideles, et ad eoſdem errores abripi; 2. prohibent conuerſationem haereticorum ob ſcandalum, quod inde capere poſſent fideles. Multa autem in ſe licita mala fiunt, ſi ſcandalum metuitur fratrum.

Obiici etiam porro poſſet, non probari in S. S. imperia infidelium ſponte inita, nec connubia cum infidelibus inita. Sed reſp. 1. improbari illa non tamquam illicita, (alias enim nec retinere Chriſtianus poſſet coniugem infidelem, nec parere ſalua conſcientia poſſet regi infideli, quod abſurdum,) ſed tamquam minus bona. Si enim electio nobis eſt libera, qualis in coniugio, quis non male verterit homini fideli, coniugem infidelem tot fidelibus ſine ratione praeferenti. 2. Improbatur eadem ob euentum, qui ſequi poteſt, triſtiſſimum. Facile enim femina blanditiis muliebribus maritum ad errores ſuos pelliciet, vti *num.* 4.

contingit Salomoni: facile maritus infidelis vxorem natura ſimpliciorem imperio maritali vel auctoritate territam ad ſuas partes protrahet.

§. 11.

num. 1. Satis ergo demonſtratum a Grotio, foedera huius modi in ſe haud eſſe illicita. Poſſe tamen fieri mala pro circumſtantiarum qualitate, idem demonſtrat. Nam

1. Poſſunt mala fieri, ſi nimia commixtio contagium infirmis adferat. Hinc diximus, Deum omnem familiaritatem cum Palaeſtinae gentibus prohibuiſſe.

num. 2. 2. Poſſunt mala fieri, ſi foederibus huius modi potentia infidelium maximum capiat incrementum, vt deinde communem cauſſam eo facilius opprimant. Sic enim occaſionem ſuppeditamus ruinae religionis. Obiter tamen moneo, peruerſam hic eſſe explicationem dicti *Matth.* 6. 33. quod non de externa propagatione euangelii, ſed de interna cura ſalutis agit.

num. 3. Et inde concludit Grotius, optandum eſſe, ne foedera cum infidelibus contra Chriſtianos inita nimis frequentia ſint. Nos huic voto ſubſcribimus, obſeruato diſcrimine inter foedera belli et commerciorum cauſſa inita. Haec enim non tam periculoſa ſunt fidei, ac illa.

§. 12.

Illud vix ferendum, quod Grotius paragrapho inſequente pontificiorum dogmati ſubſcribit, omnes Chriſtianos coniungere debere arma aduerſus infideles, et peccare principes in conſcientia, qui id praetermittant. Hoc enim ipſum principium eſt, quo a ſaeculo XI. pontifices homines ad ſuſcipiendas expeditiones Hieroſolymitanas excitabant. Grotii argumenta ſunt,

1. Quia omnes Chriſtiani ſunt membra vnius corporis, et hinc etiam reliquorum membrorum dolores et mala perſentiſcere debeant. 1. *Cor.* 12. 18. 26. Sed reſp. Chriſtiani, qua Chriſtiani, non pugnant armis carnalibus. Qua imperantes pugnant; ſed tunc id non iuſte fit, niſi permittat ius naturae. Ius naturae autem non permittit bellum ob ſolam aduerſae partis infidelitatem.

2. Eſſe hanc cauſſam communem. Reſp. aut infideles bellum excitant eo conſilio, vt Chriſtianos eradicent, tunc cauſſa

eſt

eſt communis: aut ex politicis rationibus bellum ſuſceptum, tunc non dici poteſt cauſſa communis, niſi per accidens.

3. Addunt pontificii, vniuerſa imperia Chriſtiana conſtituere vnam rem publicam maximam. Reſp. id ipſum eſt principium peſſimum, et ideo inuentum, vt papa ſe poſſit caput huius magnae rei publicae conſtituere. Chriſtianiſmus non mutat ſtatum rerum publicarum. Eccleſia non eſt res publica, ſed in re publica.

Hinc diſtinguendum inter bella defenſiua et offenſiua. Offenſiua iniuſta ſunt, 1. ſi ſuſcipiantur ſine cauſſa contra infideles, tantum quia infideles ſunt. Hinc pleraeque expeditiones cruciatae, quas vocant, fuere iniuſtiſſimae; nec iuſtius eſt bellum Hiſpanorum contra Americanos. 2. Si ſuſcipiantur contra praeuia pacta et foedera. Triſte exemplum vidit Hungaria in Ludouico, vltimo rege Hungariae.

Si defenſiuum bellum gerendum, tunc iuſtam cauſſam habent, qui oppreſſis Chriſtianis adſiſtunt, eoſque in ordinem cogunt, et huius modi foedus laudabile eſt: ſed non ſunt iniuſti, qui id non faciunt, quum et in foederibus pangendis populi et reipublicae ſalus ſit lex ſuprema. Legi meretur BVDDEI *Exercitatio* eruditiſſima *de expeditionibus ſacris*.

§. 13.

Sequitur noua quaeſtio: *ſi plures nobis ſint foederati, iique inter ſe bellum gerant, vtri opem ferre teneamur?* num. 1.

Hic tenendum, non foedus nos obligare ad ferendam opem, ſed cauſſae iuſtitiam. Semper enim foedera intelligenda ſunt cum tacita conditione: feremus opem, ſi iniuſte quis te adgredietur, vel ſi iuſte alium adgrederis. Vbi ergo vnus ex foederatis noſtris bellum iuſtum gerit, ibi ei opem ferre tenemur, cuius cauſſa eſt iuſtiſſima.

Excipitur tamen caſus, ſi alteri promiſſum, ne alteri mittantur auxilia, tunc neutri poteſt opem ferre, id quod hodie vocant neutralitatem. Sic Venetiae et dux Lotharingiae ſuperiore bello nec Gallorum nec imperatoris partibus accedebant, quia vtriſque foedere obſtricti promiſerant, ſe non miſſuros auxilia.

2. Si vtriuſque partis cauſſa iniuſta vel certe dubia ſit, neutri opem ferre tenemur, ſed tunc nos offerre poſſumus tamquam mediatores et ſponſores pacis, id eſt, poſſumus modo hu- num. 2.

ius, modo illius ruinam euitare, vt pax, neutro ad incitas redacto, eo facilius coaleſcat.

Laudanda ea in re res publica noſtra, quae ſuperiore ſaeculo inter Suecos et Danos ita ſe geſſit mediam, vt modo Danis contra Suecos adeſſet, modo Suecis contra Danos, prout huic vel illi parti interitus imminebat. Non enim aderat tamquam res publica foederata, ſed tanquam ſponſor pacis, eo conſilio, vt vtramque partem ad pacem redderet procliuiorem.

num. 3. 3. Si vterque foederatus bellum cum tertio gerit, tunc vtrique auxilia ferri poſſunt, ſiue militibus ſubmiſſis, ſiue pecunia. Sic Britanni et Bataui et Caeſari et regi Luſitaniae copias ſubmittebant.

4. Rarior eſt caſus, quem tangit Grotius, quod foederatus vtrique foederato praeſentiam ſuam promiſit. Quum enim praeſentia ſit indiuidua, nec pluribus ſimul commodari poſſit: quaeri tunc poſſet, *vtri foederatorum ipſe praeſens adeſſe teneatur?*

Et reſpondet Grotius, tunc potiorem eſſe cauſſam foederati antiquioris. Priori enim foederato iam ius quaeſitum erat, quum nouum foedus iniretur.

num. 4. Addenda tamen exceptio, niſi poſterius foedus ſimul ſit coniunctum cum translatione dominii. Nam tunc poſterius ſolet priori pacto anteferri, quia priori ſatis fieri poteſt praeſtito id quod intereſt. Et hinc ratio videtur 1. cur venditio poſterior, ſequuta traditione, priori praeferatur, 2. cur venditio tollat priorem locationem ſecundum vulgare: *Kauf bricht Miethe.*

Sed ſi vera fateri velimus, haec ex iure ciuili ſunt. Ipſe enim Grotius ſupra adcurate docuit, dominium etiam ſine traditione nuda contrahentium voluntate transferri. Id ſi verum, poſterioris contrahentis non melior cauſſa eſt, quam prioris.

§. 14.

Quaeritur porro, *an foedus in tempus initum tacite cenſeatur renouatum?*

Reſp. minime, 1. quia natura omnium pactorum in diem initorum haec eſt, vt lapſu diei exſpirent; 2. quia circumſtantiae interea ita mutari potuerunt, vt foederati noſtri interſit potius foedus finiri, quam continuari. Exemplum iam videmus in Heluetiis, vbi finito Gallorum foedere cum Euangelicis ciuitatibus nihil praeſtant Galli, niſi foedus renouetur.

§. 15.

§. 15.

Finitur etiam foedus alterius perfidia. Nam ea foederis natura eſt, quae pacti. Vtrumque tacitam habet conditionem: praeſtabo, ſi tu praeſtiteris.

Sed notandum, 1. locum eſſe huic iuri, ſi alteri prius aliquid praeſtandum ſit. Hinc facta pace Badenſi, quum et rex reſtitutionem Briſaci et Friburgi, et imperator electori Bauariae reſtitutionem promiſiſſet: hic dicebat, ſe reſtituturum, ſi prius reſtituiſſet Gallus: hic idem repetebat. Neuter erat perfidus; quia neutri pax priori reſtitutionem iniungebat.

2. Perfidiam liberare partem innocentem, non perfidum: nam ita fructum caperet malitiae ſuae. Id et in pactis obtinet. E. g. ſi diuortium fit ob adulterium, ſolet parti innocenti permitti nouum connubium, non autem adultero, quia hunc perfidia ſua a nexu non liberauit.

§. 16.

Sequitur tertia pars capitis *de ſponſionibus*. Quid ſit ſponſio, iam in prima parte diximus. Hic tantum binae expediendae erunt quaeſtiones: *num. 1.*

1. *Si ſponſio reprobatur a re publica, in quid teneantur ſponſores?* an ad id quod intereſt, an ad reſtitutionem cauſſae in ſtatum priorem, an ad dedendum corpus?

Prima ſententia videtur ex iure ciuili defendi poſſe. Nam mandatarius, qui fines mandati tranſiit, tenetur ad id, quod intereſt.

Altera aequiſſima videtur. Qui enim cum ſponſoribus pactus eſt, non aliud damnum incurrit, quam quod iam res non amplius ſit in priore ſtatu. Si ergo in eum ſtatum reducatur, ipſi ſatis factum videtur.

Tertia ſententia ex iure faeciali Romanorum eſt, et 2. exemplis illuſtribus firmata, ſponſione nempe Caudina et Numantina, de quibus ſupra.

Grotius diſtincte hanc quaeſtionem ſoluit, et hinc 1. probat, ſummum imperantem huius modi ſponſione non teneri. Id manifeſtum, quia nemo obligatur facto alterius, niſi vel mandatur adſit, vel vtiliter geſtum ſit negotium. Hic vtrumque obligationis fundamentum abeſt.

Inde colligit, 2. populum nec ad id, quod intereſt, nec ad reſtitutionem rei in priſtinum ſtatum teneri. Non ad prius, quia non laeſit alios, quibuſcum numquam pactus eſt populus. Nec ad poſterius, quia ſibi imputare debent, qui occaſionem rei bene gerendae ex manibus dimiſerunt.

num. 3. 4. 3. Nec exercitum teneri ex hac ſponſione, 1. quia nec ipſe contraxit, nec mandatum contrahendi dedit. Si enim id factum eſſet, omnino tenerentur. 2. Quia ſibi debent imputare, qui ſponſorum tantum fidem ſequuti ſunt.

Reliquum eſt, 4. vt corpora et bona debeantur ſponſorum, et corpora quidem, 1. ſi prae ſe tulerunt, quod publico nomine promittant, tunc enim manifeſtus eſt dolus, 2. ſi bona non ſufficiant reſarciendo damno.

Vnde quum Romani hoc modo et ſponſores et bona dederent, recte monet Grotius, aequius eſſe, vt primum bona dedantur, hiſque non ſufficientibus corpus.

§. 17.

num. 1. Quaeſtio II. *an obliget ſponſio ſummum imperantem ex notitia et ſilentio?* Alias enim vulgaris regula eſt, eum, qui tacet, conſentire videri.

Reſp. diſtinguendum eſſe, an pure facta ſit ſponſio, an ſub conditione, ſi rata haberetur a ſumma poteſtate.

Poſteriore caſu nullam obligationem ex ſponſione naſci, palam eſt. Suſpenſus enim eſt pacti effectus a ratihabitione imperantis: eam vel expreſſe fieri oportet verbis, vel tacite factis: adeoque nudum ſilentium non ſufficit.

num. 2. 3. Si pure factum, tunc denuo diſtinguendum, vtrum ſolum ſilentium tenuerit imperans, an factum acceſſerit, ex quo ratihabitio colligi poſſit. E. g. ſi ſponſio facta ſit, vt naues tradantur, et imperans ante ratihabitionem expreſſam naues quaſdam acceperit.

Fundamentum eſt, quia qui vna in re pactum probat, id totum videtur probare.

Ad factum autem hic referri nequit non factum. Eoque pertinet elegans exemplum ex Polybio et Liuio adductum. Aſdrubal promiſerat, Carthaginenſes Iberum non tranſituros. Carthaginenſes poſtea negabant, eam ſponſionem ſuo iniuſſu initam

ratam

ratam eſſe. Obiiciebant Romani, eos tacite ratum habuiſſe; quia Iberum non tranſierint. Carthaginenſes reſpondebant, nullam fuiſſe occaſionem. Et id recte. Ex non facto nulla inferri poteſt ratihabitio, quia nihil poſitiui hic adeſt, ex quo voluntas ratihabendi poſſet colligi.

Poſſet et quaeſtio ſubiungi, *an duces et milites iniuſſu ſummi imperantis poſſint pactionem cum hoſte inire expediendae ſalutis ſuae cauſſa, vti ſaepe fit in obſeſſionibus vrbium?* Sed quia haec quaeſtio ad ea, quae in bello licita ſint, pertinet, hinc de ea acturi ſumus libro vltimo. *num.* 4.

CAPVT XVI.

DE INTERPRETATIONE.

§. I.

DOctrina de interpretatione veluti vaga ac incertae ſedis eſt. Theologi eam ſibi vindicant ſub titulo *theologiae exegeticae*. Clericus eam refert ad criticam. Grotius primus ad ius naturae retulit, eumque poſtea ſequuti ſunt Puſendorffius, Thomaſius, et alii. Propria tamen huius doctrinae ſedes eſt in logica. *nu.* 1. 2.

Quaeritur itaque, *cur Grotius hanc doctrinam ad ius naturae referat?* et *cur hoc potiſſimum loco eam pertractet?* Ratio eſt, quia hactenus actum de promiſſis. Iam de illis ſaepe naſcuntur dubia, quomodo intelligenda ſint. Non enim ad verba ſolum, ſed praecipue ad ſenſum promittentis reſpiciendum eſt. Quis vero fuerit ſenſus, id ex regulis interpretationis eſt iudicandum. Dici non poteſt, quanta ſit huius doctrinae vtilitas in publicis negotiis. E. g. Ferdinandus Catholicus foedus inierat cum rege Galliae de diuidendo regno Neapolitano. Quum Gallis adſignaretur Campania, aliaeque prouinciae, ſtatim hic oriebatur quaeſtio, antiquane Campaniae ſignificatio locum habere debeat, an noua? Opus ergo erat interpretatione.

Recte autem notat Grotius ſub finem *n.* 2. interpretationem niti ſignis, ſigna autem eſſe duorum generum, verba et coniecturas. E. g. ſi dubium oritur, quid ſignificent verba Caroli *num.* 2.

V. *idem*,

V. *idem, quod optat rex Franciae, et ego volo*; id ex coniecturis repetendum. Sin quaeratur, quid ſignificent verba: *ſaluo capite abito*; id ex verbis iudicandum.

Verba iterum vel *ſimplicia* ſunt, vel *complexa* ſiue *coniuncta*. Vel enim in vocibus ſimplicibus latet obſcuritas, e. g. Titio lego penum: vel in integris phraſibus et propoſitionibus, e. g. quod optat rex Franciae, et ego volo.

Conſtat ergo caput duabus partibus. Nam 1. agitur *de verbis* tam *ſimplicibus* §. 2. 3. quam *coniunctis*, §. 4-16. 2. *de coniecturis* §. 20. *ad fin.*

§. 2.

Fundamentum omnis verborum interpretationis eſt proprietas ſignificationis. Qui enim nobiſcum loquitur, vult, vt verba eam in nobis excitent ideam, quam ipſe habet. Ergo rem debet eloqui vocabulis propriis, adeoque valet regula: *verba tam diu accipienda ſunt in ſenſu proprio et natiuo, donec abſurdum inde non ſequitur.* E. g. ſi quis dixerit, regem hunc eſſe tyrannum et barbarum, vel ſi virgo promiſerit iuueni per litteras, ſe eum conſtanti amore amplexuram: nemo temere per tyrannum intelliget regem, per barbarum eum, qui Graecus non ſit, per amorem caritatem Chriſtianam. Nam verba accipienda ſunt in ſenſu proprio, quamdiu non ſequitur abſurdum.

At id notandum, ſi de proprietate vocis quaeritur, non eſſe reſpiciendum 1. ad etymologiam; quia illa ſaepiſſime fallit, e. g. ſchola ab otio dicta; nec 2. ad analogiam; quia et haec fallit, e. g. perire ſignificat interire, ergo deperire, valde interire; nec 3. ad vſum veterem, quia ſignificatio vocum mutari poteſt, vt docent vocabula, tyrannus, fur, ſophiſta, ſed ad ſolum vſum, quem penes et arbitrium eſt, et vis, et norma loquendi. Hinc facile euaneſcunt cauillationes. E. g. rex Turcarum promittebat praeſidio Negropontano, ſe milites ſaluis capitibus abire paſſurum, ſed illos medios diſſecari iuſſit. Attila promittebat, ſe ſanguinem in vrbe non fuſurum, ciueſque eius partim cremabat, partim diffodiebat. Carolus V. promittebat Phillippo, Haſſiae landgrauio, ſe illum dimiſſurum ſine perpetuo carcere, (ita enim Granuellanus callide in ſaluo conductu ſcripſerat, *ohne evvige Geſængniſs*, pro, *ohne einige Geſængniſs*,) et poſtea multorum annorum carcere illum macerabat.

§. 3.

§. 3.

In ſpecie quoque de artium vocabulis notanda regula: *artium vocabula intelligenda ſunt ex ſenſu eius artis peritorum.*

Hinc inter Ferdinandum Catholicum et regem Galliae, quae Campania ſit, optime decidere potuiſſent geographi: quid claſſis ſit, optime docebunt nauarchae: quid exercitus, ex duce bellico diſcemus. Horum ex vſu interpretanda ſunt vocabula.

Addenda tamen exceptio, modo qui loquitur praeſumatur artis terminos habuiſſe perſpectos. Sic alio tempore dixi, Iacobum Bohemium, quem alii pro haeretico, alii pro philoſopho Teutonico venditant, ſaepe vti vocabulis Latinis, vt eſſentia, qualitas, ſcientia, ſed cum ſutor eſſet, iis adfingebat ſenſum pro lubitu. Ita memini, ruſtico nobilem extorſiſſe tranſactionem, cuius inſtrumento aduocatus Latinam ſubiecerat clauſulam: renuncio omnibus exceptionibus laeſionis enormis et enormiſſimae, quod metus cauſſa, doli mali, cet. Ruſticus reſcindi tranſactionem petebat. Nobilis negabat id fieri poſſe, quia omnibus exceptionibus renunciauerit; verba clara eſſe, et ſe merito prouocare ad ICtorum vſum. Sed reſpondebat ruſticus, ſe Latina non intelligere, adeoque nec ſcire, quid verba illa velint. Et vicit ruſticus.

§. 4.

Aliquando etiam coniecturis opus eſt in ipſis verbis, 1. ſi ſint ambigua; ſiue ambiguitas ſit in vno vocabulo, quod dialectici homonymiam vocant, ſiue in integra phraſi, quod amphiboliam adpellant. E. g. ſeruum legauit, poteſt intelligi ſeruum miſit, et ſeruum teſtamento reliquit, homonymia latet in voce *legauit.* At ſi dicitur: quod optat rex Galliae, et ego volo, tunc amphibolia latet in tota phraſeologia. *num.* 1.

2. Si verba in ſpeciem ſibi repugnent, e. g. ſi quis in teſtamento ſcripſerit: Titio et Sempronio aedes meas lego. Quam partem Titius habebit, eam Sempronio, et quae huic obtinget, eam Titio do, lego. Fundamentum, cur coniecturis tunc locus ſit, eſt praeſumtio pro homine ſanae mentis, quod non videatur ſibi contradicere. Hinc ceſſat haec praeſumtio.

1. Si pacta, teſtamenta, ſcripta, quae ſibi contradicere videntur, ſint diuerſorum temporum. Poſſent enim homines et principia et voluntatem ſuam mutare.

2. Si ſcriptores meditationi non ſint adſueti. Hos enim ſibi non poſſe non aliquando contradicere, palam eſt. Sic multae ſunt contradictiones in Talmude, in ſcriptis fanaticorum, cet.

3. Si ſcriptum ex variis libris diuerſorum auctorum ſit compilatum, e. g. Corpus iuris. Inde ergo decidenda quaeſtio: an in iure noſtro ſint antinomiae? Wiſſenbachius eas vbique ſectatur. Strauchius quidquid potius concedendum putat, quam quod dentur antinomiae. Neuter recte. Non praeſumendae vbique antinomiae, quia Tribonianus et collegae nec emotae mentis, nec ſtupidi fuerunt: at nec nullas dari ſuſpicandum; quum Corpus iuris ex libris diuerſorum auctorum, diuerſis temporibus florentium, diuerſis ſectis addictorum, a diuerſis perſonis compilatum.

num. 2. Addit auctor obſeruationem, quod nonnumquam coniecturae ſe ſponte ingerant, et tam ſint veroſimiles, vt pro veris haberi poſſint. Eae vocantur *ex ſcripto et ſententia*. Sic e. g. ſi Titio legaui 1000. et 100. ſint in orbe Titii, mihi ignoti, vnus autem frater vel familiaris eiuſdem nominis, facile ſe ſuggerit coniectura, quod de hoc ſenſerim.

Aliae coniecturae ſe non ſponte inſinuant, atque hinc certis locis vel fontibus opus eſt, quarum tres ſunt, *materia*, §. 5. *effectus*, §. 6. et *coniuncta* §. 7., 8.

§. 5.

Materia eſt obiectum, de quo verba loquuntur. Ei enim conſentanea eſſe debent, quaecumque de illo dicuntur. Vnde logicis eſt regula: *talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur eſſe a ſuis praedicatis, et contra.* Iam videbimus exempla.

1. Grotius quam plurima adfert, nos primum explicabimus, eique adiiciemus aliud. Pacti ſunt hoſtes inducias per 30. dies. Alter interdiu abſtinet ab omni caede: ſed noctu hoſtes incautos opprimit, caſtella intercipit, pagos exſpoliat et incendit. Quaeritur, naturales dies intelligendi ſunt; an ciuiles 24. horarum? Reſp. quia agitur de induciis, induciae autem nullae eſſent, ſi non liceret ab armis quieſcere, res ipſa ſuadet, intelligendas eſſe dies ciuiles.

2. Addo exemplum Philippi Haſſi, quod ſupra memoraui. Diſputabatur inter landgrauium et Granuellanum, vtrum in ſal-

uo

uo conductu, quem vocant, legendum ſit, *ſine vlla captiuitate, (ohne einige Geſængniſs)*, an, *ſine aeterna captiuitate, (ohne ewige Geſængniſs?)* Ex materia ſubſtrata palam eſt, priorem interpretationem ſolam genuinam eſſe. Quis enim ſaluum conductum petit, ne perpetuo carcere maceretur; ac non potius, vt plane non captiuus ſit?

§. 6.

Effectus eſt, qui ex verbis ſequitur. Quum ergo nemo cenſeatur velle, vt, quod loquitur vel ſcribit, nullum ſortiatur effectum: recte interpretes regulam tenent: *verba ita interpretanda ſunt, vt effectum ſortiantur.*

Elegans eſt exemplum Bruſidae, quod ex Thucydide refert Grotius, qui inſidens agro Thebano cum exercitu, accepta pecunia promittebat, ſe agro Boeotiorum exceſſurum, ac deinde negabat, agrum, quem exercitu ſuo occuparit, Thebanorum eſſe. Quis, quaeſo, pecuniam dat hoſti, vt prouinciam retineat?

Sic et abſurdum, ſi verba teſtamenti: quam partem Titius habebit, Sempronio lego, et quam hic capiet, Titio, ita interpretari quis vellet, quod neuter rem habere debeat, quis enim ideo condit teſtamentum, vt nullum effectum habeat?

§. 7.

Tertius locus coniecturarum eſt coniunctorum. Haec vel ſunt coniuncta *origine*, vel *loco*. *Coniuncta origine* ſunt, quae ex eadem origine, eademque voluntate ſunt, et alias quoque vocantur *loca parallela*. Vnde regula: *verba vnius loci obſcuriora interpretanda ſunt ex loco altero clariore.* Sic e. g. quando in S. S. vno loco dicitur: *baptizabit vos Chriſtus igne*, id facile explicabitur ex altero parallelo: *baptizabit vos ſpiritu ſancto.*

Sic ſaepe, quod in teſtamento obſcurum eſt, explanari poteſt ex codicillis, et contra. Saepe lex Codicis lucem infert legi Pandectarum, cet.

§. 8.

Coniuncta loco ſunt duo; 1. ratio verborum, et 2. antecedentia et conſequentia. De poſterioribus notanda regula: *verba non interpretanda ſunt extra contextum, ſed conſideratis antecedentia*

 ceden-

cedentibus et conſequentibus. De priore: *lex ita interpretanda, prout eius rationi conſentaneum eſt,* vel: *vbi eadem ratio, ibi eadem iuris diſpoſitio.*

Sic e. g. quum in *art.* 4. *pac. Ryſwic.* verba obſcura ſint, quod religio in prouinciis reſtitutis relinqui debeat in ſtatu priſtino: abſurde pontificii id pro ſe interpretantur, quum antecedentia doceant, pro fundamento poſitam fuiſſe pacem Weſtphalicam.

Sic ſi lex: nemo frumentum exportato, interpretanda, ex ratione legis palam eſt, prohiberi etiam exportationem farinae.

Recte tamen Grotius monet, diſtinguendam mentem a ratione, vel, quod perinde eſt, praetextum a vera cauſſa, quae legiſlatorem mouit. E. g. ſcio principem lege prohibuiſſe calceos ligneos, ſub praetextu, quod pedibus inimici ſint: ſed vera ratio erat, quia ruſtici ita non ſoluebant vectigal, quod ſoluitur ob calceos coriaceos.

§. 9.

Sequuntur quaedam obſeruationes de verborum ſignificatione, et quidem 1. voces modo laxius, modo ſtrictius accipi, quas ſignificationes probe obſeruare debeat interpres. Sic e. g. heres in iure ciuili accipitur laxius, eoque vocabulo et maſculi et feminae, deſcendentes, adſcendentes, et collaterales denotantur. Sed in iure feudali ſtrictior obtinet ſignificatio. Non enim feminae ſunt heredes feudales, nec ex maſculis agnatis omnes, ſed qui a primo adquirente deſcendunt.

§. 10.

2. Altera obſeruatio pertinet ad odioſa et fauorabilia, de quibus vulgo ſuggerunt regulam: *fauorabilia late, odioſa ſtricte ſunt interpretanda.* Grotius praeterea tertium genus addit mediorum et mixtorum, et de illis habet regulam: *mixta pro magnitudine boni aut mutationis modo late modo ſtricte interpretanda.* E. g. ſi aliquis condemnatur ad crurifragium, indubio id intelligitur de mitiore genere ſupplicii, quo ceruix primum rota contunditur, non de atrociore, quo tibiae primum franguntur, deinde brachia, cet. Eſt enim crurifragium res odioſa.

Si princeps conceſſit priuilegium ob bene merita, id interpretandum laxius, eſt enim fauorabile.

Denique ſi princeps pacis cauſſa pactum vel tranſactionem cum rebellibus inиt, ea modo laxius, modo ſtrictius explicanda, prout vel maius vel minus bonum eſt, quod inde naſcitur, maior vel minor mutatio, quae hoc pacto facta eſt.

Ita quidem veteres omnes, et poſt Grotium etiam Pufendorffius. Sed Thomaſius primus has regulas deſtruxit ſingulari diſſertatione, contra Vincentium Placcium ſcripta, quam et *iuris prudentiae diuinae* inſeruit. Nimirum obſeruauerat vir acutiſſimus, neminem adhuc definitionem adcuratam dediſſe odioſorum et fauorabilium. Ipſe Grotius in hac paragrapho deſcriptiones dat ſatis ineptas, e. g. *fauorabilia ſunt, quae aequalitatem in ſe habent*, et tamen eo referunt beneficia principis, *et quae communem ſpectant vtilitatem*; et tamen poenae etiam ſunt res odioſae. Sic etiam *odioſa* Grotio ſunt, *quae partem alteram tantum aut plus altera grauant*, (ergo beneficia principum erunt oneroſa), *quae poenam in ſe continent*, (ergo poena non ſpectat communem vtilitatem), *quae actus faciunt irritos*, *et quae de prioribus aliquid immutant*, (ergo teſtamentum poſterius erit odioſum.)

Immo ne poſſunt quidem definitiones adcuratiores dici. Nam fauorabile et odioſum ſunt ideae relatae. Hinc diuerſo reſpectu modo fauorabilis eſt res, modo odioſa, e. g. dos eſt fauorabilis reſpectu generi, odioſa ratione ſoceri; poena odioſa eſt ratione rei damnati, fauorabilis ratione rei publicae. Quum ergo ceſſent fauorabilia et odioſa, ceſſant etiam mixta.

Ergo regulae ſunt nullius momenti. Sed verum tamen eſt, inquis, poenales leges et ſententias eſſe ſtrictae interpretationis. Reſp. 1. id non ſemper fit. Nam ſi poenam lex irrogat exportantibus frumentum, eamdem etiam irrogare cenſetur exportantibus farinam. 2. Si vel maxime id concedimus, quod aliquando leges poenales ſint ſtrictae interpretationis: id tamen ex alia fit ratione, quia ſcilicet humanitas iubet in poenis ſemper inclinare in mitiorem partem, non quod poenae ſint odioſae, ſed quod, quantum fieri poteſt, iudicem deceat abeſſe a crudelitate et truculentia.

§. 11.

Ita 3. apud Rom. magna erat differentia inter actus bonae fidei et ſtricti iuris. Illos latius, hos ſtrictius interpretabantur,

e. g. ex contractibus bonae fidei etiam vſurae adiudicabantur; licet non promiſſae. Quaeritur itaque, *an id ex iure naturae et gentium ſit?*

Negat Grotius, et recte. Nam totum hoc diſcrimen non ex natura horum contractuum fluit, ſed ex ſubtilitate formulariae iuris prudentiae Romanae.

Sed putat rem vſum habere, ſi hodienum actibus quibuſdam certa forma praeſcripta ſit legibus ciuilibus, e. g. vt traditio fiat effeſtucatione, vt in Geldria. Tunc enim in dubio eam ſemper requiri, et actui ineſſe cenſeri. Sin actus per ſe ſit indefinitus, veluti donatio, tunc benignior procedendum, et ſimpliciter promiſſorum fidem exigendam. Vera haec quidem: ſed nec iſta ex iure naturae, verum ex iure ciuili ſunt.

§. 12.

His praemiſſis iam facile patet, quid ſentiendum ſit de regulis a Grotio hac paragrapho ſuppeditatis. Prima eſt:

I. *In non odioſis verba ſumenda ſunt ſecundum totam proprietatem vſus vulgaris.* Exempli loco eſſe poſſunt, quae ipſe Grotius adfert, vt maſculinum genus commune notet, e. g. *mei heredes* in dubio notant vtrumque ſexum. Ita in oratione *pro Caecina* eleganter interpretatur verba edicti: *vnde tu deiectus es.* Reus enim non deiecerat Caecinam, ſed illum prohibuerat ſuum adire. Sed vtrumque exemplum et fauorabile eſt et odioſum. *Mei heredes habento*, eſt fauorabile, *mei heredes ſoluunto*, eſt odioſum: et tamen vtroque caſu ſexus vterque intelligitur. Cauſſa Caecinae fauorabilis erat ratione Caecinae reſtituendi, at odioſa ratione deiicientis. Et tamen vtriuſque interitu eadem locum habet edicti interpretatio.

num. 2. II. *In fauorabilibus, ſi is, qui loquitur, ius intelligat, aut peritorum iuris conſilio vtatur, verba laxius ſumenda, vt etiam includant ſignificationem artis.* Sed ſic re vera res fauorabilis fit odioſa ratione eius, qui ius nouit, et is poenam fert ſcientiae ſuae. E. g. donat aliquis in aliam prouinciam migraturus alii penum, et pro populari vſu intelligit, quae ſibi ſuperſint in cella penuaria, vt carnes, pernas, poma, et ſimilia; alter autem dicit, tu iuris peritus es, hinc mihi etiam debes ligna, carbones. Quid ſtolidius? Et hinc ipſe Grotius addit limitationem, quae totam fere regulam deſtruit ſub finem paragraphi.

III. In

III. *In odioſis etiam ſermo figuratus aliquando admittitur, quo onus vitetur.* Exemplum Grotii eſt: foederatus promiſit auxilia, non debet ea mittere, niſi alterius impendiis. Sed 1. quid hic figurati ſermonis? 2. *deciſio ne quidem vera eſt. Nam ex circumſtantiis iudicandum erit, quis impendia ferre debeat, e. g.* ſi potens impotenti, *Gallus Heluetiis promittat 30000. milites impendiis* Heluetiorum, *onus id erit magis impotentiori rei publicae*, quam auxilium.

§. 13.

Sequitur quaeſtio illuſtris, *an in foederibus ſociorum nomine veniant ii tantum, qui tunc ſunt, an qui et in poſterum in ſocietatem noſtram admittuntur?* Occaſionem huic quaeſtioni dedit foedus inter Romanos et Carthaginenſes. Finito enim bello Punico pax et hac conditione inibatur: *vtriuſque populi ſocii ab vtroque populo, tuti ſunto.* Hannibal poſtea Saguntinos vexabat, et demum vrbem funditus delebat. Quaerebatur, *an foedus a Carthaginenſibus fuerit violatum?* Carthaginenſes negabant, quia Saguntini eo tempore non fuerint ſocii populi Romani. Romani contendebant, intelligi etiam ſocios futuros. num. 1.

Quid Grotius? negat Saguntinos foedere comprehendi, ex ea ratione 1. quia hic agatur de abrumpendo foedere, quae res ſit odioſa, 2. quia ſic Carthaginenſibus adimatur libertas, hoſtes armis perſequendi, id quod denuo odioſum.

Sed haec deciſio nihil eſt. Nam 1. et odioſa et fauorabilis res eſt, de qua agitur, odioſa Carthaginenſibus, fauorabilis Saguntinis et ſociis Romanorum. 2. Qui ſociis ſuis proſpectum cupit, procul dubio id facit in futurum, non in praeteritum. Ergo et futuros procul dubio foederatos intelligebant paciſcentes. 3. Non eſt odioſum, Carthaginenſibus armis perſequendi Saguntinos libertatem adimi: habent enim ius conquerendi iniurias apud Romanos, et ſi hi iuſtitiam negaſſent, tunc poſſent iure ſuo vti?

Quum vero ſemel Grotius vulgarem amplexus ſit regulam, quaerit: *an non nefas fuerit Romanis, ſocios Saguntinos defendere?* num. 2. 3.

§. 14.

Noua quaeſtione regulas ſuas de fauorabili et odioſo illuſtrat Grotius. Quaerit, *ſi foedere inaequali conuenerit, vt foederatus*

deratus altero inconſulto bellum gerere nequeat, an id late de omni bello, an ſtricte de offenſiuo, quod vocant, intelligendum ſit?

Reſp. de offenſiuo tantum. Foedus enim, inquit, hoc odioſum eſt, quia id inaequalitatem continet, et libertatem alterius partis nimium coarctat: odioſa vero ſtricte interpretanda.

Ipſa deciſio vera, ſed ratio decidendi, vt iam ſaepe monuimus, inepta eſt. Vera ratio eſt, quia ex ipſis verbis patet, bellum defenſiuum intelligi non poſſe, quia alias abſurdum inde ſequeretur, vt voluerint Romani foederatos cogere, vt a quouis impune poſſint exſtirpari. Verba autem ita intelligenda, ne abſurdum inde ſequatur.

§. 15.

Sequitur nouum exemplum. Finitis bellis Punicis, primo et ſecundo, foedera admodum inaequalia inire tenebantur Carthaginenſes: ſed tantum illis expreſſe ſeruabatur libertas, id eſt, vt hodie loquimur, *la Souveraineté*: non erant ſubditi Romanorum, ſed foederati inaequales. At quum Cato in ſenatu Romanis, nulla iniuria prouocatis, ſuaſiſſet, vt Carthaginem funditus exſcinderent: mittebantur legati, qui Carthaginenſibus hanc conditionem ferrent, vt in alium locum mediterraneum migrarent, ibique nouam vrbem conderent. Hi pacem ſe adcurate ſeruaſſe clamabant, Romanos autem ſibi iniuriam facere, qui tale quid iubeant eos, quibus libertatem diſerte confirmaſſent. Reſpondebant Romani, ſe libertatem ciuibus, non moenibus et domibus promiſiſſe. APPIAN. in *Punicis*. Quaeritur itaque, *an foedus ita recte interpretati ſint Romani?*

Negant omnes, et recte: non quod pactum hoc tamquam odioſum ſtrictae fuerit interpretationis, ſed quod hoc fluat ex ipſa natura libertatis et *αὐτονομίας*. Verum eſt, eam competere ciuibus, non domibus et moenibus: ſed ciues tamen dici non poſſunt liberi et *αὐτονόμοι*, qui ab alio cogi poſſunt ad migrandum loco, et ſedes alio transferendas. Aeque abſurda ergo erat haec interpretatio; acſi quis promitteret vitam, et dicat deinde, vitam animae, non corpori competere, adeoque fas eſſe corpus deſtruere.

§. 16.

§. 16.

Pergit Grotius ad famoſam quaeſtionem de pactis realibus et perſonalibus. Ita non dicuntur pacta ratione originis, quaſi ex iure in re ſint, nam ita omnia pacta et contractus ſunt perſonalia, ſed ratione effectus. Ex quibuſdam pactis heredes etiam obligantur, et heredes etiam ius nanciſcuntur: aliorum effectus ad heredes non tranſit. Illa dicuntur realia, e. g. emtio venditio, haec perſonalia, e. g. pactum ſponſalitium. Quum ergo ſaepe naſci ſoleat controuerſia, reale, an perſonale ſit pactum: certae in promtu eſſe debent regulae, vnde id diiudicandum. *num.* 1.

Reg. I. *Pacta cum populis liberis inita ſunt realia.* Ratio, quia ipſum ſubiectum eſt immortale et perpetuum. Manet idem corpus, etiamſi magiſtratus, immo et forma mutetur ſubinde. Hinc etſi ex libera res publica fiat monarchia: ſaluum tamen eſt foedus, quia idem corpus manet. Quemadmodum enim ideo foedus non exſpirat, quia hoc triennio alii ſunt ordinum delegati, quam ſuperiore, et quia ex ordinibus illuſtribus, qui ante 100. annos rem publicam repraeſentabant, hodie nullus ſupereſt; ita nec exſpiraret, ſi loco ordinum princeps praeficeretur.

Exceptio tamen eſt, ſi foedus expreſſe eum in finem initum, vt rei publicae libertas contra monarchiam defendatur. Hinc exſpiraret foedus, ſi ciuitas Heluetica vellet principem creare.

Reg. II. *Pacta cum monarchis inita ſunt realia, ſi vel in perpetuum, vel ita inita, vt expreſſe heredum fiat mentio. vel heres ita ſuccedat, vt teneatur praeſtare factum defuncti.* Abſurde ergo Perſeus negabat foedus cum Philippo initum ad ſe pertinere, quum et in perpetuum initum eſſet, et Perſeus eſſet Philippi filius et heres. *num.* 2.

Immo temporarium foedus eſt reale, ſi tempore nondum elapſo moriatur paciſcens. Ita enim expreſſa eſt paciſcentis voluntas, vt et ſucceſſor obligetur, quoad tempus elapſum ſit. Hinc quum Leopoldus imp. cum Turcis iniiſſet inducias 20. annorum: peccaſſet Ioſephus, ſi tempore illo nondum elapſo bellum mouiſſet.

num. 3. Reg. III. Grotii haec eſt : *in dubio foedera fauorabilia perpetua et realia ; odioſa perſonalia intelliguntur.*

Sed quaenam ſunt foedera fauorabilia et odioſa ? Fauorabilia, inquit, ſunt foedera pacis, commerciorum, vel defenſionis mutuae cauſſa inita : non autem offenſiua, quae vocant, ea odioſa habentur.

Sed reſp. aeque fauorabile eſt vindicare iniurias rei publicae illatas, quam ſe defendere. et pax ex altera parte aliquando aeque odioſa eſt, ac bellum offenſiuum.

Dicendum ergo, in dubio foedera omnia praeſumi realia, niſi vel perſonae induſtria electa ſit, vel cauſſa, ob quam foedus initum, ceſſarit. E. g. ſi foederati reliqui vni imperium militare ob inſignem belli peritiam detulerint, vel ſi mortuo foederato res publica laedens laeſae ſatis faciat ex aſſe.

num. 4. Sed obiicitur, ſocietates morte finiri, adeo vt ſi ſocii ſe obligarint pro heredibus, hi tamen non teneantur inuiti in ſocietate manere. Cur ergo cogantur res publicae ?

Reſp. 1. regula illa de ſocietate eſt ex iure mere ciuili. 2. Ratio eius, quod ſocius ſocii induſtriam elegerit, non quadrat rebus publicis, quae foederati potentiam elegiſſe cenſentur.

Obiicit Bodinvs, *de re publ. lib. V. cap. vlt.* foedera iureiurando firmantur. Iuſiurandum perſonam non egreditur. Ergo nec foedus.

Reſp. nulla conſequentia. Iuſiurandum obligationem non producit, (nam et iniurati foederati obligantur ex nudo promiſſo,) ſed firmiorem reddit. Hinc recte Grotius : poteſt iuramenti obligatio perſonam tantum obſtringere, et ipſa promiſſio obligare heredem.

§. 17.

Reg. IIII. *rex ex foedere tenetur, et ius retinet, etiam regno expulſus.* Ratio eſt, quia rex non ſolum eſt vocabulum facti, ſed et iuris. Rex erat Ludouicus Pius etiam regno iniuſte priuatus. Ergo et omnia, quae tamquam Rex egit, rata manent.

Hinc e. g. Carolus II. rex Britanniae, regno eiectus non poterat bellum mouere iis, quibuſcum pater foedus inierat. Et contra, qui patri defenſionem promiſerant, iam et pro filio bellum ſuſcipere tenebantur. Sed haec quidem in ſcholis vera

ſunt.

ſunt. Mundus aliter ſentit. Principibus regno priuatis idem accidit, quod plebeiis:

Donec eris felix multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

§. 18.

Reg. V. *foedus cum anteceſſore initum non tranſit ad ſucceſſorem iniuſtum.* Sic Cromwello nullum ius erat ex foederibus cum Carolo I. eiuſque anteceſſoribus initis. Rationes ſunt duae, 1. quia foedus initum cum principibus. Tales non ſunt inuaſores, ſed tyrannis poſſeſſionem habent, non ius.

2. Quia nemo poteſt duobus hoſtibus ſimul vno eodemque foedere obſtringi. Atqui foedus cum iuſtis anteceſſoribus initum etiam ad ſucceſſores iniuſte regno eiectos tranſire §. 17. demonſtratum eſt. Ergo non poteſt tranſire ad ſucceſſores iniuſtos. Abſurdum e. g. fuiſſet, ſi Belgae ex foedere cum Eliſabetha et Iacobo I. inito obſtricti fuiſſent et Carolo II. et Cromwello.

§. 19.

Subiungit Grotius quaeſtionem Chryſippi notiſſimam: *ſi quis ei qui prior ad metam peruenerit, praemium promiſerit, et vterque eodem momento eo perueniat, vtrum praemium nulli, an alterutri, an vtrique debeatur?*

Neutrum accipere iniuſtum eſt, nam ſic fruſtra laborem, ad quem ſine praemio non obſtricti erant, ſuſcepiſſent. Alterutri illud dari, aeque iniuſtum, quum ſint in pari cauſſa. Vtrique dari non poteſt, quia non duo, ſed vnum praemium promiſſum. Nemo autem tenetur plus praeſtare, quam promiſit.

Sed reſp. ſupereſt quartum, vt vterque accipiat, ſed vnum illum praemium, quod promiſſum. Id eſt, inter ſe illud diuidunt aequa lance, non quia fauorabilia ſunt virtutum praemia, quam rationem allegat Grotius, ſed quia ſupra diximus, ita interpretanda eſſe verba, vt effectum habeant.

§. 20.

Hactenus ergo ſatis deſtruximus regulam de fauorabilibus et odioſis, oſtendimuſque, poſſe pleraſque deciſiones, quas ex hoc *num. 15*

fundamento petiit Grotius, ex aliis regulis hermeneuticis deſumi. Iam pergimus ad partem capitis poſteriorem, et quia hactenus oſtenſum, quomodo ex ipſis verbis petenda ſit interpretatio: iam videbimus, quando ex ſola coniectura deſumenda ſit, quamuis ex verbis immediate hic ſenſus non fluat.

Secundum has coniecturas interpretatio diuiditur in *extendentem* et *coarctantem*, vel, vt alii loquuntur, in *extenſiuam* et *reſtrictiuam. Extenſiua* eſt, quando lex vel pactum profertur ad caſum, qui verbis ipſis non continetur. E. g. ſeptimum praeceptum eſt: *ne adulterium comittito*; an ideo licet ſtuprum comittere? octauum: *ne furtum comittito*; licetne ergo defraudare alterum? *Reſtrictiua*, quando caſus eximitur a lege vel pacto, quem verba videntur comprehendere. E. g. qui ſanguinem hominis fudit, eius ſanguis fundetur; an et chirurgi venam ſecantis?

An ergo id licet pro lubitu? an in cuiuſque arbitrio poſitum, vtrum extenſiua, an reſtrictiua interpretatione vti malit? Minime, ſed certo opus eſt fundamento, quod non aliud eſt, quam ratio legis vel pacti.

num. 2. Naſcitur inde regula: *quoties ratio legis vel pacti vnica latius patet, quam verba, toties locus eſt interpretationi extenſiuae.* Ratio enim eſt finis, quem legiſlator vel paciſcens intendit. Ei media debent eſſe proportionata. Ergo ita interpretanda, vt finem hunc adſequatur. E. g. nemo ſine laterna noctu prodeat in publicum. Prodeunt laterna inſtructi, ſed Vulcanum in cornu non gerunt, an incidunt in legem? Nemo frumentum exportato ad hoſtes. Ciuis exportat farinam, an impune id faciet?

num. 3. Sed ipſe auctor iam illuſtria quaedam exempla adfert. Lacedaemonii, ceu ex *Nepotis Themiſtocle* patet, Athenienſes prohibebant muris cingere vrbem: procul dubio ex pacto, ſiquidem alias ius nullum impediendi habuiſſent. Quid ſi Themiſtocles nouum muniendi modum per aggeres perſpectum habuiſſet, an eo ſaluo pacto potuiſſet vti? Minime.

Condidit aliquis teſtamentum, et Maeuium ſubſtituit poſtumo ſi moriatur. Poſtea ne naſcitur quidem: an Maeuius heres erit? Omnino, quia ratio diſponendi fuit, quod Maeuium vellet heredem eſſe, ſi ſuus non exſtaret.

num. 4. Supra iam habuimus caſum, quod Caecina adprehenſurus poſſeſ-

poſſeſſionem prohibebatur praedia adire, et quod, quum interdicto *vnde vi* vteretur, diſputatum fuerit: an ei locus ſit, quum verba interdicti haec ſint: *vnde tu deiectus es?* Caecina autem non fuerat deiectus, ſed non admiſſus.

Reſp. omnino locum eſſe interdicto, quia praetoris ratio et finis fuit prohibere omnem vim, quo quis ſuo iniuſte priuatur.

Athenis lex erat, patrem teſtari non poſſe inuitis liberis. Pyrrhus, filia inuita, non teſtamentum condiderat, ſed adoptauerat, quaeſtio erat, an in legem inciderit? idque recte adfirmat Iſaeus, quia legiſlatoris ratio fuit prohibere, ne liberi iniuſte exheredes eſſent.

§. 21.

Eodem pertinet quaeſtio GELLII *Noct. Attic. lib. I. cap. 13. An mandatarius mandatum poſſit adimplere per aequipollens?* E. g. iuſſit aliquis, vt pro ſe fideiubeam, ego mandaui creditori, vt crederet. Mandauit quis, vt actionem inſtituam ſuo nomine ad rem conſequendam, ego ſine actione rem redigo, vt res tradatur, an ratum habere debet dominus?

Reſp. reſpiciendum eſſe ad rationem mandati, ſi mandans finem ſuum conſequitur etiam per aequipollens, rem ratam habere tenetur: ſin aliud probabiliter intendit, locum non habet interpretatio extenſiua. In exemplis allatis finis mandantis prioris fuit, mutuum accipere, hunc finem adſequitur, ſiue fideiubeam, ſiue mandem: poſterioris finis erat, rem conſequi, eam conſequitur, ſiue actione vtar, ſiue vltro poſſeſſor reddat.

At ſi finis et ratio ſit diuerſa: tunc aliud ſtatuendum. E. g. mandaui, vt mihi quis emat Puffendorffium, mandatarius Grotium emit.

§. 22.

Iam ad interpretationem reſtrictiuam. Ei locus eſt vel ob defectum voluntatis §. 22. 25. vel ob repugnantiam caſus cum voluntate. §. 26. ſequ.

De priore regula I. eſt: *ſi ex interpretatione litterali ſequeretur abſurdum, tunc vtendum interpretatione reſtrictiua.* Nemo enim legem ferens vel paciſcens praeſumitur abſurda velle, alias

enim non eſſet ſanae mentis, adeoque nec legiſlator eſſe, nec paciſci poſſet, cet. Qui feram in ſilua principis occiderit, per triennium ad operas publicas condemnatur. Haec lex ſi porrigeretur ad eum, qui lupum vel aprum ſe adgredientem occidit, eſſet abſurda. Ergo opus interpretatione reſtrictiua.

§. 23.

Regula II. *quoties verba latius patent, quam ratio diſerte expreſſa, toties reſtrictiua opus eſt interpretatione.* Quia hactenus ſaepe turbae factae, nemo poſt XI. horam aedibus ſuis egreditor, qui egreditur, mulctabitur 100. florenis. Egreſſus aliquis eſt, vt medicum vocaret ad aegrotum, non mulctabitur, quia verba laxiora ſunt ratione adiecta.

§. 24.

Reg. III. *quoties aliunde conſtat de ratione legislatoris vel paciſcentis, toties ſecundum illam lex interpretanda reſtrictiue.* E. g. rex Pruſſiae inhibuit edicto peregrinationes Gallicanas. Finis regis fuit impedire, quo minus pecunia ex Germania in Galliam fruſtra et ſine fructu inferretur. Quis Pruſſicus a principe extero mittitur in Galliam ſumtibus principis: an in legem incidit?

§. 25.

num. 1. Reg. IIII. *vbi non actus, ſed potentia prohibita, ibi locum non habet reſtrictio.* E. g. pactum Romani inierant cum Carthaginienſibus, ne hi vltra certum promontorium claſſem ducere poſſent. Finis procul dubio fuit, ne bellum maritimum Romanis imparatis naſceretur. Iam fingamus, Carthaginienſes non nocendi animo, ſed exercendae turbae nauticae cauſſa claſſem eduxiſſe, an contra pactum egiſſe cenſendi erunt? Omnino: ipſa enim potentia illis adempta, non ſolus actus, vel, quod magis perſpicuum, voluerant Romani paciſcentes non ſolum bellum maritimum, ſed et eius periculum et ſuſpicionem hoc pacto excludere.

num. 2. Quaerit Grotius, *an promiſſa habeant in ſe tacitam conditionem, ſi res maneant, quo ſunt loco?* ICti pragmatici id vocant conditionem tacitam, vel clauſulam rebus ſic ſtantibus, de qua

qua elegans et erudita exſtat diſſertatio ICti eximii Henr. *de* Cocceii.

Negat id Grotius, niſi apertiſſime pateat, ſtatum illum vnicam fuiſſe cauſſam promittendi. Recte. Ergo diſtinguendum erit, an mutatio ſtatus rerum pertineat ad eſſentiam rei, de qua pactum initum, an non. Priore caſu promiſſum ob illam eſt irritum, poſteriore minime. E. g. virgo, cui iuuenis matrimonium promiſerat, morbo reddita eſt tam deformis, vt iam ab ea plane abhorreat, pactum ſponſalitium ergo nullum. Contra ſi puella iſta incendio facta fuerit pauperior, ſalua erunt ſponſalia.

§. 26.

Alterum interpretationis reſtrictiuae fundamentum eſt repugnantia caſus emergentis cum voluntate. Voluntas vero colligitur aut ex naturali ratione, §. 26. 27. aut ex aliis ſignis §. 28. ſequ. Naturalis ratio dicitur *aequitas*, quae eſt correctio eius, in quo lex deficit ob vniuerſalitatem. Sic lex mori iubebat filium Manlii coſ. abſente patre caſtris egreſſum, verba enim legis vniuerſalia erant: ſed aequitas id debuiſſet corrigere ob circumſtantias. num. 1.

Ergo aequitas maxime differt a diſpenſatione vel indulgentia. 1. Illa et iudici obſeruanda, haec a ſolo imperante conceditur; 2. illa nititur iure, haec gratia; 3. illa legem interpretatur, haec eius effectum ſuſpendit.

Quia autem datur etiam aequitas cerebrina, notandae ſunt regulae certae, ex certis deſumtae indiciis. num. 2.

Reg. I. *quoties ſi verbis inhaerendum eſſet, aliquid fieret contra naturalia et diuina praecepta, toties aequitas iubet adhiberi interpretationem reſtrictiuam.* Lex iubet depoſitum reddere: ſi furioſo gladium redderem, vt alteri mortem intentet, fieret aliquid contra legem diuinam. Ergo non reddendus.

§. 27.

Reg. II. *ſi ex litterali interpretatione non quidem illiciti quid, ſed tamen aliquid graue atque intolerabile ſequitur, aequitas iubet adhiberi interpretationem reſtrictiuam.* num. 1.

Ratio eſt, quia, quum natura humana a rebus huius modi grauibus et intolerabilibus abhorreat, non praeſumitur aliquis

ſe

ſe obligaſſe ad grauia et intolerabilia a ſe non praeuiſa. E. g. conductor in ſe recepit caſus fortuitos. Aedes terrae motu corruunt, fruges a locuſtis depaſcuntur, non cenſetur de his inſolitis cogitaſſe.

num. 2. Inde hoc conſectarium elicit Grotius, non quoque veram eſſe doctrinam Ciceronis, quod non ſint ſeruanda promiſſa iis, quibus promiſeris inutilia.

Aequitas enim locum habet, ſi caſus cum voluntate repugnat. Volui autem ego promittere, voluit alter promiſſum acceptare; adeoque nihil eſt, quod paciſcentium voluntati repugnet. Obiicitur, at promiſſum inutile alteri eſſe. Reſp. 1. id diiudicare non debet promittens, ſed alter, cui promiſſum eſt. Deinde 2. ſi vel maxime inutile ſit, non ſtatim eſt damnoſum, vti ſuperiore caſu, quo gladius depoſitus furioſo erat reddendus.

num. 3. Et ita facile intelligitur locus SENECAE *de benef. lib. IIII. cap.* 35. ab auctore allatus. Nam pleraque exempla a Seneca allata pertinent ad regulam 1. vel 2.

§. 28.

Diximus §. 26. *n.* 1. voluntatem colligi vel ex naturali ratione, quae dicitur aequitas, vel ex aliis ſignis. De priore dictum, iam de his quoque agendum.

Horum ſignorum certiſſimum eſt colliſio verborum, qualis hic non intelligitur contradictoria per ſe, qualis eſt in antinomiis, in pactis contrariis, ſed per accidens, et ex circumſtantiis, ſi caſus incidat, vt duae leges vel duo pacta in ſe non pugnantia ſimul ſeruari non poſſint. E. g. dicit lex, *ſabbathum eſſe ſanctificandum*, dicit, *defenſionem non omittendam*. Haec non ſunt contradictoria. Sed caſus incidere poteſt, vbi alterutra lex violanda, e. g. quum Pompeius Hieroſolyma obſideret.

Quaeritur itaque, *quae* tunc *lex*, *quod pactum alteri ſit praeferendum?* Grotius itaque certas regulas et hic commendat.

§. 29.

num. 1. Reg. I. *lex permiſſiua cedit praeceptiuae*. Ratio clara. Praeceptiua libertatem reſtringit; permiſſiua libertatem indulget. Ex prae-

praeceptiua ius naſcitur legiſlatori, ex permiſſiua ius naſcitur mihi. Ergo circa hanc poſſum iuri meo renunciare, circa illam non poſſum ius legiſlatoris violare.

Reg. II. *lex, quae certum tempus praeſcribit, praefertur ei, quae generatim aliquid praecipit.* E. g. dies ſabbathi celebrandus, laborandum. Ratio eſt, quia ſic vtrumque fieri poteſt.

Exceptus tamen eſt caſus, ſi obſeruata priore lege occaſio alteram ſeruandi elaberetur. E. g. Chriſtus ipſe permittit, vt ſabbatho aſinus e fouea extrahatur, vt aegroti curentur, cet.

Reg. III. *lex vel pactio vetans vincit iubentem.* Leges enim negatiuae obligant ſemper, leges adfirmatiuae tantum occaſione. Lex eſt, *ne furtum comitte*; lex quoque, *da eleemoſynas.* An poteſt quis furari, vt eleemoſynas dare poſſit? Minime.

Reg. IIII. *ſpecialis lex vel pactio generali praefertur.* E. g. Honora parentes, lex eſt ſpecialis. Aliorum commoda promoue, generalis. Quis dubitet, quin parentum maior habenda ſit ratio, quam aliorum?

Reg. V. *lex poenalis vincit imperfectam* (dicitur autem *lex imperfecta*, quae poenam adiunctam non habet, vid. VLP. *Fragm. tit.* I. item, *lex, quae maiorem poenam irrogat, vincit eam, quae minorem minatur.* Poena enim eſt malum phyſicum, quia eſt paſſio. Ex duobus malis phyſicis eſt minus eligendum. Exemplum habemus in *Nou. CXV.* ſi quis parentem detulerit vel accuſarit, poteſt exheredari: ſed non poteſt, ſi detulerit filius patrem ob crimen perduellionis, quia in hoc delicto et ſilentium ſupremo ſupplicio punitur.

Reg. VI. *lex vel pactio poſterior vincit priorem.* Lex enim et pactio poſterior priorem tollit.

Addit auctor reg. VII. *pactum iuratum praeferendum iniurato.* Sed id perſpicue falſum. Iuſiurandum enim nouam obligationem non producit. Immo eſſet hoc medium omnia pacta eludendi, ſi iuratum iniurato promiſcue praeferendum eſſet. E. g. Titius promiſit primum matrimonium Maeuiae ſine iureiurando, poſtea Semproniae iurato. An poſteriora ſponſalia praeferenda? Sic ſemper licebit priora eludere, cet. num. 2.

Dicendum ergo, in dubio poſterius pactum tollere prius, ſi inter eoſdem initum ſit: prius vincere poſterius, ſi inter perſonas diuerſas, ſiue iurata, ſiue iniurata ſint. Ratio eſt, quia ex priore pacto alteri ius quaeſitum eſt, quod ipſi auferri poſteriore pacto cum alio inito nequit.

§. 30.

Subiungit auctor aliquot quaeſtiones leuiores, velut 1. *an in dubio contractus perfectus ſit, antequam ſcriptura fuerit confecta?*

Reſp. auctor, contractum ſubſiſtere ſine ſcriptura, adeoque hanc ad eius eſſentiam non pertinere. Et id verum.

Sed addenda limitatio, modo conſuetudo non inoleuerit plane contraria. Sic e. g. in Germania nulla fit emtio venditio rerum immobilium ſine inſtrumento iudiciali; inter res publicas et principes nullum foedus initur ſine inſtrumento. Hoc ſemel recepto, omnino praeſumitur pactum nondum perfectum, antequam ſcriptura confecta et tradita ſit, quod inter principes vocatur *permutatio inſtrumentorum.*

§. 31.

2. *An contractus gentium, quantum licet, interpretandi ſint ex iure Romano?* Id recte negatur. Non viuimus tempore Bartoli et Baldi, qui ex iure Romano probare conabantur, imperatorem eſſe dominum mundi. Ius Romanum obligat priuatos, quatenus receptum, non principes. Obligat eos, qui viuunt in eadem re publica, non qui in ſtatu naturali.

§. 32.

3. *An accipientis verba potius attendenda ſint, an offerentis?* Reſp. aut alter abſolute acceptat, quod promiſſum, aut cum reſtrictione. Si prius, quaeſtioni non eſt locus, quia conſentiunt paciſcentes in vnum placitum. Poſteriore caſu non poteſt reſpici ad verba acceptantis, niſi offerens conſenſerit. E. g. offero tibi 100. tu acceptas. Offero centum, alter dicit, ſe mille deſiderare. Hic ex oblatione mea nec centum, nec mille debeo, niſi in poſterius conſentiam. Non centum debeo, quia alter non acceptauit, nec mille, quia non promiſi. Ergo nihil debeo.

CAPVT

CAPVT XVII.

DE DAMNO PER INIVRIAM DATO, ET OBLIGATIONE, QVAE INDE ORITVR.

§. 1.

EGimus hactenus de obligationibus. Obligationes naſcuntur aut ex pactione, aut ex delicto, aut immediate ex lege, e. g. quod promiſi, id debeo ex pacto; ſi damnum dedi, id reſarcire teneor ex delicto; denique, quod pater liberis debet alimenta, id nec ex pacto, nec ex delicto, ſed immediate ex lege eſt. Hucuſque de pactionibus actum, iam de delictis.

Delictum vel maleficium Grotius definit culpam omnem, ſiue in faciendo, ſiue in non faciendo pugnantem cum eo, quod aut homines communiter, aut pro ratione certae qualitatis facere debent. Sed magis perſpicue definiri poteſt, quod ſit factum illicitum aduerſus legem dolo vel culpa admiſſum. Dicimus *factum*, quod vocabulum et non factum comprehendit. Dicimus *illicitum aduerſus legem admiſſum*: dantur enim etiam illicita aduerſus honeſtatem vel decorum admiſſa, e. g. immodeſtia, auaritia, ſuperbia, ſed ea non ſunt delicta, quamuis vitia ſint. Addimus, *dolo vel culpa*: ſi doloſe aduerſus legem agitur, eſt delictum verum: ſin culpa, quaſi delictum. Tale delictum etiam eſt *damnum iniuria datum*, de quo hoc capite dicimus, 1. *quid ſit?* §. 2--5. *qui illud dent?* §. 6--11. *quomodo reſarciendum?* §. 12--*fin.*

§. 2.

Primo quaeritur, *quid ſit damnum?* Recte obſeruat Grotius, *num.* 1. id a *demendo* dictum eſſe. Quoties ergo demitur aliquid de eo, quod noſtrum eſt, toties infertur damnum.

Noſtrum aliquid dicitur vel *natura*, e. g. vita, ſanitas, membra, pudicitia, fama; vel *facto* et inſtituto humano, e. g. bona, iura. Qui alterutrum ex his ſurripit, demit, corrumpit, is damnum nobis facit.

num. 2. Quum autem et iura referantur ad ea, quae noſtra ſunt: aliqua autem iura nobis naſcantur ex iuſto, quae ſupra Grotius *lib. I. cap.* 1. vocauit *facultatem*, alia ex honeſto tantum et decoro, quae Grotio dicuntur *aptitudo*: quaeritur, *quaenam hic intelligantur, dum et imminutionem iurium damnum eſſe dicimus?* Et recte reſpondet Grotius, ſola iura ex regula iuſti profecta. Hinc qui furatur, qui vulnerat, qui vim infert, is dat damnum, non vero damnum fert qui ſtipem petens nihil impetrat, nec qui ignem petens repulſam patitur.

Ratio eſt, quia iura imperfecta re vera noſtra non ſunt aliter, niſi quatenus alter velit: dependet eorum praeſtatio ab alieno arbitrio. E. g. debitum exigere poſſum, nec in debitoris arbitrio eſt, an id praeſtare velit: ergo hoc ius reuera meum eſt. Contra pauper ſtipem petit, ſed non, niſi ea conditione, ſi alter dare velit. Quod vero ab alterius arbitrio pendet, re vera non noſtrum eſt. Ergo nec damnum datur, ſi huius modi imperfecta iura nobis denegantur.

§. 3.

Obſeruat tamen Grotius, aliquando concurrere aptitudinem et facultatem, ſeu, quod perinde eſt, ius imperfectum et perfectum: id eſt, quod ex altera parte eſt ius imperfectum, id ex altera parte et alterius perſona perfectum eſt. Id toties fit, quoties lex praeceptiua poenalis acceſſerit: lex enim ſaepe ex officiis imperfectis facit perfecta. E. g. ius imperfectum eſt, petere honores. Hinc ſi repulſam feram, damnum id vocare nequeo, quamuis ad hoc officium aptiſſimus videar. Ergo ex mea perſona hoc ius eſt imperfectum. Contra magiſtratus, qui eligunt, lege praeceptiua tenentur: Ergo ex eorum perſona eſt obligatio perfecta.

Saepe etiam fit, vt accipere ſit iuris imperfecti, petere iuris perfecti, adeoque non is damnum det, qui rem petitam denegat, ſed qui petere prohibet. E. g. Romae plures ſaepe Candidati petebant honores. Qui repulſam tulerant, conqueri de damno ſibi dato non poterant. At ſi quis ciuem honeſtum prohibuiſſet honores petere, is omnino damnum dediſſet iniuria.

§. 4.

Quum autem noſtra ſit primo res principalis, deinde eiuſdem

dem acceſſoria, nempe *fructus*: quaeritur, *an et ad illos damnum ſe porrigat?* Idque recte adfirmat Grotius. Fructus enim rei noſtrae aeque iure perfecto noſtri ſunt, ac ipſa res principalis. Ergo qui eos nobis intercipit, aeque id, quod noſtrum eſt, deminuit, ac qui rem principalem corrumpit, e. g. qui agrum ſibi retinet, fructus, quos ex eo agro percipere dominus potuiſſet, intercipit, adeoque dedit damnum.

Quia tamen nec nos fructus rei noſtrae percepiſſemus ſine impenſis quibuſdam, nos autem non lucrum captare, ſed damnum vitare debeamus: hinc ſequitur, vt fructuum reſtitutionem petere non aliter poſſimus, ac deductis expenſis.

§. 5.

Quaeritur, *an et ſpes hic in cenſum veniat?* Reſp. non omne, quod ſperamus, noſtrum eſt, et recte Iuſtinianus noſter: *ſaepe de facultatibus ſuis amplius, quam in iis eſt, ſperant homines.* Ergo diſtinguendum erit inter *ſpem effectus ordinarii* et *extraordinarii.* Illius omnino habetur ratio in aeſtimando damno: huius non habetur. Deinde et ſpes effectus ordinarii vel *proxima* eſt, vel *remotior.* Illa magis in cenſum venit, quam haec. E. g. qui ſementem fecit, ſperat meſſem, haec ſpes eſt effectus ordinarii. Ergo qui fruges immaturos corrupit, tenetur damnum reſarcire. At omnes, qui nauigant in Indiam, lucrum ſperant et diuitias. Hic extraordinarius nauigationis effectus eſt. Fingamus porro, nauem in Indiam profectam non procul a portu a pirata interceptam, mercatorem autem petere lucrum immenſum, quod ex hac nauigatione ſperauit: vix eius ratio habebitur, quia ſpes haec admodum remota erat. Fingamus contra, nauem ex India reuerſam immenſas diuitias attuliſſe, et non procul a portu interceptam: hic erat ſpes lucro potiundi proxima. Ergo eius ratio omnino habebitur a iudice.

§. 6.

Secunda pars capitis inquirit, *quinam damnum dediſſe, et ex eo ad reſtitutionem obligari dicantur? Cauſſae*, ceu ex philoſophia notum, ſunt vel *phyſicae*, vel *morales. Phyſicae* ſunt, quae ad effectum concurrunt motu phyſico, e. g. membra ſua adplicando ad furtum aliquod producendum, e. g. fur, qui ipſe rem alie-

nam ſubtraxit. Cauſſae *morales* dicuntur, quae mente tantum, non motu phyſico ad effectum concurrunt, e. g. ii, quorum ope et conſilio furtum factum. Priores obligari, nemo dubitat: iam de poſterioribus quaeritur.

Hi concurrunt aut faciendo, aut non faciendo, e. g. furibus opem tulerunt, faciendo concurrunt; qui ſciuerunt, alterum furtum facturum, idque non impediuerunt, quum poſſent ac deberent, non faciendo concurrunt.

Faciendo alii *primario*, alii *ſecundario* obligantur ad reſarciendum damnum. De illis regula eſt: *qui iubet, vel conſenſum requiſitum adhibet, vel adiuuat, vel receptum dat, vel qui alio modo de crimine participat, ex damno dato primario tenetur.* E. g. aſſaſſinator, qui ſicarios conducit, pater, qui iubet filium furari, occidere, latronum et furum ſocii, cet.

§. 7.

De his regula II. eſt: *qui conſilium dat vel laudat, et oſtentatur, ſecundario tenetur.* Conſilium enim non eſt obligatorium.

Sed de hac regula notandum, 1. eam pertinere non ad conſilium generale, ſed ſpeciale, quod ſimul circumſtantias praemonſtrat. Qui generale ſuggerit, poena quidem dignus eſt, ſed ad reſarciendum damnum non tenetur. E. g. qui alii ſuaſit, vt furetur, non praemonſtrato loco, vbi furtum commode committi poſſit.

2. Laudem praecedere debere nouum factum, non ſequi. Ita enim ad factum non concurrit. Inde ergo adparet, quid ſentiendum de Aeſopi facto, qui lapide a puero percuſſus, puerum laudauit et aſſem dedit, ſpondens alium plus daturum.

§. 8.

Non faciendo iterum aut primario quis concurrit, aut ſecundario. De illis obſeruanda regula III. *qui prohibere iure perfecto debet et poteſt, idque non facit, merito ad reſarciendum damnum tenetur.* E. g. pater, paedagogus, cet.

Vnde id non pertinet ad eum, qui iure perfecto non tenetur, e. g. vicinus videt fures ingredi in vicini aedes, nec clamat. Inhumanus eſt, ſed damnum non reſarcit.

§. 9.

§. 9.

De his tenenda regula IIII. *qui non diſſuadet, aut reticet, is ſecundario tenetur.*

Sed hic denuo reſpicitur ad obligationem perfectam. Nam e. g. concionator aulicus, conſiliarii, miniſtri primario iure perfecto obligantur diſſuadere principi facta illicita, at non pediſſequi, ſubditi, cet.

Ita et iure perfecto non teneor alterum delinquentem deferre vel accuſare: at in crimine maieſtatis vnuſquiſque tenetur, vbi et ſilentium punitur.

§. 10.

Quamuis itaque certum ſit, etiam cauſſam moralem teneri ad reſtitutionem damni: regulae tamen hactenus allatae admittunt limitationem, modo cauſſa moralis vere momentum attulerit ad effectum hunc producendum. Hinc non tenetur,

1. Qui tantum occaſionem dederunt inſcii, niſi magna concurrat negligentia. E. g. pater iter inſtituit, filia interea ſtuprum patitur, patre inſcio et nolente. Si tamen ſine cuſtode reliquerit filiam iuuenculam et laſciuam, excuſari nequit. Elegans exemplum eſt in lege Moſaica, quod qui planum tectum fecerint in aedibus ſuis, idque non cinxerint clathris, et aliquis inde cadat, reus eſſe debeat.

2. Qui calcar addidere currentibus, id eſt, non obſcure probarunt facinus, quod committere alter certo decreuerit. E. g. Titius audit, Maeuium vulnerare decreuiſſe Sempronium, id factum probat. Hic ſane poena dignus: ſed non tenetur ad reſtitutionem, quia feciſſet Maeuius, etiamſi conſenſus Titii non acceſſiſſet.

§. 11.

Quamuis etiam cauſſa moralis aeque obligata ſit, ac phyſica: non tamen illa eodem modo tenetur ſemper, ſed inter reos ratione reſtitutionis certus ordo obſeruatur. Nam

1. Si reus in alterius poteſtate ſit, is, cuius imperio facinus admiſſum eſt, tenetur, e. g. pater, dominus, cet.

2. Deinde cauſſa phyſica ita, ut ſi non habet in aere, luat in corpore. Hinc

3. Reliqui, qui conſilium dederunt, laudarunt, non prohibuerunt, cet.

Singuli

Singuli tenentur in ſolidum, inquit auctor, et vno ſoluente reliqui liberantur, (quod in poena ſecus ſe habet,). Sed id tantum verum eſt de actibus indiuiduis, vbi non conſtat, quantum quiſque ad effectum contulerit: ſi autem diuiduum eſt factum, quiſque tenetur pro rata. E. g. tres Titium adgreſſi, vnus vulnus inflixit in capite, alter in brachio, tertius tantum percuſſit baculo. Si de ſoſtro quaeſtio eſt, ſinguli pro rata tenentur.

§. 12.

Sequitur tertia pars de modo reſarciendi damnum. Vbi 1. quaeritur, *vtrum quis tantum de effectu delicti proximo, an etiam de remotiore teneatur?* Reſp. de vtroque. Nam qui deliquit, vtriuſque effectus cauſſa eſt. Philoſophi quidam vocant cauſſam ſine qua non. Exempla bina attulit Grotius, priuatum alterum, alterum publicum. Quidam vicini platanum incenderat, ex ea domus arſerat. Etiam hoc damnum tenebatur reſarcire. Ita et Ariarathes exitum Melani, amni obſtruxerat, vt regionem faceret inſulam: ſed inundatione magna Galatiae et Phrygiae pars periit. Tenebatur Galatis et Phrygibus ad reſtitutionem.

Exceptionem tamen patitur regula, ſi actus in ſe non illicitus eſt, ſed permiſſus. Tunc enim qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam. E. g. qui fontem in ſuo fodit, non tenetur vicino, licet venam aquae vicini inciderit.

§. 13.

Exemplo porro homicidii id declarat auctor. Homicida occiſo vitam reddere nequit, nec ea recipit aeſtimationem. Sed tamen tenetur ad reſarcienda damna, quae inde ad defuncti familiam redundarunt. Hinc ſoluit impenſas in curationem factas, ſoluit alimenta familiae, impenſas funeris.

Sed alimentorum hodie raro habetur ratio. In Saxonia ſoluitur pro illis agnatis defuncti pecunia, quae vocatur wergeldum, eſtque 40. florenorum.

§. 14.

Ad quid tenetur, qui non occidit, ſed mutilauit, vel vulnerauit? Reſp. ex eodem fundamento §. 12. explicato, teneri eum ad omne damnum, cui occaſionem dedit. Hinc et ipſe ſoluit impen-

impenſas curationis, reſtituit id, quod lucrari potuiſſet, niſi ex vulnere decubuiſſet.

Quin et, ſi in poſterum ob mutilationem alimentis carere debet vulneratus, horum quoque habetur ratio.

§. 15.

Ad quid tenetur adulter? Reſp. auctor eum 1. indemnem praeſtare maritum ab alenda prole. 2. eumdem liberis reliquis teneri ad reſarciendum damnum, quod patiantur ob concurſum prolis adulterinae ad hereditatem.

Sed Grotius hic non ſatis adcurate ſequutus eſt Lessivm, Ieſuitam. Deciſio enim haec abſona eſt. Aut conſtat, prolem eſſe adulterinam, e. g. ſi maritus per aliquot annos abſens fuerit, aut dubium eſt, vtrum ex patre, an ex adultero ſuſcepta ſit. Priore caſu maritus alienae proli nec alimenta debet, nec hereditatem: poſteriore caſu non tenetur adulter prolem alere, pro qua militat praeſumtio, non eſſe legitimam.

Certius eſt, ſtupratorem aut dotare debere mulierem, aut ducere, quin et ad praeſtanda alimenta obſtrictum eſſe, quia hac in re damnum intulit ſtupratae.

§. 16.

Quid fur praeſtat? Rem cum acceſſione, reſtituit damnum, et praeſtat lucrum ceſſans.

Neſcio autem, cur Grotius cum Leſſio exiſtimet, furem, ſi res perierit, debere aeſtimationem non infimam, nec ſummam, ſed mediam. Id enim locum habet in contractibus, ſi res apud alterum perierit ſola culpa. At hic de delicto quaeritur, quod fauorem non meretur, adeoque iuſtiſſimum eſt, vt ex fundamento §. 12. omne damnum, adeoque et ſummam aeſtimationem praeſtet.

§. 17. 18.

Pergit auctor ad dolum et vim. *Quid praeſtat, qui dolo aut vi promiſſioni dedit cauſſam?* Reſp. aut iam praeſtitum eſt, quod hoc modo promiſſum, aut nondum praeſtitum. Priore caſu reddi oportet cum fructibus: poſteriore promittens reſtituendus in integrum, et ab obligatione abſoluendus. Plus enim damni non datum eſt.

Exceptio tamen eſt, ſi quis ipſe cauſſam dedit, cur vim pateretur. Tunc enim vis non eſt iniuſta, e. g. ſi debitor moroſus cauſſam dedit magiſtratui illum cogendi.

§. 19.

2. Quum et bellum iure gentium pro vi iniuſta habeatur: quaeritur, *an et hic alter alteri teneatur ad reſarcienda damna, ſi appareat, eum bellum iniuſtum geſſiſſe?*

Reſp. *iuſtitia belli* vel *interna* eſt, quae ex cauſſa iudicatur; iuſta enim belli cauſſa facit iuſtum bellum, vel *externa*, quae ex perſonis et modo iudicatur. Tunc principes et res publicae gerunt bellum iuſtum, priuati, ſubditi, latrones, iniuſtum. Iuſtitia interna occultior eſt: externa in oculos incurrit.

Quia ergo de occultis difficulter iudicatur, et neutra pars fateri ſolet, ſe bellum iniuſtum geſſiſſe: hinc reſpicitur tantum ad iuſtitiam externam, adeoque regula eſt: *qui bellum iuſtum gerit* (in ſenſu poſteriore), *is alteri non tenetur ad damna reſarcienda: qui iniuſtum, tenetur*, vt rebelles, piratae, cet.

§. 20.

Num. 1. 2. 3. Qu. *an et imperantes teneantur ex damno per ſubditos dato?* E. g. ſi principis cuiuſdam ſubditi latrocinia egerint.

Reſp. diſtinguendum, an imperantes et magiſtratus ea media adhibeant, quibus vti ſolemus ad haec impedienda. Tunc non tenentur. Secus ſi latronibus et piratis parcant, eoſque non diligenter perſequantur.

4. *An tunc imperantes teneantur, ſi tempore belli codicillos dederunt priuatis, vt hoſtium naues intercipiant, hi vero amicorum vel ſociorum naues adgreſſi ſint?*

Reſp. tenentur ad puniendos noxios, ad aliud non tenentur. Sin aufugerint bona eorum noxae dantur. Sufficit enim, quod mandatum plane contrarium dederint.

Id quod Grotius illuſtrat exemplo militiae terreſtris, quae ſi iniuſſu ducum damnum dedit, non obligat duces.

Obiicitur, at vſos eſſe rectores opera malorum hominum, et ex ea cauſſa patremfamilias ex facto ſeruorum et ancillarum teneri. Reſp. in familia facilius fieri poſſe ſelectum hominum, quam in exercitu vel nautico vel terreſtri, vbi inſignis multitudo requiritur.

§. 21.

§. 21.

Quaeritur, *an ex iure naturae ſit noxae datio ſerui vel pecudis?* Pufendorffius affirmat: Grotius rectius negat, eamque ex iure ciuili oriri obſeruat. Dominus enim qui in culpa non eſt, natura ad nihil tenetur, pecus quoque quum delinquere nequeat, ad reſtitutionem adigi non poteſt. Sed legiſlatores eam actionem dederunt, ne plane indemnes eſſent laeſi.

§. 22.

5. Vltima quaeſtio eſt, *quomodo reſarcienda damna honori vel aeſtimationi illata?* Sane exiſtimatio et fama ſunt res inaeſtimabiles, et hinc ſufficere videtur, vt alter puniatur. Sed recte reſpondet Grotius, in omni delicto concurrere vitioſitatem actus, et damnum datum: illam poena, hoc reſtitutione expiari. Ergo non ſufficit puniri, qui iniuriam intulit, ſed et reſtitutionem debet. Ea conſiſtit,

In culpae confeſſione, et declaratione honoris, vel teſtimonio innocentiae.

2. In aeſtimatione pecuniaria, ſi eam inſtituere velit actor. Quamuis enim exiſtimatio non ſit in commercio: ſufficit tamen, quod alter adſeueret, ſe malle carere tanta pecuniae ſumma, quam hanc ignominiam pati.

3. Immo ſi iniuria damnum illi aliud intulerit, id quoque reſarciendum. E. g. ſi in Germania opifici iniuriam paſſo a collegis exercitium interdicatur opificii.

CAP. XVIII.

DE LEGATIONVM IVRE.

§. 1.

SAepe monuimus, auctorem noſtrum magnam differentiam ſtatuere inter ius naturae et ius gentium, quorum illud ex ratione, hoc poſitiuum eſſe ſtatuit. Ad ius gentium etiam refert ius legationum et ius ſepulturae, de quibus agitur duobus

capitibus ſequentibus. Quia enim hactenus oſtendit, quid iure naturae nobis debeatur : docere etiam voluit, quid debeatur ex iure gentium. Iam ſaepe monuimus, non dari ius gentium a iure naturali diuerſum, et hinc etiam haec ratio ordinis et connexionis ceſſat : tamen ſequendus eſt auctor, dicendumque hoc capite de iure legationum.

Quaeritur autem primo, *an ius legationum ex iure gentium ſit?* Adfirmat auctor, et prouocat ſuo more ad veterum quorumdam teſtimonia, qui legatorum ſanctimoniam ad ius gentium referunt. Sed facile demonſtratur, legatorum iura ex ipſo iure naturae eſſe.

Iuris naturae eſt, vnumquemque poſſe negotium per alium explicare : ergo et idem ius competit rei publicae, et eius rectoribus.

Iuris naturalis eſt, belligerantes pacem facere, idque quum fieri non poſſit ſine internunciis, internuncii autem futuri non ſint ſine inuiolabilitate. Ergo ius naturae iubet legatos eſſe inuiolabiles.

Nihil ergo hic poſitiuum eſt, praeter ritus quoſdam et priuilegia, in legatis recipiendis, dimittendiſque obſeruari ſolita. Sed ritus non pertinent ad ius, ſed ad decorum, vnde et mutari poſſunt pro gentium arbitrio.

Videbimus 1. *ius mittendi recipiendique legatos*, §. 2. 3. 2. *inuiolabilitatem eorum*. §. 4. *fin.*

§. 2.

num. 1. Quaeritur itaque, quod ad priorem partem attinet, *quis habeat ius legatos mittendi?* Reſp. is, qui capax eſt ſummi imperii.

Fluit id enim ex ipſa definitione. Legatus eſt perſona miſſa ad rem publicam vel principem exterum, vt negotia principis vel rei publicae ſuae expediat. Haec vero definitio non quadrat aliis, niſi vel a principe vel a re publica miſſis ad alium principem vel rem publicam.

Solent quidem et alias publico nomine quidam mitti, vel a principe ſeu re publica ad ſubditos, vel a ſubditis ad ſummos imperantes ſeu rem publicam: ſed 1. hi nomine ab illis differunt, nam priores dicuntur *commiſſarii*, poſteriores *delegati* vel *deputa-*

deputati. 2. Differunt et re ipſa. Nam illis ex iure naturae debetur inuiolabilitas : his non ſemper debetur. 3. Illorum controuerſiae deciduntur ex iure naturae, horum ex iure ciuili, nempe ex *tit. Digeſtorum de legationibus*.

Pro capacibus ſummi imperii habentur etiam foederati inaequales. Foederati enim, licet praerogatiuam agnoſcant alterius rei publicae, tamen ſunt liberae ſocietates, quamdiu non ſunt ſubditi. Hinc e. g. Valeſii et Griſones recte mittunt legatos, quamuis ſint foederati Heluetiorum inaequales. Et Carthaginienſes olim iure legationum gaudebant, quamuis iniquiſſimum foedus illis Romani extorſiſſent. Idem hodie dicendum de Algirienſibus, Tunetanis, Tripolitanis. *num.* 2.

Aliud dicendum de regibus victis et exutis regno. Hi enim ad victores legatos non mittunt, niſi data fide publica. Exemplum Perſei ipſe Grotius adducit.

Idem obtinet in bello ciuili. Tunc enim neutra pars bellum gerens eſt ſocietas libera, adeoque nec ius legationum habet, ſiue ciues inter ſe bellum gerant, ſiue cum principe. *num.* 3.

Attamen id exceptionem patitur 1. ratione tertii, ſi cauſſa ſit dubia. Sic e. g. quum Belgae foederati ab Hiſpanis defeciſſent, ordines legatos mittebant ad Henricum IIII. regem Franciae, qui paullo ante pacem cum Hiſpanis inierat. Legatus Hiſpanicus caelum et terram mouebat Pariſiis, ne rebellium, vt vocabat, internuncii iure legationis vterentur. Sed Henricus IIII. recte reſpondebat, ratione Gallorum Belgas eſſe ſocietatem liberam, nec Hiſpanum ſibi leges praeſcribere poſſe, quorum legatos admittere debeat.

2. Ex neceſſitate. Bellum enim ciuile debet pace demum finiri. Ea coaleſcere nequit, niſi ope legatorum. Ergo admittendi et eorum internuncii, qui bellum ciuile gerunt, data fide publica, et ſaluo vtriusque iure. Sic Caeſar Hungarorum ſub Ragotzio rebellantium legatos, ſaluo iure ſuo, et data fide publica, admiſit.

§. 3.

Quaeſtio altera eſt de admittendis legatis, *an omnes teneamur legatos extraneorum principum vel rerum publicarum admittere?* Sunt, qui generatim dicunt, admittendos eſſe legatos promiſcue. Alii cum Grotio rectius diſtinguunt. *num.* 1.

Promiſcue omnes non admittendos eſſe, vel inde patet; quia ex decoro tantum fluit haec obligatio. Nam e. g. decorum requirit, vt amicum me ſalutaturum admittam: ſed ſi tamen vel nolim, vel non poſſim eumdem admittere, non ideo iniuſtus ſum. Ita et de legatis ex decoro fluit regula: *legati admittendi, nec temere reiiciendi ſunt.*

Sed ſi ob iuſtam cauſſam nolim, vel non poſſim admittere; eo ipſo peccaſſe non dicor contra iuſtitiam. Sunt autem iuſtae cauſſae reiiciendi legatos vel ob perſonas mittentes, vel ob perſonas miſſas, vel ob cauſſam, propter quam mittuntur.

num. 2. 1. Ob perſonas mittentes ceſſat hoc officium, ſi princeps vel res publica mittens legatos hoſtili in nos animo ſit. Hoſti enim nihil debemus officii, qua hoſti. Hinc ſi hoſtis pacis cauſſa mittit legatos, hi non gaudent inuiolabilitate, niſi data fuerit fides publica. Et, ſi nolimus eos amplius nobiſcum manere, ſtatim poſſumus remittere. Exemplum luculentum eſt in hiſtoria Belgica. Albertus Auſtriacus rogabat ordines, vt legati ſui reciperentur, conditiones pacis oblaturi. Ordines diu negabant: denique data fide publica, Hagam proficiſcebatur Spinola, et alii. Quum adpareret, legatos non pacem velle, ſed corrumpere conari rei publicae miniſtros, iuſſerunt eos intra breue tempus domum redire.

2. Ob perſonas miſſas. De pace tractabatur Coloniae. Imperator promiſerat, ſe Galli legatos ſuſcepturum. Mittebat rex Galliae Fürſtenbergium, principem rebellem et transfugam. Imperator illum captum Viennam abduci iubebat. Et ſane non teneor quemcumque admittere, ſed eum, qui mihi non ſuſpectus ſit.

3. Ob cauſſam, propter quam mittuntur. E. g. ſi adpareat, legatos vel ſpeculandi cauſſa adeſſe, vel turbas concitare velle in re publica, vel aliquid ambire, quod praeſtari nequeat. Hinc a Proteſtantibus non admittuntur nuncii pontificis.

§. 4.

num. 1. Sequitur iam altera pars de legatorum inuiolabilitate. Ea inuiolabilitas partim ad perſonas legatorum, partim ad eorum bona pertinet et comites.

1. Quod ad perſonas attinet, de iis maxime diſſentiunt doctores, quia id ius ex iure gentium explicare conantur, id eſt,

ex

ex iure a iure naturae diuerſo, cuius tamen nulla fundamenta certa ſunt.

Videbimus ergo 1. ipſum diſſenſum doctorum, 2. quomodo Grotius illud componat, 3. quid ex veris ac genuinis iuris naturae principiis de hac quaeſtione ſentiendum ſit?

Doctores quidam 1. inuiolabilitatem legatorum reſtringunt ad vim iniuſtam, e. g. vt ſpoliari, vel iniuriis adfici nequeant. Et ſic nihil praecipuum habent legati prae aliis hominibus in re publica noſtra viuentibus.

2. Alii vim etiam iuſtam negant inferri poſſe legatis, niſi vbi ius gentium violent, e. g. coniurationes et rebellionem in re publica fouendo.

3. Alii generatim contra omnem vim muniunt legatorum perſonas.

2. Quid ergo Grotius? Dicit, quaeſtionem difficilem eſſe, quae in partem vtramque diſputari poſſit. Pro prima et ſecunda ſententia pugnare, quod delicta non debeant manere impunita. Pro tertia, quod legationum vtilitas hunc fauorem mereatur, vt perſonae legatorum ſint inuiolabiles. Ergo nihil ſupereſſe ait, quam, vt videamus, in quam inuiolabilitatem legatorum gentes conſenſerint, idque non ex exemplis, ſed tum ex ſapientum iudiciis, tum per coniecturas eſſe iudicandum. *num.* 2.

Enimuero 1. ſi tam incertum hoc ius eſt, et de eo in vtramque partem poteſt diſputari: ius gentium dici poteſt obſcuriſſimum, quum tamen et barbaris gentibus liquido conſtare debeat, ad quid obligentur.

2. Vt exempla non probant ius gentium, ita nec ſapientum iudicia. Per ſapientes enim Grotius intelligit eruditos. Atqui eruditos ipſos diſſentire, iam *n.* 1. *huius paragraphi* vidimus.

3. Per coniecturas probare ius, perinde eſt, ac dicere, ius eſſe incertum. Ergo nemo punietur, qui legatos violauit.

Videbimus tamen ſapientum iudicia, quibus vtitur. *num.* 3.

Alterum eſt Livii *Hiſtor. lib. II. cap.* 4. vbi Tarquinii legatis, coniurationem in vrbe fouentibus, pepercisse dicuntur Romani, adeoque plus valuiſſe ius gentium, quam legatorum improbitas.

2. Sallvstivs *de bello Iugurth. cap.* 39. refert, Bomilcarem, qui Iugurthae legatos comitatus erat, reum factum, magis

gis ex aequo bonoque, (id eſt, magis bono et vtili exemplo), quam iure gentium.

Exinde ſequitur, vt ſapientes exiſtimarint, legatos non violandos, etiamſi peccaſſe cenſeantur. Sed reſpondebunt alii, 1. ſapientum iudicia non facere ius, 2. a Liuii et Salluſtii auctoritate ad conſenſum omnium ſapientum non valere argumentum.

num. 4. Iam ad coniecturas. 1. Inuiolabilitas legatorum, inquit Grotius, eſt priuilegium. Priuilegium aliquid tribuere debet praeter ius commune. At nihil tribueret, ſi vis tantum iniuſta abeſſe a legatis iuberetur, (ea enim abeſſe debet ab omnibus hominibus. Ergo et vis iuſta ab iis abeſſe debet.

2. Vbi duo mala ſunt rei publicae, ibi eligendum eſt minus. Iam malum quidem eſt, delictum impune committi, ſed multo peius violare legatorum perſonas, quarum cauſſa bellum excitari facillime poſſet. Ergo minus malum eligendum.

3. Si concederetur vis iuſta contra legatos, numquam defuturus eſſet praetextus legatos violandi, quum plerumque conſilia rei publicae noſtrae aduerſa ex officio agitent.

num. 5. 4. Legatus repraeſentat perſonam imperantis et rei publicae, a quibus mittitur. Ergo non eſſe in re publica noſtra fingitur, quamuis in ea ſit. Ergo nec ob delicta puniendus.

Ergo inde colligit Grotius, 1. vim iuſtam abeſſe debere a legatis, aeque ac iniuſtam, 2. delicta eorum leuia diſſimulanda eſſe, 3. ob grauiora finibus exeſſe iuberi legatos, 4. ob atrociſſima ad eum, qui miſit, mittendos eſſe.

num. 6. Obſeruat porro Grotius, hanc quoque legem admittere exceptionem 1. neceſſitatis, quae plane non habet legem. Id eſt, ſi coniuratio gliſcat, et extremum inde periculum immineat rei publicae, non quidem violari poſſunt legati, ſed tamen cuſtodiri, interrogari, immo et litterae eorum intercipi. Exemplum legatorum Tarquinii adduxit Grotius. Addi poſſunt alia. Sic Cicero legatos Allobrogum in via publica intercipi, et Romam reduci iuſſit, quia litteras Catilinae ad Allobroges ferebant, ex quibus tota coniuratio pateſcere poſſit. Recentiſſimum exemplum eſt Goerzii in Belgio, et legati Suecici in Britannia cuſtoditorum.

num. 7. 2. Grotius recte addit, admittendam quoque eſſe 2. exceptionem hoſtilitatis. Contra hoſtem enim omnia licita ſunt. Hinc

ſi hoſti-

ſi hoſtilia moliatur legatus; e. g. vrbem vel portum noſtrum intercipere audeat, tunc et occidi poterit, non tamquam legatus, ſed tamquam hoſtis.

Ita ergo Grotius theſin ſuam probat per coniecturas. Sed clarius probari poteſt ex ipſis principiis iuris naturae. Nam 1. ſocialitas requirit, vt inter gentes pax vel reſtituatur, vel conſeruetur. Id fieri non poteſt ſine internunciis. Hi munere ſuo fungi non poſſent, niſi eſſent inuiolabiles. Ergo ſunt inuiolabiles. 2. Qui legatum recipit, is recipit perſonam, quae repraeſentat principem, vel rem publicam exteram. Atqui principem exterum in re publica noſtra peccantem non puniremus, niſi hoſtilia moliatur.[e] Ergo nec legatum. 3. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Legatis noſtris nihil mali intendi volumus. Ergo nec id aliorum legatis debemus intendere. Ita ſane res clara, et nec iudiciis ſapientum, nec coniecturis opus eſt.

§. 5.

Sed iam porro quaeritur, *quem legatorum inuiolabilitas obliget?* Recte reſp. Grotius, eum, ad quem legati mittuntur. Hi enim, dum legatos recipiunt, tacite iis promiſiſſe cenſentur inuiolabilitatem. *num.* 1.

Inde ergo conſequitur, vt ratione tertii non ſint inuiolabiles. Hinc ſi e. g. legatus Gallicanus per rem publicam noſtram iter faciens in Britanniam, delictum committeret, procul dubio poſſet puniri, quia ratione rei publicae noſtrae non eſt legatus, nec eum tamquam legatum vmquam recepimus.

Aliud, ſi non deliquerint. Tunc vt alii viatores libero per *num.* 2. territorium noſtrum tranſitu merito fruuntur. Inde ergo illuſtris controuerſia inter Carolum V. et Franciſcum I. regem Franciae decidi poteſt. Franciſcus I. mittebat legatos ad Turcas, qui foedus contra Carolum V. cum iis inirent. Hi legati per ducatum Mediolanenſem tendentes Venetias, iuſſu Caroli V. intercipiebantur. Franciſcus I. ius gentium violatum querebatur. Minime vero. Nam ratione Caroli V. ad quem legati miſſi non fuerant, ne erant quidem legati. Carolus nec fidem dederat legatis hoſtis per fines ſuos tranſeuntibus. Non poterat ipſi vitio verti, quod legatos pro hoſtibus tractaret, qui foedus aduerſus ſe cum Turcis inire moliebantur.

§. 6.

Quaeritur porro, *an et hoſtis legatos ad ſe miſſos praeſtare debeat inuiolabiles.* Reſp. diſtinguendum eſſe inter legatos ſollemnes et caduceatores. Legationem hoſtium ſollemnem admittere non tenemur. Semel tamen admiſſa inniolabilis eſt, ob ea, quae §. 5. diximus.

Caduceatores vtrimque inuiolabiles ſunt ex regula iuris naturae, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sunt autem caduceatores internuncii nullo charactere inſtructi, quos dux ad ducem mittit, induciarum, vel redimendorum captiuorum cauſſa. Cui muneri moribus gentium Europaearum pleīumque adhibentur buccinatores et tympanotribae, quibus aeque religioſe praeſtatur inuiolabilitas, ac legatis ſollemnibus.

§. 7.

Quaeſtio noua eſt, *an legatus occidi vel male tractari poſſit iure talionis:* Id merito negatur. Pacta ſunt ſeruanda. Hoſtis noſter legatum violauit, cui fidem dederat. Turpiter egit et contra ius gentium. Nos iam fidem damus hoſtis legato ad nos miſſo. Aeque turpiter et contra ius gentium facimus, ſi violamus. Huic enim legato fidem dedimus, nec ab ea obligatione nos liberat res cum alio acta.

Aliud dicendum, ſi violatione legati hoſtilis noſtrum liberare poſſemus. E. g. legatus noſter mancipatus eſt carceri. Nos hoſtilem legatum itidem mancipamus carceri, donec noſter vinculis ſoluatur.

§. 8.

num. 1. Pergit auctor II. ad legatorum comites et res, et quaerit, *an et haec fruantur priuilegio?* Id recte adfirmatur. Nam 1. acceſſorium ſequitur ſuum principale. 2. Aeque violatur legatus, ſi perſonae eius, ac ſi familiae et rebus eiuſdem vis infertur. 3. Dum legatus repraeſentat principem ſuum: iuris dictio quoque illi relinquenda in familiam et res ſuas.

num. 2. Sed quouſque ſe ea iuris dictio legati extendat, id ex moribus iudicandum. Hinc nata controuerſia inter regem Galliae et papam, qui ius aſyli (*die Quartier-Freyheit*) Romae tollere cupiebat. Et ſane iniuriam ſibi fieri fruſtra querebatur legatus Gallicanus.

licanus. Nam inuiolabilitas legatorum conſiſtere poteſt, etiamſi ius aſyli non concedatur facinoroſis in aedibus legatorum.

Ita et indecorum hodie pleriſque habetur gentibus, legatis concedere iuris dictionem criminalem in familiam, et memini rem fuiſſe grauiter tractatam, quum legatus Ruſſus Hafniae in Dania pediſſequum ſecuri caedi in atrio aedium ſuarum iuſſiſſet.

§. 9.

Quaeſtio illuſtris eſt, *an bona legatorum arreſto, quod vocant, conſtringi poſſint ob aes alienum?* *Tale quid legato Ruſſico in Britannia, Suecico Berolini contigiſſe meminimus.

Id rectius negatur, quia inuiolabilitatem ſe etiam ad res legatorum porrigere diximus, §. 8. immo et ad vim iuſtam. §. 4.

Obiicitur, ita occaſionem datum iri legatis contrahendi aes alienum, et defraudandi ciues noſtros. Sed reſp. 1. ciues noſtri cauti eſſe debent, ne aliter, quam Graeca fide, et praeſente pecunia legatis vendant, vt priuatos exigant fideiuſſores, priuata pignora, cet. 2. Si aes alienum contractum, initio interpellandi legati, deinde eorum principes, ſi ne ſic quidem ſatis fiat, tunc repreſſaliis locus eſt.

§. 10.

Obiiciunt, ita neminem fore, qui cum legatis contrahere *nu.* 1. 2. velit? Reſp. 1. *id non verendum eſſe, quia et regibus ipſis non deſint creditores. 2. Nec intereſſe noſtra, ſi enim fidem non reperit legatus, emet pecunia parata. 3. Gentes quaſdam iis ius non dixiſſe, qui fidem alterius ſequuti ſint. Quod eleganti digreſſione Grotius probat *n.* 2. *huius paragraphi* quae tota perlegi meretur.

§. 11.

Poſtremo quaeritur, *quam ſatisfactionem debeant, qui legatos violant?* Reſp. quam exigere res publica a re publica ſolet, id eſt, iuſta haec eſt belli cauſſa, quod alter ius gentium violauit. Huius rei multa exempla ſunt. Praegnantiſſimum exſtat 2. *Sam.* 10. vbi Dauid bello internecino exſtinxiſſe dicitur Ammonitas, qui legatos ſuos violarant, quum alioquin Deus prohibuerit Ammonitis fieri iniuriam.

CAPVT XVIIII.

DE IVRE SEPVLTVRAE.

§. 1.

PRaeter ius legationum ex iure gentium etiam ius ſepulturae deriuat Grotius, de quo videbimus

1. *an ſit iuris gentium?* §. 1.
2. *cur ſepeliendi ritus inuentus?* §. 2.
3. *quibus ſepultura debeatur?* §. 3. *ad fin.*

num. 1. Primum quaeritur, *an ſit iuris gentium ſepultura?* Adfirmat Grotius, idque primum probat

I. Teſtimoniis Dionis, Chryſoſtomi, Senecae, Hebraeorum, Iſidori Peluſiotae, Aeliani, et aliorum, quae non ſine adparatu adcumulauit Grotius.

Sed 1. teſtimonia et iudicia ſapientum non faciunt ius, et 2. ne conſentiunt quidem. Hebraei enim, Iſidorus, Aelianus, Euripides, non iuri gentium, ſed iuri naturae tribuunt morem ſepeliendi mortuos.

num. 2. II. Ex iis veterum locis, in quibus hoc ius diis adſcribitur, tamquam inuentoribus. Quo praecipue pertinet locus Sophoclis elegantiſſimus. Iam diis adſcribere ſolent poetae, quae ex iure gentium ſunt, e. g. ius legationum. Ergo et ius ſepulturae eſt iuris gentium.

Mirum argumentum. Gentiles omnium fere rerum origines ad deos referebant. Agriculturam inuenit Ceres, oleam Apollo, vinum Bacchus, an et haec dicemus iuris gentium?

num. 3. III. Argumentum ex fabula ducit Grotius, quam prolixe recenſet verbis Iſocratis. Adraſtus, quum antea non ſepeliiſſet mortuos, cum Thebanis comittens praelium ad internecionem caeſus eſt, viditque interemtos ordines hoſtium ducere. Hinc ius ſepulturae ſuis petens, non obtinuit, donec Theſeo demonſtrauit, id iuris gentium et diuini eſſe. Ex quo patet, Theſea et Iſocratem etiam hoc ius pro iure gentium habuiſſe.

Reſp. 1. Fabula haec, ipſo fatente Iſocrate, a poëtis eſt.

Picta-

Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

2. Non ſtatim eſt iuris gentium, quod tale videtur Iſocrati et aliis, qui ſaepe ignorarunt, quid ſit ius gentium. 3. Et quomodo aliquid ſimul eſt iuris gentium et diuini?

IIII. Denique inde patet, quod veteres huic officio nomen virtutum tribuunt. E. g. Cicero vocat humanitatem et manſuetudinem, Val. Max. miſericordiam et religionem, Quinctilianus miſericordiam et humanitatem, cet. *num. 4.*

Reſp. 1. eſt humanitas mortuos ſepelire, ne viuis ſint abominationi et taedio. 2. Iudicia haec gentilium ſingularem habent rationem. Nam exiſtimabant, non poſſe quieſcere manes, ſed triſtes oberrare; niſi corpus ſepeliatur. Qua de re multa notauit IAC. GVTHERIVS in libro *de iure manium.* Ergo inde non ſequitur, morem ſepeliendi eſſe iuris gentium.

Quid ergo dicendum? Reſp. quaeſtio duplex eſt: 1. *an e medio hominum viuentium remouendi mortui?* Idque vnuſquiſque adfirmabit ob periculum ſocietati humanae imminens ex mortuorum foetore, putredine, et inde ſequutura infectione aëris. Et hactenus id officium eſt iuris naturae, vnde omnia deriuanda, quae ſocietati humanae conducunt. 2. Altera quaeſtio eſt, *an praeciſe ſepelienda ſint cadauera?* Et hic reſpondemus: nihil hac de re nec ius naturae, nec ius gentium ſtatuere. Hinc et olim pleraeque gentes etiam humaniſſimae, cremare malebant cadauera, quam ſepelire. Apud Chriſtianos tamen id receptum, vt ſepeliantur, non ex iure naturae et gentium, ſed partim imitatione Ebraeorum, quibus hic mos placebat, partim quia ipſe Deus probaſſe videtur ſepeliendi ritum verbis notiſſimis: *terra es, et in terram reuerteris,* contra improbauit ritum cremandi mortuos in regibus Iſraëlis ad gentiliſmum prolapſis.

§. 2.

Altera iam ſequitur quaeſtio, *cur eum ritum adinuenerint veteres?* Rationes variae recenſentur a Grotio. *num. 1.*

1. Moſchion vetus poëta, hanc reddit rationem, quod cyclopes vel gigantes olim ſoliti ſint cadauera mortua deuorare. Quorum feritati hunc bolum ſubtraxerint, dum ea ſepelierint.

Sed haec ratio non admodum probabilis, 1. de gigantibus

 enim

enim plura mentiuntur veteres, quam comperta tradunt; 2. Gigantes, ſi tanto adpetitu in haec fercula ferebantur, facile ea potuiſſent terra eruere, et deuorare. Rectius itaque homines conſuluiſſent cadaueribus, ſi ea cremaſſent.

Si quaeras, *vnde hanc originem hominum ſciuerint gentiles?* Reſpondeo, per traditionem, cuius luculenta exſtant veſtigia apud EVSEBIVM in *Praeparatione euangelica*, in quo libro ex inſtituto huius modi ſententias et traditiones gentilium collegit Euſebius, quae conſentaneâ ſunt religioni Chriſtianae.

num. 3. 3. Chriſtiani tertiam reddunt rationem: ſpem reſurrectionis. Quum enim eam ſperent credantque Chriſtiani, non in cineres redigunt ſuorum corpora, ſed ea tamquam pretioſum theſaurum recondunt et deponunt, vt ſpem ſuam declarent reſurrectionis. Notetur locus elegantiſſimus Prudentii.

num. 4. 5. 4. Accedunt et aliae rationes. Inprimis huc pertinere Grotio videtur praeſtantia et dignitas hominis prae reliquis animalibus. Ea enim facile mouere potuit veteres, vt nollent cadauera mortuorum obiicere feris, volucribus, beſtiis aliis, ſed ſepelire. Sane hanc rationem reddunt QVINCTILIANVS *Declamat. VI.* et VIRGILIVS *Aeneid. X. v.* 557. *ſeqq.* Quibus Grotius addit, quod Deus *Ierem.* 22. tamquam poenam impiis minetur, quod ſepulturam non ſint habituri, ſed eſca futuri auium.

Sed et haec ratio non magni momenti eſt. Nam 1. non deterius eſt comedi a volucribus et feris, quam a vermibus. 2. Vtrumque facilius prohiberi poſſet per combuſtionem cadauerum. 3. Comminatio prophetica non tam ob conſequens eſt terribilis, quam ob antecedens. Nam defectus ſepulturae et cadauer obiectum feris beſtiis et volucribus eſt indicium mortis cruentae et violentae.

num. 6. Inde ergo concludit Grotius, adeo eſſe officium boni viri, ſepelire mortuos, vt veteres 1. id non hominibus, ſed humanitati tribuant. 2. Vt nec inimicis deneganda ſit ſepultura. Prius non magni ponderis eſt. Quod enim humanitati tribuitur, id et hominibus tribuitur. Alterum verum eſt, ſed ex alia ratione, quia cadauera mortuorum non amplius ſunt obiectum irae et vltionis. Quis non rideret hominem ligneam ſtatuam verberantem? Et quid ſtultius eſt, quam iraſci mortuis? Notum eſt dicterium regis, cui ſuperbum hoſtis mauſoleum oſtendeba-

debatur, quique ſuadentibus amicis, vt illud deiiceret, reſpondit: vtinam vero omnes hoſtes mei ſub huius modi mauſoleis quieſcerent!

§. 3.

Hinc facile deciditur quaeſtio, *an et hoſtibus publicis debeatur ſepultura?* Id adfirmat Grotius, idque ſuo more et teſtimoniis et exemplis probat. Sic *n.* 1. adcumulat teſtimonia Appiani, Taciti, Dionis, Chryſoſtomi, et aliorum. Sed ratio paullo ante allegata ſufficit. Eſſet enim haec ira ſtolida et inuidia plus quam canina, mortuis hoſtibus iraſci, iisque inuidere ſepulturam, qua nihil minus et minore ſumtu praeſtari poteſt. *num.* 1.

Tamen et hic obſeruandum, quod paullo ante diximus, pleraque haec gentilium teſtimonia fluxiſſe ex falſa et erronea eorum opinione, quod inſepultorum manes quieſcere non poſſint.

Idem Grotius illuſtrat exemplis Herculis, Alexandri, Hannibalis, Pompeii, et aliorum, qui hoſtibus etiam bello occiſis hoc officium praeſtiterunt. *num.* 2. 3.

Et ne ſola exempla ex gentiliſmo proferre videatur, addit, apud Hebraeos etiam pontificem maximum, qui tamen nullum funus alias curare, nec mortuum tangere poterat, *Leu.* 21. 1. ſepelire debuiſſe cadauer, quod inſepultum reperiſſet. Immo Chriſtiani vel vaſa eccleſiae vendi permittebantur, vt alerentur pauperes et ſepelirentur mortui. AMBROS. *de offic. lib. II. cap.* 28.

Sed vt vera fateamur, 1. haec exempla ad rem non pertinent. Quaeſtio enim non eſt de officio ſepeliendi mortuos, ſed de ſepeliendis hoſtibus publicis. 2. Exemplis facile alia exempla opponuntur. Vnde omnis argumentatio a ſimili et exemplo anceps eſt et periculoſa. Refert AENEAS SYLVIVS de Barbara, vxore libidinoſiſſima Sigiſmundi imperatoris, quod mortuo marito miniſtri ipſi ſuaſerint viduitatem perpetuam, addiderintque, ſic eam imitaturam columbellam, quae viduae mori ſoleant, illa autem reſponderit, et quidni potius imitarer paſſerculos? Sic ſimilia et exempla nihil probant, quia ſemper opponi poſſunt contraria. *num.* 4.

Obſeruat hoc ipſe Grotius. Fatetur, exſtare exempla in contrarium, ſed addit, ea communi hominum iudicio damnari.

Id facile concedo, modo etiam concedatur, exemplis ius non probari.

§. 4.

num. 1. Hactenus de hoſtibus: iam *de facinoroſis* quaeritur, *an et his ſepultura debeatur?*

Haud obſcure adfirmat Grotius, idque probat ex lege diuina, *Num.* 25. 4. *Deut.* 21. 23. 2. *Sam.* 21. 26. qua Deus iuſſerit et ligno ſuſpenſos ſub veſperam ſepeliri. Id quod tam religioſe obſeruatum nouimus a Iudaeis, vt nec ſeruatori noſtro, quem ſummo odio perſequebantur, ſepulturam inuiderint.

Idem probat ex legibus ciuilibus *l.* 1. *C. de cadauer. punit. l. l.* 3. *C. eod. l.* 2. *C. de religioſ.*

num. 2. 3. Obiici poſſet praxis. Nam nemo ignorat, cadauera ſaepe et olim, et nunc in furca exponi, vel in rota et patibulo in publico conſpectu relinqui ſolita. Sed diſputari poſſe, an id laudabile ſit. Contra laudatos fuiſſe ait, qui corpora punitorum ſepeliuerint. Obiici porro poſſet, Dauidem tamen non dubitaſſe caput Goliathi circumferre et oſtentui ſeruare. Sed reſpondet, id factum fuiſſe alienigenae, gentili, Dei contemtori et inimico.

Haec Grotius. Quid vero de tota controuerſia ſentiendum? Omnino exiſtimandum, non abſurdum eſſe, cadauera punitorum oſtentui exponere. Nam 1. cadaueri mortuo non fit hoc ipſo iniuria, quia mortuum eſt. 2. Nec hoc fit in poenam, quia mortuus nihil patitur, quum tamen poena debeat eſſe malum paſſionis. 3. Sed hoc exigit finis poenarum et ſalus rei publicae. Nam ſupplicia ſumuntur a facinoroſis, vt alii deterreantur, ne ſimile quid committant. Quum vero pauciſſimi homines ſupplicium ſumi videant, nec quotidie ſumantur: quid abſurdum, ſi cadauera publice expoſita admonere iubeantur praetereuntes, in re publica non impunita manere ſcelera?

Ad argumenta Grotii facile reſpondetur. 1. Lex diuina ſingularem habet rationem, ne polluatur terra. Illa autem quae de pollutionibus hominum et terrae dicuntur in lege Moſaica, caerimonialia ſunt, adeoque nos non magis obligant, quam quae de animalibus puris et impuris dicuntur.

2. Ex

2. Ex legibus ciuilibus nec ius naturae non gentium probatur.

3. Exemplum Dauidis omnino repugnat doctrinae Grotii. Nam, ſi verum eſt, facinoroſos eſſe ſepeliendos, ſecundum ius gentium veriſſimum quoque erit, ſepeliri debuiſſe caput Goliathi. Ius gentium enim et naturae inter fideles et alienigenas non diſtinguit.

Rectiſſime ergo dixeris humanius quidem eſſe, et clementius, cadauera facinoroſorum ſepeliri, nec tamen peccare legiſlatores, qui ea publice in furca, rota, patibulo exponi iubent, ſi id ad deterrendos alios a ſimili facinore vtile videatur.

§. 5.

Regulae hic de ſepeliendis mortuis iam Grotius addit exceptionem, quaeritque, *an et iis, qui ſibi ipſis manus intulere, ſepultura debeatur?* *num.* 2.

Obſeruat hic Grotius, 1. ipſos Hebraeos his ſepulturam negaſſe, idque probat ex Iosepho *de bello Iud. lib. II. cap.* 25.

2. Hanc poenam eſſe rationi conſentaneam, quia alias irrogari non poſſit iis, qui mortem pro ſupplicio non habuerint.

3. Similia inſtituta aliarum gentium exſtare, quae eos, qui ſe occiderint, ſepeliri noluerint.

Sed et hic aberrare videtur Grotius, dum haec inſtituta ad poenam refert. An puniri poſſunt mortui, qui nihil ſentiunt, nihil patiuntur? An non ſatis grauem poenam ſubierunt, qui ſe ipſos occiderunt, et praeterea aeterni ſupplicii periculum adierunt? Ergo potius dicendum, poſſe ſalua iuſtitia horum cadauera inſepulta relinqui, vt aliis terrori ſint, ne ſimili modo in propria viſcera ſaeuiant.

Ea occaſione diſputat Grotius, *an iure naturae liceat, ſe ipſum occidere?* Id merito negatur, quamuis id auctor non indoctus ſingulari libro, quem βιοθάνατον inſcripſit, probare voluerit, et in ſe ipſo paullo poſt triſte experimentum coeperit. Nam *num.* 2.

1. Vitam non a nobis habemus, ſed a Deo. Ergo non noſtra eſt, adeoque nec poteſtati noſtrae ſubiecta.

2. Recta ratio nobis inculcat conſeruationem noſtri. Ergo prohibet deſtructionem.

3. Lex diuina naturalis aeque, ac poſitiua, iubet nos amare proximum, tamquam nos ipſos. Ergo et nos amare debemus tamquam proximum. Atqui proximum occidere nefas eſt. Ergo et nos ipſos.

4. Mors voluntaria ſemper proficiſcitur ex impatientia, deſperatione, incredulitate, adeoque effectus horum vitiorum non melior eſſe poteſt, quam cauſſa.

5. Denique ea ſtultitia nulla eſt maior. Quaenam enim ſtultitia eſt, ne moriare mori? inquit eleganter Martialis.

num. 3. Illuſtrat hoc Grotius eleganti obſeruatione. quod Hebraei mortem vocarint ἀπόλυσιν, dimiſſionem. Vti et Simeon *Luc.* 2. 29. dicit: *nunc dimittis ſeruum tuum in pace.* Cur ita locuti ſunt Hebraei? Vt oſtenderent, mortem a Deo exſpectandam, nec ex ſtatione diſcedendum prius, quam a ſummo imperatore, Deo, auocemur et dimittamur.

num. 4. Sed Hebraei tamen vnum caſum excipiunt, quo defendi poſſe exiſtimant αὐτοχειρίαν, ſi videat homo, vitam ſuam dedecori fore Deo. Hoc colore enim defendunt mortem voluntariam Simſonis et Saulis. Addit Grotius exemplum Razis 2. *Maccab.* 19. 37. et Chriſtianorum quorumdam, quorum meminit Auguſtinus, manus ſibi inferentium, ne tormentis adacti Chriſtum abnegarent.

Sed neſcio, an haec exceptio facile defendi poſſit. 1. Simſonis exemplum eſt typicum. Ita enim diſpoſuit prouidentia diuina, vt Simſon morte ſua mortem Chriſti adumbraret. Ex typicis vero regulae morales deſumi non poſſunt. An quis regulam moralem petat ex fratre Iacobi fratris benedictionem doloſe intercipiente?

2. Saulis et Chriſtianorum illorum exempla admodum ambigua ſunt, nec certum an laudanda. Id vero certum, hos quoque, qui manus ſibi conſciſcunt, quia vitam ſuam dedecori fore exiſtimant Deo, incredulos et deſperabundos eſſe, nec fiduciam in Deo collocare, qui facile etiam ex ignominia noſtra gloriam ſuam amplificare poteſt.

num. 5. Hactenus de propricidis, quibus ſepultura ex inſtitutis multarum gentium negatur. Eiuſdem generis exceptio eſt altera. Nam nec ſacrilegos ſepeliri patiebantur Graeci, ceu ex DIODOR. SIC. *lib.* *XVI.* probat Grotius. Id quod ipſe Grotius non improbat.

Inde

Inde vero contra ipſum Grotium argumentamur quod ſi iniuſtum non eſt, inſepultos relinqui propricidas et ſacrilegos, nec iniuſtum ſit, inſepultos exponi facinoroſos alios.

§. 6.

Vidimus itaque, quae obligationes ex Grotii ſententia e iure gentium deſcendant, nempe iura legationum et ſepulturae. Huius generis et alia quaedam eſſe ait, veluti vſucapionem, ſucceſſiones ab inteſtato, contractus. Sed rectius dixiſſet, pleraque haec ex iure naturae eſſe. Iuris naturalis ſunt contractus et ſucceſſiones ab inteſtato. Iuris quoque naturalis eſt, vt qui longo tempore rem ſuam neglexit, et pro derelicta habuit, dominio ſuo excidat.

Obiicit Grotius, tametſi haec iuris naturae ſint, tamen accipere firmitatem ex lege humana.

Sed reſp. id verum eſſe, ſed non de iure gentium, verum de legibus ciuilibus, quae in vſucapione tempus legitimum, in contractibus formam et modum contrahendi, in ſucceſſione ab inteſtato gradus definire ſolent. Vnde et haec omnia admodum varia eſſe ſolent apud gentes diuerſas.

CAPVT XX.

DE POENIS.

§. 1.

SAepius monuimus *lib. II.* huius operis agi de cauſſis belli iuſtificis, quarum tres ſtatuit Grotius, 1. defenſionem, 2. exactionem eius, quod nobis debetur, et 3. poenam. Vid. *lib. II. cap.* 1. §. 2. Quum ergo prolixe hactenus egerimus de defenſione, nec non de eo, quod noſtrum eſt, vel nobis debetur, eaque occaſione de variis adquirendi modis, variiſque titulis diſſeruerimus: proximum eſt, vt iam tertiam quoque belli cauſſam expendamus, quam praeter Grotium, vix quiſquam doctorum iuris naturae admittit. Nobis iam agendum *num.* 1.

1 *de natura poenarum*, §. 1-17.

2. *an omnes actiones vitioſae puniendae*, §. 18-27.
3. *quomodo poenae aeſtimandae*, §. 28-37.
4. *de bello in poenam indicto*. §. 38. *ad fin.*

I. Naturam poenarum primo ſiſtit definitio, ex qua deinde variae quaeſtiones ſoluentur. Grotio *poena* eſt *malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis.* Sed ſi haec definitio admittatur, nihil diſcriminis erit inter poenam et vindictam priuatam. Sane et haec eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis. Et tamen inter hanc et illam multum intereſt. Nam poena eſt licita, vindicta priuata prohibita: qui illam non infligit, iniuſtus aliquando eſt, qui hanc repetit, ſemper iniuſtus, et poena dignus eſt.

Quare ſi definitioni Grotii addideris verba, *a ſuperiore*, tunc illa recte ſe habebit omnino. Dicimus eſſe

1. *malum paſſionis.* Atqui aliquando poenae loco iniungitur actio, e. g. operae publicae, onus remos ducendi. Reſp. tunc eae actiones non ſunt poena, ſed paſſio illa vel moleſtia, quam inde reus ſentit.

2. *Malum, quod infligitur ob malum actionis.* Ergo vbi quis malum ſentit ſine praeuio reatu: id poenae nomen haud meretur. Huc pertinent, qui ob mutilationem a ſacerdotio arcebantur.

3. *Malum infligendum a ſuperiore.* Alias enim, vt diximus, eſſet vindicta priuata. Poſſet obiici, Deum tamen vnicuique Iudaeo permiſiſſe, vt ſupplicium ſumere poſſet ab idololatra: et hodie priuatis licere occidere fures nocturnos, adgreſſores, latrones, cet. Sed reſp. 1. ius puniendi ſuperior demandare poteſt priuato, e. g. apud nos carnifici: potuit ergo Deus etiam priuatis mandare exſequutionem poenae idololatris irrogatae: inde vero non ſequitur, vt par in parem habeat ius puniendi, etiam ſine ſpeciali hac ſuperioris permiſſione. 2. Caedes furis, adgreſſoris, latronis proprie non eſt poena, (nam ea licita eſt, etiamſi e. g. adgreſſor furioſus ſit, vel in perſona erret,) ſed defenſio.

num. 2. Ex hac ergo definitione fluit, poenam iure optimo infligi. Nam 1. malum paſſionis pro malo actionis inflictum nihil aliud eſt, quam ius talionis. Quid iuſtius eſt, vt qui malum fecit, malum ferat?

2. Infligitur a ſuperiore, cuius eſt omnem iniuriam cohibere a

re a ſubditis. Id fieri ſine poena non poſſet. Si ergo iuſtum eſt, magiſtratus iniuriae arcendae cauſſa inſtitui: iuſtiſſimum quoque omnino erit, eos punire noxios. Si enim finis iuſtus eſt, iuſta quoque erunt media, ſine quibus finis obtineri nequit.

Obiici porro definitioni poſſet, Deum tamen aliquando punire ſine praeuia culpa. Caſtigat etiam pios, immo hos ſaepe magis vexat poena, quam impios. Ergo aut iniuſte tunc Deus agit, aut falſum eſt, poenam eſſe malum paſſionis, cet. Sed reſp. 1. falſum eſſe, quod vmquam Deus puniat ſine culpa. Quis enim tam pius eſt, vt ſine peccato ſit? 2. culpam aliquando latere, ſed eam non minus poena dignam, ac manifeſtam. 3. Differre caſtigationem et poenam. Nam illa et innocentibus irrogatur, vt cautius mercari diſcant: haec non niſi noxiis. E. g. furioſus, qui damnum dedit, reuera non peccauit. Et tamen caſtigari poteſt, ne in poſterum ſimile damnum det, at puniri nequit. Ita et Deus pios caſtigat, vt emendet, non punit, vt perdat. *num.* 3.

§. 2.

Quaeritur primo, *vtrum ad iuſtitiam expletricem, an ad attributricem pertineat poena? Iuſtitia expletrix* tribuit, quod iure perfecto debetur: *attributrix*, quod imperfecto, ex regulis honeſti et decori. Vnde ergo poena naſcitur? *num.* 1.

Plerique eam referunt ad iuſtitiam attributricem ex duplici ratione, 1. quia in poenis obſeruetur proportio geometrica, id eſt, qui vnum delictum commiſerunt, non eadem omnes poena adficientur, ſed maiore alii, alii minore, pro ratione meriti. Iam vero Ariſtoteles iuſtitiam diſtributiuam vel attributricem vocat, vbi obſeruatur proportio geometrica. 2. Quod poena a toto parti detur. Id recte intelligendum. Thomas de Aquino et alii Ariſtotelici dicunt, inter iuſtitiam attributricem et expletricem hanc eſſe differentiam, quod in expletrice priuatus agat cum priuato: in attributrice res publica cum priuato. Ergo poenas pertinere putant ad attributricem: contractus ad expletricem.

Sed reſp. Grotius 1. falſum eſſe, proportionem hanc eſſe geometricam; 2. falſum, eam in ſola locum habere iuſtitia attributrice. Quotieſcumque enim ad rem, non ad perſonam re-

 ſpicitur,

ſpicitur, toties haec proportio eſt arithmetica. Sic e. g. minus ſoluo mercatori pro panno viliore, plus pro ſubtiliore: quis dixerit, hanc eſſe proportionem geometricam, quum non ad perſonam mercatoris, ſed ad rem vel mercem reſpiciam? Huius modi proportio etiam a iuſtitia expletrice obſeruatur.

num. 2. Ad 2. falſum eſſe, quod iuſtitia attributrix detur a toto parti, in eaque rei publicae res ſit cum priuato. Idem enim etiam in expletrice contingere poteſt. E. g. res publica poteſt cum priuatis, publicanis contrahere. Hic res eſt toti cum parte, et tamen contractus pertinent ad iuſtitiam expletricem. Praeterea falſum quoque eſt, in poenis ſemper rem eſſe toti cum parte, rei publicae cum priuatis. Nam et priuatus a priuato iure poenam repetit, modo ſit ſuperior. Sic e. g. pater punit filium, paedagogus diſcipulum, dominus ſeruum.

num. 3.4. Quid ergo ad quaeſtionem ipſam reſpondendum? Diſtinguendum eſſe inter punientem, et eum, qui poenam ſuſtinet. Quod ad poſteriorem attinet, ille obligatus eſt ad poenam iure perfecto, adeoque ex iuſtitia expletrice, 1. quia iam ſuperiore paragrapho diximus, iuſtiſſimam eſſe talionem, vt malum ſentiat, qui malum fecit; 2. quia ipſe reus peccando in poenam tacite conſenſit. Scit enim reus legem actum prohibere, ſcit eamdem hoc vel illud ſupplicium minari. Dum ergo nihilominus peccat, tacite conſenſit in hanc poenam, adeoque iuſtiſſime et iure perfecto ex conſenſu ſuo tenetur.

At puniens ad infligendam poenam obſtrictus eſt ex iuſtitia attributrice. Ergo non iniuſtus eſt, ſi poenam remittit, ſed mitior aequo. Immo poſſunt eſſe iuſtiſſimae cauſſae poenam vel remittendi, vel minuendi, vel intendendi, prout perſonae vel aliae circumſtantiae id exigunt. Haec niſi adcurate obſeruentur, facile in varios errores quis incidere poſſet.

§. 3.

num. 1. Iam quaeritur ſecundo, *quis habeat ius puniendi*? Reſp. auctor, hoc ſubiectum puniens a iure naturae non determinari. Naturae quidem conuenientiſſimum eſſe, vt fiat a ſuperiore, ſed tamen id non eſſe abſolute neceſſarium.

Sed hic maxime errat Grotius. Nam 1. ſi naturae conueniens eſt, ſuperiorem ſumere ſupplicium, qui fieri poteſt, vt ius naturae non determinet, cuinam ius puniendi ſit? Ius naturae ſane

ne inculcat id, quod naturae eſt conueniens. 2. Certiſſimum eſt, neminem punire niſi ſuperiorem. Nam qui poenas reſtituere et ſancire poteſt, ei et ius eſt illas infligendi. Atqui prius poteſt ſolus ſuperior. Ergo et poſterius.

Vnde facile patet, quid ſentiendum de obſeruatione Grotii, *num.* 2. quod nocens non poſſit punire nocentem. Haec doctrina plane nullius momenti eſt. Fingamus rem publicam, cuius rector omnibus vitiis coopertus et contaminatus eſt: in ea ſane re publica tunc nullum vitium, nullum delictum poterit puniri.

Ergo diſtinguendum inter iuſtum et honeſtum. Ex regula iuſti ius puniendi habet ſuperior, ſiue virtute, ſiue vitiis ſit conſpicuus. Et hinc adulter conqueri non poteſt de facta ſibi per poenam iniuria, ſi vel maxime princeps vel iudex eiuſdem delicti ſuſpectus ſit.

Si autem quaeritur, an honeſtum ſit, eum, qui punit, propria culpa redargui: omnino id adfirmandum. Non ergo peccat vitioſus magiſtratus, quod punit, ſed peccat, dum ipſe ſimilia committit. Et ita intelligenda verba Seruatoris et Paulli apoſtoli a Grotio allegata.

§. 4.

Tertia quaeſtio eſt, *quis ſit finis poenarum?* Haec doctrina ideo neceſſaria eſt, quia ex fine deinde fluunt officia circa poenas obſeruanda. Hic primum ſpurii fines remouendi. Poenae ergo finis non eſt

I. Satisfactio iuſtitiae diuinae debita. Quod facile poteſt demonſtrari. Nam 1. iuſtitia Dei eſt infinita, adeoque per poenam finitam illi ſatis fieri nequit.

2. Si hic eſſet poenarum finis, iniuſtum eſſet, vllam poenam remittere. Atqui omnes fatentur, aliquando clementiae laudem mereri, qui poenas remittunt. Immo aliquando peccarent imperantes, ſi mala quaedam poenis perſequerentur, e. g. haereſin, vitia interna, ambitionem, auaritiam, cet.

Obiici poſſet, at Deum tamen poenas infligere, vt ſatis faciat iuſtitiae ſuae. *num.* 2. Reſp. diſtinguendum inter poenas temporales et aeternas. Temporales Deus non eo fine infligit improbis, vt ſatis faciat iuſtitiae ſuae, (ſic enim poenae non poſſent eſſe temporales, ſed potius aeternae eſſe deberent et infinitae,) ſed vt emendet homines. At aeternarum poenarum omnino is

finis

finis eſt, vt ſatis fiat iuſtitiae ſuae, quod prolixe probat Grotius.

At inde non ſequitur, vt idem finis ſit poenarum humanarum. Potius argumentamur:

Solae poenae aeternae infinitae ſatis faciunt iuſtitiae diuinae.
Homines non infligunt poenas aeternas.
Ergo nec poenae humanae ſatis faciunt iuſtitiae diuinae, adeoque nec is finis eſſe poteſt poenarum humanarum.

num. 3. Spurius quoque finis eſt II. ſola vltio. Nam 1. omnia officia ſummi imperantis debent reſpicere ſalutem rei publicae, ad quam vero nihil facit vltio. 2. Inhumanum eſt, ſolo delinquentis dolore paſcere velle animum.

Et hinc eleganter SENECA, *lib. I. de ira, cap.* 12. *exſequar, quia oportet, non quia dolet*, et *lib. II. cap.* 32. *ad vindictam veniendum, non quaſi dulce ſit vindicare, ſed quaſi vtile.*

§. 5.

num. 1. In hac paragrapho vlterius illuſtrat Grotius, et inprimis obiectionem remouet. Nimirum veteres philoſophi fere conſentiunt, 1. nihil eſſe vindicta ſuauius, 2. eam voluptatem oriri ex principio homini cum beſtiis communi, adeoque non malam vel iniuſtam eſſe poſſe. Varia veterum loca eo pertinentia colligit Grotius, tum hoc *n.* 1. tum in notis.

Sed facile reſp. 1. non omne, quod homini ſuaue et iucundum eſt, ideo quoque bonum eſt et iuſtum. 2. Nec quod ex principio homini cum beſtiis communi naſcitur, laudandum. Nam ſic et ſcortatio, adulterium, aliaque huius generis delicta carnis poſſent excuſari. 3. Potius recta ratio docet, mentem debere adfectibus dominari, inhumanumque eſſe, indulgere vindictae. 4. Hanc voluptatem rationi etiam ideo aduerſari, quia ſaepe fertur in res inanimatas, beſtias, homines innocentes.

num. 2. Addit Grotius 5. hanc vindictae cupiditatem non modo Chriſtianos, ſed et paganos doctores paullo cordatiores improbare. PAVLLVS: *ne vlciſcimini vos ipſi, cariſſimi, ſed locum date irae Dei.* CHRISTVS: *diligite inimicos veſtros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio proſequentibus vos, precamini pro vos laedentibus.* Similia ex Seneca, Maximo Tyrio, Plutarcho colligit Grotius. Ergo ſi quidam philoſophi ſuauitatem vindictae laudarunt, iis facile opponi poſſunt contraria meliorum ſuffragia.

6. Cupi-

6. Cupiditas vindictae eſt iudicium animi exigui, et a ratione parum inſtructi. Nam a) eius modi homo adhuc adfectibus ſuis indulget b), maxime in eo praedominatur temperamentum melancholico-ſanguineum, quae mixtura plerumque ſtultos facit homines. *num. 3.*

Hinc videmus, plebem vindictae cupidiorem eſſe, quam viros politicos, immo et principes bene inſtructos, quorum plerumque ſymbolum eſt: *qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.* Conſideretur locus elegantiſſimus Iuuenalis.

Quis vero dixerit, ex voluptate non prudentiſſimorum hominum, ſed ſtultorum iudicandum eſſe, quid naturam humanam deceat?

Vnde ex his rationibus recte colligit Grotius, finem ſpurium poenarum eſſe vltionem. *num. 4.*

§. 6.

Videbimus iam de fine genuino poenarum. Obſeruat Grotius, Platonem in *Gorgia* et Taurum philoſophum duas ſtatuiſſe poenarum ſpecies, alias enim infligi videri *emendationis cauſſa*, vt ſi furtum primum ictu fuſtium vindicatur; hac enim caſtigatione fur non perimitur, ſed admonetur, vt in poſterum cautius mercari diſcat, vnde et haec poena eleganter in *l. 7. D. de poen.* vocatur *fuſtium admonitio:* alias *exempli cauſſa*, e. g. ſi fur laqueo ſuffocatur, tunc enim fur non emendatur, ſed perimitur; aliis tamen exemplo eſt, ne ſimile delictum admittant. *num. 1.*

Addit Taurus tertiam ſpeciem, nempe poenam, quae τιμωρίας vel *ſatisfactionis cauſſa* infligitur, e. g. ſi is, qui alteri iniuriam verbalem intulit, damnatur ad palinodiam, vt omnem iniuriam recantet, et ſe mentitum eſſe publice fateatur.

Vnde colligit Grotius triplicem eſſe poenarum finem: νουθεσίαν vel *emendationem*, τιμωρίαν vel *ſatisfactionem*, et κόλασιν, ſeu *exemplum*, vel, quod perinde eſt, in poenis reſpici vel ad vtilitatem peccantis, aut ad vtilitatem laeſi, aut ad vtilitatem ipſius rei publicae. *num. 2.*

§. 7.

Primus ergo et praecipuus poenarum finis eſt *emendatio*. Nullum eſt enim medium emendandi homines improbos certius et *num. 1.*

efficacius, quam poena. Id eleganter probat Grotius.

Omnis peccandi conſuetudo frequentibus actibus peccandi contrahitur: frequentia iſta actuum id operatur, vt peccatum dominetur voluntati, et mens ex peccato voluptatem percipiat. Ea voluptas vero non poteſt in mente exſtingui, niſi contrario dolore, cuius memoria ita adficiat animum, vt quis malit voluptate carere quam denuo iſtum dolorem ſubire. Dolor iſte infligitur per poenam. Ergo poena eſt medium emendandi.

Sed diſtinguendum tamen inter emendationem moralem et ciuilem. Illa ipſam mentem ſanat, haec tantum actus prauos externos impedit. Illa ex poenis non ſperanda, haec exſpectanda omnino.

num. 2. Quum ergo hic finis tam bonus et praeclarus ſit, quaeritur, *quis huius modi poenas poſſit irrogare?* Et reſpondet, vnumquemque id poſſe, modo paribus vitiis non teneatur. Sed id falſum eſſe, ipſe paullo poſt agnoſcit. Addit enim, caſtigationem quidem verbalem ab vnoquoque fieri poſſe; non autem verbera vel alia remedia corporis adflictiua infligi, niſi ab iis, quibus leges concedunt hanc facultatem caſtigandi.

Enimuero ita denuo prodit errorem Grotius, quod puniendi ius vnicuique concedit. 1. Si id verum eſſet, liceret etiam vnicuique peccantem verberibus, aliiſque modis coercere. 2. Si hoc iis conceditur tantum, quibus legibus id ius tribuunt, ius puniendi competit ſuperioribus dumtaxat, vt parentibus, praeceptoribus, magiſtratibus. Accedit 3. quod verbalis caſtigatio proprie non eſt poena, quia non eſt malum paſſionis cum dolore coniunctum, ſed dehortatio amica cum multa beneuolentiae teſtificatione coniuncta.

num. 3. Quaerit autem Grotius, *an poena* νουθετικὴ *ad emendationem comparata etiam ad mortem porrigi poſſit?* Id recte negat. Nam qui deſtruitur, et perimitur, is non emendatur; quia mortuo nulla eſt occaſio malefacta virtutibus emendandi.

Eatenus tamen poteſt dici emendari damnatus ad mortem; quia ſatius habetur hominem inemendabilem non viuere, quam viuum nouis quotidie ſceleribus ſe polluere. Sic Chriſtus ipſe dixit, melius quibuſdam eſſe, ſi numquam fuiſſent nati. *Marc.* 14. 21.

num. 4. Quamuis vero haec recte ſe habeant: id tamen intelligendum tantum eſt de hominibus inemendabilibus, de quibus Io-

ANNES

annes 1. *Epiſt.* 5, 16. dicit, *eos ad mortem peccare, et ne orandum quidem pro iis eſſe.* Quum vero caritas Chriſtiana vix patiatur de cuiuſquam hominis emendatione deſperare: hinc omnino rariſſime hanc obſeruationem locum habere ipſe Grotius agnoſcit.

§. 8.

Alter finis poenarum eſt *ſatisfactio*, vel vtilitas eius, qui laeſus eſt a peccante. Sed id recte intelligendum. Non enim ea ſatisfactio conſiſtere debet in voluptate, ex peccantis dolore percepta, (hanc enim voluptatem inhumanam eſſe, iam ſupra demonſtrauimus) : ſed in ſecuritate, vt inde certus eſſe poſſit laeſus, ſibi non eadem in poſterum imminere. Id fit tripliciter; *num.* 1.

1. Si tollatur, qui deliquit, vel ſupplicio extremo, vel damnatus ad vincula perpetua, vel in exſilium eiectus.

2. Si vires nocendi ei auferantur. E. g. ſi quis diuitiis fretus, alios iniuriis laceſſiuit, et a magiſtratu multa grauiore ad egeſtatem redigitur. Pertinet huc exemplum Lutatii Veratii apud Gell, *Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1.

3. Si malo ſuo dedoceatur delinquere. E. g. miniſter eccleſiae crebris obiurgationibus debacchabatur in magiſtratum. Admonitus reſpondebat, id ſui officii eſſe, nec vllo periculo ſe deterreri ab illo exſequendo. Magiſtratus ipſi tranſmiſit reſcriptum, ſi in poſterum vel mentionem faceret magiſtratus obiurgandi cauſſa, ſe ei centum florenos de ſalario detracturum. Id quum ſemel et iterum fieret, ſtatim coepit cautius mercari. Malo enim ſuo dedocebatur delinquere.

Iſte poenarum finis itidem Grotio tam bonus videtur, vt ab vnoquoque priuato huius modi poena infligi poſſit. Vnde probat, *num.* 2.

1. *Id in ſtatu naturali rectae rationi haud repugnare.* n. 2. 3.

2. *Idem in ſtatu ciuili eſſe abrogatum.* n. 4.

3. *Veſtigia tamen quaedam iuris antiqui etiamnum ſupereſſe.* n. 5. 6.

I. Primam theſin Grotius demonſtrat 1. hoc argumento, quod vnicuique liceat iure naturae omnem vim et iniuriam a ſe propulſare, adeoque et vindictam vel vltionem eo nomine ſumere ab aduerſario. Id quod teſtimoniis Ciceronis et Mithridatis apud Iuſtinum illuſtratur. Deinde idem probat ſuo more

 2. Ex

num. 3. 2. Ex conſenſu gentium. Apud Ebraeos Simſon vltionem ſpirabat aduerſus Philiſtaeos, quia ſibi fecerant iniuriam. Apud Graecos Plataeenſes et Demoſthenes profitentur, ius hoc eſſe commune, vt liceat vlciſci hoſtilia parantem. Ita et Carthaginenſes, ita et Germani veteres ratiocinati ſunt. Adeoque non dubitandum, quin vltio vel poena ſatis factionis cauſſa inflicta ſit iuris gentium.

Sed multa hic animaduerſionem merentur. Nam 1. vltio non eſt poena, ſed medium vel cogendi alterum ad pacem, vel illum viribus exuendi, ne nobis nocere poſſit. Hinc facile fatemur, in ſtatu naturali ob quamcumque laeſionem bellum ſuſcipi poſſe, idque tamdiu continuari poſſe, donec alter vel damnum reſarciuerit, vel ad incitas redactus ſit: verum quis dixerit, gentem tunc a gente puniri, niſi improprie loqui velimus? 2. Exemplum Simſonis nihil ad rem facit. Hic enim non viuebat in ſtatu naturali, ſed in ſtatu ciuili, eiuſque bella aduerſus Philiſtaeos defendi non poſſent, niſi ſpeciali Dei iuſſu et ductu Spiritus S. illa ſuſcepiſſet. Ergo fatemur quidem in ſtatu naturali vnumquemque alterum hoſtilia parantem vlciſci poſſe, ſed negamus hanc eſſe poenam, quae ſemper conceptum ſuperioritatis inuoluit.

num. 4. II. Illud vero rectius obſeruat Grotius, ius hoc vlciſcendi priuatis in ſtatu ciuili fuiſſe ademtum. Nam 1. in ſtatu naturali ideo vltio conceditur, quia deſunt iudices, quorum auxilio homines vtantur. Atqui hi non deſunt in ſtatu ciuili. 2. Quia ſic numquam tranquilla futura eſſet res publica, ſed vere bellum omnium in omnes naſceretur, ſi manu rem gerere poſſint priuati. Et hinc videmus vltionem priuatam omnem prohiberi, adeoque multo minus parem a pari poenis adfici poſſe in ſtatu ciuili. Ergo et hic ſemper poena infligenda a ſuperiore.

num. 5. III. Oſtendit Grotius, quaſdam eſſe exceptiones, id eſt, caſibus nonnullis et priuatos vltionem et poenam ſumere poſſe,

1. In locis, vbi iudicia ſunt nulla, vt in mari. Hic vnuſquiſque poteſt aduerſus piratas non modo ſe defendere, ſed etiam iniurias vlciſci, eos vita et rebus ſpoliare. Sic Iulius Caeſar adhuc priuatus piratas cruci ſuffixit.

2. In extremo periculo, e. g. ſi me hoſtis in via publica gladio adgrediatur, meque in extremo periculo videam conſtitutum.

3. Quae-

3. Quaedam leges adhuc plus indulgent. Sic apud Moſchos vnuſquiſque vltor ſibi eſt, modo prius iudicem adierit. Apud Germanicae originis gentes plerumque controuerſiae ſingulari certamine finiebantur. Veteres Hebraei permittebant proximo occiſi agnato, vt poſſet occidere homicidam vbicumque repertum, modo ne in aſylo quodam habitaret. Simile quid apud veteres Graecos fuiſſe receptum, et Grotius hic probat, et multo prolixius FEYTHIVS in *Antiquitatibus Homericis*. *num. 6.*

Sed quamuis haec omnia vera ſint, tamen 1. et ſic proprie non poena infligitur, ſed vindicta ſumitur, quas differre iam antea demonſtrauimus. 2. Haec omnia fiunt per modum belli, non per modum iudicii, quo poenae infligi ſolent. Hinc quamuis priuato nautae liceat piratas vlciſci, neſcio tamen, an poenam effugeret, ſi captos latrones vellet ad mortem condemnare, et ſupplicio priuatim adficere, niſi id ſummi imperantes expreſſe permittant. Vnde Caeſaris factum non ab omnibus probatur. Debuiſſet enim captos offerre magiſtratui.

§. 9—12.

Tertius finis eſt *vtilitas communis rei publicae, vel exemplum.* *num. 1.*
Ideo enim ſaepe infliguntur ſuprema ſupplicia, 1. vt reliqui ſubditi aeque, ac peregrini, videant, non impune in re publica noſtra delinqui, 2. vt alii diro iſto poenarum genere deterriti, ſibi a ſimili infortunio caueant. Semper enim plebs magis ſenſu quam rationibus flectitur, et magis attendit huius modi tragoediis admonita, quam ſi mille leges ferrentur. Et hinc facile redditur ratio, 1. cur non intra carceres, ſed publice in omnium conſpectu ſupplicium ſumatur, 2. cur corpora damnatorum in patibulis, rotis, et furcis publico conſpectui exponantur, quod ſupra probare non videbatur Grotius.

Has quoque poenas infligendi ius omnibus commune eſſe, adfirmare non dubitat auctor in ſtatu naturali, idque probat variis argumentis, 1. quia ex ſententia Tullii, Horatii, et Euripidis ſapiens nemo priuatus ſit, ſed ſemper magiſtratum veluti gerat, 2. quia iure naturae fas ſit, id quod noxium eſt, tollere. Sic licet occidere ſerpentes, leones, aliaſque feras, quidni etiam homines improbos, a quibus nemo ſecurior eſt, quam a ſerpentibus et leonibus. *nu. 2. 3.*

Sed fatemur quidem poſſe in ſtatu naturali homines noxios de

de medio tolli per modum belli ſiue offenſiui, ſiue defenſiui, non autem per modum poenae, quia in ſtatu naturali nulla eſt ſuperioritas. Rationes Grotii parum ad rem faciunt. Nam 1. ſententia Ciceronis, Horatii, Euripidis, Stoica eſt. Hi dicere ſolebant, ſolum ſapientem eſſe regem, principem, magiſtratum, dominum, ſubditum, ſeruum et omnia, non actu ſcilicet, ſed potentia, quia in his omnibus ſapienter perſonam ſuam repraeſentet. 2. Iure naturae fas eſt occidere noxia tamquam hoſtes, non tamquam peccantes, qui ſoli poenam merentur. Sic ſerpentes, ferae beſtiae, furioſi non peccant, et tamen eos, ſi aliter periculum euadere non licet, recte occidimus etiamnum.

num. 4. Concedit tamen et hic auctor hoc ius hodie priuatis in ſtatu ciuili fuiſſe ademtum, 1. quia poena inquiſitionem requirat, ad quam non omnes vel prudentia vel aequitate ſufficiente inſtructi ſunt, 2. quia aeſtimatio poenae magnam prudentiam et aequitatem requirat, quam non vnuſquiſque praeſtabit. Addo 3. quia nulla eſt poena ſine lege, nulla lex ſine legiſlatore, nullus legiſlator, niſi qui ſuperior, ergo et poena non poteſt exempli cauſſa, niſi a ſuperiore infligi.

num. 5. 6. Denique veſtigia quaedam huius iuris etiamnum ſupereſſe docet. A. 1. in locis vbi iudicum auxilium non eſt ſperandum. De quo caſu iam ſupra dictum. 2. In quibuſdam in delicto deprehenſis, e. g. iure Hebraeo licebat priuato occidere idololatram Iudaeum: iure Romano maritus recte occidebat adulterum domi ſuae in delicto deprehenſum. Reſp. haec vltio permittitur a lege, adeoque reuera a ſuperiore per priuatas perſonas infligitur. 3. In caſtigatione domeſtica liberorum et ſeruorum, quae ſaepe vſque ad necem apud quaſdam gentes pertingebat. Reſp. Ergo tunc poenae infliguntur a ſuperioribus, et permiſſu ſuperiorum. Vnde et parentibus dominiſque non fit iniuria, ſi eorum ius reſtringatur ad modicam coercitionem, ceu hodie vbique gentium fieri animaduertimus.

§. 10.

num. 1. Perſuaſit ſibi hactenus Grotius, poenas poſſe ab vnoquoque infligi iure naturae etiam a priuato. Quam parum id probarit, ad ſingula eius argumenta vidimus: iam vero porro quaerit: an lex euangelica priuatis et paribus indulgeat ius puniendi?

Et

Et primo quidem recte adfirmat, poenas a parentibus dominiſque inflictas, modo intra aequitatem ſubſiſtant non repugnare euangelio. Sed huius rei ratio facile ex ipſa definitione noſtra petitur. Parentes enim et domini ratione liberorum et ſeruorum ſunt ſuperiores, et tales quidem, quibus directio familiae legibus permittitur. Ergo euangelium iis ius puniendi non magis adimere potuit quam magiſtratibus.

At vltionem inter pares Euangelio prohiberi, ipſe concedit *nu.2.3.4.*
Grotius. Idque demonſtrat 1. a minore ad maius argumentando, quia ne quidem Lex Moſaica vltionem probet *Leuit.* 19. 17. *Exod.* 23. 4. 5. 2. dictis Chriſti, *Matth.* 5. 44. *ſequ.* vbi tamen fallitur Grotius, quod ex praecepto Chriſti ne iudicem quidem ſalua conſcientia adiri poſſe exiſtimat, quamuis eamdem ſententiam foueat TERTVLLIANVS *lib. IIII. adu. Marcionem,* cuius verba prolixe recenſentur. Nam 1. Chriſtus non tollit politiam, 2. ita conſiſtere non poſſet res publica, ſi impune improbi poſſent probos vexare. Vexarent autem impune, ſi his non liceret adire iudicem, 3. Ipſum euangelium iudicum officium probat. *vid. Rom.* 13. At id fruſtraneum eſſet, ſi haud liceret iis auxilium implorare.

Ceterum ex hoc teſtimonio Tertulliani colligit Grotius 1. *num.* 5.
Chriſtianis vltionem non fuiſſe permiſſam, 2. ne Hebraeis quidem ſemper fuiſſe permiſſam. Nam vltionem putat eſſe duplicem, aliam ſumi ex odio erga peccantem, aliam tantum in futurum cauere.

Priorem Hebraeis fuiſſe prohibitam probat 1. ex *Leuit.* 19. 17. *Non adſeruabis odium aduerſus proximum.* 2. Ex teſtimonio Philonis, qui in legatione ad Caium, quum Iudaei ab Alexandrinis grauiſſimis eſſent vexati perſequutionibus imperatorem ita adloquebatur: Non delectamur, o Domine, vltione de inimico, nam ex ſacris legibus didicimus hominum miſereri. 3. A minore ad maius, quia ipſi gentiles huius vindictae inhumanitatem agnoſcebant. Elegans locus Claudiani huc pertinens exſtat apud Claudianum.

Immo et vltio, quae in futurum cauet, Chriſtianis fuit pro- *num. 6.7.*
hibita, Hebraeis autem, vt ſupra diximus, permiſſa. De Chriſtianis res clara eſt ex *Luc.* 17. 3. vbi iubemur aduerſariis remittere delicta.

De Hebraeis contra aliud patet 1. ex lege talionis, oculus pro

pro oculo cet. quam tamen Grotius in vſu fuiſſe dubitat. 2. Ex mulcta priuato laeſo adplicanda, quae aeque apud Ebraeos ac alias gentes erat recepta. 3. Ex diuortio permiſſo, ob quodcumque fere delictum ſaltim grauius.

num. 8. At quamuis vltionem omnem tam ſeuere inhibuerit euangelium: aliud tamen de poenis demum concedit Grotius, has enim, prout a magiſtratu infliguntur, ne Chriſtum quidem ſuſtuliſſe fatetur. Nam 1. quid clarius eſt verbis Apoſtoli: *Magiſtratus gladium non fruſtra gerit. Eſt enim Dei miniſter, vindex ad puniendum maleficos.* 2. Chriſtus nuſquam tollit leges politicas.

Sed quum haec veriſſima ſint, recte inde colligas, magnum eſſe diſcrimen inter poenam et vltionem, quas Grotius ſemper confudit. Illam enim Chriſtus conceſſit, hanc prohibuit, illa nihil inhumani continet, haec inhumana et crudelis eſt. cet.

§. 11.

num. 1. Iam obiectiones remouet Grotius. Sunt enim qui ne poenas quidem permitti in Euangelio exiſtimant, idque inde probant.

1. Quia Dei exemplum ſequendum ſit etiam magiſtratibus. Atqui Deus multis ignoſcit peccantibus. Solem ſuum oriri patitur ſuper iuſtis et iniuſtis, pluit ſuper pios et impios. *Matth.* 5.

Reſpondet Grotius, miſericordiam Dei tantum ſpectare ad peccata contra primaeuam legem aut contra legem Moſis admiſſa ante notitiam Euangelii, non ad ea quae poſtea committuntur. Quae ſane doctrina plane ſingularis eſt.

Nos potius ita reſpondemus 1. Deum tamen non ſemper ignoſcere, E. et magiſtratum non ſemper ignoſcere debere, 2. Deum ignoſcere illis, quos praeuidet ad frugem redituros, id vero tam facile diſcernere nequeunt magiſtratus et iudices, quippe non omniſcii.

num. 2. Obiiciunt 3. Deum veniam indulgere poenitentibus. Ergo et magiſtratus eſſe id facere. Reſp. 1. Deus ſcit, qui veram agant poenitentiam: id ignorant homines. 2. Deus quidem poenitentibus certo remittit poenam ſempiternam, ſed non ſemper temporalem, ceu exemplo Dauidis patet. Ergo et magiſtratus poteſt poenitentes punire.

§. 12.

§. 12.

Obiiciunt 3. ſaltim ſupplicia capitalia ita excuſari non poſſe, quia ſpatium poenitentiae praecidatur. Sed reſp. Id non praecidi a piis magiſtratibus, 1. quia non feſtinant ſupplicium irrogando, ſed ſpatium indulgent, miniſtros eccleſiae ad reum mittunt, cet. 2. quia ſaepe magis ſerio agunt poenitentiam; qui iam mortem ſibi minere vident, quam quibus ſpes eſt vitae longioris, 3. quia ſi perſeuerat in contumacia reus, id ſibi imputare debet, nec magis eius rei culpa poteſt tribui magiſtratui, quam Deo, quum ne Dei quidem verbum omnes conuertat. *num.* 1.

Obiici 4. poſſet, poenis et ſuppliciis opus fuiſſe inter gentiles, non inter Chriſtianos, quos magis pios eſſe deceat. Sed reſp. Decet quidem Chriſtianos pietas, ſed inde non ſequitur, vt omnes ſint pii. Contrarium docet experientia. Ergo aeque opus eſt poenis, vt tranquilla ſit res publica. *num.* 2.

Poſtremo tamen Grotius commendat magiſtratibus Chriſtianis exemplum Sabaconis, regis Aegyptiorum, qui ſupplicia capitalia in operas publicas mutauerit. *num.* 3.

Et omnino quidem laudabilis eſt clementia: ſed non numquam clementia fit crudelitas, ſi ita parcit gladio imperans, vt inde occaſionem arripiant homines delinquendi. Sane ſi fures ſciant, imperantem non laqueo punire, ſed ad operas publicas condemnare fures, actum erit de eius ſubditis. Fures enim omnes ſpe vitae ſaltim ſeruandae in eius prouincia quaeſtum facient. Exemplum vidimus in Germania in Epiſcopo Wirzburgenſi, qui religionis cauſſa omnes fures fuſtigatione tantum et operis publicis plectebat.

§. 13.

Quaeſtio quae iam ſequitur facilis eſt: *An ceſſante vno ex finibus paullo ante explicatis, ipſa poena ceſſet?* *num.* 1. 2.

Adfirmat TAVRVS philoſophus apud Gellium: ſed rectius negat Grotius. Requiritur enim, vt omnes fines ceſſent. Ergo ſi vel maxime per poenam non emendetur reus, ſi exemplum in eo ſtatui nequeat, quod aliis admonitionis loco ſit: ſufficit tamen, ſi tertius finis ſuperſit, nempe ſatisfactio, id eſt, ne ſimile quid in poſterum poſſit committere.

In vita Friderici Wilhelmi Electoris apud Pufendorffium

legimus equitem quendam Pruſſum electori infenſum ad Polonos ſe contuliſſe, et tot calumnias inter Polonos de electore tunc adhuc Polonorum vaſallo ſparſiſſe, vt et bellum conflari inde facile potuiſſet. Elector dabat negotium legato ſuo Warſouiae viuenti, vt hominem clam interceptum Regiomontum mitteret. Is illum domum ſub ſpe reconciliationis pellexit, et plauſtro tecto impoſitum noctu abduci iuſſit. Homo poſtea latuit, exiſtimaruntque plures eum gladio clam percuſſum. Fingamus id factum. Hic nec emendationis cauſſa ſumtum ſupplicium, nec exempli cauſſa, (quia nemo vidit) an ideo iniuſte ſumtum eſt? Neg. Reliquus enim erat tertius finis, nempe ſatisfactio, vel cautio, ne inpoſterum ſimile quid committeret.

§. 14.

Iam ſequuntur aliquot conſilia conſcientiae ſuppeditata a Grotio.

Primum, *non tutum eſſe homini Chriſtiano priuato poenam de improbo ſumere, ſiue ſuae ſiue publicae vtilitatis cauſſa.* Rationem ſupra dedit, quia omnis vltio prohibita a Chriſto in Euangelio.

Ex quo porro colligit, laudandos eſſe populos, qui nauigantes mandato inſtruant perſequendi piratas, ſic enim fieri, vt eos non publice ſed priuatim perſequantur.

Nos autem iam demonſtrauimus, non ſolum minus tutum, ſed et plane illicitum, et iuri naturae contrarium eſſe, priuatim punire quemquam, niſi quis ſit ſuperior: non enim hanc eſſe poenam, ſed vltionem.

§. 15.

Secundum, *non tutum eſſe homini Chriſtiano accuſare quemquam capitis, et hinc laudandos populos, qui accuſatorem publicum,* id eſt, *procuratorem generalem conſtituebant.* Ratio Grotii eſt, 1. ne quis aliquid faciat ad alienum ſanguinem fundendum, niſi publico nomine. 2. Quia concilium Eliberinum accuſationes et delationes prohibuit.

Sed in eo minus religioſus videtur Grotius. Nam 1. ſanguinem humanum fundere in ſe non iniuſtum eſt, ſed ſanguinem humanum fundere iniuſte. Alias nec Procurator generalis ſalua conſcientia poſſet quidquam facere ad ſanguinem fundendum. 2.

Non

Non ſequitur; quia poenam priuatus infligere non poteſt, E. nec accuſare poteſt. Poena enim requirit cauſſae cognitionem; quae non eſt priuati paris, ſed ſuperioris. Accuſatio autem integram cauſſae cognitionem relinquit iudici, nec cuiquam nocet, niſi crimen verum eſſe probetur. 3. Aut ergo accuſare in ſe malum et iniuſtum eſt, aut non eſt. Si prius, nec procurator accuſare poterit. Sin poſterius, et priuatus ſalua conſcientia accuſabit. Hinc 4. nec in Hebraeorum re publica diuinitus inſtituta accuſationes priuatae exſulabant, ceu iam ab aliis oſtenſum eſt. 5. Concilia non ſunt norma fidei et morum, et multa continent, a ſanae rationis principiis aliena. Qua de re diximus ad Prooem. §. 51.

§. 16.

Non tutum eſſe, ambire munera publica, quae ad ſanguinem fundendum comparata ſunt. Nimirum 1. quia Grotius exiſtimat, ſanguinem humanum fundere periculoſum eſſe, 2. quia Chriſtus *Matth.* 7. 1. minatur eodem modo Deum iudicaturum de nobis, quo nos iudicemus de aliis.

Sed, 1. ſi periculoſum eſt, ſanguinem humanum fundere, non ſequitur, vt nemo huius modi munus ambire debeat, ſed vt cauti eſſe debeant iudices de cauſſa cognoſcenda. 2. Sic et comminatio Chriſti nobis debet incitamento eſſe, ne iniuſte iudicemus, non autem vt abhorreamus a munere iudicis. 3. Aut in ſe malum eſt, de capite iudicare aut non eſt. Si prius, nec iuſſu rei publicae quis de capite iudicare poterit: ſin poſterius, etiam ambire quis poterit munus huius modi, ſi ſe illi videat idoneum.

§. 17.

Quaerit demum Grotius; *vtrum leges, quae priuatis faciunt facultatem interficiendi, vere interficientem excuſent, an tantum tribuant impunitatem in foro humano?* Exempla varia ſunt, e. g. occidere licet furem nocturnum, marito adulterum domi ſuae deprehenſum, patri adulterum cum filia vel in generi vel in ſuis aedibus deprehenſum. *num.* 1.

Diſtinguit Grotius, vtrum lex huius modi quid indulgeat ob ſolum dolorem, vel vltionis cauſſa, an ob periculum imminens. Si prius: tunc poſſe omnino dici impunitatem tantum dare legem, non autem ideo excuſabilem eſſe hominem in foro conſcientiae.

n. 1. 2. 3. Sin autem ob periculum imminens id fiat, omnino et in diuino et in humano foro eſſe excuſabilem, qui iure ſibi conceſſo vſus ſit. Id quod etiam de bannitis dicendum. E. g. In Germania imperator ſtatus immorigeros declarat in bannum imperii, (*in die Acht ende Oper-Acht*) eius formula eſt: *vita, corpus et fortuna eius vnicuique pateant.* Hic ſi quis bannitum occiderit, omnino et in foro conſcientiae et inter homines excuſatus eſt.

Et ita recte ſentit Grotius: Nam 1. iam ſupra diximus euangelium non probare vltionem. Hinc quamuis illa indulgeat lex, non plus tamen poteſt illa promittere, quam impunitatem.

2. Et ius naturae et euangelium concedit, vt aduerſus hoſtes et pericula nos defendamus, quia vtrumque iubet vt nos amemus aeque ac proximum. Ergo omnino excuſatur, qui furem, aggreſſorem vel hoſtem, malit occidere, quam ab eo occidi.

3. Banniti ſunt condemnati cauſſa cognita. Eos ſalua conſcientia occideret carnifex iuſſu imperantis, E. et idem imperans ciuibus promiſcue indulgere poteſt ius occidendi bannitos.

§. 18.

Hactenus prima pars capitis, *de poenarum natura.* Iam ſequitur altera: *an omnes et quinam actus vitioſi puniendi ſint in re publica?*

Hic recte negat Grotius, omnia delicta in ſtatu ciuili eſſe poenae obnoxia. Poena enim non infligitur, vt ſatisfiat iuſtitiae diuinae. Nam ipſe ſatisfactionem exiget Deus futuro die iudicii, ſed emendationis, ſatisfactionis priuatae et exempli cauſſa. At non omnes actus vitioſi turbant rem publicam vel ſaluti publicae repugnant. Ergo nec omnes puniendi.

Inde ergo ſequitur, vt poena exempti ſint I. actus mere interni, ſi in externos non erumpant, e. g. ambitio, odium, ira, inuidia. Nam 1. interna ſoli Deo cognita, 2. ea nihil pertinent ad rem publicam quae ſalua eſt, modo improbitas non in actum erumpat.

Notanda tamen limitatio, quodſi ſemel internum vitium in actum externum erupit, tunc et motus vel actus internus in aeſtimationem veniat, e. g. ſi quis occidit dolo, magis punitur, quam ſi homicidium ſit culpoſum.

§. 19.

§. 19.

II. Poena eximuntur actus ineuitabiles naturae humanae, quo *num.* 1.
pertinent vitia ex temperamento hominis reſultantia, e. g. voluptas, ambitio, auaritia. 1. Quamuis enim haec vitia eſſe nemo neget, ſunt tamen vitia, quibus ita patet natura humana, vt is humanum genus e medio tollere debeat, qui vellet omnino haec vitia tollere. 2. Haec vitia in ſe non turbant rem publicam. Simulac vero turbant, omnino poſſunt puniri.

Quod autem Grotius dubitat, *an huiuſmodi vitia naturae hu-* *num.* 2.
manae tam propria poſſint peccata dici: id omnes merito mirantur. Dicit quidem, peccatum eſſe, quod libera et ſpontanea voluntate committitur: huius modi autem vitia non eſſe ſpontanea, nec ex libera voluntate proficiſci. Sed reſp. negari definitionem. Peccatum, definiente Apoſtolo, eſt ἀνομία, aberratio a lege. Quis vero negauerit, haec vitia a lege aberrare? 2. libertas voluntatis eatenus ſalua eſt, quod poſſent homines haec vitia deponere et emendari, modo oblatis gratiae mediis vti vellent. Id dum non faciunt libere et ſponte, in vitiis perſeuerant.

§. 20.

III. Poena exemta ſunt peccata, quae non nocent ſocieta- *num.* 1.
ti humanae vel rei publicae. Sic e. g. graue vitium eſt inuidia: quia tamen inuidus plus ſibi quam ſocietati humanae detrimenti infert, hinc omnino non punitur inter homines.

Ratio eſt 1. quia hic finis poenarum ceſſaret, 2. quia Deus et ſapientiſſimus, et iuſtiſſimus et potentiſſimus eſt, ad haec vitia punienda.

IIII. Etiam actus imperfectae obligationis non poenam admittunt, e. g. miſericordia erga pauperes. Nam 1. haec obligatio non producit actionem in foro, vt ſaepe diximus, ergo nec poenam admittit. 2. Hi actus proficiſcuntur ex honeſto et decoro, id eſt, ex virtute. Ad virtutem autem cogi nemo poteſt.

Vnde facile deciditur quaeſtio: *an detur actio ingrati?* Diſ- *num.* 2.
putat de ea *ſingulari Diſſertatione* BOECLERVS, et ex veteribus SENECA, *lib. III. de benef. cap.* 7. Sed gratitudo manifeſto eſt officium imperfectum, quod ex honeſtate, non ex iuſto naſcitur. Ergo inde nec poena datur nec actio, per *n.* 1. huius §.

Diuidi tamen poteſt in ſimplicem et praegnantem. Simplex eſt, quando benefactori quis non benefacit: praegnans quando

 eidem

eidem aegre facit. Prior non producit poenam: poſterior omnino poenam non quidem producit, ſed auget, quia quum nemini inferenda ſit iniuria multo grauiorem poenam meretur, qui iniuriam facit benefactori ſuo, et beneficia maleficiis remunerat.

§. 21.

Quum ergo non omnia delicta poenam mereri hactenus demonſtratum ſit: quaeritur porro, an et in iis delictis, quibus poena conſtituta, veniae locus ſit, eamque aliquando indulgere poſſit ſummus imperans?

Negant Stoici, quorum paradoxum eſt, ſapientem nemini ignoſcere, nemini dare veniam, de quo prolixe LIPSIVS in *Philoſ. Stoica.* Nimirum ita ratiocinantur. Venia eſt debitae poenae remiſſio, ſapiens, quod debet, non remittit. Sed recte obſeruat Grotius poenam debere non principem, ſed delinquentem: ſi vero debitori remittitur, quod debet, nulla ipſi ſit iniuria.

Poſſet quis vrgere, at et ſapientem principem poenam debere infligere, adeoque et ex eius parte adeſſe obligationem, a qua recedere non poſſit. Reſp. non obligari principem niſi ex lege poenali: legem poenalem a principe dependere certum eſt. E. et eamdem tollere, multoque magis contra illam aliquando veniam dare poteſt.

§. 22.

num. I. Id iam porro probat Grotius, et quidem *licere principi veniam dare tam ante legem poenalem latam, quam poſt illam.*

I. Ante legem quidem certum eſt delinquentem puniri poſſe, ſi delictum nouum aduerſus rem publicam admittat, quia 1. ſic locus eſt finibus poenarum, nempe ſatisfactioni et exemplo. 2. quia naturaliter, qui deliquit (contra rem publicam) in eo ſtatu eſt, vt puniri poſſit. Vnde et Romani, cum Malleus Glaucia primum admiſiſſet parricidium, nec vlla adhuc lex poenalis de parricidio exſtaret, eum poena acerbiore adfecerunt.

Sed quemadmodum ante legem poenalem delictum puniri poteſt, ita et certis concurrentibus circumſtantiis poena poteſt remitti. e. g. 1. ſi delictum ſit pauciſſimis cognitum, nec interſit rei publicae illud palam fieri. 2. ſi plura exſtent delinquentis merita, quam vt leue delictum ei fraudi eſſe debeat; 3. ſi iam ſequuta ſit ſatisfactio, 4. ſi magnum immineat ſocietati pericu-

lum

lum ex poena. Sic Deus ipſi Caino pepercit, quum nondum lata eſſet lex de occidendo homicida, tantum ne Habele et Caino exſtinctis amplificatio humani generis impediretur.

Accedit quod clementia non minus laude digna quam iuſtitia. Clementia enim ex caritate emendat, quod ex iure ſtricto ſtatutum eſt aduerſus improbos. Quod ergo in contractibus, teſtamentis cet. eſt aequitas, id in poenis eſt clementia. Vtraque reſpicit ad circumſtantias, iiſque aliquando permouetur, vt ignoſcat. *num.* 2.

§. 23.

Id quum ne Stoici quidem negare queant: tamen concedere non audent, ſapientem ignoſcere, ſed eum tantum parcere dicunt. Sed quid quaeſo eſt parcere delinquenti, quam ignoſcere? Habemus itaque hic exemplum, quo probatur, quod iam dudum Stoicis vitio verterunt veteres, nempe eorum controuerſias magis in vocabulis haerere, quam in rebus ipſis, adeoque non, niſi λογομαχίας eſſe.

§. 24.

Sed quid lata iam lege poenali? an et tunc veniae locus eſt? Reſp. omnino, et quidem 1. ex illo principio: Nemo ſibi ipſi poteſt legem dicere, quia nemo eſt ſui ipſius ſuperior. Ergo et princeps ſubditis quidem leges fert, non autem ſibi, adeoque et a lege ſua impune et licite recedit. *num.* 1.

Rem paullulum mitigat Grotius. Nam dicit, principem conſiderari poſſe, vel vt partem ciuitatis, vel vt repraeſentantem totum ciuitatis corpus. Priore ſenſu illum legibus obligari, poſteriori minime. Sed non opus eſt ea diſtinctione. Princeps qua pars ciuitatis non legibus obligatur: (ciues enim ei leges praeſcribere nequeunt) ſed pactis. Vnde tenetur quidem legibus fundamentalibus, ſed ea nihil aliud ſunt, quam pacta. Qua ciuitatem repraeſentans eſt auctor legis. Lex vero non auctori praeſcribitur, ſed ſubditis. Ergo et hos ſolos obligat.

2. Idem inde probatur, quod legiſlator totam legem tollere poteſt. Iam ſi totam legis obligationem tollere poteſt, poteſt et eam pro parte tollere, id eſt aduerſus legem ignoſcere. Hinc plane politice AVGVSTINVS: *imperatori licet reuocare ſententiam, et reum mrtis abſoluere, et ipſi ignoſcere; quia non* *num.* 2. 3.

eſt

eſt ſubiectus legibus, quia habet in poteſtate leges ferre.

Sed tamen, facile largimur Grotio, id non temere, nec ſine iuſta ratione fieri debere. Ratio eſt, 1. quia, vti legem ſine iuſta et idonea ratione non fert legiſlator, ita nec ab eadem ſine iuſta et idonea ratione diſcedere poteſt. 2. Quia ſic vileſceret lex, et 3. multi alii ſpe impunitatis peccarent.

§. 25.

Sed *quaenam ſunt iuſtae cauſſae ignoſcendi?* Grotius eas diuidit in *intrinſecas* et *extrinſecas.*

Intrinſecae dicuntur, quae ex ipſo delicto reſultant: *extrinſecae*, quae ex aliis circumſtantiis extra hoc factum emergunt.

Intrinſeca cauſſa eſt, cum ſi non iniuſta, tamen dura eſt poena ad factum comparata, adeoque haec cauſſa non differt ab aequitate, e. g. ſi Manlius filium ſupplicio capitali adficit, quod caſtris iniuſſu patris egreſſus eſſet.

§. 26.

Extrinſecae cauſſae plures ſunt, 1. *merita delinquentis*, et 2. *ſpes futurorum meritorum.* Sic Dauides veniam conceſſit Ioabo homicidae, quia vnus ſaepe eius rem reſtituerat, et ſpes in eo maxima erat, tamquam in viro fortiſſimo et belli perito. Addit Grotius 3. ignorantiam, ſed ea potius cauſſa intrinſeca eſt. Hinc facilius ignoſcit princeps adoleſcenti, quam ſeni. Meliore iure addimus 4. multitudinem peccantium, et periculum inde ad rem publicam redundaturum. Sic ignotum in Germanico bello ruſticis pleriſque, qui arma aduerſus principes corripuerant: quis enim agros coluiſſet? Sic Ageſilaus ignouit parti exercitus ad hoſtes deficere volenti. 5. Si delictum quidem in ſe ſit deteſtabile, ſed cauſſa tamen delinquendi ſaltim probabilis. Ita ruſticis illis rebellibus et id vtilitati fuit, quod a nobilibus et clericis fuiſſent immani tyrannide oppreſſi, et ad deſperationem adacti.

§. 27.

Ferd. VASQVIVS, ICtus doctiſſimus ſtatuit, *eam cauſſam ſufficere ad indulgendam veniam, de qua legiſlator conſultus dicat,*

dicat, ſibi eum caſum in mente non fuiſſe, quum legem ferret. Quaeritur itaque, an recte ita ſentiat?

Negat Grotius, et quidem recte: Nam Vaſquius manifeſto confundit ius diſpenſandi et aequitatem, inter quae maxima eſt differentia. Nam 1. ius diſpenſandi pertinet ad legis applicationem, aequitas ad eiuſdem interpretationem. 2. Diſpenſatio eſt voluntaria; eſt enim in arbitrio legiſlatoris, an diſpenſare velit nec ne. Aequitas eſt neceſſaria, et hinc illa denegari nemini poteſt. 3. Diſpenſare eſt principis vel legiſlatoris ſolius. Aequitatem et iudex obſeruare tenetur. 4. Illa non trahitur ad omnes ſimiles caſus: haec ad omnes omnino pertinet.

§. 28.

Sequitur iam III. pars capitis, quae diſquirit *de aeſtimatione poenarum.* Ea autem duplici nititur fundamento, 1. *merito, ob quod poena infligitur.* Nam prout illud maius minuſue eſt, eatenus et poena intenditur vel remittitur, e. g. parricida plus poenae ſubit, quam homicida. Homicida acrius punitur, quam qui aliam iniuriam realem intulit. Hic maior poena dignus, quam qui verbalem iniuriam intulit, cet.

Ex quo ſequitur axioma: Neminem vltra meritum plectendum, adeoque omnino peccaret imperans, qui ſimplici homicidae infligeret poenam parricidii, vulneranti poenam homicidii, conuicianti poenam vulnerantis.

Alterum fundamentum eſt 1. *vtilitas, cuius cauſſa poena infligitur*, prout illa maior minorue eſt, eatenus et poenae acriores eſſe ſolent, quamuis in ſe delictum non ſit horrendum, e. g. Deſertor laqueo punitur, quum deſertio non ſit tantum delictum, ac furtum, homicidium, ſed quia tamen eſt frequentius inter milites, et rei publicae inde maximum immineret periculum, ſi impune poſſent milites a ſignis diffugere: hinc omnino vtilitas rei publicae, poſtulat vt maiore ſupplicio adficiantur deſertores. Iam de *merito* agemus.

§. 29.

Meritum eſt quantitas moralis facti, cui poena propoſita eſt. *num.* I.
Iam factum non eſt ſubſtantia phyſica, quae proprie admittit quantitatem: ſed tamen quum factum non poſſit concipi ſi-

ne circumſtantiis, eae efficiunt, vt illud modo magis modo minus vitioſum videatur. Inprimis autem ad tres reſpici ſolet circumſtantias:

1. *ad cauſſas, quae impulerant delinquentem.* §. 29.
2. *ad cauſſas, quae eumdem retrahere debuiſſent.* §. 30.
3. *ad perſonam ipſam, quae deliquit.* §. 31.

Inter *cauſſas impellentes* maxime deteſtanda eſt 1. *dolus*, ſiue proaereſis, malitia maxima, Vnde et hic ſemper poenam auget aut minuit, prout ipſe maior aut minor eſt. Hinc proxima cauſſa ſunt *affectus*, qui aliquando parum a dolo differunt et hinc poenam augent, aliquando excuſant, vel ſaltem poenam minuunt. Vnde diſtincte procedendum.

Nimirum *affectus* ſunt vel *laeti* vel *triſtes*. Illi oriuntur ex repraeſentatione boni, et conſiſtunt in appetitu, vt *laetitia*, *ſpes*: hi ex repraeſentatione mali, et conſiſtunt in auerſatione, vt *ira*, *metus*, *triſtitia*.

Triſtes affectus plerumque poenam minuunt, modo iuſta cauſſa fuerit hunc affectum concipiendi. Sic ſi quis mortis, carceris, doloris, vitandi cauſſa iniuſte quid fecerit, procul dubio excuſabilior erit, quam is qui ex proaereſi, nulla vrgente cauſſa peccauit.

num. 2. Illuſtrat id quibuſdam locis Demoſthenis, Polybii, Ariſtotelis et Porphyrii. Nobis autem ſufficiet Ariſtoteles, quia ſimul traditionem huius iuris tradit. Nimirum quo magis actio eſt voluntaria, eo magis imputatur. Aſt magis voluntaria eſt actio, quae nulla vrgente cauſſa ſuſcipitur, quam quae vrgente ira, metu, dolore admittitur, quia hoc caſu homo ſui minus compos eſt, quam priore. Ergo omnino etiam prior magis imputatur, quam poſterior.

num. 3. Haec de *affectibus triſtibus*. Iam ſequuntur *laeti*, qui poenam ſemper augent, quia huius modi actio ſemper eſt voluntaria, immo eo magis voluntaria, quo maiorem voluptatem mens ex hac actione percipit.

Diximus autem *affectus laetos* oriri ex repraeſentatione boni, non veri quidem, ſed adparentis. Iam vero bona adparentia nobis blandiuntur vel ſub ſpecie *honeſti*, vel ſub ſpecie *vtilis*, vel ſub ſpecie *iucundi*. Si ſub ſpecie *honeſti*, tunc naſcitur ambitio; ſi ſub ſpecie *vtilis*, auaritia; ſi ſub ſpecie *iucundi*, voluptas; quos tres appetitus primarios coniungi videmus 1. *Io.* 2. 16.

Hinc

Hinc ſi quis e. g. ex mera voluptate et laſciuia alteri fecerit iniuriam, vel ex ambitione et lucri cupiditate, omnino poena eo maiore dignus eſt, quo facilius laetis his affectibus reſiſtere potuiſſet.

§. 30.

Deinde II. reſpiciendum ad *cauſſas, quae retrahere debuiſ-* num. 1.
ſent; tales ſunt,

I. *Iniuſtitia*, cuius tanta eſt turpitudo, et tam abhorrens a ſocietate humana natura, vt omnino vel ipſum nomen vnumquemque a delictis abſterrere deberet. Vnde axioma: *Quo maior eſt iniuſtitia, eo maiorem meretur poenam.*

Maior autem *iniuſtitia* aeſtimatur 1. ex damno inde emergente, an rei publicae vniuerſae, an pluribus, an paucis vel vni, an magis minuſue nocitum? 2. Ex perfectione delicti, an conſummatum fuerit nec ne? 3. Ex obiecto, in quo damnum datum, veluti an vitae, an familiae, an rebus noſtris nocitum.

Id quod illuſtrat Grotius doctrina decalogi, vbi putat, gra- num. 2.
datim a vitiis grauioribus deſcendi ad leuiora. Sic incipit Deus a delictis aduerſus ſe commiſſis, praeceptis quatuor primis; deinde in quinto praecepto pergit ad ſuperiores, parentes, magiſtratus; in ſexto, ad vitam hominis; in ſeptimo, ad familiam, id eſt, matrimonium; in octauo et nono, ad res hominis; poſtremo praecepto ſequuntur delicta inconſummata, concupiſcentia.

II. Cauſſa retrahens eſſe deberet *pietas*, qua hic intelligi- num. 3.
mus naturalem obligationem iis debitam, a quibus dependemus, vel qui a nobis dependent, e. g. officia erga parentes, liberos, coniugum inter ſe. Quo maior ergo eſt impietas delinquentis, eo grauiorem poenam meretur. Sic omnino grauius punitur, qui patrem, matrem, filium, quam qui alium hominem occidit.

III. Accedit tertia *cauſſa, diuturna indulgentia.* Ea deberet delinquentibus incitamento eſſe ad poenitentiam. Vnde ipſe Deus tam diu conniuet, vt homines ad reſipiſcentiam impellat. Quod ſi ergo homines id nolint, ſed contumaciter delinquendo pergant, tunc poenam duplo maiorem merentur, partim ob noua, partim ob ſuperiora delicta. Sic e. g. veteranus latro grauius plectitur, quam qui ſemel latrocinando infeliciter artem fecit.

Quaeri hic ſolet, *an et vita anterior emendata ad poenam im-* num. 4.
minuendam faciat? Recte Grotius monet diſtinguendum, 1. *an*

 totum

totum vitae genus immutatum ſit, et homo non gradu, ſed praecipiti curſu a virtute deſciuerit, et ad vitia tranſcurrerit. Tunc nihil ipſi prodeſſe poteſt vita anteacta: immo tanto inexcuſabilior eſt, vt ipſe Deus inculcat *Ezech.* 18. 24. *an* 2. *a virtute non deſciuerit, ſed tamen ex infirmitate et conſternatione animi deliquerit?* Tunc omnino ad poenam mitigandam haec circumſtantia prodeſt.

§. 31.

num. 1. Poſtremo III. reſpiciendum, *ad perſonam peccantem*: quae eo magis vel minus punienda, quo magis minuſue apta fuit ad cauſſas auertentes conſiderandas. Hinc Grotius reſpiciendum eſſe monet

1. Ad *temperamentum corporis*. Sic e. g. melancholicus facilius euitabit adulteria quam ſanguineus. Sed ad hoc vix reſpicitur in praxi, quia 1. raro iudices id accurate diſcernere poſſunt, et 2. nullum temperamentum eſt tam prauum, quin virtute ſuperari emendarique poſſit.

2. Ad *aetatem*: hinc adoleſcentes excuſabiliores ſunt, quam ſenes, quia hi facilius conſiderant rem, quam adoleſcens aeſtu iuuenili abreptus.

3. Ad *ſexum*, quia femina minus cenſetur prudens ac maſculus.

4. Ad *educationem*: nam ea neglecta homines facile obbruteſcunt. Sed et in his omnibus parum momenti eſt, ſi malitia aetatem ſuppleat, ſi femina vltra ſexum ſapiat, ſi delictum ita ſit comparatum, vt et male educatus, modo homo ſit, ſatis ſcire poſſit, id eſſe prohibitum.

num. 2. Et hic 5. ad *affectus triſtes* eiuſque cauſſas reſpiciendum. Nam 1. *affectus* ſunt admodum naturales, 2. ii cooriuntur ex repraeſentatione maxime repentina mali, adeoque prius homo accenditur, quam accendi ſe animaduertat. 3. Semel inflammatus neſcit fere, quid agat, et 4. raro tunc rationis tantum ſupereſt, vt imperare *affectui* poſſit. Hinc e. g. ſi iuuenis alioquin probus voluptate exceſſerit, facile poena minuetur.

Ceſſat tamen haec cauſſa; ſi aetas, affectus ſuppreſſiſſe debebat. Hinc ridiculi ſunt ſenum amores, et hinc eo magis puniendi, ridicula eſt iuuenum auaritia, quam facile vincere poſſent.

§. 32.

§. 32.

Quaeſtio iam porro oritur, *an poena ſemper debeat delicto* num. 1.
eſſe proportionata? Id eſt, an plus puniri poſſit, quam damnum dedit peccans? e. g. fur ſimplum abſtulit, iure Romano in duplum vel quadruplum condemnatur, apud nos rem aufert, et ideo amittit rem, famam, immo et vitam; an hoc iniquum? Id recte negat Grotius. Nam

1. Ipſe Deus, legiſlator perfectiſſimus, furtum quadruplo et quintuplo puniuit, in lege Moſaica.

2. Non punitur tantum damnum datum, ſed et reatus, id eſt, animus et conſilium peccandi.

3. Omnes gentes huius modi poenas probarunt, adeoque ex hypotheſi Grotii inde colligi poteſt, eſſe iuris gentium. De Romanis et Hebraeis iam vidimus. Apud Graecos lege Attica fur vltra dupli condemnationem etiam per dies aliquot vinctus habebatur.

Sic et Indi vltra talionem vulnerantem vel mutilantem ma- num. 2.
nu truncabant. Alia exempla paſſim proſtant. Nos iam obſeruamus

1. Huic iuri etiam locum eſſe in delictis non conſummatis, ſi magnus ſit dolus. Exempla *ſunt Deut.* 19, 19. 22, 19. *Exod.* 22. 9.

2. Ceſſare hanc obſeruationem, ſi ſupplicium ſit capitale. Nam vltra mortem plus poenae exigi nequit. Hinc homicidae qui vitam eripuit, vita eripitur, nihilque poenae vltra irrogatur.

3. Poſſe tamen et hic locum habere augmentum ſupplicii ratione qualitatis, ſi inſignis dolus acceſſerit, vel crudelitas et malitia horrenda. Hinc inuenta ſupplicia diriſſima, diſſectio in 4. partes, vſtulatio candentibus forcipibus facta, contuſio, vel crurifragium, cet.

§. 33.

Sed iam contrariam ſententiam refellit Auctor, qua ſtatuunt, ſemper proportionem accurate ſeruandam inter delictum et poenam, et quidem harmonicam, vti vocat Io. Bodinvs *de rep. lib. VI. cap. vlt.* Idque probant inde, 1. quia mulcta non eadem irrogatur diuiti et pauperi, 2. quia vbi ignominia adficitur vir honoratus, ſaepe in vili perſona ad poenam corporis adflictiuam peruenitur.

Sed reſp. hic non reſpicitur ad proportionem inter delictum et poenam, ſed ad proportionem inter poenam et vires perſonae puniendae. Nam poena debet eſſe malum paſſionis. Paſſio non omnium eadem ex eadem re. Ergo facile quidem concedimus Bodino, obſeruandam eſſe proportionem inter poenam et perſonam puniendam, ſed nos hic loquimur de proportione inter poenam et delictum.

§. 34.

Quaeritur etiam, *an non caritas ſuadeat, poenam remittere delinquenti?* Sed id merito negatur. Nam 1. caritas ſine iuſtitia iniuſta eſt, 2. caritas maior vincere debet minorem. Atqui rei publicae et humano generi hanc caritatem debemus, vt curae nobis ſit eius ſecuritas, quae ſine poenis nulla foret. 3. Saepe caritas delinquenti hoc modo exhibita ipſi potius damno quam vtilitati foret. Eo pertinet hiſtoria Franciſci I. regis Galliae, qui quum comiti bis poenam homicidii remiſiſſet, et iam tertium in idem delictum prolapſum capitis damnaſſet, reus dicebat, ſe ſupplicium tantum ſubire ob primum homicidium, ob duo reliqua ſupplicium iure ferre regem, qui ſi primum ſe capitis damnaſſet, reliqua illa delicta committi non potuiſſe.

§. 35.

Quaeritur porro, *an ob facilitatem peccandi poena poſſit augeri?* Reſp. omnino. 1. Finis enim poenarum eſt non modo emendatio et ſatisfactio, ſed et exemplum, vt alii deterreantur a delicto. Atqui eo magis deterrendi ſunt homines, quo facilius poſſent delictum committere. 2. Ipſe Deus hoc obſeruauit in lege Ebraea. *Exod.* 22. 1. 9. Hinc grauiſſime punitur furtum equorum, armentorum, aratri, cet.

§. 36.

nu. 1. 2. Proxima quaeſtio eſt, *an ex clementia poenae poſſint imminui?* Et id nemo negauerit. Quum enim ex clementia poenae plane tolli queant, vt ſupra demonſtratum, quidni et imminui?

Immo hoc facilius licet, quum prius non niſi ob cauſſas vrgentiſſimas fieri poſſe dixerimus. Nam intereſt rei publicae vt delicta puniantur, et hinc non ſine modo facilis eſſe poteſt princeps

ceps ad poenas plane remittendas. Sed non intereſt rei publicae vt poenae cum maximo dolore delinquentium, coniunctae ſint. Quid enim vtilitatis inde perueniet ad rem publicam, ſi capitis damnatus non niſi tarde et inter mille cruciatus moriatur?

Hinc omnes laudant hanc clementiam, quae in poenarum mitigatione conſiſtit. Meditatur magnus Germaniae ICtus, Io. Petrvs a Lvdewig, conſiliarius regis intimus et cancellarius academ. Hallenſ. tractatum *de truculentia iuris prudentiae criminalis*: Vbi oſtendit, magis iudices pleroſque exceſſu, quam defectu, peccare.

§. 37.

Obſignat hanc tertiam partem Grotius variis obſeruationibus, quas Hebraei et Romani inculcant: Sed addit, omnes has obſeruationes ſe iam ad loca ſua retuliſſe. Adeoque non opus eſt, vt his diutius immoremur.

§. 38.

Progredimur potius ad partem IIII. et vltimam, vbi agitur *de bello poenae cauſſa ſuſcepto.* Exiſtimat enim Grotius, gentem aduerſus gentem poſſe bellum ſuſcipere, poenae cauſſa, ſi quod delictum paullo grauius admiſiſſet. Sic e. g. notum eſt, Gallos proteſtantes crudeliter vexaſſe, et expuliſſe patria. Si quaeſtio oboriretur, an ideo reliqui proteſtantes potuerint ſaluo iure bellum indicere Gallis, Grotius ex principiis ſuis reſpondiſſet, poſſe. Videbimus ergo rationes.

1. Quia hiſtoriae paſſim doceant, bella poenae cauſſa ſuſcepta. Sed reſp. hiſtoriae docent, quod factum ſit, non quod fieri debuerit.

2. Quia delicta gentium plerumque cum damno coniuncta ſint vicinorum. Reſp. tunc poteſt bellum geri ad damnum reparandum, non in poenam. Ergo tunc eſt fallacia non cauſſae vt cauſſae.

Addit tamen Grotius cautionem, *non eſſe bellum gerendum ob quaelibet, etiam minima delicta, ſed ob grauiſſima tantum.*

Nos autem exiſtimamus cum recentioribus omnibus, bella plane ſuſcipi non poſſe poenae cauſſa. Nam 1. vt ſupra demon-

monſtrauimus; poena ſemper infligitur a ſuperiore, gens autem ratione gentis non eſt ſuperior. 2. Pugnat hoc principium Grotii cum ſaniore politica. Omnis res publica eſt independens, (*ſouveraine*) ergo eſt ἀνυπεύθυνος, id eſt, nemini tenetur factorum ſuorum rationes reddere, niſi quatenus alterius interſit. Atqui ſi poſſent externae res publicae poenam repetere ob quodcumque grauius delictum, tunc non eſſet res publica ἀνυπεύθυνος, adeoque nec independens, id quod abſurdum. Praeclare haec argumenta expoſuit et firmauit clar. BVDDAEVS *in Analectis iur. nat. et gent.* Diſſertatione *de expeditionibus cruciatis*, quae hic omnino conferenda.

Hinc facile patet, quid de quaeſtionibus reliquis omnibus ſentiendum ſit, quas Grotius mouet? Omnes ſunt fruſtraneae. Eas tamen paucis expendemus.

§. 39.

num. 1. Quaerit I. *An et ob delictum inchoatum, nec adhuc conſummatum poſſit bellum ſuſcipi?* Nos ſine ambagibus reſpondemus, non poſſe, quum ne quidem ob conſummatum delictum, licitum ſit bellum.

At Grotius hoc aliquando concedit 1. quod voluntas modo ad externos actus proceſſerit, poſſit puniri, e. g. ſi homicidium quis decreuit, et ſclopetum exploſit, nec tamen effectus ſequutus eſt; 2. quia leges et conſilia peccandi vindicent; 3. quia Romani Perſeo bellum inferre decreuerint; quia bellum pararet aduerſus Romanos.

Sed haec nihili ſunt. Nam 1. voluntas, ſi ad actus externos proceſſerit, punitur, ſed a ſuperiore, non ab aequali, 2. leges conſilia vindicant, ſcilicet ciuiles, quae gentes non obligant. 3. Romani bellum inferebant Perſeo, non in poenam, ſed defenſionis cauſſa. Quis enim primum exſpectaret ictum, ſi videat, alterum in eo eſſe, vt nobis ictum infligat?

nu. 2.3.4. Concedit tamen Grotius non niſi grauiora delicta inchoata locum poenae facere, 1. quia in re publica ne omnia quidem conſummata delicta puniantur, 2. quia lex Hebraea non niſi grauiora delicta conſummata puniat. Vnde *n.* 4. concludit, non punienda eſſe delicta inchoata, niſi ſint grauiora, et iam eo proceſſum, vt malum proxime immineat.

Sed

Sed quid opus erit cautione hac, vbi nondum demonſtratum eſt, bellum poenae cauſſa poſſe ſuſcipi?

§. 40.

Quaerit II. *an bellum geri tantum poſſit ob delicta aduerſus rem publicam vel ſubditos noſtros commiſſa, an ob alia quaecumque crimina?* e. g. ſubditos proprios iniuſte ob religionem perſequendo, quod fecit Ludouicus XIIII. rex Galliae.

Grotius vtrumque concedit, et quidem ob has rationes plane futiles, 1. quod imperantibus ius puniendi datum ſit, non qua imperant, ſed qua nemini parent. 2. Quod honeſtius ſit aliorum, quam ſuas vindicare iniurias.

Sed reſp. 1. arg. falſum eſſe. A nemine enim imperantibus data eſt facultas puniendi, quam a re publica cui praeſunt, et quae voluntatem ſuam in omnibus ſubmiſit imperanti. Ergo puniunt, quatenus imperant, nec aliis poenam infligere poſſunt, quam qui ſuam voluntatem voluntati eorum ſubmiſerunt.

2. Honeſtius eſt aliorum, quam ſuas vindicare iniurias modo legitimo. Bellum autem poenae cauſſa ſuſceptum modum legitimum eſſe, nondum demonſtratum.

Ergo fatemur ob delicta aduerſus rem publicam vel ſubditos noſtros admiſſa bella geri poſſe: Sed tunc non geruntur poenae, verum potius luendi iuris noſtri cauſſa. Negamus autem ſuſcipi poſſe bellum ob alia delicta quaecumque.

Nec maioris momenti eſt arg. 3. quod ab omnibus vetuſtis ſcriptoribus laudetur Hercules, qui orbem armis victricibus peragrarit, vt eum a tyrannis liberaret, Antaeo, Baſilide, Diomede et ſimilibus. *num. 2.*

Reſp. 1. factum ipſum eſt fabula. 2. Si verum illud ponamus, multa laudant veteres, quae laudem non merentur. Quis veterum non laudauit factum Vlyſſis Troiam contra fidem datam equo ligneo occupantis? Et tamen haec inexcuſabilis eſt perfidia. 3. Hercules non fuit rex, non imperans, ſed priuatus, adeoque ne bellandi quidem ius habuit. Ergo eius bella non magis laudanda, quam latronum, etſi per accidens etiam tyrannos aliquot oppreſſerint.

4. Per ſpecies quaſdam theſin ſuam illuſtrat Grotius, et *num. 3.*

oſtendit *recte bellum ſuſcipi aduerſus eos, qui in parentes iniuſti ſunt, in anthropophagos, in piratas, etiamſi nos non oppugnent: hos enim eſſe belluis ſimiles*, idque illuſtrat teſtimoniis Ariſtotelis et Iſocratis.

Sed reſp. 1. Impietas in parentes delictum eſt, ſed quod exteram rem publicam non magis tangit, quam adulteria aliaque delicta in aliena re publica admiſſa. Non poſſunt nobis huiuſmodi homines vitio vertere, ſi ab eorum communione et ſocietate abhorreamus: Sed ideo non poſſumus nobis ius puniendi ſumere in aliena re publica: 2. anthropophagia eſt inhumanum quid, ſed recte diſtinguit Pufendorffius num cadauera deuorent, an hoſpites ad ſe aduentantes. Si prius, noſtra res publica, inde non magis laeditur, quam ſi deuorent ſerpentes. De guſtibus non eſt diſputandum. Sin hoſpites ad ſe profectos deuorant, tunc bello illos perſequimur ob laeſionem, dum violarunt ſecuritatem publicam. 3. Piratae non ſunt ſocietates liberae, adeoque nec aduerſus illos proprie bellum geritur, ſed quaeruntur ad ſupplicium, tamquam delinquentes priuati, et quidem tales, qui vagi et fugitiui ſunt; adeoque ab vnaquaque re publica rapi poſſunt ad ſupplicium.

num. 4. Denique 5. et doctrinam Innocentii P. P. probat, qui putat bello in poenam peti poſſe, qui in naturam delinquunt. *c. quod ſuper his X. de vot.*

Sed 1. ipſi canoniſtae et pontificii ſcriptores, vt Victoria, Vaſquius, Azorius, Molina huius dogmatis pontificii falſitatem agnoſcunt; 2. Inde ſequitur id abſurdum; vt ob omnia delicta decalogo vetita poſſit bellum ſuſcipi, quia omnia illa contra naturam ſunt. Sic e. g. ſemper contra Hiſpanos licebit bellum gerere, quia in eo regno libidines nefandae admodum ſunt frequentes, ſemper iuſtum erit bellum contra Polonos et Ruſſos, quia in priori regno homicidia, in poſteriore, furta ſunt frequentiſſima, et fere impune committuntur.

§. 41.

Iam cautiones quaſdam ſubnectit Grotius, circa huiuſmodi bella obſeruandas. I. *ne mores ſumantur pro iure naturae, adeoque non ſtatim pro delictis contra naturam admiſſis accipiantur, quae tantum moribus plurimarum gentium repugnant.* Hinc abſur-

abſurdum eſſet, bellum indici Tartaris, quod carne cruda veſcantur, Indis, quod comburant cadauera, cet. Cautio vera eſt, ſed fruſtranea, quia ne ob vera quidem delicta licitum eſſe bellum agnoſcimus, niſi nos iſtis delictis ſimus laeſi.

§. 42.

II. *Ne pro delictis habeamus, quae magis ſunt contra ius poſitiuum diuinum, quam contra naturale. Immo nec ea, de quibus adhuc lis eſt, an ſint iuri naturae contraria.* Hinc abſurdum eſſe fatetur, ſi quis Ianuenſibus bellum inferat ob foenebre malum, quod in ea re publica graſſatur, Turcis ob polygamiam, cet. Sed haec quoque cautela fruſtranea, quia nec iuſtum eſſet bellum, ſi delicta haec iuri naturae contraria eſſe concederentur.

§. 43.

III. *In ipſo iure nat. diſcernenda eſſe manifeſta a non manifeſtis.* Nam *num.* 1.

1. Aliqua ipſa ſua natura ſunt difficilioris indaginis, e. g. 1. quae ex honeſto fluunt et decoro, quia ſupponenda hic principia phyſica et moralia, 2. quae ad officia hypothetica pertinent, quia hic ſupponenda principia politica de natura dominii, pretii, rei publicae.

2. Alia iuris naturae officia difficilia ſunt certis perſonis ob ruditatem, educationis defectus, e. g. barbaris. *num.* 2. 3.

Cum his mitius agendum putat Grotius, ita vt non ſtatim ob neglecta officia iuris naturae minus manifeſta homines rudes et barbari bello opprimi poſſint. Sed denuo cautela ſuperflua; quia Grotius non probauit, vel ob manifeſtiſſima delicta bellum iure ſuſcipi poſſe.

§. 44.

Redit ad quaeſtiones, quarum 3. eſt, *an et ob delicta aduerſus Deum admiſſa, bello locus ſit?* Hic Couarruuias licet pontificius, negatiuam recte defendit. Et Grotius contra ipſis pontificiis hac in re durior eſt. Nam primo refutare conatur Couarruuiae argumenta. Deinde et ſuam ſententiam proponere nititur. *num.* 8.

1. Couarruuias dixerat, *punitiuam poteſtatem non eſſe ſine iu-*

riſdictione. Sed reſp. Grotius, hanc ſe ſententiam iam antea reieciſſe. Nos replicamus, reieciſſe Grotium hanc ſententiam, ſed iniuria, vti per totum caput demonſtrauimus.

num. 2. 2. Dixerat Couarruuias *principem tantum* ἐπισκοπὴν *accepiſſe in ſubditorum actiones, non in extraneorum.* Reſp. Grotius, id falſum eſſe. Quemadmodum enim epiſcopi omnes vniuerſalis eccleſiae curam ſuſceperint, ita et principibus ſingulis generalem pro humana ſocietate curam incumbere. Nos replicamus. Aut concedit ergo Grotius, ſingulos epiſcopos in vniuerſalem eccleſiam habere poteſtatem directiuam et punitiuam, tunc habebimus plus, quam papatum: aut dicet epiſcopis tantum ius curandi eccleſiae vniuerſalis ſalutem non directiuam et punitiuam poteſtatem competere. Et tunc ſimile quid etiam concedere debebit de principibus, quod cura ipſis incumbat pro ſocietate humana, ſed non tamen ideo polleant poteſtate punitiua extra rem publicam ſuam.

num. 3. 3. Dixerat Couarruuias, *Deum ſufficere vindicandis, quae aduerſus ſe commiſſa ſint.* Reſp. Grotius. *Sufficere Deum etiam vindicandis iniuriis aduerſus homines commiſſis.* Et tamen neminem negare, has iniurias eſſe puniendas. Nos replicamus. Diſtinguendos eſſe hos caſus. Iniuria hominibus illata non ſoli vindictae diuinae relinqui poteſt, quia turbat ſocietatem humanam. Aſt delicta aduerſus Deum commiſſa, non ſemper turbant ſocietatem humanam, hinc non punienda ab hominibus.

Obiicit Grotius, *religionem non ſolum conſiderari poſſe vt medium conciliandi ſibi diuinam gratiam, verum etiam, tamquam vinculum rei publicae. Ergo delicta aduerſus Deum commiſſa ſaepe turbare rem publicam.* Reſp. Tunc aut turbant rem publicam exteram, et ſic noſtra non intereſt, niſi foedere illi rei publicae obſtricti ſimus. Aut turbatur res publica noſtra, tunc poenae locus eſt, non quia delictum aduerſus Deum, ſed quia aduerſus rem publicam noſtram admiſſum eſt. Sic e. g. abuſus nominis diuini eſt graue delictum in Deum, ſed ideo nemo punitur. Si quis autem abutatur nomine diuino ad concitandas ſeditiones et turbandam rem publicam, tunc punitur, non tamquam iniurius in Deum, (quamuis hoc poenam exaſperare poſſit,) ſed tamquam turbator rei publicae.

n. 4. 5. 6. Obiicit porro *religionem non ſolum eſſe vinculum rei publicae: ſed et totius ſocietatis humanae, adeoque et ob delicta aduerſus Deum*

Deum commiſſa poſſe bellum geri aduerſus extraneos. Sed 1. religio eſt ſententia in intellectu conſiſtens. Intellectus non peccat, ſed errat. Error non poenam, ſed commiſerationem meretur, non gladio, ſed argumentis expugnatur.

2. Religio eſt vinculum ſocietatis humanae, verum non noſtra, ſed generatim religio. Itaque non poteſt Chriſtianus ſalua conſcientia religionis ſolius cauſſa adgredi Turcas, paganos, quia hi licet non noſtram, religionem tamen habent. Immo quamuis Sinenſes ex ſententia omnium vere ſint Spinoziſtae et Athaei, tamen numquam iuſtum dicerem bellum iis ob atheiſmum illatum, quum alias ſint moribus probis praediti, et datae fidei tenaces.

3. Homines non ſemper viuunt ſecundum principia intellectus, ſed ſecundum propenſiones voluntatis. Hinc multi Chriſtiani peſſimis, multi athei honeſtis moribus praediti ſunt. In re publica autem et ſocietate humana ſufficit, ſi externa adhuc honeſtas et iuſtitia adſit. Ergo bellum ob errores et delicta contra religionem geri nequit.

§. 45.

Iam ergo hac occaſione de *religione* generatim agit Grotius, et quidem de *naturali et omnibus hominibus communi*, quam quatuor veluti articulis theoreticis conſtare cenſet:

I. *Eſſe Deum, et quidem vnum.*

II. *Deum non eſſe rem quamdam ſimilem creaturis, ſed ens aliquod ſublimius*, id eſt, ens infinitum et perfectiſſimum.

III. *A Deo curari res humanas.* Nam alias perinde eſt, ſiue quis Deum neget, ſiue eumdem otioſum eſſe fingat. Vnde et Epicurus plerisque viſus eſt Atheus, quia Deum ſibi otioſum imaginatus eſt.

IIII. *Eumdem Deum eſſe opificem huius vniuerſi.* Nam alias nullum eſſet principium dependentiae, ex quo ad cultum et obſequium Deo praeſtandum obligaremur.

Eleganter obſeruat Grotius, quatuor iſta religionis naturalis capita totidem decalogi praeceptis inculcari. *num. 2.*

1. Vnitas Dei praecepto primo: *Non habebis Deos alienos praeter me.*

2. Eius natura inconſpicua praecepto 2. *Ne facias tibi imaginem*, cet.

3. Eius prouidentia praecepto 3. *Ne ſumas nomen Dei in vanum.* Id fruſtra eſſet, niſi Deus curaret humana.

 4. Crea-

4. Creatio denique fundamentum eſt inſtitutionis ſabbathi.
num. 3. Hi ſunt articuli religionis naturalis theoretici. Practici ſunt, qui ex ſuperioribus fluunt.

1. *Si Deus eſt vnus, ſane ille honorandus eſt.* Honorare enim eſt obiecto tribuere praerogatiuam. Summam autem praerogatiuam meretur quod vnum eſt, et ſibi par nihil habet.

2. *Si Deus eſt ens perfectiſſimum, erit ſane amandus.* Amor enim eſt appetitus, qui fertur in bonum. In quem ergo magis feratur, quam in bonum ſummum et perfectiſſimum.

3. *Si curat res humanas, et timendus, et in eo collocanda fiducia.* Nam tunc et ſcit actiones noſtras, ergo et non parcet peccatis. Scit calamitates piorum, ergo et preces eorumdem audiet. Prius timorem, poſterius fiduciam excitabit.

4. *Si Deus condidit vniuerſa, ab ipſo dependemus.* Ergo eſt ſuperior noſter, ergo iure nobis praeſcribit leges, adeoque et eidem merito obtemperamus.

num. 4. Haec omnia ipſa recta ratio cognoſcit, 1. inde, quia omnia in mundo ſunt contingentia, nihil neceſſarium. Quod eſt contingens, non neceſſarium, illud extra ſe habet cauſſam cur ſit: Ergo extra mundum debet eſſe cauſſa, cur ſit. Illa cauſſa, quum nulla re determinetur, non poteſt non eſſe infinita, quumque omnia ad certum finem fecerit, intelligens, adeoque perfectiſſima. Ens infinitum, perfectiſſimum, intelligens eſt Deus. Ergo Deus eſt.

2. Addit Grotius argumentum a προλήψει ſeu communi omnium gentium perſuaſione deſumtum: *quia nulla ſit gens tam barbara, quae non Deum eſſe fateatur.* Sed hoc argumentum non adeo firmum eſt. Nam et nulla fere gens olim fuit, quin crediderit plures Deos, et tamen is error fuit. Ergo hoc argumentum tantum adminiculans eſt.

§. 46.

num. 1. 2. Iam his praemiſſis quaerit, *an propter religionem hanc violatam poena poſſit irrogari?* Diſtinguit Grotius inter *notiones* ipſas de Deo, et *modum* ab iis *diſcedendi.*

1. *Notiones* ipſae vel *clariores* ſunt vel *euidentes*, vel *paullo obſcuriores. Clariores* ſunt illae de Dei exſiſtentia et prouidentia. Nam 1. has omnes etiam hebetiores agnoſcunt, modo cogitare velint, quod exiſtant, et cur exiſtant? 2. quia ſunt prin-

principium omnis religionis, adeo vt ſine his ne concipi quidem religio poſſit. 3. quia conſentiunt philoſophi, has notiones non poſſe a religione ſecludi.

4. Quia omnes gentes has veritates agnouerunt. Et hinc plura loca colligit veterum, qui has veritates et inde fluentem cultum diuinum ad ius gentium retulerunt. vid. *L.* 2. *D. de iuſt. et iur.* *num.* 3.

II. *Modus diſcedendi* ita differt, vt alii primi has notiones deſerant, et huiuſmodi doctrinas tollant, alii eo errore abrepti poſtea in atheiſmo perſeuerent. Quia ergo primi has rationes clariſſimas tollunt: illos puniri poſſe exiſtimat. *num.* 4.

1. Quia in culpa ſint, dum ad veritatem euidentiſſimam coecutiant,

2. quia ſocietatem humanam violent, dum eius vinculum tollant.

Sed in eo manifeſto errat Grotius. Omnis poena ponit delictum, omne delictum in voluntate, non in intellectu quaerendum. Atheiſmus non niſi error intellectus eſt, ergo in ſe poenam non meretur. Quare ſi quis coecus non videt, non punitur. Qui puniri poſſit homo tam mente occoecatus, vt Deum non videat?

Quare potius diſtinguendum an iſte atheus eum errorem ſibi foueat, an turbet rempublicam. Priore caſu commiſeratione dignus et rectius informandus, poſteriore caſu puniendus eſt, non ob atheiſmum, ſed ob turbationem rei publicae.

§. 47.

Quod ad reliquas *notiones de religione* attinet: Illae non aeque clarae ſunt ac iſtae duae. *Quod inde videmus* 1. *quod plures populi qui Deum exſiſtere crediderunt, tamen plures Deos ſtatuerunt.* 2. *Quod et ſapientiſſimi philoſophi pagani mundum ſibi finxerint aeternum.* 3. *quod Epicurus et alii prouidentiam negarint.* *num.* 1.

Hos ergo errores non ſtatim poenam mereri inde probat, 1. quod et ſine illis quodammodo conſiſtere poſſit religio. 2. Quia lex diuina non omnes gentiles et idololatras puniri iuſſerit, ſed tantum ſeductores, *Deut.* 13. 16. Apoſtatas, *Deut.* 12. 23. 3. anthropothytas, id eſt, qui ſacrificia humana offerebant. *Leu.* 20. 2. *num.* 2.

Obiici poſſent Cananaei populi, quos ob idololatriam Deus fun- *num.* 3.

funditus exſtirpari iuſſerit. Sed reſpondet Grotius, 1. id factum eſſe ob immenſa ſcelera, quibus idololatriam cumularint. 2. non niſi poſt ſpatium poenitentiae longiſſimum conceſſum. Ego reſpondere malim, a facultate puniendi Deo competente non procedere argumentum ad ius puniendi hominibus competens, de quo hic agitur. Deus omniſcius eſt, et mentes hominum perſpicit. Tale quid non ſibi arrogabunt homines.

Deinde vt exiſtimabat Grotius puniri poſſe, qui primi religionis fundamenta tollunt: ita contra negat puniendos, qui ex ignorantia maiores ſequantur. Quod facile concedimus. Exceptionem tamen duplicem addit, dignos poena eſſe

1. qui diabolos et vitia adorant,

2. qui ſacrificiis humanis vtuntur.

Et id concedo, niſi quod quoad cultum cacodaemonum vix credibile eſt vllum mortalem fore tam ſtupidum, vt eos adoret, ſi ſciat eſſe cacodaemones. Vnde plerumque gentiles eos potius pro Diis bonis habuerunt.

Hactenus ergo cum Grotio facimus. Hi puniri poſſunt, ſed a quo? a magiſtratu. Si quis vero ideo bellum indicere vellet genti, vix eſſet excuſandus. Potius conuertendi erunt. Nec laudandus Carolus M. qui Saxonibus religionis tantum cauſſa bellum intulit.

§. 48.

num. 1. Et hoc ipſe Grotius recte agnoſcit hac §. vbi quaerit, *an bellum inferre fas ſit iis populis, qui nolint ſuſcipere religionem Chriſtianam?* Negat,

1. quia religio perſuaderi non poteſt naturalibus argumentis. Poſſum quidem perſuadere ethnico, Deum exſiſtere, Deum vnum eſſe, et alia huius generis capita religionis naturalis: ſed Chriſtum eſſe filium Dei, eum mortuum pro peccatis hominum, reſurrexiſſe, adſcendiſſe in coelos, non eſt obiectum demonſtrationis, verum fidei. Fides vero eſt opus Dei. Ergo nemini iraſcendum, qui exſors eſt diuini iſtius doni.

num. 2. 2. Quia naturae doctrinae Chriſtianae repugnat coactio: Neminem Chriſtus voluit vi et poenis ad credendum adigi. *Rom.* 8. 15. vbi exigit filialem, non ſeruilem ſpiritum. *Ioh.* 6. 6. vbi

vbi Chriſtus quaerit: *an et vos vultis a me deficere. Luc.* 9. 54. vbi increpat diſcipulos ignem coelo deuocaturos.

3. Quia hoc et patres agnouerint, Tertullianus, Athanaſius, Chryſoſtomus: immo et Concilium Toletanum, cuius canon n. 1. huius §. adducitur. Vbi tamen notanda Auguſtini fluctuatio, qui quum et ipſe antea ſanam doctrinam de non perſequendis haereticis et infidelibus defenderet: poſtea, quum Donatiſtas hoſtes habere coepiſſet, in contraria cucurrit.

Obiici ſolet a Pontificiis locus *Luc.* 14. 29. *cogite intrare.* *num.* 3.
Sed 1. vox haec in Euangelio ſaepe notat inſtantiam rogantis, non coactionem violentam. 2. Ex contextu adparet, hanc ſolam ſignificationem locum habere. Nam ſermo eſt de conuiuio nuptiali, quis ad illum cogitur vi?

§. 49.

Alia eſt quaeſtio, *an bellum inferri poſſit gentibus Chriſtia-* *num.* 1.2.
nam religionem iniuſte perſequentibus? Id adfirmat,

Quia in Chriſtiana religione nihil eſt, quod repugnet ſtatui ſociali et ciuili, immo haec doctrina et ſancta eſt, et in moralibus rationi conuenientior, quam omnes reliquae religiones. Perſequi veritatem delictum eſt. Ergo in poenam poteſt bello vindicari.

Sed rem concedo. Rationem Grotii reiicio. Tunc enim cauſſa belli huiusmodi non eſt delictum, ſed defenſio.

§. 50.

Multo minus ergo adfirmanda quaeſtio: *an haeretici* i. e. *num.* 1.
Chriſtiani erroribus quibuſdam dediti *perſequendi ſint?* Grotius illud conuellit,

1. Exemplo Iudaeorum, qui diuerſas ſectas ferebant, vti Phariſeos, Saducaeos, Eſſenos, quum principia eorum eſſent diuerſiſſima.

2. Quia magna eſt intellectus imbecillitas, magna vis inoli- *num.* 2.
tae ſemel opinionis. Hinc nec obiici poteſt, errores nonnumquam eſſe manifeſtos et intolerabiles. Nam quod mihi clarum et manifeſtum videtur, id non ſtatim tale eſt aliis.

3. Modus illuminationis non eſt idem. Forte ego veritatem agnoſco gratia diuina, ſed non hunc modum gratiae accepit alter, cui ideo iraſci eſſet iniquiſſimum.

nu. 3.4.5. 4. Haereſis non eſt crimen. Edidit Dn. THOMASIVS diſſertationem: *an haereſis ſit crimen?* et id initio non ſine ſtupore acceptum. Et res tamen clariſſima. An delicta ſunt in intellectu? Hinc et Auguſtinus illum tantum dicit hareticum, qui temporalis tantum commodi et gloriae principatuſque gratia nouas opiniones excogitat. Quis vero haec interna cordis diiudicet? Plerique bona fide errant.

5. Omnes veteres orthodoxique Patres hanc haereticorum lanienam damnarunt. Loca Athanaſii, Hilarii, immo et Synodorum varia *n.* 5. huius §. adduxit auctor.

§. 51.

num. 1. 2. Denique quaeritur, *an poenam mereantur, qui in Deos ſuos licet falſos, ſunt irreuerentes?*

Adfirmat Grotius, quia quantum in ipſis eſt, verum Deum offendunt, qualem eſſe putant Deos falſos ſuos. Vnde aeque poena dignus, qui per falſos, quam, qui per verum Deum peierauit, quemadmodum aeque regicida eſt, qui pro rege, quem occidere voluit, ſummum eius miniſtrum trucidauit, adeoque in perſona errauit. Rem iam ſupra explicauimus, vbi de iureiurando et periuriis actum.

CAPVT XXI.

DE COMMVNICATIONE POENARVM.

§. 1.

num. 1. HIc primo omnium quaeritur, *quid ſit poenae communicatio?* Eſt actus iuſtitiae, quo poena non ſolum delinquentes principales, ſed et alios ſequitur. Et hi iterum duorum generum ſunt. *Vel* enim *puniuntur qui delicti ſunt participes*, de quibus §. 1-8. *vel qui extra reatum ſunt*, §. 9. *ad fin*. Sed quum poena ſit malum paſſionis ob malum actionis inflictum a ſuperiore: conſequens ſane eſt, vt poena non poſſit infligi niſi iis, qui delicti ſunt participes. Quare rectius dixeris: In communicatione poenarum vel ipſam poenam communicari, ſi plures ſint delicti participes, vel

vel tantum damnum ex iſta poena reſultans. e. g. Si quis percuſſorem aere conduxit, vterque reus eſt, et hinc proprie punitur, ſi vero vtrique ſunt vxores et liberi, hi ſimul damnum ex iſto maritorum et parentum ſupplicio ſentiunt, ſed proprie non puniuntur, tamquam innocentes.

I. Iam quod ad priorem partem attinet, auctor praemittit regulam: *Poenas dat non ſolum cauſſa delicti phyſica*, e. g. percuſſor, *ſed et cauſſa moralis*, e. g. qui eum aere conduxit. num. 2.

Cauſſa phyſica eſt, quae actu phyſico et corporali delictum perpetrauit.

Cauſſa moralis, quae animo vel conſenſu concurrit, e. g. iuſſu; conſenſum requiſitum adhibendo, adiuuando, receptum dando cet. aeque poenam ideo meretur, quia in imputatione facti tantum diſpicitur, an quis ſit actionis auctor. Auctor aliquis eſt non modo corpore ſed et animo, quia quod quiſque per alium fecit, illud ipſe feciſſe videtur.

Attamen hic probe diſpiciendum, 1. an vere ſine eius concurſu actio non foret ſuſcepta. Hinc non ſtatim, qui laudauit, puniendus eſt.

2. An nudum et generale conſilium datum, an iuſſus vel conſilium ſpeciale acceſſerit. Prius enim conſilium non eſt obligatorium.

3. An ſi quis ob delictum non prohibitum punitur, perfecta adfuerit prohibendi vel impediendi obligatio. Hinc poena furti particeps non eſt, qui in vicinia furtum fieri vidit, nec prohibuit, quamuis eiusmodi vicinus ſit inhumanus.

§. 2.

Haec iam Grotius adplicat ad quaeſtionem nobiliſſimam, *an ob delictum priuatorum communitas tota, vel eiuſdem rectores teneantur?* num. 1.

Id negatur in theſi, 1. quia poena tenet ſuos auctores, non innocentes. 2. Quia vnus vel alter ciuis non eſt totas ciuitas. 3. Quia nulla eſt ciuitas vel res publica, quae ex meris probis et virtute ornatis ciuibus conſtet, adeoque rectores ciuitatum tantam probitatem ſuorum ciuium praeſtare nequeunt.

Quare potius diſtinguendum, *ciuitasne deliquerit, an ciues?* Priore tantum caſu poena adficitur ciuitas eiuſque rector, non poſteriore. Quaeritur autem, *quando ciuitas deliquiſſe dicenda ſit?*

 Reſp.

num. 2.3. Reſp. id fieri *patientia* et *receptu*. Hinc 1. requiritur patientia. Ea autem intelligi non poteſt.

1. Sine ſcientia. Ergo prima regula eſt, qui magiſtratus ſcit, ciues delictum meditari, idque non prohibet, iſte ipſe delinquit, adeoque et poenam meretur. Hinc Cicero Piſonem ſeditionis arguit, quod quum conſul eſſet, ſciret tribunos plebis turbas dare, iisque non reſiſteret.

Id non modo variis veterum teſtimoniis probat Grotius, ſed et a pari, quia et iure priuato pater ex delicto filii, dominus e delicto ſerui tenetur, ſi vterque ſciuerit, hos delinquere, nec prohibuerit. Quanto magis tenebuntur rectores ciuitatis, quibus plus auctoritatis eſt et potentiae ad delicta ciuium coercenda?

num. 4. 2. Requiritur in rectoribus facultas prohibendi. Hinc non ſemper rectoribus ciuitatum delicta ciuium poſſunt imputari, ſi ipſis defuerit impediendi facultas. Nam alioquin nulla culpa eſſet in rectoribus, adeoque nec poena in eos caderet. Deſtitui autem hos ſaepe facultate prohibendi certiſſimum eſt. Caſus ſunt varii.

1. *Si*, vt Tacitus ait, *delicto impar ſit res publica*. Sic e. g. Ruſſiae imperator quamuis ſeuerus, quamuis potentiſſimus, non tamen potuit per regnum ſuum tollere latrocinia. Iniuriam itaque ei feciſſent exteri, ſi ob homines ſuos in viis ſpoliatos bellum ipſi intuliſſent.

2. *Si res per tumultum repentinum acta*. Tunc plebs ſemel in furorem acta, nec rectorum ciuitatis, nec aliorum ſana monita admittit, adeoque et poena non habet locum.

num. 5. Hinc facile patet, quomodo intelligenda ſint illa? *Saepe luit populus poenas vnius iniqui*. Nempe 1. ſi vnus aliquid egit conſilio publico; 2. ſi reliqui ſciuerunt, et, cum poſſent, non prohibuerunt; 3. ſi re peracta non puniunt.

num. 6. Hinc etiam liquet, *an praeſumatur ſcientia et puniendi facultas?* Id ex circumſtantiis iudicandum. Scilicet conſiderandum, 1. an delictum fuerit diuturnum, an momentaneum; 2. vtrum per tumultum repentinum, an a paucis ſuſceptum; 3. vtrum milites aliaque inſtrumenta reſiſtendi in promtu fuerint nec ne; 4. an rectores ciuitatis indignationem ſuam prodiderint reſiſtendo, dehortando, minando, puniendo, nec ne.

§. 3.

§. 3.

Deinde II. et *receptu dato ciuitatum rectores delicti fiunt participes*. Hinc ſi illi piratis in portubus ſuis receptum dant, nec eos puniunt, perinde eſt, ac ſi piraticam agerent: quia ſic fiunt cauſſa delicti moralis. *num.* 1.

Obiici poſſet, 1. vnumquemque ciuitatis rectorem poſſe veniam delinquentibus dare, poenamque remittere. Hinc qui iure ſuo vtitur, nemini facere iniuriam. Ergo nec magiſtratui quidquam poſſe imputari, qui piratis receptum dederit, dummodo non iuſſerit delictum fieri.

Sed reſp. diſtinguendum eſſe inter delicta in re publica; et aduerſus extraneam rem publicam, vel aduerſus ſuperiorem admiſſa. Priore caſu ſi rectores ciuitatis ius aggratiandi exercent, iure ſuo vtuntur, adeoque et nemini faciunt iniuriam. *num.* 2.

At poſteriore caſu extraneae rei publicae vel ſuperiori ius quaeſitum eſt, ius nimirum ſatisfactionem pro damno dato, delictoue perpetrato exigendi. Id vero ipſis inuitis auferri nequit. Et hinc ſi auferunt, omnino delicti admiſſi ipſi fiunt participes.

§. 4.

Hinc porro facile deciditur quaeſtio, *ad quid rei publicae extraneae obligentur rectores ciuitatis, ſi ciues eorum aduerſus exteros deliquerint?* *num.* 1.

Reſp. Exteri, qui damnum patiuntur, ipſi poſſunt punire ciues noſtros in ſuo territorio peccantes, ſi ibi deprehenduntur, quia delinquendo fiunt ciues temporarii.

Si in rem publicam noſtram ſe contulerunt; tunc non poſſunt actum iuriſdictionis exercere exteri in territorio noſtro; nec id ſine confuſione ſumma fieri poſſet. Hinc ergo ſequitur, vt aut ipſi debeamus ſupplicium ſumere, aut reos dedere exteris.

Deditionem hanc eſſe iuris gentium variis exemplis demonſtrat Grotius, veluti Iſraelitarum *Iud.* 20. Philiſtaeorum, *Iud.* 15. Lacedaemoniorum, Romanorum cet. Sed nihil opus eſt iſta inductione. Nam poteſt ex ipſis principiis iuris naturae demonſtrari. Exterae rei publicae, in qua delictum *eſt* commiſſum, debemus ſatisfactionem, vel poenam ab his hominibus repetendam, qui deliquerunt. Poena illis infligitur vel per nos, vel per ipſos, qui laeſi ſunt. Si per hos, debemus punire: ſi per laeſos, debemus dedere. *num.* 2.

nu. 3.4.5. Quaeritur autem, *quem penes ſit optio?* Et recte reſpondet Grotius, penes rectores vel ſuperiores delinquentium, qui ſi ipſi poena iuſta adficiunt delinquentes, nihil vltra exigere poſſunt exteri. Accedit et alia ratio, quia periculum eſt, ne exteri irae et vindictae in ſontes plus iuſto indulgeant, et hinc nimis crudeliter conſulant in eos.

Nonnumquam tamen vltro res publica extera ciuitati optionem concedit, vt eo cumulatius ſatis fiat. Id enim fieri poſſe nemo dubitat, quia ex ipſis rectae rationis principiis quiſque poteſt iuri in fauorem ſui introducto libere renunciare. Exemplum Caeritum eſt apud LIV. *lib.* 7.

n. 6.7.8. Quaeritur porro, *an obſtricti ſimus ad dedendos etiam exteros, qui ad nos confugerunt?* Quaeſtio haec ſaepe orta, veluti quum ex Anglia quidam regis hoſtes ad Gallos et Hiſpanos confugerent, item quum ex adminiſtratoribus pecuniae publicae, peculatus rei in Belgium Auſtriacum diſceſſiſſent.

Sed reſponſio facilis. Diſtinguendum an apud nos hoſtilia meditentur aduerſus patriam: et tunc aut dedendi, aut ipſi itidem pro hoſtibus iure habentur: an quiete viuant: tunc non dedendi quidem ſunt, quia ſe ſemel fidei noſtrae commiſerunt, ſed tamen patriae eorum adminiſtranda iuſtitia, ſi hos homines accuſare coram foro noſtro velint.

Ratio diuerſitatis eſt: quia iſti fugitiui, dum in rem publicam noſtram ſe contulerunt, ſtatim fiunt ciues noſtri. Ergo aut ante iſtam fugam peccarunt, aut dum apud nos latitant. Si antea, tunc tamquam ciues noſtri puniendi; ſin poſtea apud nos hoſtilia moliantur, tradendi, per ea, quae ad *n.* 2. huius §. monuimus.

Denique quaeritur, *an a ſua ciuitate dediti et non recepti ciues maneant?* Quaeſtio haec mota, quum Mancius Numantinis deditus et non receptus poſtea in ſenatum veniret, et dicturus eſſet ſententiam. Hinc nata controuerſia inter ICtos, de qua *L. vlt. ff. de legation.* P. Mucius Scaeuola eum ciuem negabat. Brutus et Cicero contrariam defendunt ſententiam. Ille vtebatur argumento, quod ſemel expulſus e ciuitate non magis ciuis ſit quam exſul: hi contra, quod deditio ſine acceptione nulla ſit.

Grotius noſter cum Cicerone et Bruto facit, ſed eius tamen rationem reiicit, quia deditio non aeque ac donatio ſit actus bilate-

bilateralis. Hinc hoc argumento mauult vti. *Qui dedit populo alteri, poteſtatem concedit puniendi.* Si populus ea poteſtate non vtitur, tunc ipſe populus dedens arbitrium habet puniendi aut non puniendi. Atqui non puniuit, ſi nullum ea de re exſtitit decretum vel ſententia condemnatoria. Ergo nec ciuitatem amiſit Mancinus, quia ciuitas non ipſo iure ſed per decretum populi amittitur.

Nos putamus et Grotii et Ciceronis rationes ſatis firmas eſſe et ſolidas. Nam quod ad huius argumentum attinet, certiſſimum eſt deditionem aeque actum bilateralem eſſe, ac donationem, adeoque nec ipſum ſine acceptatione intelligi.

§. 5.

Noua iam quaeſtio naſcitur: *an non reos defendat ius aſyli* num. 1.
et refugii? Talia ſane aſyla hodienum ſunt apud Pontificios, eccleſia et monaſteria: Apud Ebraeos certae vrbes. Romae quoque Romulus ius aſyli conſtituerat ad ciuibus locupletandam rem publicam.

Recte reſp. Grotius *haec aſyla iniuſtiſſima eſſe, niſi certis circumſcribantur limitibus.* Primaria ergo regula eſt: *Aſyla non conſtituuntur pro ſontibus, ſed pro infortunatis.* Id tale probat Grotius 1. teſtimoniis veterum Graecorum, qui hunc finem eleganter expreſſerunt: Vbi praecipue legi merentur verba Gylippi apud Diodor. Sic. *lib. XIII.*

2. Exemplo Athenienſium, qui quidem aſylum conſtituerant num. 2.
aram miſericordiae, ſed non niſi miſeris, victis bello, exſulibus, perſequutionem et iniuriam paſſis, quibus ipſa humanitas iubet auxilium ferri.

3. Praxi gentium veterum, qui maleficos ab ipſis aris abſtra- num. 3.
ctos punire non dubitabant. Non pauca eam in rem exempla cumulat Grotius ex auctoribus Graecis: quibus addi poſſunt illa ſacra. Salomon Adoniam et Ioabum aram amplectentes occidit. Aſyla quidem quaedam conſtituerat Deus in gente Iſraelitica, ſed non niſi iis, qui plane innocentes erant, et homicidium e. g. caſuale commiſerant, vt tuti eſſent a vindice ſanguinis, id eſt a proximo agnato, cui ius erat vindicandi caedem agnati ſui.

Iam facile patet, quid factu opus ſit, ſi delicti veri reus ad nu. 4. 5.
aſyla

aſyla noſtra ſe receperit. Dicit Grotius, aut puniendi, aut dedendi, aut amouendi, id eſt, illis iniungendum eſt, vt quantocyus terra noſtra egrediantur.

Poſſunt ergo puniri, quia ius aſyli non ſontibus, ſed innocentibus prodeſſe debet: poſſunt dedi, quia haec optio ſemper competit populo, ad quem confugerunt delinquentes: poſſunt denique amoueri, quia cogere nos non poteſt exterus vt eum tradamus, qui quamdiu apud nos fuit, et ad fidem noſtram confugit, nihil deliquit. Et eo poſtremo temperamento plerumque vtuntur hodie gentes. Sic Galli non dediderunt equitem S. Georgii, ducem Ormondiae, comitem Bullingbrockiae, ſed tantum expulerunt.

Sed et hic 1. ſuperior valet diſtinctio, hoſtiline aduerſus nos animo ſint, qui ad exteros transfugiunt, an alius delicti in priuatum admiſſum rei. Haec enim debita plerumque diſſimulant generoſi principes. Ibi vero vel poenam vrgent, vel deditionem, vel expulſionem.

2. Ceſſare obligationem, ſi malum ita inualuit, vt non niſi propoſita impunitate coerceri poſſit. Tunc enim data ſemel impunitate, nec deditio, nec poena iure flagitatur, immo nec expulſio. E. g. ſi piratae promiſſa impunitate ad nos confugerint, et piraticam deſeruerint.

§. 6.

num. 1. Porro quaeritur, *an plane nihil auxilii ſit reis ad nos confugientibus in defenſione noſtra?* Diximus enim ſaepe et hos vel puniendos, vel dedendos, vel amouendos. Ergo non melior eorum erit conditio, ac ſi domi ſe paſſi eſſent in vincula coniici. Reſp. omnino. Nam

1. Aequiorem ſperare poterunt iudicem principem exterum, quam iudices domeſticos, qui plerumque vel priuato odio in reum, vel adulatione aduerſus principem ad perdendum miſerum ſtimulantur.

2. Defenduntur interea, dum cauſſa cognoſcitur. Nam quum nemo indicta cauſſa ſit puniendus, tradenduſue alterius libidini, merito prius cauſſa cognoſci debet, ne deterioris ſit conditionis ſupplex, quam quicumque alius ex ciuibus noſtris.

num. 2. Sed ea occaſione noua naſcitur quaeſtio, *ex quo iure ſit iudicandus*

dicandus ſupplex, num ex iure iſtius ciuitatis, in qua peccauit, an ex iure noſtrae ciuitatis, ad quam confugit?

Reſp. Grotius, aut delictum quod admiſit eſt contra ius naturae et gentium: tunc hoc ſequendum eſt. Aut delictum eſt mere ciuilibus legibus prohibitum, tunc illud iudicandum ex iure ciuitatis eius, in qua peccauit.

Sed iam ab aliis recte obſeruatum, ius naturae et gentium hic numquam habere locum.

Nam 1. hic quaeſtio eſt de infligenda poena. Poenas autem plane nullas definit ius naturae. 2. Ius naturae et gentium norma eſt in ſtatu naturali. Qui autem ad nos confugiunt, non ſunt in ſtatu naturali, ſed ſtatim fiunt ciues noſtri. Ergo iudicandi ex iure ciuili. Sed ex quo? *ex eo*, inquit Grotius, *contra quod peccarunt.* Sed id falſum. Ciuis enim noſter factus. Ergo ſecundum eas leges iudicandus erit, quae alios ciues obſtringunt.

§. 7.

His praemiſſis ad quaeſtionem primariam redit Grotius, *num.* 1. quaeritque, *quomodo delicti rectorum participes fiant ſubditi?* Hactenus enim vidimus, quomodo delicti alieni participes fiant rectores ciuitatis: deinde quomodo delictum paucorum tranſeat ad totam communitatem?

Recte reſp. Grotius *conſenſu.* Sed hic grauis moueri poſſet controuerſia, an non ſemper conſentire teneantur ſubditi in facta et conſilia rectorum, quum ſemel voluntates ſuas voluntati imperantis ſubmiſerint? Reſpondendum, facta principis aut ex iure principatus naſci, aut ex tyrannide. Si prius, ſubditi indiſtincte probare et praeſtare debent facta principis. Et tunc veriſſimum eſt illud:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Sin autem actum tyrannicum exercuit imperans, tunc non conſentire tenentur ſubditi, e. g. ſi princeps regis exteri uxorem rapuerit, ſi legatos violarit. Ergo tunc videndum an conſentiant, eum iuuando, milites et pecuniam ſuppeditando cet. an improbent factum, eique ſubſidia negent: priore caſu itidem *quidquid delirant reges plectuntur Achiui.* Poſteriore caſu minime.

Quid ſi pauci e ciuitate peccarunt, an delictum ad ciuitatem *num.* 2. *perti-*

pertinet ? Reſp. ſimilis eſt deciſio. Aut reliqui conſentiunt, et factum probant, aut non. Si prius, ſimul plectuntur. Sin poſterius, debent delinquentes punire aut dedere. Id ni faciunt, poena itidem digni ſunt.

Obiici poſſet 1. plurima ſuffragia vincere pauciora. Reſp. in iis, quae ad rem publicam pertinent, non in delictis.

num. 3. 2. Poena adfici non poſſe totas vniuerſitates. Reſp. Experientia contrarium docet. Poſſunt enim libertatibus, bonis, iuribus ſpoliari, poſſunt ciues maxime delicti auctores occidi. Vnde et mori et capite deminui dicitur ciuitas iure Romano, ſi aratrum inducatur. Quamuis iuſtiſſimum omnino ſit, parcere innocenti plebi, ſexui ſequiori, infantibus.

§. 8.

num. 1. Nobiliſſima porro quaeſtio eſt, *an poena ob delictum ab vniuerſitate ſemper exigi poſſit ?* id eſt, licet vel maxime praeſumtio ſit, eos, qui deliquerunt, ciues iam pridem obiiſſe ?

Vtrinque difficultas haud parua emergit. Nam pro affirmatiua militat, quod vniuerſitas, vt ſupra demonſtrauimus, non moriatur. Pro negatiua, quod innocentes poena adfici nequeant, et verum tamen eſt, poſt 100. e. g. annos ex ciuibus, qui peccarunt, vix quemquam ſupereſſe poſſe. Accedit, quod ipſe Deus vetat plecti liberos ob delicta parentum, parentes ob delicta liberorum.

Sed recte reſp. Grotius, de vniuerſitate quaedam dici ſolere, tamquam de vniuerſitate, quaedam ob ſingulos ciues, quibus vniuerſitas conſtat. Sic e. g. quando dicimus vniuerſitatem habere leges, aerarium, eſſe pauperem, diuitem, totam tunc vniuerſitatem intelligimus. Quando autem dicimus, vniuerſitatem eſſe fortem, virtute praeditam, prudentem, tunc intelligimus ciues, ex quibus componitur vniuerſitas. Hinc vniuerſitas quidem non exſtinguitur, et hinc e. g. aerarii debitum non exſpirat. At poteſt ciuitas eſſe deſinere docta, fortis, virtute praedita.

Iam nemo negat, delicta quoque ad poſteriorem claſſem pertinere, adeoque mortuis ciuibus, poenam qui meruerunt, poenam etiam exſtingui.

nu. 2. 3. Hinc facile patet, quo iure olim Alexander Perſas bello adgreſſus

greſſus ſit, ex ea cauſſa, quod maiores eorum Graeciae vaſtitatem intulerint. Eorum enim nemo tempore Alexandri ſuperat, qui cum Graecis bellum geſſerant. Vnde Arrianus hunc obtentum grauiter exagitat.

Deinde hinc facile deciditur quaeſtio, *quid de reliquis huius generis bellis vindictae cauſſa ſuſceptis ſentiendum ſit?* omnia enim iniuſta ſunt niſi duobus caſibus: 1. ſi poſteri eumdem hoſtilem animum continuant, quod Alexandrum quodammodo defendit. 2. ſi lis de ſatisfactione adhuc durat, eumque praefracte negant poſteri. Tunc enim et facti maiorum participes fiunt.

§. 9.

Pergimus ad poſteriorem capitis partem, vbi agitur *de poena et cum innocentibus communicata.* Sed iam ſupra diximus, *proprie poenam numquam ſequi alios, quam auctores delicti:* Delictum enim et poena, malum paſſionis et malum actionis ſunt correlata, quae ſe mutuo ponunt et tollunt. Ergo videndum, quo ſenſu dicatur *poena* et cum innocentibus communicari?

§. 10.

Omnis *poena* eſt malum paſſionis. Hoc in dolore vel damno conſiſtit. Dolor vel damnum aliquando directe infliguntur, quando alicui ius proprium, vel quod ex officio perfecto ipſi debebatur, aufertur, e. g. vita, opes, fama: vel indirecte, ſeu per conſequentiam, quando aliquis amittit, quod iure improprio ſeu ex officio imperfecto debebatur, vel quando aliquis iam non habet, quod habiturus fuiſſet, ſi hoc vel illud non obſtaret.

Circa prius notatur regula. *Damnum omne, quod praeter meritum datur, iniuria datur,* e. g. ſi rector ciuitatis famam, vitam, bona aufert, ad quae illis conſeruanda iure perfecto tenebatur.

De poſteriore caſu notanda regula; *Qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam, quamuis alter ideo damnum per indirectum ſentiat.* Elegans exemplum eſt in puteo, quem in meo fodio; hic nullam alteri facio iniuriam, quamuis venae alterius putei incidantur.

Hinc facile deciditur quaeſtio, *an excuſari poſſit, poenam et* num. 2.

 cum

cum liberis, poſteris per indirectum communicari? e. g. bonis patris confiſcatis. Reſp. 1. Liberi quamdiu bona ipſi nondum poſſident, habent tantum ius imperfectum. 2. Damnum in his datum non directe, ſed indirecte datur, per §. 10. *n.* 1. 3. Atqui circa haec damna valet regula: *qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam.* Ergo et magiſtratus nemini facit iniuriam, puniens delinquentem, quamuis effectus poenae et ad innocentes perueniat.

Interim humanius omnino eſt, poſteritati delinquentium parcere, et ei ſaltim tantum relinquere, ne ad mendicitatem ſine merito adigantur. Verum quod humanius eſt, id non ſtatim, ſi omittatur, pro iniuſto habendum.

§. 11.

num. 1. Deinde et altera diſtinctio aeque vtilis eſt. *Aliud patitur homo ex cauſſa peccati, aliud occaſione eiuſdem.* Simile quid in contractibus animaduertimus. Alius ſoluit ex cauſſa contractus, quia debet, vti debitor, emtor, conductor; alius occaſione eiuſdem, veluti fideiuſſor, qui tamen nihil accepit, ex quo oriatur obligatio. Sed ſufficit, eum pro alio promiſiſſe.

Eodem modo ſe res habet in delicto. Alius ex cauſſa delicti tenetur ad malum paſſionis ferendum, veluti delinquens. Alius occaſione delicti, ob ſponſionem pro delinquente, ſi quis e. g. pro delinquente de iudicio ſiſti vel iudicatum ſolui ſatis dedit. Sufficit enim, eum ſatiſdediſſe.

nu. 2. 3. Alia quaeſtio eſt, *an haec obligatio ad mortem vſque extendi poſſit?* Veteres hic admiſere vades; et notum eſt, exemplum Damonis et Phidiae, quorum alter pro altero ſupplicium capitale ſubire et volebat, et cogebatur, niſi alter rediiſſet in tempore.

Eodem pertinet ius obſidum, de quo ſingularis exſtat SCHILTERI *Diſſertatio.* Nam ſaepe promiſſa denegante principali obſides licet innocentes ad ſupplicium raptos nouimus. Exempla habet ipſe GROTIVS *lib. III. cap.* 4. §. 14.

Id ergo iure fieri recte negat Grotius. Alia enim ſunt, in quae homines poteſtatem habent, vti commoratio in patria, fortunae, cet. in alia Deus iis nullam dedit facultatem, nullum arbitrium, vt in vitam, membra.

Ergo

Ergo obligare ſe quidem poteſt homo ad ſoluendam mulctam, ſubeundum exſilium ad carcerem ferendum pro alio. Quamuis enim nihil deliquerit, ſufficit tamen, eum promiſiſſe.

At non poteſt, ſe obligare ad ſupplicium capitale, ad mutilationem membrorum, cet. Quum ergo alteri in inſontem ius nullum ſit, niſi ex promiſſione vel ſponſione eius, ſequitur, vt et illi nullum ius ſit ſupplicium huius modi infligendi.

§. 12.

Ergo veriſſimum manet axioma, *neminem innocentem ob delicta aliorum puniri poſſe, ne parentes quidem ob delicta liberorum, vel liberos ob delicta parentum.*

Nam 1. *delictum* et *poena*, vt dixi, ſunt correlata, adeoque ſe mutuo ponunt et tollunt. 2. *Poenae* infliguntur ob *meritum. Meritum* eſt perſonale, et hinc perſonam non egreditur. 3. Sic nec finis poenarum obtineri poſſet. Quod enim exemplum eſſet, plecti innocentem. Sic ſane non emendantur homines, ſed potius eo adducuntur, vt credant, perinde eſſe, nocens aliquis ſit, an innocens.

§. 13.

Id pluribus veterum teſtimoniis confirmat Grotius, veluti Hieronymi, Auguſtini, Dionis, Chryſoſtomi, Philonis, Senecae. Sed quid opus teſtimoniis vbi rationes ſufficiunt, paullo ante a nobis ſuppeditatae. Quare potius ad dubia quaedam tollenda progredimur.

§. 14.

Sed opponunt alii huic doctrinae de non plectendis liberis delinquentium exemplum ipſius Dei, poenam non ſolum prauis, ſed et eorum poſteris in tertiam quartamque vſque generationem comminantis. *Ex.* 20. quin et poenam hanc reuera infligentis poſteris Saulis, Ieroboami, Achaſi. 2. *Sam.* 21. 1. *Reg.* 14. 2. *Reg.* 8. 9. *num.* 1.

Sed reſp. 1. Falſum eſt Deum punire poſteros innocentes. Nec enim iuſtitia patitur, malum paſſionis, ſine malo actionis vlli mortalium inferre.

2. Si verum eſſet, Deum punire liberos ob delicta parentum, deberet eos damnare, quae propria poena peccati eſt ſe-

cundum infinitam Dei iuſtitiam. Id vero ſe facturum numquam minatus eſt.

3. Dicit ergo Deus, ſe viſitaturum peccata parentum in liberis, id eſt, ſe liberis calamitates temporales immiſſurum. Id vero poteſt Deus etiam piis, innocentibus; filiis ſuis, ſalua iuſtitia, vi iſtius dominii eminentiſſimi, quo poteſt pro lubitu bona et mala temporalia inter homines diſpenſare.

4. Addit Grotius, quod exempla doceant, Deum hoc iure tantum vti in delictis grauiſſimis*, e. g. idololatria, ſacrilegiis, periurio, quae in ipſius Dei contumeliam vergunt.

Sed hoc argumentum parum ad rem facit. Poena enim proprie ſic dicta nec ob grauiora nec ob leuiora delicta in vllum innocentem cadit.

num. 3. 5. Paullo maioris momenti eſt obſeruatio ſequens, quod in nouo teſtamento nulla huius generis comminatio de poena poſterorum exſtet. Iam notum eſt, V. T. potiſſimum vrgere promiſſiones felicitatis temporalis in terra Canaan perfruendae: nouum autem teſtamentum primario tendere ad promiſſiones ſpirituales vitae aeternae.

Inde ergo ſequitur comminationem hanc legalem tantum pertinuiſſe ad felicitatem illam in Cananitica terra perfruendam. In hac vero poterat Deus ſalua iuſtitia, tamquam ſupremus Rex et Dominus liberis ob pietatem parentum pinguiorem, ob ſcelera minorem portionem adſignare. Nec tamen dixeris, hanc proprie eſſe poenam, quamuis vulgus forte ita loquatur.

num. 4. 6. Sed praecipuum argumentum eſt in dictis illis Ezechielis, vbi negat Deus, liberos ferre debere delicta parentum, vel parentes liberorum, ſed vnumquemque ob proprium peccatum moriturum eſſe denunciat. Inde ſane luculenter patet, Deum proprie non punire innocentes poſteros, niſi 1. vel continuent delicta paterna et auita, vti plerumque fit, vel 2. niſi poenam vocare velis caſtigationem, quae non ob malum praeteritum, ſed ob bonum futurum, nempe emendationis cauſſa infligitur.

§. 15.

Inde ergo colligit Grotius rectiſſime, *diriſſimas eſſe leges humanas, quae liberos rebellium ſupplicio extremo addicunt*, vti exem-

exemplum habemus apud Perſas *Dan.* 7. 22. qui et ipſos cognatos, et vniuerſam familiam deuocabant, vt eo triſtiores perirent rebelles. Quis enim iuſtum eſſe dicat ſupplicium innocentum?

§. 16.

Sed poſſet quis obiicere, ergo etiam iniuſtam eſſe legem illam diriſſimam *ſi vmquam C. ad L. Iul. Maieſt.* quia liberos perduellium hereditatibus et honoribus excludit.

Reſp. negari non poſſe, legem ſatis ſeueram eſſe: ſed ideo dici non poteſt iniuſta. Nam iam ſupra diſtinximus inter damnum directe et indirecte datum. Illud vocauimus, quod aufert id, quod iure perfecto competit: hoc quod aufert ius iure imperfecto competens, qualia iura procul dubio ſunt hereditates et honores. Ergo ſi illis liberi perduellium excluduntur, non poena ipſis infligitur, ſed damnum indirecte patiuntur, adeoque valet regula: Qui iure ſuo vtitur, is nemini facit iniuriam.

§. 17.

Idem ergo de *ſubditis* dicendum, ſi *delirantibus regibus plectuntur Achiui.* Poenam directe non patiuntur. Nam 1. poena inter gentes aequales non habet locum, 2. nullum hic eſt malum actionis, cuius correlatum poena eſſe poſſit, niſi, vt ſupra diximus, conſenſus ſubditorum in actus rectorum tyrannicos acceſſerit. Sed damnum ferunt indirecte. Ergo dum iure ſuo vtitur princeps bellum gerendo, nemini facit iniuriam. *num.* 1.

Obiici poſſet exemplum diuinum. Deus enim, ceu notum, ob delictum Dauidis triduanam peſtem immiſit ſubditis, quos ipſe Dauid innocentes fatetur, dum dicit: *Ego peccaui, quid iſtae oues fecere?* *num.* 2.

Sed reſp. non hic puniuntur ſubditi, ſed Dauides. Nam ſubditi moriuntur, et quidem iuſſu Dei, quem penes vitae neciſque arbitrium eſt. Quemadmodum ergo non dicimus proprie: Deum puniuiſſe infantem, qui mortuus ex vtero materno prodit, niſi quatenus generatim mors eſt peccati ſtipendium, ita nec ſubditi Dauidis dici poſſunt poena adfecti, quia mortui, ſiquidem et piis et infantibus moriendum. At punitus eſt Dauid, dum ſubditis priuatus eſt.

§. 18.

§. 18.

Idem dicendum Grotius monet de ciuibus et ſubditis, qui in delictum vniuerſitatis non conſenſerunt. Sed quum de his iam ſupra actum ſit, nihil eſt, quod hic addamus.

§. 19.

Id vero quaeri meretur, *cur heres, qui ob debita anteceſſoris teneatur, non item teneatur ob delicta eiuſdem?*

Sane vtraque eſt obligatio, illa ex facto licito, id eſt, ex conuentione, haec ex illicito, id eſt, ex delicto. Ergo videtur vtriuſque par ratio eſſe.

Sed reſpondetur magnam ſubeſſe differentiam. Contrahimus de rebus in patrimonio exſiſtentibus. Ergo obligatio ex contractu aeque ab herede ac ipſo contrahente poteſt adimpleri, ex bonis nimirum contrahentis, quae ad ipſum peruenerunt. Obligatio autem ex delicto non afficit bona, ſed perſonam delinquentem. Quae vero mere ſunt perſonalia, ea cum perſona exſpirant. Quod adeo verum eſt, vt nec conuentiones, quae circa perſonam ineuntur, ad poſteros tranſeant, e. g. ſponſalia, ſocietas, mandatum, cet.

§. 20.

Sed obiici poſſet, *nonnumquam* tamen et *heredes ad poenam teneri*, e. g. ſi defunctus in mulctam iam condemnatus moritur, tunc enim mulctam illam et heres tenetur exſoluere.

Sed reſpondetur. Heres non tenetur, niſi poena mutata ſit in aliam obligationem. Sane defunctus tenebatur ad poenam pecuniariam. Eius reſpectu illa mulcta vera poena fuiſſet. Quum vero illam non ſoluerit, illa mulcta tranſiit in aliud genus obligationis, nempe in aes alienum. Illud vero et heres exſoluere tenetur. Soluit ergo hanc pecuniam heres, in quam defunctus condemnatus fuerat, non tamen ſoluit tamquam poenam, quia ipſe nihil deliquit, ſed tamquam aes alienum.

CAPVT

CAPVT XXII.

DE CAVSSIS INIVSTIS.

§. 1.

CAuſſae belli vel *iuſtae ſunt*, vel *iniuſtae*, vel *dubiae*. *Iuſtae* ſunt vel *iuſtificae*, ob quas bellum iuſtum geritur, quales ex mente Grotii ſunt tres, defenſio, exactio eius, quod nobis iure noſtro debetur, et poena, quamuis tertiam cum recentioribus merito reiiciamus; vel *ſuaſoriae*, quae in animo latent bellum gerentis, quamuis alia cauſſa iuſtifica profeſatur. Vnde et praetextus vocari ſolent, quia cauſſae iniuſtae plerumque iuſta cauſſa praetexitur, et obtenditur, ne in oculos incurrat. *num.* 1.

Rem exemplis illuſtrat Grotius. Alexander bellum gerebat cum Perſis, nulla hic ex 3. cauſſis a Grotio proditis habebat locum. Nec enim Darius Graecos vexabat, vt defenſione opus eſſet, nec Graecis quidquam debebat, quod bello repetendum eſſet, nec delictum admiſerat, quod armis videretur vindicandum. Ergo omnes veteres conſentiunt, veram belli cauſſam ex parte Alexandri fuiſſe cupiditatem gloriae imperii, diuitiarum, Perſicae militiae ſtatum miſerrimum. Quia tamen hae cauſſae aperte iniuſtae erant, hinc praetexebat aliam in ſpeciem iuſtiorem, nempe vltionem iniuriarum a Xerxe Graecis illatarum. *num.* 2.

Sic Caeſari bellum ciuile inchoanti, vere finem fuiſſe propoſitum, vt opprimeret libertatem patriae, euentus docuit. Sed ne haec cauſſa iniuſtiſſima innoteſceret, praetexebat defenſionem contra Pompeii potentiam.

Omnes ergo huius modi cauſſae, quae huiuſmodi praetextu velantur, vere iniuſtae ſunt. Et de his agitur *cap.* 22. quemadmodum de dubiis *cap.* 23.

§. 2.

Eae *cauſſae iniuſtae* iterum duorum generum ſunt. Aut enim

 bellum

bellum geritur ex nulla cauſſa, aut ex cauſſis minus ſufficientibus.

Ex nulla plane cauſſa geri ſolet bellum ab illis, qui periculorum ob ipſa pericula auidi ſunt. Quemadmodum Tacitus de veteribus Germanis refert, eos fere perpetua inter ſe bella geſſiſſe, nec tamen ea re opes vel imperii latitudinem quaeſiuiſſe: ſed tantum quia periculis delectarentur. Tale quid et de Alanis narrat Ammianus.

Huiuſmodi ſane bella recte *ferina* vocat Grotius. Nam 1. quid crudelius, quam in crudelitate voluptatem quaerere? 2. Huiuſmodi homines ipſis latronibus ſunt deteriores, quia ne hi quidem occidunt, niſi ſaltim ſpes praedae affulgeat. 3. Bellum eſt contentio vel concertatio ſocietatum liberarum. Contendere autem et concertare, quum nulla ſit controuerſia, abſonum et ſanae rationi aduerſum eſt.

§. 3.

num. 1. Alii *cauſſas* quidem belli habent, ſed *inſufficientes*, *ſuaſorias* tantum, non *iuſtificas*, quamuis aliquando et has prae ſe ferant. Idem hic contingit, quod in hereditatibus priuatorum. Si alius quam verus heres poſſidet hereditatem, tunc ille qui poſſidet, aut pro herede poſſidet, id eſt, dicit ſe heredem eſſe, aut pro poſſeſſore, id eſt, quaeſitus, cur poſſideat, nihil aliud reſpondere poteſt, quam *poſſideo, quia poſſideo.* Iſte quaſi cauſſam poſſeſſionis iuſtificam allegat, hic illam non curat. Eodem modo bellum gerentes modo dicunt, ſe id defenſionis ſuae cauſſa gerere, vel iuris ſui repetendi: modo ſolo praetextu contenti cauſſam iuſtificam non curant.

num. 2. Huiuſmodi exempla complura exſtant. Inprimis ita bella ſua defendunt barbari. Sic Brennus expeditione e Gallia in Graeciam et Aſiam ipſam ſuſcepta, cauſſam quaeſitus, cur aliena inuaderet, reſpondit omnia eſſe validorum. Ita et Hannibal increpatus, quod contra foedus iniuſtum bellum gerat, reſpondit: pro foedere proque iuſtitia eſt enſis.

§. 4.

Iam ergo expediendae ſunt inſufficientes illae bellorum cauſſae. Vbi primo generatim obſeruat Grotius 1. *ſummos imperantes*

tes plerumque duobus nominibus pacis et belli tamquam nummis vti, non ad id, quod iuſtum eſt, ſed ad id, quod expedit. Ex quo conſequitur, vt non ſufficiat audire praetextum belli, ſed genuina cauſſa expendenda ſit. 2. Obſeruat Grotius, *bellorum cauſſas iniuſtas facile intelligi, quum de cauſſis iuſtis conſtet.* Quemadmodum enim data linea recta, omnes, quae quocumque modo ab illa directione diſcedunt, curuae eſſe intelliguntur: ita, vbi ſcimus, quae cauſſae iuſtificae bellorum ſint, nempe defenſio et repetitio iuris ſui, per ſe conſequitur, vt omnes reliquae, quae proferuntur bellorum *cauſſae*, *iniuſtae* habeantur. Eas iam videbimus.

§. 5.

Talis *iniuſta cauſſa* eſt ex vicini potentia. Nam 1. ita nullum eſt ius controuerſum, ob quod bellum geratur: et aeque abſurdum eſt bello petere potentem, quia potens eſt, quam litibus in re publica vexare vicinum, quia me ditior eſt. 2. Potentia ſola mihi non periculoſa eſt, niſi de animo laedendi conſtet. Sic Heluetii habent potentiſſimos vicinos, imperatorem et regem Galliae: ſed quum certiſſimi eſſe poſſint, neutrum de opprimenda Heluetia inire conſilia, omnino non eſſent excuſandi, ſi ideo bellum alterutri intentarent. 3. Si potentior eſt vicinus, mihi ius eſt, mihi praeſidia circumponere, vrbes munire, militem alere, foedera cum aliis potentibus pangere, ſed ideo non ſequitur, vt ſtatim mihi liceat ad bellum ruere. *num.* 1.

Ex quo conſequitur, vt ob munitionem nouam exſtruendam, alter alteri bellum non inferat. Qui enim iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam. Exceptio tamen eſt, 1. ſi ex huiuſmodi caſtellis nobis immineat periculum, vel maximum incommodum. Sic ſemper Baſileenſes conqueruntur de munimento Hunningenſi, Baſileae tam propinquo, vt inde tormentis peti poſſint. 2. Si foedus obſtet vel pactum. Ita aliquoties cum duce Lotharingiae pactus eſt rex Galliae, ne nouum exſtrueret munimentum. Hinc non tam indignabatur imperator, quod poſtremus dux Mantuae vrbem ſuam nouis operibus muniret, quam quod iſtum propugnaculum daret Gallis cuſtodiendum. Vnde *num.* 2.

et in electorem Coloniae indignatio Caeſaris exarſit, quum Bonnae praeſidium Gallicanum induceret.

§. 6.

Iniuſta quoque *et inſufficiens belli cauſſa eſt* II. *ſola vtilitas.* Quum Ruſſi bellum inferrent Suecis, inter alios praetextus et hic erat, quod opus Ruſſis ſit portu, quem nec precibus nec pretio impetrare potuerint a Suecis. Haec ſane vix excuſanda. Nam 1. ſic ad ſententiam Epicuri delabimur, cui ſola vtilitas iuſti prope mater et aequi videbatur, quam peſtilentiſſimam doctrinam in prooemio profligauimus. 2. Quod mihi prodeſt, et alteri non nocet, ad id obligatus eſt vnuſquiſque, id eſt, ad officia innoxiae vtilitatis, e. g. vt patiar lumen de lumine meo accendi cet. non autem ad id, quod ſibi vel alteri nocet, et mihi prodeſt. 3. Eodem modo et furta, rapinae, latrocinia poterunt defendi, quae omnino proſunt furibus, raptoribus, latronibus.

§. 7.

Tertia *cauſſa iniuſta* eſt III. *denegatio matrimoniorum, ſi alioquin eſt vxorum copia.* Nam 1. nuptiae fiunt conſenſu. Conſenſus autem debet eſſe vltroneus, non coactus. 2. Multae poſſunt eſſe iuſtiſſimae cauſſae denegandi alteri filiam, veluti religionis et morum diuerſitas, lites de futura hereditate cet. Si iuſtae ſunt hae cauſſae, ſane qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam.

§. 8.

Eiuſdem porro commatis eſt IIII. *amor mutandae ſedis.* Sic Cimbri ideo bellum inferebant Romanis, quod hi illis nouas ſedes in aliqua Romani imperii prouincia negabant. Quin pleraque bella inter Romanos et Germanos ex hac ipſa cauſſa nata ſunt. Haec quoque cauſſa iniuſtiſſima. Nam 1. quae nulla ſunt, cedunt occupanti, non quae iam ab aliis occupata. 2. Officium perfectiſſimum ex dominio reſultans eſt, vt teneamur alterum in dominio ſuo defendere, eumque in poſſeſſione rerum ſuarum non turbare. 3. Generaliſſimo iuris naturalis prin-

principio id quam maxime repugnat, quod dicit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

§. 9.

Nec magis defendi poteſt bellum V. *inuentionis* titulo ſuſceptum, quem titulum inprimis vrgebant Hiſpani, occupantes Americam. 1. Inuentionis enim iure acquirimus res, vel nullius, vel pro derelictis habitas: non quae iam dominum habent. 2. Eodem modo Americani inuenire potuiſſent Europam. Si illam occupaſſent, de illata nobis iniuria merito eſſemus conqueſti. Iam quae tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 10.

Iniuſtiſſima quoque eſt belli *cauſſa* VI. *diuerſitas religionis, et morum*, e. g. quod gens quaedam idololatriae dedita, quod in ea ſint anthropophagi, polygami. Quam cauſſam iidem Hiſpani vrgebant. *num.* 1.

Nam 1. vt recte obſeruat Grotius, *ad dominium non requiritur virtus moralis aut religio, ſed ſufficit aliquem eſſe hominem.* Hinc impio res ſuas non magis furto ſurripere poſſum, quam pio. 2. Dominium in res creatas Deus dedit hominibus, non Chriſtianis in ſpecie, non piis. Hinc Grotius addit obſeruationem, ſi daretur populus plane amens et ratione deſtitutus, ei omnia praeter alimenta poſſe auferri. Sed haec obſeruatio partim abſona eſt, quia populus ratione deſtitutus, tamquam contradictio in adiecto ne concipi quidem poteſt, partim falſa: nam et furioſum manere rerum ſuarum dominum, ipſe ſupra Grotius faſſus eſt, quidni etiam populus amens?

Hinc iniuſtae fuere irae Graecorum in barbaros, quos tamquam naturaliter ſibi hoſtes auerſabantur. Nam 1. id ſomnium nitebatur praeiudicio, quod praeter Graecos nulli mortales intellectu humano inſtructi ſint, 2. hoſtis ſine hoſtili animo concipi non poteſt. 3. Saepe quo minor eſt intellectus cultura, eo maior probitas. Scythae ſane ſanctitate morum Graecos virtute longe ſuperabant. *num.* 2.

§. 11.

Iniuſta porro *cauſſa* eſt VII. *Libertatis deſiderium.* Nam 1. libertas quidem eſt res inaeſtimabilis, ſed non naturae humanae neceſſaria. 2. Libertas naturaliter omnibus data eſt, ſed ei renunciari poteſt ab vnoquoque. Id ſi factum, non datur regreſſus ad libertatem naturalem. 3. Nemini ius quaeſitum auferendum, ergo nec principi ius in ſubditos iuſte quaeſitum. 4. Ipſe Apoſtolus intempeſtiuum hoc libertatis deſiderium improbat in ſeruitute priuata. 1. *Cor.* 7. 21. quanto magis in ciuili, quae illa multo eſt tolerabilior.

§. 12.

Iniuſta cauſſa VIII. eſt *voluntas regendi alios tamquam natura ſeruos.* Ariſtoteles primus exiſtimauit dari *ſeruos natura.* Omnes enim, qui ſe ipſos regere nequeunt, ob inſignem ſtupiditatem, a natura ad ſeruitutem deſtinatos aiebat. Hoc ſcitum placet et principibus quibuſdam, qui ſaepe ſatis iuſtam bellandi cauſſam ſibi eſſe putant, ſi gens, cui arma minantur, ſint natura ſtupidi et ſe ipſos regere neſciant. Sed 1. falſum eſt illud Ariſtotelis principium. Quamdiu enim quis ratione vtitur, ſe ipſum regere poſſe praeſumitur, nec ſi furioſus ſit, ideo ſeruus fit, quamuis ab alio regatur. 2. Beneficium nemini obtruditur. 3. Nec nobis vlla obligatio incumbit regendi ſtultos, qui regi nolunt.

§. 13.

num. 1. Sunt ex gloſſatoribus veteribus quidam, vti Bartolus, qui imp. Romanorum ius tribuunt in vniuerſum mundum, quia 1. in legibus vocetur mundi dominus, *L.* ἀξίωσις *D. ad L. Rhod. de iact.* 2. quia in ſacra ſcriptura Romanum imp. vocetur orbis vniuerſus, (ἡ οἰκουμένη,) *Luc.* 2. 1. 3. quia ita loquantur auctores claſſici, vti PETRONIVS: *orbem iam totum victor Romanus habebat.*

Quaerit itaque Grotius, *ſi imp. hodiernus ex eo principio velit gentibus aliis bellum indicere, an non et haec* VIIII. *iniuſta belli cauſſa eſſet?*

Equidem fruſtra mouetur haec quaeſtio; quum imperator non ſit tam ſimplex, ac olim Bartolus. Sed ſi tamen forte impera-

peratorum quiſquam ita ratiocinaretur, omnino iniuſtiſſimus eſſet. Nam 1. ex titulo ad rem nulla conſequentia. 2. Romani dum ſe mundi vel orbis dominos appellarunt, intellexere orbem Romanum, i. e. prouincias Rom. imperii. 3. imperatori non plus in alienas prouincias licet, quam aliis regibus et imperatoribus.

Dantes Aligerius, Italus Gibellinus, Bartoli ſententiam ſtabilire conatur eo argumento, quod id expediat humano generi, ſi orbis vniuerſus vni ſubeſſet, tunc enim ceſſare oportere bella inter principes. *num.* 1.

Sed reſp. 1. tunc bella geſturi eſſent ſubditi, quia vnus non ſufficeret orbi vniuerſo regendo, ob hominum numerum et locorum diſtantiam. 2. Si vel maxime vtile eſſet huiuſmodi imperium, tamen non eſſet vlli inuito obtrudendum. 3. Nec ſequeretur, vt praeciſe imp. Romano, ac non alii competeret.

Si quis dicat, huic pinguius ius vel ideo eſſe, quod anteceſſores eius magnam partem terrae tenuerint: reſp. illas partes dudum amiſſas eſſe et ab aliis iuſto titulo poſſideri. Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum.

§. 14.

Pontificii ius in vniuerſum orbem non quidem imp. ſed eccleſiae Romanae tribuunt. Et hinc Hiſpani prae ſe tulerunt, omnibus aliis titulis deficientibus ſibi ſufficere donationem Americae a pontifice Rom. factam, quia eccleſiae competat imperium in vniuerſum orbem. *num.* 1.

Specioſa eam in rem adferunt argumenta, veluti, quod eccleſia ex intentione Chriſti ſit catholica, et ſic diffuſa per vniuerſum orbem, quod omnes pater filio gentes donauerit, quod Chriſti imperium extendi debeat a mari ad mare.

Sed id imperium plane fictitium. Nam 1. ad eccleſiam non pertinent gentes infideles, ſed Chriſtiani. *Quid ad nos illi, qui extra ſunt.* 1. *Cor.* 5. 12. 2. Alia eſt eccleſia, aliud imperium. Illa eſt in imperio, ſed non imperium.

3. Chriſtus negauit regnum ſuum eſſe de hoc mundo. Io. 18. 36. Ergo nec imperium ſaeculare in gentes ſibi arrogauit, nec id dedit Apoſtolis et eccleſiae. 4. Idem nec media illa propagandi eccleſiam commendauit, quibus vti ſolent homines ad propaganda imperia, vt bellum, arma, foedera, ſed *num.* 2.

pre-

preces, praedicationem verbi, cet. 5. Eccleſia non deſtruit politias. Vide elegantem Auguſtini locum.

num. 3.4. 6. Epiſcopus non ſit percuſſor. 1. *Tim.* 3. 2. *Potentes imperant, vos autem non ſic.* Ergo ſane epiſc. Rom. non poteſt vel bellum gerere, vel reges ad bellum concitare, ad propagandam eccleſiam. Quod enim quis per alium facit, id ipſe feciſſe videtur.

Vt paucis dicamus, res tam ridicula eſt, vt Americanus quidam rex, quamuis non adeo ſagax, dixerit, tamen ſtolidum eſſe oportere pontificem, qui regna donet, quae non ſua ſint.

§. 15.

Iniuſta belli cauſſa eſt X. *ſpes implendi vaticinium diuinum*, quod hic vel ille pro ſenſu ſuo fanatico explicat. Sic ante centum et quod excurrit annos, Poniatouius Drabitius et Kotterus varias ſpargebant viſiones et prophetias, quibus praedicebant, domui Auſtriacae imminere exitium, eccleſiam per orbem propagandam, Antichriſtum Rom. deſtruendum, quae vaticinia tunc coniunctim edebat Theologus reformatus magni nominis, AMOS COMENVS, ſub titulo: *Lux in tenebris.*

Sane ſi quis tunc his deliriis induci ſe paſſus eſſet ad arma corripienda, procul dubio bellum geſſiſſet iniuſtiſſimum. Nam 1. difficile eſt diſcernere prophetas et pſeudoprophetas. 2. Difficilius, ſine ſpiritu prophetico vaticinia interpretari, 3. praedictio, ſine mandato non poteſt tranquillam reddere conſcientiam. Sic Iudaeis praedicta erat certa liberatio ex Aegyptiaca ſeruitute, et ex captiuitate Babylonica, nec prius tamen libertatem adfectare iure poterant, quam Deus iuberet.

§. 16.

Iniuſta belli cauſſa eſt XI. *exactio officiorum iure imperfecto ex ſola virtute, honeſtate, decoro, debitorum.* Quemadmodum enim haec officia in foro actione, ita in ſtatu naturali bello extorqueri non poſſunt. Hinc non erat iuſtum bellum Rom. in regem Cypri, tamquam ingratum. Gratitudo enim eſt officium imperfectum, niſi ſit praegnans, cum iniuria aduerſus benefactorem coniuncta.

§. 17.

§. 17.

Denique claudit hoc caput Grotius addita obſeruatione, *num.* 1.2. *cauſſam belli aliquando eſſe iuſtam, et tamen ipſum bellum iniuſtum.* Nam virtus non ſolum in actione externa conſiſtit, ſed in animo. Vnde bellum iniuſtum geritur.

1. Si in animo imperantis latet cauſſa arcana, quae ipſum magis mouet, quam iuſta cauſſa, e. g. ambitio, ſtudium propagandi imperium.

2. Si bellum non geritur iuſto modo, e. g. violando pacta cum hoſte inita, inuadendo ſimul ſocios, crudelitati militum indulgendo.

Sed ſub finem recte obſeruat Grotius, diſtinguendum inter *num.* 3. iuſtitiam internam et externam. Iuſtitia interna reſpicit ad forum conſcientiae, externa ad homines. Ergo coram hominibus iuſtum eſt bellum, modo iuſta cauſſa adſit: coram Deo autem haec non ſufficit, niſi et animus ab omni prauo affectu purgatus ſit, et bellum ipſum iuſte et ſecundum rationem geratur, quia actiones vere bonae non materialiter tantum, ſed et formaliter debent conuenire cum lege diuina.

CAPVT XXIII.

DE CAVSSIS DVBIIS.

§. I.

Caput hoc conſtat duabus partibus. Priore agitur *de dubitatione generatim, et quid in dubio agendum ſit.* §. 1-5. Poſteriore *de cauſſis belli dubiis, an eae ad bellum gerendum ſufficiant.* §. 6-*fin.*

I. *De dubitatione* 1. generatim obſeruat Grotius, eam *in rebus moralibus frequentiſſimam eſſe.* Quod verum eſt. Sed ratio, qua vtitur, non eſt maximi momenti. Nam dicit hanc dubitationem inde eſſe: quod moralia non aeque certa ſint, nec tam ſub demonſtrationem cadant, quam phyſica et mathematica. Sed hoc artis principium dudum exploſere H. Conringius et Pu-

fendorffius. Vbi enim ſunt certa principia, ibidem ſunt certae et demonſtratiuae concluſiones. In moralibus ſunt certa principia. Ergo ſic aeque certum eſt, neminem laedendum eſſe, ac bis duo eſſe quatuor.

Sed vera ratio eſt adplicationis practicae difficultas. Actiones enim hominum tam variis coloribus dilutae ſunt, vt non ſtatim pateat, quodnam morale principium hic ſit applicandum. E. g. contra legem diuinam nihil eſſe agendum, certiſſimum eſt, ſed an e. g. ſaltare contra legem diuinam ſit, poteſt dubitari, quia ſaltatio eſt actio, quae alii indifferens, apud alium cum multis voluptatibus coniuncta eſſe poteſt.

§. 2.

num. 1. 2. Iam porro quaeritur, *quid in huiusmodi dubio faciendum*. Recte Grotius defendit regulam: *Contra conſcientiam dubiam nihil eſt agendum*. Ergo ſuſpendenda tamdiu actio, licet forte in ſe bona et iuſta, donec dubium iſtud animo euulſum ſit. Alias qui agit peccat, licet forte actio in ſe plane bona vel ſaltim indifferens ſit.

Falſo autem hanc regulam probat ex *Rom.* 14. 23. Quum ibi per fidem non intelligatur certum animi iudicium, ſed fides ſaluifica. Ex ea quidquid non fit, coram Deo peccatum eſt.

num. 2. Vera ergo ratio eſt, quia contra conſcientiam dubiam agere idem eſt, ac Deum ipſum contemnere et ludibrio habere. Id enim agit, qui ita raciocinatur: Neſcio, an Deus velit, an nolit hoc fieri; tamen ſiue velit, ſiue nolit, faciam.

Addit ſub finem Grotius exceptionem. *Si* ſcilicet *res alterutra neceſſario agenda ſit, et vtraque tamen iniqua videatur*. Tunc enim ex 2. malis putat eligendum minus, ex 2. iniquis minus iniquum.

Id vero perſpicue falſum. Nam 1. ſi vera eſt neceſſitas, id quod ex neceſſitate fit, non eſt minus iniquum, ſed aequum, e. g. ſi quis moderamine inculpatae tutelae vtitur. 2. Regula illa, ex duobus malis eligendum eſt minus; non pertinet ad mala moralia, ſed ad phyſica.

§. 3.

Iam ſi contra conſcientiam dubiam nihil agendum, exiſtimare

re quis poſſet, ita fore, vt nulla actio tunc explicetur. Sed id recte negat Grotius, quia dubium plerumque poſt tempus aliquod diſſipari ſoleat, et mens in alterutram partem eſſe procliuior, et quidem

1. vel argumentorum pondere, quod antea non ſtatim intellexerat tantum eſſe, vel

2. auctoritate. Si enim huius vel illius viri ſapientis, in quo magnam collocamus fiduciam, auctoritas accedat, facile euellitur dubitatio, quae antea animum in diuerſa trahebat.

§. 4.

Sed quaeritur, *an auctoritas illa tranquillam reddat conſcientiam?* Ieſuitae id affirmant: et inde eorum probabiliſmus, de quo alio loco egimus. Putant enim ſi quis quid agat, in ſe iniuſtum et malum, eum tamen in conſcientia excuſari, modo aliquot doctorum ſuffragia pro ſe militare videat.

Grotius noſter paullo cautior eſt, ſed tamen exiſtimat, *ſimpliciores audire debere ſapientum conſilia.* Si id verum, ſane non peccant, ſi ſecundum illa conſilia agant. Et inde ſequitur, vt excuſandi ſint, licet male agant.

Sed reſpondemus 1. falſum eſſe, quod dicunt Artes, Ieſuitae et Grotius, *probabile eſſe quod tale videtur omnibus, vel pluribus vel ſapientioribus.* Id enim in rebus facti poteſt eſſe verum, at in doctrinis probabilitas non naſcitur ex auctoritate, ſed ex rerum attributis et effectibus, vti recte docuit in Logica ſua Clericus. 2. Nemo rationes in conſcientia reddit ex aliorum iudicio, ſed ex ſuo, adeoque illud non excuſabit. 3. Tenemur quidem aliorum ſapientiorum conſilia audire, ſed non ſtatim ſequi; adeoque excuſatur quidem qui audit, ſed non ſemper qui ſequitur.

§. 5.

Quid vero ſi occurrant dubia, quae vtrinque ſunt eodem argumentorum pondere inſtructa? Tunc diſtinguit Grotius inter *res minoris* et *maioris momenti. In illis eligi poſſe* putat *ſine vitio, quidquid libeat: in his eligendum* ait, *quod tutius.*

Sic e. g. ſi reus homicidii pro ſe habeat duos teſtes, qui dicant non illum, ſed Maeuium occidiſſe: duo autem teſtes aeque idonei affirmant illum omnino occidiſſe; neque vllo alio

modo res ad liquidum perduci poſſit, (e. g. quia tortura in aliqua re publica non conceditur,) tunc eligendum eſt tutius, id eſt, reus potius abſoluendus quam ſupplicio afficiendus, quia vita humana eſt res maximi momenti.

Sed fingamus pauperem cum diuite litigare de centum florenis, res eſt minoris momenti: ſed tamen non ideo iudici perinde eſſe debet, condemnetne an abſoluat.

Adeoque vera potius regula: *In dubio ſemper proniores eſſe debemus ad abſoluendum, quam ad condemnandum, ſiue res ſit minoris ſiue maioris momenti, quia tutius eſt abſoluere debentem vel nocentem, quam non debentem et innocentem condemnare.*

§. 6.

II. Sequitur pars capitis altera *de belli cauſſis dubiis.* Vbi 1. ſtatim ex iis, quae antea diximus, ſequitur axioma: *Quamdiu cauſſa belli eſt dubia, tamdiu illud non eſt ſuſcipiendum.*

Hoc fluit 1. ex regula generali §. 2. *Contra conſcientiam dubiam nihil eſt agendum.* 2. ex ipſa natura belli, quod eſt contentio de iure controuerſo, et vel defenſionis vel iuris noſtri vindicandi cauſſa geritur, vt ſupra dictum. Atqui quamdiu an alter nobis iniuriam faciat, dubium eſt, defenſioni; quamdiu incertum, an nobis hoc vel illud debeatur, vindicationi locus non eſt. Ergo nec bello locus eſt. 3. Accedit, quod bellum ſit medium iure ſuo potiundi admodum periculoſum, anceps, et cum mille rerum publicarum et hominum cladibus coniunctum. Rem tam difficilem ſine cauſſa liquida ſuſcipere plus quam ferinum eſt.

§. 7.

2. Quaeritur, *quibus* vero *modis cauſſae gentium dubiae ad liquidum perducantur, quum nullum habeant communem iudicem, ſicuti priuati?* Reſp. Grotius, id fieri poſſe

1. *Colloquiis.* §. 7.
2. *Arbitrio.* §. 8.
3. *Sorte.* §. 9.
4. *An et bello repraeſentatiuo?* §. 10.
5. Regulis quibuſdam. §. 11. 12.

num. 1. I. Meduim eſt *colloquium* inter gentium legatos, imperatores, immo ipſos reges. Ita enim 1. ſaepe fit, vt facile lites terminen-

minentur. Non enim hic affectus dominantur, ſed periculum imminens aequiora ſuadet. Vnde et ratio reddi poteſt, cur de maximis rei publicae negotiis facilius tranſigant rectores ciuitatum, quam theologi de controuerſiis circa religionem etiam leuiſſimis?

2. Medium hoc etiam eſt rationi maxime conſentaneum: quia non poſſum de iure meo certo ſtatuere, niſi et alteram partem audierim.

Accedit 3. ratio, quod ſi aequa per colloquium obtulimus, eaque altera pars non admiſit, bellum inſequens tanto iuſtius ſit. Tentanda enim remedia mitiora, quibus non ſufficientibus tunc ad grauiora deueniendum. *num. 2.*

§. 8.

II. Medium eſt *compromiſſum* vel *arbitrium*. Nam quamuis gentes et ſummi imperantes nulli iudici ſubſint, poteſt tamen vnuſquiſque ſuo iuri renunciare, adeoque ſe ſubiicere aliorum arbitrio. Variis exemplis per numerum vtrumque demonſtrat Grotius, et vſos eſſe veteres hoc medio, et cum fructu vſos eſſe. *num. 1. 2.*

Sed quamuis id verum ſit, non tamen hoc medium difficultate caret. Nam 1. non facile reperitur inter gentes arbiter, qui vtrique parti placeat, et a quo metuendum non ſit, ne alterutri plus iuſto faueat. 2. Si arbiter decidit cauſſam, nulla in promtu eſt exſequutio, ſi alter parere nolit. Et ſic nihilominus res ad bellum deuenit. 3. Plerumque huiuſmodi arbitria tantum inſeruiunt alteri parti, cuius intereſt, tempus trahi, vt eo commodius poſſit ſe bello imminenti praeparare.

Quod vero Grotius exiſtimat, hoc officium tanto magis incumbere Chriſtianis ciuitatum rectoribus, id omnino verum eſt, non quidem ob rationem quam ex loco Paulli ducit Grotius, qui huc plane non facit, ſed quia religio ſuadere debet principibus Chriſtianis, vt a bello, quantum pote, abhorreant, nec niſi mitioribus tentatis mediis ad illa ruant. *num. 3.*

Conſilium porro ſuppeditat Grotius, vt conuentus quidam ſint Chriſtianorum principum et poteſtatum, in quibus gentium controuerſiae decidantur, ne ſtatim ad bellum ruerent. *num. 4.*

Sed hoc conſilium 1. ad ius gentium non pertinet, quia

 non

non quid vtile, ſed quid iuſtum ſit, conſiderat. 2. Nec magnae vtilitatis futurus hic conuentus, quia non gauderet iure ſuperioritatis, adeoque nec facultate exſequendi. 3. Nec fieri poſſet, quin hic ipſe conuentus multas bello occaſiones daturus eſſet. Plura ſuffragia vincere nequeunt, quia ſic potentiores res publicas ſemper ſuperarent impotentiores. Ergo maxima lis oritura eſſet de modo ſuffragandi, de iure dirigendi, de ordine inter delegatos ſeruando. Accedit 4. quod ob diuerſitatem religionis ſemper in hoc ipſo conuentu futurae eſſent factiones. Ergo certum omnino eſt, huiuſmodi conuentum nec inſtitui poſſe, nec admodum vtilem fore.

§. 9.

Tertius modus vel III. medium eſt *ſors*. In dubio enim 1. res optime Deo committitur. In eius vero manu eſt *ſors*, et cadit illa, prout Deo viſum. *Prou.* 18. 18. 2. Ita difficultates illae euitantur, quas §. ſuperiore in arbitrio deprehendimus. Sors enim affectibus in tranſuerſum non rapitur, non magis fauet parti alterutri.

Si quis dicat, ſortis euentum dubium eſſe, adeoque aeque eum qui iniuſtam cauſſam habet vincere poſſe, ac qui iuſtam. Reſp. aeque incertum eſſe belli euentum, nec ſemper iuſtos ſequi victoriam. Quemadmodum ergo hoc caſu in prouidentia diuina acquieſcendum: ita etiam, ſi ſors nobis non faueat. Sufficit cauſſam noſtram eſſe dubiam et illiquidam.

§. 10.

num. 1. Commendant aliqui IIII. medium, nempe *bellum repraeſentatiuum*. Vnde ante omnia videndum, quid ſit huius modi bellum. Iuſtum bellum eſt, ſi gentium exercitus concurrunt, et contendunt inter ſe. Ergo bellum repraeſentatiuum eſt, ſi aliquot homines vtrinque committuntur, qui exercitum vtrumque repraeſentent, et inter ſe certamen ſingulare committant, addita conditione vtra pars victoriam reportatura ſit, vt ea pro domino alterius habeatur. Exemplum reperimus apud Liv. *lib. I.* vbi Romani et Albani exercitus iam in procinctu ſtantes tres vtrinque fratres tergeminos, illi Horatios, hi Curiatios hoc modo commiſerunt.

Eam

Eam antiquam fuiſſe Graecorum conſuetudinem, variis exemplis docet Grotius. Qualia ſunt etiam illa, vbi ipſi belli duces hoc modo congreſſi ſunt, vt apud VIRGIL. *Aeneid. Lib. XI.* Aeneas et Turnus.

Simile quid apud veteres Germanos, inprimis apud Francos obtinuiſſe monuimus, et ex loco Agathiae praeclare docet Grotius numero hoc 2. *num.* 2.

Et inde etiam noua exempla haud pauca exſtant, quod ſummi imperantes ſe prouocarunt ad duellum. Inprimis nota exempla Caroli V. a Franciſco I. rege Galliae et Caroli Guſtaui regis Sueciae a Chriſtiano Daniae rege prouocati.

Quaeritur itaque, *an* huiuſmodi *bellum repraeſentatiuum licitum ſit* ? Nemo negabit. Nam 1. ſi iuſtos et numeroſos exercitus committere poſſunt imperantes, quidni et paucos homines? 2. Ita pauca clade res tranſigitur, et ita multum ſanguinis humani lucrificatur.

Sed alia quaeſtio eſt, *an vtile et ſuadendum ſit* huiuſmodi *bellum*? Id nemo dixerit, 1. quia in iuſto bello ſemel victus, foederibus vel noua felicitate rem ſuam poteſt reſtituere. Hic nulla ſpes melioris conditionis ſupereſt. 2. Quia ſi vel maxime quis victor exſiſtat, tamen certus eſſe non poteſt, an victus viribus adhuc integris compromiſſum ſit impleturus. Adeoque hoc caſu ex repraeſentatiuo verum bellum naſcetur.

§. 11.

Quinta ratio conſiſtit in regulis quibuſdam, quarum veritatem gentes omnes agnoſcunt. Earum 1. eſt: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Pro poſſeſſore enim militat praeſumtio, modo conſtet illam non violentam eſſe.

Ex quo ſequitur 1. vt, qui petit, magis teneatur bellum euitare, et mitiora remedia tentare, quam, qui poſſidet. 2. Vt nemo poſſit alterum de poſſeſſione eiicere, vel bellum ei inferre, niſi ius ſuum ſit liquidum.

§. 12.

2. *In dubio is cenſetur in mala cauſſa eſſe, qui in rei a neutro poſſeſſae diuiſionem non conſentit.* Si alteruter poſſideret, in dubio melior eſſet poſſidentis conditio, et ſic ad diuiſionem per-

ueniri non poſſet. Si cauſſa eſſet liquida, alterutri res tota deberetur, adeoque nec ſic locus eſſet diuiſioni. At vbi neuter poſſidet, vbi ius vtriuſque dubium eſt, ibi aut ſorte res dirimenda, aut diuiſione. Illa vtrinque reiecta, hanc qui adſpernatur pro iniquo habendus erit.

§. 13.

num. 1. Finem huic capiti Grotius imponit elegantem tractans quaeſtionem: *an fieri poſſit, vt vtraque pars belligerans ex iuſta cauſſa bellum gerat?*

Grotius vocabulum *iuſtum* varie ſumi docet. Modo iuſtum quid dicitur *ex cauſſa*, ſi cauſſa iuſta ſit, e. g. ſi bellum quis gerit ob defenſionem aduerſus adgreſſorem iniquum. Modo *ex effectu*, ſi effectus ſit iuſtus et legibus conformis, e. g. ſi quis in bello ſeruat pacta, inducias, ſi non ſaeuit in captiuos, innocentes, cet.

Ratione cauſſae iterum aut *ſpecialiter* iuſtum accipitur, aut *generaliter*. Generaliter iuſtum eſt, quidquid rectum, e. g. occupare bello vrbes, occidere homines. Specialiter, quod ex omni parte rectum, et quidem tum ratione *operis*, vt actio in ſe legibus conformis ſit; tum ratione *operantis*, vt is et eo animo agat, quo lex rem vult agi. Sic eleemoſynas dare, iuſtum eſt ratione operis; at ſi quis eleemoſynas dat ambitionis cauſſa, iniuſte agitur ratione operantis.

num. 2. Iam facile rem explicabimus. In ſpeciali acceptione ratione operis dici nequit, bellum vtrinque iuſtum geri. Nam 1. ex omnibus contradictoriis propoſitionibus altera ſemper vera, altera falſa. Adeoque 2. et inter litigantes ſemper debet aliquis iuſtam, alter iniuſtam cauſſam habere.

Sed dici tamen poteſt, ratione operantis bellum vtrinque iuſtum aliquando geri, ſi res tam ſit dubia et ambigua, vt vterque ſe iuſtam cauſſam habere firmiter perſuaſus ſit. Poſſumus hoc illuſtrare ſimilitudine litis forenſis, vbi vtraque pars litigans non poteſt iuſtam cauſſam habere, quamuis contingere poſſit, vt vterque iuſte litiget, et perſuaſiſſimus ſit, ſe iuſtam cauſſam habere.

nu. 3. 4. In ſenſu generali bellum vtrinque poteſt dici iuſtum, ſi vtraque pars culpa vacat. Sic e. g. ſaepe bellum exardeſcit ob iniuriam

riam ab anteceſſore datam, et iam irreparabilem. Hic qui vindicat iniuriam, iniuſtus dici nequit, quia iure ſuo vtitur, nec tamen iniuſtus eſt, qui impugnatur, quia ipſe non laeſit, nec per eum ſtat, quo minus iniuria reparetur.

Denique ſi iuſtum ratione effectus conſideretur, tunc omnino vterque bellum iuſtum gerere poteſt, 1. ſi illud legitimum iudicat, 2. ſi illud ita gerat, vti mores gentium exigunt, id eſt, ſi obſeruat mores gentium humaniorum, (*la raiſon de guerre*) 3. ſi pacta ſeruet etiam cum hoſte inita. Haec iuſtitia laudi cedit belligeranti, ſed ipſum bellum non excuſat. *num.* 5.

CAPVT XXIIII.

MONITA DE NON TEMERE ETIAM EX IVSTIS CAVSSIS SVSCIPIENDO BELLO.

Caput hoc ad ius gentium non pertinet, ſed mere politicum et oratorium eſt. Multis enim argumentis ſuadet Grotius, *ne ſupremae poteſtates temere ad bellum ruant, etiamſi et iuſtam et liquidam cauſſam habeant, niſi ea ſit ſimul grauis et maximi momenti.*

Nimirum hic idem dicendum, quod de lite priuatorum. Poſſunt hi iure litigare, ſi vel aliquot ſtüueros alter debeat: ſed nemo tamen prudens ob rem tam leuem litigabit, quamuis cauſſa admodum ſit liquida, quia remedium ipſo morbo grauius eſt. Ita et nec iniuſtum eſſet bellum gerere ob iniuriam etiam leuiſſimam, ſed prudentiae tamen regulis repugnat bellum gerere ob iniuriam leuiorem.

Hoc toto capite multis argumentis ex politica et theologia petitis probat Grotius, et ſub finem *clades* et *mala bellorum* viuis coloribus depingit, vt abſterreantur imperantes a pruritu bellandi, et arma non niſi vrgente extrema neceſſitate corripiant. Nihil ergo cauſſae eſt, cur hoc caput vberius explicemus, quum ab vnoquouis priuatim perlegi et intelligi facillime poſſit, et ad ipſum ius gentium, quod tractamus, nihil faciat. Potius ergo ad penultimum progredimur.

CAP. XXV.

DE CAVSSIS BELLI PRO ALIIS SVSCIPIENDI.

§. 1.

num. 1. Vidimus hactenus, quando vnuſquiſque populus pro ſe bellum in ſtatu naturali ſuſcipere poſſit, quaeque cauſſae ad id ſuſcipiendum ſufficiant.

Atqui notum eſt, ſaepe imperantes bella gerere non tam pro ſe, quam pro aliis, et quidem vel α) pro ſubditis §. 1--3. vel β) pro foederatis §. 4. vel γ) pro amicis §. 5. vel δ) hominibus quibuſuis §. 6--*fin*. De his ergo bellis pro aliis ſuſceptis iam agitur, et primo omnium quaeritur, *quo iure bellum pro aliis geri poſſit?* Grotius hoc fundamentum ponit, *quod vnuſquiſque et alieni iuris exſecutor ſit*. Id vero falſiſſimum eſſe, vnuſquiſque videt. Nititur enim falſo iſto principio, *quod in ſtatu naturali par parem peccantem poenis coercere poſſit*. Quod ſupra cap. 20. ſatis prolixe deſtruximus.

Ergo verum fundamentum indagare facile poſſumus, modo reſpiciamus ad ſtatum ciuilem. In ſtatu ciuili abſurdum iudicatur, alienas cauſſas ſine mandato in iudicio agere. Semper enim his auctoribus obſtat exceptio: tua non intereſt. Ita et in ſtatu naturali abſurdum eſſet, ſi quis e. g. Hiſpanis ob iniurias Americanis illatas bellum inferret. Quemadmodum vero in ſtatu ciuili conceditur et tertio interueniendi ius, ſi poteſt demonſtrare, ſua intereſſe. Ita et in ſtatu naturali nulli genti denegari poteſt ius contra alterum bello interueniendi, modo liquidum ſit, eius intereſſe.

Intereſt autem vel ratione ſubiectionis, vel confoederationis, vel amicitiae, vel communis vinculi humanae naturae.

num. 2. I. Noſtra intereſſe poteſt ob ſubiectionem: adeoque iuſte bellum ſuſcipitur pro ſubditis, ſi illi a gente extera iniuſte tractentur. Quum enim imperantes ſubditis debeant defenſionem non modo aduerſus vim internam conciuium, ſed et externam

aliarum

aliarum gentium: non poteſt ſane princici vel reipublicae vitio verti, ſi ad vindicandas ſubditorum iniurias arma corripiat.

Exemplum hiſtoria Rom. ſuppeditat in bello Mithridatico. Mithridates, rex Ponti, edictum propoſuerat, vt omnes Romani per Aſiam negotiantes vna nocte interimantur. Eo facto Romani illi bellum internecinum intulerunt. Vid. CIC. *Orat. pro lege Manilia.*

§. 2.

Quamuis vero bellum huiuſmodi iuſtiſſimum ſit: prudentia tamen ſuadet, ne ob quaſuis leuiſſimas iuiurias ſuſcipiatur, e. g. ſi duo gentis noſtrae mercatores ab extero rege rebus ſuis ſpoliati ſint. Nam

1. Illud dum paucorum damnum vindicatur, id fit cum damno reliquorum ciuium multo maiore.

2. Toto ſuperiore capite Grotius demonſtrauit, non ſuſcipiendum eſſe bellum etiam ob cauſſas iuſtas et liquidas, niſi eaedem ſint maximi momenti.

3. Quamdiu aliud ſupereſt remedium, non ad hoc violentum deueniri poteſt. Atqui hoc caſu aliud ſupereſt remedium, nempe vt decernantur repreſſaliae, de quibus infra.

§. 3.

Quaeſtionem hic mouent doctores, *an ciuis innocens dedi poſſit, ſi res aliter componi non poſſit, vel bellum immineat, cui non ſimus pares?* E. g. Simſonem petebant Philiſtaei ab Iſraelitis, quum plane eſſet innocens. Quaeritur an ſaluo iure dedi potuerit? *num.* 1.

Qui hanc quaeſtionem tractant, plerumque confundunt, res maxime diuerſas. Alia enim quaeſtio eſt, *an ciuis huius modi deſeri poſſit*, alia *an dedi in hoſtium poteſtatem.*

Deſeri poſſe, recte contra Vaſquium defendunt Soto et Grotius. Nam 1. ita ipſius ſecuritati proſpicitur. Quum enim hoſti dedendus non ſit, nos autem illi praeſidio eſſe non poſſimus: quid ipſi ſuaderi poteſt ſalubrius, quam vt re publica noſtra excedat, et alio loco tutiore deliteſcat. 2. Ciuis ſalutem ciuitatis ſuae anteponere tenetur, quia bonum communionis ſemper praeferendum bono indiuiduali. Ergo nec poteſt vitio vertere rei publicae, propter eius perſonam periclitanti, ſi haec eum excedere ciuitate iubeat, ne bello implicetur.

num. 2. Grauior autem quaeſtio eſt, *an tradi poſſit*? Hic diuerſae ſunt admodum ſententiae. Soto quidem id negat, ſed putat tamen ciuem ipſum obligatum eſſe, vt malit ſe hoſti tradere, quam patriam propter ſe periclitari. Vaſquius et id negat, adeoque nec ciuem ad ſpontaneam deditionem obligatum, nec inuitum ab imperantibus dedi poſſe, contendit. Grotius ciuem non abſolute teneri putat, vt ſponte ſe dedat: ſed inuitum tamen aliquando dedi poſſe exiſtimat. Has ſententias expendemus.

num. 3. Soto dum putat ciuem obſtrictum eſſe ad deditionem ſpontaneam, manifeſto confundit obligationem perfectam, quae ex regula iuſti, et imperfectam, quae ex honeſto, vel decoro, vel vt paucis dicamus, ex caritate et virtute oritur.

Iure perfecto nemo innocens tenetur ſe poenis vel earum periculis offerre, quum potius regula iuſti vetat, quemquam innocentem puniri.

At laudanda nonnumquam hominis virtus et caritas erga patriam, qui ſe ipſum periculo exponere mauult, quam rem publicam. Interim iniuſtus non eſt, ſi id facere nolit. E. g. Laudatur Codrus, qui pro re publica occidi ſe paſſus eſt. Sed tamen ni voluiſſet, non fuiſſet iniuſtus. Eſt enim ea natura omnium officiorum imperfectorum, vt coactionem reſpuant.

num. 4. Vaſquium autem Grotius refutat, et putat non quidem teneri ciuem innocentem ſe ſponte tradere, ſed tradi tamen poſſe inuitum, ſi imminens periculum euitari aliter nequeat. Quae ſane contradictionem ſapiunt. Quae enim non teneor facere, quomodo poſſum ad id cogi? Videbimus ergo rationem Grotii. Dicit, 1. officia quidem imperfecta non admitti coactionem, ſed exceptionem eſſe in neceſſitate, e. g. ſi aqua deſit omnibus, vnus, cui supereſt, poteſt cogi ad illam cum reliquis communicandam. Sed reſp. Id verum eſſe, ſi fiat ſine alterius incommodo. Hinc ſi domino abriperetur aqua, vt aliis vſui ſit, id eſſet iniuſtiſſimum. Ita iniuſtum quoque tradere ciuem innocentem, vt reliqui ſeruentur.

2. Imperantem in extrema belli neceſſitate ciues poſſe hoſti opponere, et iubere vt moriantur potius, quam ſtationem deſerant. Quidni igitur et innocentem tradere poſſit, licet ipſi exitium immineat? Reſp. priore caſu ciuis exponitur periculo, ſed hoc poſteriore exitio. Illo caſu ſe defendere poteſt, hoc ipſi

ius

ius defendendi intercipitur. Illic ciues bello cadunt; hic in pace proditur a patria innocens.

Ergo tutiſſimum eſt, Vaſquii ſententiam ſequi.

§. 4.

II. *Bellum iure geritur pro foederatis.* 1. Foedus enim eſt pactum liberarum ſocietatum. Ex pacto naſcitur obligatio. Qui vero agit, ad quod obligatus eſt, nemini facit iniuriam. Ergo nec qui foederato fert opem promiſſam in foedere. 2. Foedera fiunt, vt impotentiores pares ſint potentioribus. Atqui noſtra maxime intereſt, ne foederatus noſter impotentior opprimatur. Ergo et licite pro eo bellum gerimus.

Ceſſat tamen haec obligatio, 1. ſi foederati bellum ſit iniuſtum. Ad id enim gerendum obligaſſe nos haud videmur. 2. Si certo immineat exitus infelix. Quiſque enim ſibi proximus. 3. Si alter, quocum foederatus noſter bellum gerit, nobis antiquiore foedere iunctus ſit. Tunc enim pactum prius tollit poſterius, quia inter diuerſos initum.

§. 5.

III. *Bellum geri poteſt pro amicis, ſiue amicitia ex cognatione, ſiue ex affinitate, ſiue ex alia iuſta et honeſta cauſſa naſcatur.* Amicorum enim eſt idem velle ac idem nolle. Inter eos veluti tacitum foedus eſt, adeoque pro illis idem licet, quod pro foederatis. Exempla plura ſunt in promtu. Sic Abrahamus pro Lotho arma ſumſit, Carthaginenſes pro Tyriis cognatis.

§. 6.

IIII. Cauſſa ob quam bellum pro aliis ſuſcipi poteſt, eſt *commune vinculum humanae naturae.* Sed quamuis homo ad opem homini ferendam obſtrictus ſit: in vita tamen ciuili ea naturalis cognatio non ſufficit, quia alias ſemper bellum pro aliis iuſte geritur. Ergo praeterea requiritur 1. vinculum aliquod commune ſpecialius, e. g. religio, commercia et ius hoſpitii cum ea gente, 2. vt noſtra quoquo modo interſit, 3. vt tam iuſta ſit oppreſſi cauſſa, vt omnium prouocare miſericordiam merito debeat.

§. 7.

nu. 1. 2. Sequuntur aliquot quaeſtiones, quas Grotius ſub finem capitis expendit. 1. *An haec obligatio, quae ex communi vinculo humanitatis naſcitur, ſit abſoluta et perfecta?*

Id merito negatur. 1. Nam ſaepe id ne quidem fieri poteſt. Ad impoſſibilia nemo obligatur. 2. Hoc officium eſt ex honeſti regula. Virtutis eſt, non iuſtitiae, alios defendere. Ergo reſpuit coactionem. 3. Eſt officium erga proximum. Ergo ſemper poſtponitur officiis erga ſe ipſum. Quare ſi ſine incommodo et periculo noſtro aliis opem ferre non poſſimus, ſatis excuſati ſumus.

§. 8.

num. 1. 2. 2. Quaeritur, *an bellum recte geratur pro ſubditis alienis, ſi ſcilicet ab imperante ſuo opprimantur et iniuſte vexentur.*

Grotius recte diſtinguit, an princeps tantum duriorem agat principem: an vere tyrannum. Priore caſu ne ſubditis quidem licet arma corripere, qui ſemel ſe eius voluntati ſubmiſerunt, nedum aliis quorum non intereſt. Poſteriore caſu, ſi hoſtilem nimirum animum gerit aduerſus rem publicam, non eſt imperans, ſed hoſtis, in quem ſubditis omnia licent. Ergo nec aliis vitio verti poteſt, ſi auxilium ferant.

nu. 3. 4. Sunt, qui ne aduerſus tyrannum quidem bellum a ſubditis geri poſſe putant. Sed Grotius contra hos eleganter diſputat ex hypotheſi. Etſi enim concederemus id verum eſſe, tamen id impedimentum tantum eſſet perſonale: id eſt, cauſſa belli non iniuſta eſſet, ſed tantum perſonae belli incapaces. Iam vbi impedimentum perſonale tantum eſt, ibi pro perſona alii gerere poſſunt. e. g. Pupillus ipſe agere contra tutorem ſuſpectum nequit, ſed alii iure agunt. Ergo quamuis et ipſi ſubditi bellum gerere cum principe ſuo non poſſent, poſſent tamen alii, qui non ſunt ſubditi, bellum pro iis ſuſcipere. Ergo haec quaeſtio procul dubio adfirmanda.

§. 9.

num. 1. 3. *An militiam mercenariam ſequi ſine diſcrimine liceat?* Olim gentes fere omnes vtebantur militia ſelecta, non mercenaria. Iam autem monarchico aeque ac ariſtocratico ſtatui conuenientior cenſetur militia mercenaria quam ſelecta. Et ſane parum

intereſt,

intereſt, ſiue quis mercede conductus, ſiue gratis militet pro patria. At iam quaeſtio eſt, *an ſine cauſſae diſcrimine, promiſcue omnibus hanc operam praeſtare liceat?* e. g. hoſtibus, rebellibus, bellum iniuſtum gerentibus, cet. Idque negat Grotius.

1. Quia in ſe indecorum eſt, pro ſola mercede vendere vitam, niſi nos iuſtitia cauſſae impellat. Turpes olim habiti gladiatores, qui leui auctoramento, puta pecunia, ſanguinem vendebant. Quid vero intereſt inter huiuſmodi gladiatorem et militem mercenarium?

2. Quia hi ipſis carnificibus ſunt deteriores. Hi enim iuſta ſententia damnatos occidunt mercede conducti: illi innocentes. *num.* 2. 3.

3. Non poteſt bellum geri niſi neceſſitas vrgeat, adeoque eſt medium extraordinarium. Hi autem mercenarii ordinarium inde viuendi medium ſibi fingunt.

§. 10.

4. Quia quamuis ſtipendium in ſe licitum ſit, non tamen is debet eſſe finis et ſola cauſſa impulſiua. Sic e. g. nec iniuſtum eſt miniſtro eccleſiae, ſtipendium capere. Si tamen is ſolus illi et vnicus finis propoſitus ſit, non excuſandus eſt. Eodem modo ſeſe res habet in milite. Hunc praecipue iuſtitia cauſſae impellere debet; ſtipendium tantum acceſſorium habetur. Moralia ex fine aeſtimantur eatenus, vt quidem res in ſe mala, propter finem bonum bona non fiat: bona autem in ſe propter malum finem fiat mala.

CAPVT XXVI.

DE CAVSSIS IVSTIS, VT BELLVM GERATVR AB HIS QVI SVB ALIENO IMPERIO SVNT.

§. 1.

HOmines ſunt vel ſui iuris, vel alieno iuri ſubiecti: eaque ſubiectio vel ex iure gentium eſt, veluti ſeruorum et filiorumfam. vel ex inſtituto hominum, qualis eſt ſocietas ciuilis, vbi imperantes et ſubditi. De his iam agitur, et quaeritur,

an

an ſubditi iuſſu ſummi imperantis poſſint ſalua conſcientia bellum gerere, maxime ſi putent, cauſſam belli eſſe iniuſtam? Grotius hic duos caſus diſtinguit. Nam aut ſubditis libera datur optio militandi vel quieſcendi, de quo caſu §. 2. vel neceſſitas ipſis imponitur militandi a ſummo imperante. §. 3. *ſin.*

§. 2.

Si optio datur, veluti ſi ſtatus eſt democraticus, et ſinguli ciues ad deliberationem adhibentur, tunc eaſdem regulas adhibere debent, quas adhibent, qui ſui iuris ſunt, id eſt imperantes.

Ita Grotius. Sed quaenam illae regulae? Vt videant, 1. an cauſſa belli ſit iuſta et liquida, 2. an magni momenti. 3. An is rei publicae ſtatus, vt euentus felix ſperari queat. Haec enim in deliberationibus praecipue debent attendi.

§. 3.

num. 1. 2. Sed quid ſi neceſſitas militandi imponatur? tunc aut ita dubitant, vt in partem negatiuam ſint procliuiores; aut ita vt plane fluctuent.

Si prius: tunc non poſſunt ſalua conſcientia militare. 1. Quia contra conſcientiam dubiam nihil agendum. 2. Quia magis obediendum Deo, quam hominibus; adeoque horum imperium ſemper intelligendum cum exceptione legis diuinae. Si enim plures ſunt ſuperiores, ſupremi voluntas vincit voluntatem inferioris. Sic e. g. pater nihil imperare poteſt contra leges ciuiles, lex ciuilis nihil contra diuinam. Non ergo imperans poteſt dicere: milita, ſi Deus id prohibeat.

num. 3. 3. Quia neceſſitas quidem excuſat, ſed non in iis, quae lex prohibet, et quae iniunguntur nobis ab hominibus, eo fine, vt ad peccandum inducamur. E. g. poſſum quidem neceſſitate excuſari, ſi fugiens iniuſtum aggreſſorem hominem obuium proſternam, quia hic malum phyſicum imminet a malitia hominis, et impedimentum a Dei prouidentia eſt: ſed ſi me tyrannus occidere vellet, niſi ſatisfacerem, vel niſi homicidium committerem, id ſalua conſcientia fieri nequit, quia hic tyrannus intendit, me pellicere ad peccandum.

num. 4. 5. Id variis exemplis illuſtrat Grotius, veluti militum Iudaeorum Alexandro militantium, legionis Thebaeae, militum Iuliani,

ni, immo et ſpiculatorum, qui mori maluerunt, quam Chriſtianos occidere. Rem ipſe textus ſatis exponit.

§. 4.

Quid vero *ſi fluctuet animus, nec adeo liquidum ſit, iuſtum an iniuſtum ſit bellum?* Tunc diuerſae ſunt ſententiae. *num.* 1.

I. Plurimi enim cenſent hic parendum eſſe ſubdito. Nam 1. aliud eſſe iudicium contemplatiuum, aliud actiuum. An bellum hoc ſit iuſtum, hoc iudicium poteſt eſſe dubium, ſed an imperanti parendum ſit, de eo dubitari nequit.

2. Quia et ipſa iura ciuilia concedunt impunitatem iis, quibus obſequii gloria relicta fuerat.

3. Aliud eſſe iniuſtum agere, aliud iniuſte. Iniuſtum agit, *num.* 2. qui contra leges agit, iniuſte qui ſcienter et voluntarie leges tranſgreditur. Iam qui imperio alterius, cui ſubiectus eſt agit, poteſt quidem iniuſtum et contra leges agere, ſed non iniuſte, niſi id faciat ſcienter et voluntarie.

4. Quia leges non reddunt rationem, ergo nec imperantes. Et hinc elegans illud Philonis:

Serui tua eſt fortuna, ratio ad te nihil.

5. Accedit teſtimonium AVGVSTINI *lib. I. de ciuit. Dei cap.* 24. *num.* 3. cuius ipſa verba habentur in textu.

II. Nihilominus tamen ADRIANVS papa *in quaeſtionibus quodlibeticis*, et Grotius, putant, *hic ſubditum ſalua conſcientia parere non poſſe.* *num.* 4.

Nam et hic ſufficit, militare iuſſum dubitare. In dubio autem ſemper eligendum, quod tutius. Tutius autem eſt abſtinere militia, quam repugnante conſcientia militare.

Laudantur ideo a Grotio Eſſeni et Pythagoraei, quorum hi bellum omnino reiecerint, illi iurarint, ſe ne iuſſos quidem militaturos. Sed neſcio, an magis laudandi ſint Pythagoraei, quam Anabaptiſtae, idem olim ſentientes. Et quam abſurdum eſt eiurare militiam omnem etiam iuſſu ſuperiorum ſuſcipiendam, quum iuſiurandum contra leges non valeat? *L.* 5. *C. de legibus.*

Obiiciunt, qui aliud ſentiunt: 1. *ita periculum eſſe inobedientiae erga imperantes.* Reſp. Grotius, at maius euitari periculum homicidii comittendi. Ex 2. malis eligendum eſſe minus. Enimuero id nihili eſt. Ex 2. malis phyſicis eligendum eſt minus, *num.* 5.

 non

non ex moralibus. Ergo potius reſpondendum, non eſſe hanc inobedientiam, ſi quis neget imperanti, quod putat a Deo prohibitum. Qui Deo magis obſequitur, quam hominibus, ei nulla imputari poteſt inobedientia.

2. *Ita rem publicam in extremum adduci poſſe periculum*; ſed reſp. Ergo imperantem exponere ſubditis debere cauſſas belli iuſtificas, quae ſi iuſtae ſint, facile bonis ciuibus perſuadebunt, vt imperanti pareant.

num. 6. 3. *Imperantem non teneri legum ſuarum rationes reddere.* Reſp. Grotius (α) id verum eſſe de legibus vere et proprie dictis, et ideo refellit Tertullianum, qui ne leges quidem ſine ratione valere exiſtimat, non de actibus ſpecialibus, qui pertinent ad conſcientiam. Actus enim, de quibus leges ciuiles ſcribuntur, ſunt indifferentes: at bellum non eſt indifferens, ſed vel iuſtum, vel iniuſtum.

num. 7. β) Quamuis imperans rationes reddere non teneatur legum ſuarum: tamen ſaepe id agit, ſi bonus ſit, vt ſubditi ei pareant libentius. Sic e. g. ipſe Deus potuiſſet *Exod.* 20. in eo adquieſcere: *Non habebis Deos alienos coram me*, ſed addit rationem: *Ego ſum Iehoua, Deus tuus, qui te ex Aegypto eduxi.* γ) Et eo etiam comparatae ſunt clarigationes et manifeſta, quibus belli denunciationes fieri ſolent publice, vt ſubditi omnes ſtatim videant, bellum eſſe iuſtum, quin vt et exteri et vniuerſus orbis videat, nos bellum ex iuſtiſſima cauſſa ſuſcepiſſe.

num. 8. Vidimus hactenus vtramque ſententiam, vidimus quae pro vtraque militant, rationes. Quae ergo praeferenda? Nos omnino arbitramur, temperandam eſſe poſteriorem ſententiam, nec tam crude admittendam. Nam 1. ſubditi ſaepe rem non ita intelligunt, vt poſſint de iuſtitia belli rite iudicare. 2. Pro imperantibus in dubio militare debet praeſumtio, quod non ſine iuſta et vrgente cauſſa velint bellum gerere. 3. Omnino ſummum periculum rei publicae immineret, ſi imperans ſingulis rationes reddere teneretur, maxime quum rationes non ſemper vincant homines pertinaces. Ergo diſtinguimus, an iniuſtitia belli admodum probabilis ſit, e. g. ſi ſolius religionis odio moueatur, an tantum dubia. Priore caſu nihil agendum contra conſcientiam, poſteriore parendum magiſtratui, quia de re, quae vltra captum eſt, nec dubitare nec decidere poſſum.

num. 9. Et ita etiam facile deciditur quaeſtio de carnifice, an poſſit

ſalua

ſalua conſcientia hominem ſupplicio adficere, ſi dubitet? Nos enim eodem modo diſtinguimus, vtrum ſatis probabile ſit, hominem iniuſte damnatum, e. g. ſi quis religionis cauſſa occidendus ſit, tunc id ſalua conſcientia non poteſt fieri a carnifice, an talis probabilitas non obſtet, tunc enim praeſumere debet, iudicem nihil iniuſte decreuiſſe. Iura enim carnifices intelligere non ſolent.

§. 5.

Interim facile largimur Grotio, bonum et pium principem non facile coacturum ſubditos militare, ſi cauſſa iis ſit dubia. 1. Quia illis tributa poſſunt imponi, quibus facile conduci poſſunt milites, qui non dubitant. 2. Quia et politice periculoſum eſſet inuitos milites aduerſus hoſtem educere. *num.* 1.

3. Quia durum ſit, Chriſtianos ad militiam adigere, quum maioris ſanctitatis ſit, non militare. *num.* 2.

Sed poſtrema ratio, quamuis teſtimonio Origenis confirmetur, non caret errore. In ſe enim nullus ſtatus altero ſanctior eſt, adeoque nec militum ſtatus Deo ingratior quam paganorum, modo quis in ſtatu illo leges diuinas obſeruet. Et aeque ſanctus fuit Ioſua, bella Domini gerens, quam ſacerdos ſacrificans. Socinianiſmum et monachiſmum ſapit haec Grotii opinio.

§. 6.

Poſtremo quaerit Grotius, *an arma ſubditorum, etiam in bello iniuſto, iuſta eſſe poſſint*? Adfirmat Grotius, ſi vitam et bona defendant; quae ſibi eripi vt patiantur, iure perfecto obſtricti non ſunt ſubditi. Hinc fingamus imperantem noſtrum bellum iniuſtum, etiam nobis inuitis ſuſcepiſſe. Fingamus exercitum noſtrum caeſum, et hoſtem iam impreſſionem facere in terras noſtras, an ideo tenebimur iugulum illi praebere, et nos ipſi exhibere mactandos? Minime. Adgreditur nos tamquam hoſtis, et victoria abuſus caedem nobis intentat, quum ſcopo potiri poſſet etiam ſine caede. Ergo nobis licet defenſione iuſta illam crudelitatem hoſtilem a nobis amoliri. Et de ea quidem re nemo dubitat, ipſaque praxis hanc ſententiam ſatis confirmat. *nu.* 1. 2.

* * * * * * * * * * *

LIB. III.

CAPVT I.

QVANTVM IN BELLO LICEAT, REGVLAE, EX IVRE NATVRAE GENERALES, VBI ET DE DOLIS ET MENDACIO.

§. 1.

Monuimus ſub initium Libri I. tres eſſe huius operis partes, quas complexi ſumus hoc verſiculo:

Quid bellum, belli cauſſae, quae iuraque belli.

Quae iura belli ſint, Grotius ait definiri poſſe aut nude, ſine praeuio pacto, et tunc id definitur

Vel ex iure naturae *cap.* 1.

Vel ex iure gentium *cap.* 2-18.

Aut ex promiſſo antecedente *cap.* 19. *ad fin.* Saepe enim diximus aut agi cum hoſte tamquam cum hoſte, aut tamquam cum paciſcente. Priore caſu hoſti in hoſtem omnia licent, at poſteriore non item, ſed pacta ſunt ſeruanda.

§. 2.

Num. I. Dum ergo primum quaeritur hoc capite, *quid iure naturae liceat in bello?* Grotius primum regulas quaſdam praemittit, §. 2-4. ac deinde ex iis varias definit quaeſtiones, §. 5 *ad fin.*

Reg. I. *Omnia licent in bello, quae ad finem conſequendum ſunt neceſſaria.* Quae regula inde probatur 1. quia officia moralia ſemper ex fine aeſtimantur. Dum enim Deus vult finem, procul dubio etiam media probat, ſine quibus finis obtineri nequit. 2. quia et in ſtatu ciuili media etiam violenta permiſſa diximus, ſi aliter defendere nos non poſſimus. Quanto magis ergo in ſtatu naturali tantum licebit, quantum defenſio et finis noſter, ob quem bella gerimus, exigit.

Illuſtrat

Illuſtrat id exemplis quibuſdam Grotius. Nemini poſſum in *num.* 2. ſtatu ciuili aeque ac naturali ſuum detinere. Et tamen ſi mihi alter debet aliquid, et periculum imminet, vt ſoluendo ſit, tunc gaudeo iure retentionis. Cur? quia finis hoc caſu id exigit, qui eſt, vt meum conſequar.

Sic et rem meam nemini eripere poſſum vi, ſed auxilium iudicis teneor implorare. Et tamen ſi fur mihi aliquid ſubtraxit, vel is qui rem meam bona fide poſſidet, fugam minatur, nemo dubitat, quin ei eripere poſſim, quod meum eſt, quia finis id exigit, qui eſt, vt rem meam conſequar.

Ita et quia iuſtum eſt, delinquentes puniri, iuſtum quoque *num.* 3. erit omne, quod ad hunc finem conſequendum neceſſarium eſt. Hinc ſi fingamus rebellem ciuem ſe arci incluſiſſe, et militari vi ſe tueri: nemo dubitabit, licere arcem oppugnare, milites occidere, in quibus reus habitat, quia finis id exigit.

Ergo ſequitur, vt liceat etiam in bello homines occidere, incendiis arces delere, res hoſtiles perdere, ſi id exigit finis noſter, qui eſt vel defenſio, vel iuris noſtri repetitio.

§. 3.

Reg. II. *Ius noſtrum non ex belli principio, ſed ex belli cauſſa ſpectandum et metiendum* eſt. Hinc ſequitur,

1. Vt non defenſio ſit iiſdem circumſcripta limitibus, quibus laeſio alterius. E. g. ſi hoſtis nobis intercepit vrbem vnam, nihil impedit, quo minus ipſi totam prouinciam eripere poſſimus. Sufficit enim hoſtilem aduerſus nos animum fouere alterum.

2. Vt qui ſocii accedunt hoſtibus noſtris, pari paſſu ambulent cum ipſis hoſtibus, adeoque et eodem modo tractari poſſint, quamuis antea nos haud laeſerint. Nec intereſt, bellum ex parte hoſtis noſtri aperte iniuſtum ſit, an probabiliter tantum.

§. 4.

Regula III. eſt: *quaedam in bello ex conſequente iuſta* *num.* 4. *ſunt, quae ſi ex propoſito fierent, iniuſta haberentur.* Nam in his quae per conſequens alteri damnum dant, valet regula: *Qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam.*

Huius regulae inſignis vſus eſt in ſtatu ciuili ac naturali. Nam inde ſequitur, 1. vt ſi me aduerſus latrones defenſurus ſocium innocentem occidam, id culpa vacet. 2. Vt ſi repreſſaliis vtamur, plus ſumere poſſimus, quam debetur, modo ſuperfluum reſtituere parati ſimus. 3. Vt nauem piraticam poſſimus tormentis petere, incendere, mergere, quamuis probabiliter et innocentes in naue ſint.

Attamen temperamentum hic recte ſuadet adhibendum Grotius, ne ſcilicet iure illo ſtricto vtamur, ſi caritas aliud iubeat. Iubet autem caritas aliud, 1. ſi iſte actus minus ſit neceſſarius, e. g. ſi nauem piraticam integram capere poſſimus. 2. Si ex actu maius malum quam bonum exſpectandum, e. g. ſi mille homines propter vnum perdamus. 3. Si manifeſto videamus nos non hoſtibus, ſed nobis ipſis damnum inferre: e. g. Hannibal per viam anguſtam iter facturus, vbi vtrinque Romani montes obſederant, ab vtroque latere Romanos captiuos proficiſci iuſſit. Maluerunt Romani viam dare Hannibali, quam ſuos perdere.

num. 3. Obiici poſſet, Deum nonnumquam punire integras gentes; quum non ſit probabile, in tota gente nullum eſſe innocentem. Sed reſp. 1. Deum tunc innocentes non punire, ſed caſtigare tamquam pios. 2. Eum ſi innocentes mori iubeat, iure ſuo ſupremo vti, quali non gaudent homines. 3. Immo ne ſolere quidem Deum, qua eſt clementia, ad excidium gentium feſtinare, ſi vel pauci vere innocentes ſint. Legi eam in rem meretur colloquium Dei cum Abrahamo de Sodomis exſcindendis.

§. 5.

num. 1. 2. Iam ſequuntur quaeſtiones, quarum 1. eſt, *quid liceat aduerſus eos, qui hoſtes non ſunt, hoſtibus tamen per indirectum opem ferunt, commeatum, arma et ſimilia ſubminiſtrando.*

Hic eleganter Grotius diſtinguit, 1. inter res ipſas, an ſint ad belli vſum comparatae, e. g. arma, puluis pyrius; 2. an ad voluptatem tantum, vt vinum, chartae luſoriae, cet. 3. an et in, an extra bellum vſum habeant, iiſque commode carere nequeamus, e. g. frumentum, pecunia, naues.

De primi generis rebus notanda regula: *Qui hoſtibus arma et res bello neceſſarias ſubminiſtrat, hoſtis eſt.* Et hinc ſolent haec

haec intercipi ſub nomine *contrebande.* Quo de iure ſingularis exſtat *Diſſertatio noſtra de nauibus ob merces illicitas commiſſis.*

2. De ſecundi generis rebus: *Fruſtra prohibentur, quae hoſtes non fortiores reddunt, ſed molliores, quales ſunt res omnes ad voluptatem pertinentes.*

Exceptio tamen addenda, quod prohiberi poſſunt res, quae ad neceſſariam militum voluptatem pertinent, ſine quibus illi commodo viuere nequeunt ſub aere frigido et humido, e. g. vinum aduſtum, herba Nicotiana, cet.

3. Circa tertium genus Grotius diſtinguit belli ſtatum. Nam *num.* 3.
regulas format ſequentes:

1. *Si tueri me aliter non poſſum, niſi vt ſubmiſſa intercipiam, neceſſitas ius dabit, ſed cum onere reſtituendi.*

2. *Si iuris executionem huius modi ſubiectio impedit, ſubmittens tenebitur de damno dato.*

3. *Si ſubuehens hoc caſu damnum nondum dedit, ſed dare voluit, ius erit rerum retentione eum cogere, vt ſatisdet de futuro.*

4. *Si quis hoſtibus iniuſtiſſimis, e. g.* rebellibus, *ſubuehat commeatum, criminaliter tenetur.*

Sed hae regulae fere fundamento deſtituuntur, nec in praxi ſeruantur. Nam

1. Negari nequit, hoſtem his rebus ſubmiſſis fieri fortiorem.

2. Quum in hoſtem hoſti omnia liceant, licebit etiam intercipere, quae ipſi a tertio ſubmittuntur, ſine diſcrimine, an neceſſitas id exigat, nec ne.

Obiici poſſet, tertium tamen iure ſuo, id eſt libertate commerciorum vti, adeoque nemini facere iniuriam. Sed reſponderi poteſt ex argumentis ipſius n. 4.

Nimirum ſolent tempore belli publicare edicta (*placas*) qui- *num.* 4.
bus denunciatur, bellum nobis eſſe cum hac vel illa gente, adeoque nos decreuiſſe, merces illicitas (*contrebande*) quae ipſis a quocumque ſubmittantur intercipere et confiſcare. Vnde additur admonitio, 1. vt nautae non niſi idoneis inſtructi teſtimoniis (*paſſeports, connoiſſemens,* cet.) nauigent, 2. vt merces certas, quae recenſeri ſolent, hoſti non aduehant, 3. vt damnum ſibi imminens vitent.

Qui itaque contra hanc admonitionem faciunt, non vtuntur iure ſuo. Poſſunt enim commercia cum hoſtibus exercere,

qui

qui neutrarum partium ſunt, ſed non eum inſtruere rebus ad bellum neceſſariis. Nam hoc ſi faciunt, hoſtes noſtri fiunt.

Ex quo patet, hanc prohibitionem vltra ea, quae in bello vſum habent extendi non poſſe, adeoque iniuriam factam Belgis a Suecis, qui naues quaſcumque cum Danis et Ruſſis negotiantes, intercipiebant, immo et in portus ab hoſtibus occupatos, e. g. Rigam, Stetinum, Wiſmariam deſtinatas, quamuis non aduehérent merces illicitas.

num. 5. Sub finem huius §. rationem reddit Grotius, cur hanc quaeſtionem ad ius naturae referat. Nimirum, quia in hiſtoria nihil exſtet, ex quo adpareat, quid gentes ea de re ſanxerint. Sed 1. non opus eſt hac ratione. Quae enim ex ipſa recta ratione decidi poſſunt, ad ius naturae pertinent. 2. Ea ratio etiam non ſatis liquida eſt. Nam omnino iam ab octingentis et pluribus annis iſte mos inter gentes viguit, vt res hoſtibus aduehendas interciperent. Exſtat perrarus, ſed magni momenti liber *Conſulatus maris* italice ſcriptus, in quo imperatorum Conſtantinopolitanorum, Hiſpanorum, Gallorum et reliquarum gentium edicta huc pertinentia collecta ſunt. Vnde hic liber illis, qui in collegiis archithalaſſicis (*Admiralitæten*) adſident, in magno pretio eſſe ſolet.

§. 6.

num. 1. Quaeſtio 2. eſt de *dolo*: *an eo vti in bello, et hoſti damnum inferre liceat?* Vbi 1. auctor diuerſas ſententias recenſet §. 6. 2. Eam diſtinctionibus ſoluere conatur §. 7. 8 -20.

Quod ad prius attinet: omnino fuere 1. qui huiuſmodi dolum non improbarunt. Idque Grotius probat α) teſtimoniis Homeri, Virgilii, Solonis, Fabii maximi, qui omnes concedunt, dolum contra hoſtes adhibitum potius laudandum, quam reprehendendum eſſe. Hinc toti libri exſtant de ſtratagematibus; vt Polynaei, Frontini, cet.

num. 2. β) Idem probat exemplis maximorum imperatorum et belli ducum, quorum ideo ſapientia conſentiente omnium ſuffragio laudatur, quod hoſtem deceperint, e. g. Vlyſſis, Xenophontis, Braſidae, Ageſilai, cet. Immo ipſi Lacedaemonii, quibus nulla gens bella ſanctius gerebat, haec furta belli, vti vocantur, vel ſtratagemata probabant.

γ) Ex

γ) Ex principiis ICtorum. ICti ceu notum ſemper dolo addunt epitheton, *dolus malus*, quia norunt dari etiam dolum bonum. Si quaeras, quis ſit dolus bonus? reſpondent, 1. quo alterius non damnum ſed vtilitas promouetur, 2. quo contra hoſtes vtimur. *L.* 1. *§.* 3. *D. de dolo.* *num.* 3.

δ) Ex teſtimoniis ipſorum Theologorum, nempe Avgvstini *Quaeſt.* 10. *ſuper Ioh.* et Chrysost. *lib. I. de ſacerdot.* Potuiſſet Grotius

ε) Aliud multo firmius argumentum addere, nempe quod ipſe Deus ſtratagematibus vti iuſſerit Ioſuam, in expugnanda vrbe Ai. *Ioh.* 7. 2. Quod autem Deus non modo probat, ſed iubet, id illicitum eſſe nequit.

2. Sunt tamen etiam, qui negant huiuſmodi dolos excuſandos eſſe, quorum generale hoc argumentum eſt, quod non ſit faciendum malum, vt eueniat bonum. Nam 1. ita etiam probari poſſet, in bello non licitam eſſe hoſtium caedem, 2. eſt haec petitio principii. Nam id ipſum quaeritur, an omnis dolus, et hic, quo aduerſus hoſtes vtimur, in ſe malus ſit? *num.* 4.

§. 7.

Quare Grotius diſtincte procedit, quia *dolus* non eſt vnius generis. Alius 1. eſt *negatiuus*, alius *poſitiuus*. *Dolus negatiuus* conſiſtit in diſſimulatione, vbi ſupprimo quod verum eſt, e. g. ſi exercitus ſine tympanorum ſtrepitu, nocte intempeſta, inſcio hoſte iter facit.

Dolus poſitiuus eſt actus, vel ſermo, quo alterum circumuenimus, adeoque non in nuda diſſimulatione, ſed in ſimulatione conſiſtit: e. g. ſi exercitus fugit, vt hoſtes in inſidias pelliciat.

Dolum negatiuum, i. e. diſſimulationem, non ſemper malum eſſe facile probatur:

1. Quia non ſemper teneor illi veritatem dicere, qui illam nec perfecto, nec imperfecto iure a me exigere poteſt. Si non teneor veritatem dicere, dum diſſimulo, iure meo vtor. Dum iure meo vtor, nemini facio iniuriam.

2. Saepe diſſimulatio eſt neceſſaria et ineuitabilis, quia aliter me defendere non poſſum. Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare. Et ſane bellum qui gerunt, plus quam ſtolidi eſſent, ſi hoſti ſemper denunciarent, quid acturi ſint.

§. 8.

num. 1. *Dolus poſitiuus* vel in factis conſiſtit, vel in verbis. Vnde ſupra illum definiuimus, quod ſit actus vel ſermo.

Si in factis conſiſtit, *ſimulatio* dicitur: ſi in verbis, *mendacium.*

Quod ad mendacium, illud probe diſtinguendum a falſiloquio. Recte enim Grotius negat, omnem ſimulationem in verbis deprehenſam eſſe mendacium. Verba enim ſunt ſigna idearum. Quemadmodum ergo non ſemper ideas meas cum aliis communicare teneor; ita nec mentior ſemper, ſi aliud dico quam ſentio; e. g. ſi me latro roget, an res pretioſas mecum feram? ſi infans interroget medicum, an potiuncula ſit amara? Ergo 1. mendacium eſt, vbi falſum dico, quum alter iure a me exigere veritatem poſſet: falſiloquium, vbi alteri nullum huiuſmodi ius eſt. 2. Mendacium eſt, ſi falſum dicendo alteri damnum iniuria infero: falſiloquium, quoties tantum meam vtilitatem promoueo, vel ipſius, cui falſum quid perſuadere conor.

num. 2. Ergo porro diſtinguendum, an facta et verba libere ſignificent, an ex conuentione, e. g. quid *ius mundi* ſignificet, nondum eſt communi conſenſu expeditum: HENR. BODINVS *in Diſſertatione ſingulari de iure mundi* ita vocauit ius naturae. Contra alia verba iam valent ex conſenſu tacito, ex vſu, qui veluti iis definitionem impoſuit, e. g. ius naturae, et hinc abſurde quis diceret, ſe per ius naturae intelligere ius ciuile et canonicum.

De prioribus duplicem regulam ſuppeditat Grotius. I. *Vbi nullum inde ſequitur nocumentum, ibi verbis huiuſmodi vel factis vti poſſum, quamuis alter inde aliam ideam concipiat.*

II. *Vbi ipſum nocumentum iuſtum eſt, ibi itidem huiuſmodi verbis vel factis iure vtor.*

n. 3. 4. 5. Vtramque regulam exemplis illuſtrat Grotius. Et priorem quidem exemplis Chriſti, *Luc.* 24. 28. *Marc.* 6. 48. *Paulli Act.* 16. 3. Poſteriorem exemplo ex *Ioh.* 8. 2.

§. 9.

Iam quaeritur *de verbis, quae non libere ſignificant, ſed ex conuentione hominum tacita.* Nam qui his abutitur ad alterum

cir-

circumueniendum, is proprie mentiri dicitur. His aduerſus hoſtem quoque vti non licere multi exiſtimant, ob varia argumenta.

1. Ob dicta S. S. quae omne mendacium damnant. *Prou.* 13. 5. *Prou.* 30. 8. *Pſ.* 5. 7. *Col.* 3. 9.

2. Ob teſtimonia ipſorum poetarum, qui tamen alioquin moralem philoſophiam non adeo rigidam ſectantur.

3. Quia quod per ſe turpe et vituperabile eſt, eo ne aduerſus hoſtes quidem vti licet. Ergo non magis licita eſſe mendacia, quam adulteria, ſtupra, quibus in hoſtes graſſantur.

Sunt tamen, qui aliud ſentiunt, qui nec ipſi ſuis rationi- *num.* 2. bus deſtituuntur. Nam

1. Prouocant ad exempla in ſacris, vbi et emendatiſſimi homines ſine reprehenſionis nota hoſtes circumuenerunt. 2. *Reg.* 16. 29.

2. Ad veterum Chriſtianorum conſenſum. Exempla quaedam iam vidimus ſupra *§. 6. n.* 3.

3. Ad conſenſum philoſophorum, Socratis, Platonis, Xe- *nu.* 3. 4. nophontis, Ciceronis, Stoicorum, qui 1. et ſapientem mentiri fatentur, e. g. ſi vtilitatem alterius promouere poſſit, vt medicum decipientem aegrotum.

2. Non facta turpia dicunt, ſed cauſſam adeoque nec mentiri vel falſa loqui, ſed ad decipiendum alterum vel illudendum mentiri. Contra vitio carere exiſtimant mendacium vel propriae ſalutis vel alienae vtilitatis cauſſa dictum.

§. 10.

Rem expediturus Grotius diſtinguit 1. inter *mendacium* *num.* 1. *quod imprudenti excidit*, et *quod ſciens profert.*

Prius eſt, ſi quis falſum profert, quod verum putabat. e. g. Si dicat quis Maeuium diuitem eſſe, quem omnes pro tali habent.

Poſterius, ſi quis tamquam verum profert, quod falſum ſcit eſſe, e. g. ſi quis dicat, Maeuium mortuum, quem viuere ſciat.

Prius vitio caret, niſi culpa nimiae credulitatis accedat. Nam ſic nullus accedit dolus, nulla proaereſis, immo nec culpa. At non vacat culpa, qui omnem famam ſine auctore ſpar-

ſam ſtatim ad alios propagat, tamquam veritatem indubiam.

num. 2. Ex quo conſequitur, vt nec ambiguae locutionis vſus ſemper pro mendacio habendus ſit;

1. Si ille non cum propoſito decipiendi ſit coniunctus.

2. Si quis ſaluti ſuae in iuſta cauſſa conſulat, veluti Athanaſius in veſte nautica fugiens, a perſequentibus interrogantibus, an noſſet Athanaſium? Iam, inquit, noui, quam me ipſum. Quaeſitus porro an procul abſit, non, inquit, procul, facile eum aſſequeremini, ſi feſtinaretis.

3. Si ambiguitas illa ſimul improborum euitet quaeſtiones, et probis ad inſtructionem faciat. Sic ſaepe loquutus Chriſtus, e. g. *Lazarus amicus noſter dormit. Diruite templum, et intra triduum reſtaurabo.*

Vnde etiam ratio redditur, cur tot parabolis vſus ſit Chriſtus, cur fabulis vſi ſapientes. Bene PHAEDRVS:

Seruitus obnoxia,
Quum, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit iocis.

Contra ex iiſdem principiis patet, contingere poſſe, vt huiuſmodi loquendi genus improbum habeatur:

num. 3. 1. Si Dei honos violetur, e. g. ſi quis Chriſtianus ſe dicat Mahumedanum vel paganum;

2. Si amor proximi laedatur, e. g. ſi in contractibus mercator mercem corruptam et prauam laudat tamquam optimam.

3. Si reuerentia ſuperioribus debita ſuſque deque habeatur, e. g. ſi teſtis coram magiſtratu vel falſa dicat, vel ambigue ad quaeſtiones reſpondeat.

§. II.

num. 1. His ergo praemiſſis, iam porro quaerit Grotius, *in quo forma conſiſtat mendacii, quum ſaepe falſiloquium vitio carere diximus?*

Reſpondet Grotius, in repugnantia cum iure exſiſtente aut manente eius ad quem ſermo dirigitur. Omne enim delictum requirit ſubiectum delinquens, et ſubiectum, aduerſus quod delinquitur. Illud delinquit, quia ius alteri debitum vel violat

vel

vel intercipit, aduerſus hoc delinquitur, quia ius eius intercipitur, et violatur. E. g. Fur violat alterius ius, nempe dominium. Contra ſi latroni ſpolia eripiuntur, is conqueri nequit, aduerſus ſe commiſſum eſſe delictum, quia nullum ius in ſpoliis iſtis habuit, quod potuerit violari.

Iam applicabimus ad mendacium. Mendax delinquit, dum alteri falſa perſuadet, quum obſtrictus ei ſit ad veritatem aperiendam. Et alteri per mendacium fit iniuria, quia ius eius exigendi veritatem violatur. Vnde fluit regula:

Vbicumque alteri nec perfectum nec imperfectum ius eſt, veritatem exigendi, ibi falſiloquium non eſt mendacium, adeoque nec delictum.

Regulam hanc ita porro explicat Grotius, quod non *ſufficiat, alteri ius fuiſſe aliquando veritatem exigendi, ſed requiratur, vt ius hoc maneat et ſaluum ſit.* Nam ius ſublatum non eſt ius. Quemadmodum enim cui ius debitum exigendi adfuiſſe poteſt, ſed illud poſtea ſublatum pacto de non petendo, acceptilatione, cet. ita et ius exigendi veritatem ſublatum eſſe poteſt, quo facto et mendacium non admittitur. *num.* 2.

Sed quando et quomodo illud ius tollitur? 1. Conſenſu alterius, vel expreſſo, ſi id permittit, vt falſum dicatur, qui caſus forte rariſſimus, niſi quis ab altero petat, vt ſibi fabulam referat. 2. Vel tacito ſeu potius praeſumto. ſi praeuideamus alterum id faſiloquium non aegre laturum, quo vtilitas eius promouetur, e. g. ſi medicus infanti perſuadeat potionem eſſe dulcem. *num.* 3.

§. 12.

Ex his principiis iam varias concluſiones elicit Grotius, quarum prima eſt, *quod liceat falſiloquio vti aduerſus infantes, amentes.* Rationem iam diximus, quod eorum promoueatur vtilitas.

Vnde ſequitur, vt ſolius illuſionis cauſſa falſa proferre non liceat, adeoque vere peccant, qui infantibus falſa narrant de angelis, de ſpectris, de religione.

§. 13

Secunda concluſio eſt, *quodſi ſermo ad eum dirigitur, qui non decipitur, tertius autem inde falſam hauriat perſuaſionem, id* *num.* 1. 2.

 non

non ſit mendacium. Interrogans enim ius habet a me veritatem exigendi, non tertius, qui non interrogat, e. g. ſi viator Harlingam tendens quaerat, quae recta via ſit, et ego reſpondeam, eundum eſſe occidentem verſus; tertius autem Leouardiam tendens id audiat, et occidentem verſus ambulet, fruſtra ſane hic conquereretur, ſe a me deceptum, quum me numquam interrogauerit.

Sic Flaccus narrabat ſuis, hoſtium vrbem expugnatam, quia ſciebat, exploratores adeſſe. Hi in caſtra reuerſi id narrabant. Hoſtes perterriti hoc nuncio fugam capeſſebant. Hic nihil ſane eſt, quod de Flacco potuerunt conqueri hoſtes, partim quod ad eos ſermonem non direxerat, partim quod veritatem hoſtis ab hoſte exigere non poteſt, niſi pactum anteceſſerit.

§. 14.

num. 1. 2. Tertia concluſio eſt, *quoties praeſumtio eſt, alterum falſiloquium noſtrum grato animo accepturum, toties illud non eſt mendacium. Praeſumtio* enim haec ſaepe tam firma eſt, vt pro demonſtratione ſit. Quemadmodum ergo furtum non committit, qui contractat rem amici, quem commodaturum certo praeſumit, ita nec mendacium eſt, ſi falſa proferam, ſi praeſumtio certa ſit, amicum mihi gratiam habiturum. E. g. apud Plin. *lib. III. ep.* 16. Arria marito Paeto aegrotanti perſuadet filium conualuiſſe, quum eſſet mortuus. Duces bellici ſaepe promittunt auxilium, quum nullum ſperetur, tantum vt animum addant.

§. 15.

num. 1. Quarta concluſio eſt, *quod imperantes ſaepe falſiloquiis non iniuſte vtantur.* Sed ratio Grotii non placet. Nam et hoc ius arceſſit a dominio eminente, quaſi dominium eminens et ad facultatem mentiendi porrigendum ſit. Potius vera ratio denuo eſt praeſumtio, quod ſubditi id grato animo accepturi ſint, eo quod hoc modo vtilitati rei publicae conſulatur. Eodem ergo ſe modo res habet, ac in falſiloquio vtente aduerſus aegrotum.

Quod autem iſtud ius imperantium non ſit ex dominio eminente, vel inde clariſſime patet, quod Deo non conueniat falſiloquium; quamuis eminentiſſimum ſit eius in res creatas domi-

dominium. Vtilitatem autem noſtram Deus et ſine falſiloquio promouere poteſt, quum ſit ſapientiſſimus, et mille media ipſi nota ſint, quae homines ignorant.

Illuſtrat hoc exemplis. Ioſephus tamquam prorex Aegypti ſimulauit, ſe fratres pro exploratoribus et filiabus habere, vt eo modo veritatem eliceret, vt Beniaminum fratrem, quin totam Iacobi familiam in Aegyptum pelliceret. num. 2.

Sic Salomon ſimulauit, ſe viuum infantem, de quo binae meretrices litigabant, gladio diuiſurum, vt veritatem eliceret, utra mater ſit.

Saepe etiam imperantes legibus ſuis in ſe ſalubribus rei publicae, ſed ciuitati parum gratis falſam rationem praetexunt, vt eo facilius reperiant obſequium.

§. 16.

Quinta concluſio eſt, *quod quoties vita innocentis aut par aliquid aliter ſeruari non poteſt, licitum ſit vti falſiloquio.* Hic enim improbus iſte, qui innocentiae ſtruit inſidias, nec perfecto nec imperfecto iure veritatem exigere poteſt. Sic recte Michol filia Saulis celauit et occultauit Dauidem maritum, nec ideo rea fuit mendacii.

§. 17.

Iam ad *hoſtes* redit auctor, quum nunc facile decidi poſſit tota quaeſtio, *an hoſtes dolis et mendaciis circumueniri poſſint?* adfirmare id multos iam repetit Grotius, nempe Platonem, Xenophontem, Philonem, Chryſoſtomum, et inprimis Euſtrathium Metropolitam, cuius luculentiſſima exſtant ſcholia in Homerum. Locus a Grotio exſcriptus meretur legi. num. 1. 2.

At ſcholaſtici, et hodie ex Ieſuitis quidam hoc negant, mendacio locum eſſe aduerſus hoſtem, contra concedunt, vti nos poſſe ſermone ambiguo, et reſeruationibus mentalibus. Religioſi ſcilicet homines, qui hereticis negant ſeruandam eſſe fidem; et tamen nefas putant decipere hoſtes: qui falſiloquia reiiciunt, et probant ambiguitates et reſeruationes mentales, id eſt mendacia, qui hoſtibus denique parcunt, et inter ciues ipſos omnem bonam fidem tollunt, et veluti in exſilium eiiciunt. num. 3.

Vere

Vere enim reſeruationibus iſtis mentalibus omnem fidem eiici in exſilium inde patet:

num. 4. 1. Quia omnes voces admittunt duplicem ſignificationem formalem, et materialem, e. g. *ire*, *currere*, *volare*, *equitare*: vocabula haec omnia vnam habent notionem formalem, (nam ſignificant motum ad locum.) Sed ſingula habent ſignificationem ſuam ſpecialem et materialem. *Ire* ſignificat motum ordinarium, qui fit pedibus; *currere* motum extraordinarium et feſtinatum, itidem pedibus factum; *volare*, motum, qui fit alis; *equitare*, motum, qui fit equo. Si ergo omnia vocabula habent ſignificationem duplicem, omnia etiam admittunt ambiguitatem.

2. Quia ita nec promiſſis, nec pactis, nec iuriiurando alterius fidem habere poſſum, quum ſemper ſit periculum, ne mihi reſeruationibus ſuis mentalibus illudat.

3. Quia ſic abſurdum hoc inde defenditur, quod, quo quis eſt ingenioſior, eo facilius poſſit eſſe improbus.

§. 18.

Quid ergo in tanta ſententiarum diuerſitate ſentiendum? Reſp. nec verum eſt, omnia falſiloquia aduerſus hoſtem illicita eſſe, nec concedendum, omnia eſſe licita. Nimirum diſtinguendum, an nobis res ſit cum hoſte tamquam cum hoſte, et tunc illum iure decipimus, quia hoſtis in ſtatu naturali nec iure perfecto nec imperfecto a me quidquam iuris exigere poteſt. Si illum occidere, rebuſque ſpoliare poſſum, quidni et dolis circumuenire.

An vero agamus cum hoſte tamquam cum paciſcente; tunc omnino fidem ipſi debemus ſeruare, quia eo ipſo, dum cum illo pacti ſumus, ei ius perfectum dedimus, veritatem a nobis exigendi. Vnde recte colligit Grotius, nec in promiſſis, nec in induciis, nec in colloquiis decipiendum hoſtem, quia ipſi ius nouum dedimus.

§. 19.

Ex quo conſequitur, vt et *hoſti iusiurandum ſeruandum ſit*, e. g. ſi captiuus iurarit, ſe aduerſus hoſtes per certum tempus non arma geſturum. Nam

1. Ius-

1. Iuſiurandum hoc praeſtitit ex pacto. Pacta et hoſtibus ſunt ſeruanda.

2. Iuſiurandum praeſtatur Deo, iniuſtum autem Deum inuocari teſtem ab iis, qui iurant, vt fallant.

3. Si obiiciatur iuſiurandum huiuſmodi eſſe vi extortum; reſpondetur, id negandum. Nam non omnis vis irritum reddit iuſiurandum, ſed vis iniuſta. Sic e. g. non ideo falſa proferre poteſt teſtis, quia iudex eum inuitum cogit ad teſtimonium perhibendum. Quis autem dixerit, iniuſtam eſſe vim, qua hoſtis aduerſus hoſtem vtitur?

§. 20.

Quamuis vero hactenus Grotius probarit, *in ſe iniuſtum non* num. 1. *eſſe, decipere hoſtem*; tamen exiſtimat, *tutius et Chriſtianae ſimplicitati magis conſentaneum eſſe, ab huiuſmodi fraudibus et falſiloquiis abſtinere.*

1. Quia ipſi gentiles hoc agnouerint. Ii enim ſtatuerant viro bono conuenire veritatem, maxime regibus et rerum publicarum rectoribus.

2. Quia Chriſtianis inprimis a Chriſto commendata eſt ſim- num. 2. plicitas columbina. *Matth.* 10. 16. et omnis vanitas interdicta. *Matth.* 12. 36.

3. Quia imitari debent Chriſtum, cuius in ore non eſt inuentus dolus.

4. Quia laudati veteribus reges et principes, fraudes hu- num. 3. iuſmodi adſpernati, et virtute non furtis extorquentes victoriam. Tale quid de Alexandro, et inprimis de Romanis praedicatur, de quibus AELIANVS: *Romanis propriam eſſe virtutem non per aſtus et dolos, quaeſitam victoriam.*

§. 21.

Tertia quaeſtio eſt, *an liceat hoſti, hoſtem adigere ad aliquid faciendum, quod ipſi non licitum eſt?* e. g. captiuo iniungere, vt regem ſuum occidat, vt patriam prodat. Negat Grotius. Nam

1. Hoſti in hoſtem omnia licent, id eſt in eius corpus et bona, non in animum et conſcientiam, vt illi imperari poſſint ſcelera.

2. Qui cauſſam alteri dat peccandi, is et ipſe peccat.

3. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Iam nemo dixerit hoſtem velle, vt ab hoſte ſicarii aduerſus ſe emantur ex ipſis ſubditis. Ergo nec id faciendum aliis.

§. 22.

Sed *quidſi alter ſponte ſe offerat ad huiuſmodi operam nobis praeſtandam*, e. g. ad tradendam vrbem, occidendum regem, cet. Tunc Grotius dicit, vti nos poſſe ea occaſione. Sed quamuis facile concedamus, id licere iure naturae, de quo hic quaeritur, aliud tamen obtinet moribus gentium humaniorum, quae regum etiam hoſtium perſonas ſacro ſanctas habent, nec eos putant per ſicarios occidendos. Laudem meretur Fabricius, qui medicum Pyrrhi ſibi offerentem, quod veneno tollere velit regem, ad dominum tranſmiſit, rogauitque, vt ſibi de veneno caueret. Multa iure ſtricto licita ſunt, quae non probat mos gentium humaniorum, (*la raiſon de guerre*) de quo agitur iam capitibus ſequentibus.

CAPVT II.

QVOMODO IVRE GENTIVM BONA SVBDITORVM PRO DEBITO IMPERANTIVM OBLIGENTVR, VBI DE REPRESSALIIS.

§. 1.

num. 1. HActenus quid ex iure naturae in bello liceat: iam *de iure gentium*. Iam ſaepe monuimus, ius gentium a iure naturae diuerſum haud dari, ſed eſſe ipſum ius naturae negotiis gentium adplicatum. Sed ſi per ius gentium intelligas mores a variis gentibus humanioribus introductos: tunc haec capita, quae ſequuntur, vſum habent.

Et hoc quidem capite acturus Grotius de *repreſſaliis*, primo quaerit, *an ex facto alieno quis poſſit obligari?* Per *repreſſalias* enim ob debita imperantium res ſubditorum intercipiuntur.

Recte reſp. iure naturae ex facto alieno neminem teneri. Siue enim

enim obligatio proficiſcatur ex contractu, ſiue ex delicto, vtrobique fundamentum obligationis eſt factum, i. e. promiſſum vel maleficium. Tertius autem non promiſit nec deliquit. Ergo nec obligatur.

Nec aliter res ſe habet in vniuerſitatibus. Ea conſtat ex ſingulis, collectiue ſumtis, ſed non ſinguli conſtituunt vniuerſalitatem ſeparatim. Ergo, quod vniuerſitas debet, non poteſt iure naturae a ſingulis ciuibus exigi in ſolidum: ſed id primo ſoluendum ex bonis vniuerſitatis: ſi haec non ſufficiant, ſinguli tantum pro rata tenentur, quia pars ſunt vniuerſitatis. *num. 2.*

Haec omnia ex ipſo iure ciuili illuſtrat Grotius, veluti *ex L. vn. C.* vt *nullus ex vicar.* ex titulis, *ne filius pro patre, ne pater pro filio, ne maritus pro vxore,* cet. Colligit etiam eas leges, ex quibus adparet, ſingulos ex debito vniuerſitatis conueniri non poſſe. Quae quidem recte ſe habent, ſi inde colligas ius ciuile ea in re ſeruare principia iuris naturae. Alioquin ex iure ciuili ius naturae probari nequit.

§. 2.

Quum ergo ius naturae neminem pro alio obliget: quaeritur 2. *an non ius gentium huius modi obligationem introduxerit?* Affirmat. Nam experientia docet, ſolere ob debita vel imperantium vel rei publicae bona priuatorum arreſto obſtringi, et tamdiu detineri, donec ſatis factum fuerit. Id quum ex iure naturae non eſſe demonſtratum ſit §. 1. ex iure gentium voluntario eſſe putat Grotius, quod vſu exigente et humanis neceſſitatibus introductum eſt. *num. 1.*

Sed ſi recte ponas calculum, falſum eſt, hoc ex iure naturae non poſſe defendi. Ipſe enim Grotius *n.* 2. fatetur, hoc naturae non repugnare. Id paullo adcuratius probabimus. Nam 1. certum eſt, rem publicam ratione alterius rei publicae conſiderari tamquam vnam perſonam moralem. Ergo quod imperans debet; omnes, id eſt, tota natio, quae in rem publicam coaluit, debere cenſentur. 2. Ergo ſi imperans ſoluere vel non vult, vel non poteſt; nihil ſupereſt, quam vt natio creditrix ipſa ſibi ius dicat, et res alterius nationis intercipiat. 3. Subditis tunc non fit iniuria, quia dum voluntates ſuas voluntati imperantium ſubmiſerunt, etiam quaſi fideiuſſerunt pro factis ſummi imperantis. 4. A maiore ad minus argumentari poſſumus, ſi licet in bello *num. 2.* *num. 3.*

 propter

propter facta imperantis vita et bonis ſpoliare ſubditos; quidni bonis ob imperantis debita? Accedit 5. quod is cuius bona intercepta ſunt, regreſſum habet aduerſus imperantem vel conciues, vt indemnis praeſtetur. Denique 6. proprie ciuibus bona non intercipiuntur, ſed pignoris inſtar capiuntur, detinenturque tam diu, donec ſatisfactum ſit. Si ergo imperans vel res publica ciues non vult rebus ſpoliari, ſoluat quod debet.

Quae quum ita ſint, nihil cauſſae eſt, quare hoc ius ex iure quodam gentium a iure naturali diuerſo repetamus.

§. 3.

1.1.2.3.4. Ceterum iam rem exemplis illuſtrat Grotius docetque, *ex moribus gentium aliquando homines, aliquando res fuiſſe adprehenſas ob debitum imperantium.*

Homines aliquando fuiſſe interceptos demonſtratur 1. ex lege Attica, quae ſi caedes à gente vicina facta, nec vindicata eſſet, propinquis conceſſit tres homines comprehendere ex ea natione, donec ſupplicium ab homicida fuerit ſumtum. Hi ergo homines adprehenſi non erant ſerui, ſed obſides, quibus imminebat triſte ſeruitutis fatum, niſi ciuitas ſupplicium ſumeret.

An hoc iniuſtum? Minime, vt enim iuſto bello capimus priuatos ob facta ſummorum imperantium, vt eos ad pacem cogamus: ita licebit et capere homines, non vt ab iis ſupplicium ſumamus, ſed vt hoc modo cogantur imperantes, ſupplicium a ſontibus ſumere.

Specialem legem Ariſtocratis hic adfert Grotius, et an iuſte reprehenſa ſit a Demoſthene quaerit. Ariſtocrates legem rogauerat, vt ſi quis exterus Charidemum occidiſſet, is vndique abripi poſſet; ſi quis ei obſiſteret, is hoſtis loco eſſet.

Reprehendit id Demoſthenes 1. quod non diſtinxerit, an iure an iniuria caeſus ſit Charidemus; 2. quod non exegerit, vt prius poſtuletur iudicium; 3. quod non eos apud quos facta ſit caedes, ſed a quibus receptus ſit homicida teneri voluerit; 4. quod inde bellum naſcatur.

Sed reſpondet Grotius recte, Demoſthenem non vbique rem acu attigiſſe. Verum eſt, 1. diſtinguendam fuiſſe cauſſam caedis iuſtam et iniuſtam. Quid enim ſi quis Charidemum ex moderamine inculpatae tutelae vel in adulterio deprehenſum occidiſſet? Iuſta quoque eſt criminatio 2. Nam non prius nobis tempore

pacis,

pacis ius eſt repreſſaliis vel aliis violentis remediis vti, quam altera res publica a nobis requiſita ius vel ſatis factionem denegauerit. At tertia et quarta cauſſa nihili ſunt. Nam qui receptum dat aeque particeps fit delicti, ac ipſe delinquens. Nec ſtatim res publica quae homines illos detinet, dici poteſt bellum mouere, quum parata ſit, eos reddere, ſimul ac ſatisfactum ſit.

Demonſtrat Grotius eamdem theſin 2. iis exemplis, vbi ho- *num. 5.* mines eorum capti, qui noſtros homines iniuria captos detinent. Sic e. g. quum Carthaginenſes capere vellent Ariſtonem Tyrium, obſtitere ciues, cauſſati, ſibi tunc idem fatum imminere in variis emporiis. Sciuerunt ergo, morem iam iis temporibus viguiſſe, vt pro captiuo alii caperentur.

§. 4.

Sed frequentius manus iniiciuntur *rebus*, et id ius vocatur proprie *repreſſaliae*. Graecis ἐνεχυρασμὸς, Saxonibus et Anglis *Witternamium*, a Germanico *Widerneemen*, recipere, Gallis *litteras marcae*, a Celtico *mark*, quod ſignificat limitem, vnde *Markgraf*, comes limitaneus, quia in finibus imperii cuſtodes conſtituuntur, qui res exterorum intercipiant.

Et hoc ius locum habet ſemper, etiam in pace, modo nobis noſtriſue ius denegetur.

§. 5.

Sed quaeritur 3. *quando ius denegari dicatur?* reſp. 1. ſi in *num. 1.* ſontes ius plane obtineri nequeat; 2. ſi in re minime dubia contra ius aperte iudicetur; 3. ſi exſequutio denegetur.

Poſſet obiici, rem iudicatam pro veritate haberi, adeoque ſententiam iniuſtam dici non poſſe, ſi vires rei iudicatae acceperit. Sed reſp. Grotius, id quidem inter ciues locum habere, quibus aut appellandum, aut ſententiae parendum, non inter diuerſas gentes.

Ratio differentiae eſt, quia totum ius de effectu rei iudicatae eſt ex iure ciuili, non ex iure naturae. Iam ius ciuile ciues quidem eiuſdem rei publicae non diuerſarum rerum publicarum ſubditos tenet.

Hoc ius antiquiſſimum eſſe pluribus exemplis poteſt demon- *num. 2.* ſtrari. Elegans eſt exemplum Neſtoris apud Homerum. Antiquum etiam exemplum Ariſtodemi apud Liv. *lib. II.* et Dionys.

 Ha-

HALIC. *lib. VII.*

Quamuis vero exempla non faciant ius: vel inde tamen patet, mature admodum gentes id pro remedio iuſto et aequo habuiſſe.

§. 6.

Quaeritur 4. *an et in vitam ſubditorum ex his cauſſis aliquid liceat?* Id negat auctor, et recte quidem. Nam

1. Ex debitis ciuilibus vita non obligatur, ſed bona.

2. Si crimen admiſſum, ſiue a ſingulis, ſiue ab vniuerſitate non alius pro alio, nec vnus pro tota re publica tenetur, ſed delicta tenent ſuos auctores, niſi id per conſpirationem omnium factum, tunc in ſingulos poena cadit.

3. Si obiiciatur, atqui voluntates ciuium ſubiici voluntati ſummi imperantis? reſp. at ciues non gaudere facultate illa naturali in vitam ſuam, vt eam obligare poſſint pro aliis.

Aliud itaque dicendum, ſi caedes ciuis innocentis fiat per accidens, e. g. ſi imperans iuſſit nauem exteram intercipi, et nautica turba id vi impedire conata eſt.

§. 7.

num. 1. Sub finem monet, non confundenda in hac materia eſſe, quae ſunt iuris ciuilis, et quae proprie iuris gentium. Aliqui enim ſuperaddere ſolent leges ciuiles vnius vel alterius gentis, quae non apud omnes gentes receptae ſunt.

Immo et pactis inter gentes initis quaedam introducuntur, quae non vbique obtinent.

num. 2. Id iam exemplis declarat auctor. Nam

1. Ex iure gentium non tenentur his oppignorationibus, niſi bona ciuium et ſubditorum, ſiue indigenae, ſiue aduenae ſint, modo ſint ſubditi permanentes. Nam ciues temporarii, vel tranſeuntes pignorationibus premi adſurdum eſſet, e. g. ſi Anglicanus mercator ex Gallia veniens ob debitum Gallicanum arreſto conſtringeretur.

2. Nec eo iure tenentur legati, quorum res aeque ac perſonae ab omni vi immunes eſſe debent.

Ex aliis perſonis nemo excipitur.

num. 3. At ius ciuile priuilegiis munit et alias perſonas, e. g. mulieres, infantes, ſtudioſos, de quibus imprimis conſulenda famoſa

illa

illa *auth. habita C. ne fil. pro patr.* mercatores, qui ad mercatus publicos veniunt.

Ita et ius gentium certum modum procedendi non praeſcribit. Ius ciuile praeſcribit, nempe, vt captis rebus citentur ii quorum intereſt, iiſque ex rebus diuenditis tantum addicitur, quantum ſibi deberi probauerint.

Ceterum vtroque iure naturali et ciuili, expeditum eſt, eum *num.* 4. qui occaſionem de repreſſaliis dedit denegata ſolutione, alteri qui damnum paſſus, teneri ad indemnitatem. Fundamentum enim generale huc quadrat: *Nemo debet cum alterius damno locupletior fieri.* Sed ſaepe hic accidit, vt damnum paſſo non ius deſit, ſed exſequutio, ſi cum imperante vel re publica illi res ſit.

CAPVT III.

DE BELLO IVSTO, SIVE SOLLEMNI, IVRE GENTIVM, VBI DE INDICTIONE.

§. 1.

Bellum dicitur *iuſtum* trifariam: vel *ratione cauſſae*, quia *num.* 1. ob iuſtam cauſſam indicitur; vel *ratione effectus*, quia pie et ſecundum iuſtitiae regulas geritur; vel *ratione formae*, quia ab iis geritur, qui gerere poſſunt, et ſollemni ritu indicitur. De prima ſignificatione actum *Lib. II.* De ſecunda videbimus *cap.* 4. *ſequ.* Hic de tertia agitur.

Quid ergo hic *bellum iuſtum*? Eſt bellum a rebus publicis vel earum imperantibus decretum. Priuati enim quum non gaudeant iure bella gerendi in ſtatu ciuili, ſed bellum ſit concertatio ſocietatum liberarum: conſequens eſt, vt ſi priuati bellum gerant, id non ſit bellum, ſed latrocinium, eoque pertinent *L.* 118. *D. de V. S. et L.* 24. *D. de capt. et poſtl.* Ex eodem ſequitur, vt bella ciuilia inter membra eiuſdem rei publicae geſta non ſint bella iuſta. Vnde et Romani negabant, captiuos in bello ciuili fieri ſeruos. *L.* 21. §. 1. *D. de capt. et poſtl.*

Secundo additur ſollemniter indictum. Et hoc non tam ex iure naturae quam ex moribus gentium eſt. Gens enim gen-

tem

tem ea in re imitata eſt, ita tamen vt ritus indicendi bellum ſint diuerſiſſimi, vti infra videbimus §. 5. *ſq.*

§. 2.

num. 1, 2. Quum ergo dixerimus *bellum iuſtum* dici, quod a rebus publicis decretum eſt: quaeritur, *an ſi res publica bellum ob cauſſas iniuſtas ſuſcipit, nihilominus ea iuſtum bellum gerere videatur? an non potius ſic ciuitas degeneret in coetum latronum?*

Reſp. ratione primae acceptionis vocis *iuſtum bellum*, huiuſmodi ciuitas a latronum coetu non differt: et eatenus, recte Scythae Alexandrum M. vocarunt latronem gentium. Vtrinque enim vis ſine iuſta cauſſa infertur.

At ratione tertiae ſignificationis, de qua agimus, magna eſt inter huiuſmodi rem publicam, quae bellum ſine iuſta cauſſa gerit, et inter coetum latronum differentia. Nam

1. Maxime differunt fine. Ciuitas conſociatur iuris fruendi vel ſecuritatis ſuae cauſſa: latrones ſociantur criminis patrandi cauſſa.

2. Ciuitas ius exteris adminiſtrat: latrones communes omnium hoſtes ſe profitentur.

num. 3. 3. A latronibus capti non fiunt capientium, quia iuſtus titulus manifeſto deeſt: capti a gentibus, licet iniuſtum bellum gerentibus; tamen in dominium capientium rediguntur.

4. De latronibus non triumphabant Romani: de gentibus iniuſta bella gerentibus triumphabant. Quamuis hoc ad ius Rom. publicum pertineat, quum aliae gentes triumphum non admiſerint.

Ratio diſcriminis eſt, quia latrones ſunt plane perſonae inhabiles ad bellum gerendum: gentes autem in ſe ſunt habiles, quamuis aliquando in explicatione iuris ſui, et in ponderanda cauſſa belli fallantur.

§. 3.

Quemadmodum vere recte dixerit Grotius, *ſocietatem latronum eſſe iniuſtam et illegitimam*: poteſt tamen fieri, vt legitimus fiat exercitus, vel plane legitima ciuitas.

1. Si rei publicae operas addicant, vt Iephta. Elegans exemplum eſt apud DITMARVM *in Hiſt. Lib. VII.* de Henrico

aucupe

aucupe Germanorum rege. Quum ex vna parte Hungari, ex altera Sclaui et Venedi Germaniam deuaſtarent: veniam publice promulgari iuſſit omnibus furibus et latronibus, ſi aduerſus Venedos praedatum exire, et a ciuium rebus abſtinere vellent. Statim aliquot millia horum hominum ſe obtulerunt, qui in ſuburbiis ciuitatum collocati inſigni clade affecerunt Germaniae hoſtes.

2. Si in ciuitatem coaleſcant. Exemplo Romulus eiuſque coetus.

§. 4.

Quum autem ſocietas libera vel res publica tantum bellum iuſtum gerat: quaeritur porro, *quaenam pro tali habenda ſit?*

Reſp. quae eſt independens, vel quae habet ſummum imperium. Hinc municipia, quamuis quodammodo ſint res publicae ab aliis ſeparatae, non tamen ſunt ſocietates liberae, quia alterius ſubiecta imperio. Aliquando contingit, vt ciuitas pro parte ſit independens, pro parte ab alio dependens, tunc pro illa etiam parte bellum iuſtum gerit. Sic nemo dubitat, quin rex Pruſſiae, ratione eius regni poſſit bellum gerere cum vnoquoque, etiam cum ipſo imperatore. Sed ratione reliquarum prouinciarum recte quidem bellum gerit cum exteris, ſed non cum imperatore et imperio, nec cum conſtatibus, quia ratione priorum ſubiectione quadam impeditur; ratione poſteriorum eſt ciuis imp. adeoque in iudiciis imp. actionem inſtituere et ſuſcipere tenetur.

§. 5.

Pergimus ad alteram capitis partem, nempe ad *indictionem* vel *denunciationem belli.* Ita enim inter gentes humaniores receptum, vt non alias incautas et nihil mali metuentes opprimant, ſed prius indicant, et denunciënt. Ea denunciatio fiebat variis modis.

1. Apud Romanos per faeciales haſtam ſanguineam proiicientes in fines hoſtiles cum ſollemni precatione, quae exſtat apud Liv. *lib. I. cap.* 32.

2. Apud Turcas fit, propoſita cauda equina, ex qua vnuſquiſque videre poſſit, bellum eſſe decretum.

3. Apud reliquas gentes id fit per clarigationem et *Manife-*

ſta, vti vocant. Id eſt publico ſcripto explicantur cauſſae belli iuſtificae, addita denunciatione. Id vero ſcriptum deinde quibuſdam locis a praecone ſub tubarum et tympanorum clangore recitari ſolet. Ritus itaque diuerſiſſimi ſunt.

§. 6.

num. 1. Iam quaerit 1. *ex quo iure haec ſit denunciatio?* Reſp. diſtinguenda eſſe ea quae ſint iuris naturalis ab iis, quae iuris gentium, vel plane iuris ciuilis, de iure naturae et gentium agitur hac §. de iure ciuili §. 8.

Naturali iuri denunciationem requiri, probari nequit. Quum enim 1. hoſti in hoſtem in infinitum omnia liceant: licebit etiam eundem incautum opprimere. 2. Vbi alter manifeſto laedit, et ſatisfactionem denegat, cauſſae iuſtitia ipſa illi bellum indicit. Elegans huc pertinet iudicium Aeliani, ab auctore exſcriptum.

num. 2. Idem ius naturae tamen requirit, 1. vt ſi cauſſa ſit dubia prius colloquiis vel diſceptatione tentemus pacem conſeruare, de quibus ſupra.

2. Vt ſi cauſſa etiam ſit liquida, interpellatio tamen fiat; vt ſciamus paratuſne ſit hoſtis ad ſatisfaciendum, nec ne. Nam ſi ſatisfacit, bellum merito ceſſat.

Haec ſolum rationem habent ex iure naturae idoneam.

num. 3. Addit Grotius, etiam vbi ex regulis iuſti non requiritur indictio vel denunciatio, tamen eam eſſe laudabilem ex regulis honeſti vel virtutis.

1. Quia ita datur hoſti ſpatium poenitendi, immo et impellitur eo magis ad poenitentiam, ſi videt, iam rem ad teli iactum venire.

2. Quia ita demonſtratur ſtudium pacis, quod ſemper bono imperanti debet bello eſſe potius.

3. Quia Deus ipſe hoc iuſſit *Deut.* 11, 11.

Quid vero ius gentium addidit? 1. neceſſitatem, vt omne bellum iuſtum indicatur; 2. ſollemnitatem, vt certis ritibus, quos tamen non determinat, indicatur; 3. effectum, vt bellum ſollemne certos effectus produceret, qui in minus ſollemnibus non reperiuntur.

§. 7.

§. 7.

Quaeritur 2. *quotuplex ſit haec indictio?* Reſp. vel *conditio-* *num.* 1.
nata, vel *pura*.

Conditionata, quando coniungitur cum rerum repetitione. Niſi nobis intra 60. dies ſatisfiat, bellum indicimus. Adde exemplum ex Liuio a Grotio adductum.

Pura, vbi nulla amplius repetitio adiicitur. Quod fit 1. in bello defenſiuo, 2. ſi ſatisfactio iam denegata, 3. ſi factum infectum fieri nequit.

An autem ſi ſemel ſub conditione bellum indictum, et non *num.* 2. 3.
ſequuta ſatisfactio, tunc eo pure fieri et ſic repeti debet. Non eſt neceſſarium. Quae enim ſub conditione fiunt, exſiſtente conditione purificantur.

Sed aliquando tamen huius modi denunciationem eo caſu repetitam nouimus. Exempla habet ipſe Grotius.

Sed multa fiunt, quae ſuperuacua, quia ſuperuacua non nocent. Quo et id retuleris, quod plerumque bellum ab vtraque parte indicitur, et indictio adeo fit reciproca, quum tamen ſufficiat, eam ab vna parte factam.

§. 8.

Iam quaerit, *quid ex iure ſingularum gentium ciuili acceſſerit?* Reſp. ſollemnitatum determinatio. Tales erant apud Graecos caduceus, id eſt, baculus implicatis ſerpentibus ornatus, qualem Mercurio attribuunt. Apud Romanos ſagmina, id eſt, herbae ex pomeriis petitae, quibus inſtructi ſacro ſancti et inuiolabiles habebantur. Vid. *l.* 8. §. 1. *D. de rer. diuiſ.* haſta ſanguinolenta, quam feciales in fines hoſtium mittebant, de qua Liv. *lib. I. cap.* 81. et huius generis alia, de quibus ſupra. Haec omnia ad ritus pertinent. Ritus ſunt arbitrarii, adeoque ex ſingularum gentium legibus moribuſque originem ducunt.

§. 9.

Iam de effectibus huius *indictionis*: Quorum primus eſt, quod bellum indictum imperanti vel rei publicae etiam ſubditis cenſeatur indictum, immo et ſociis, vel qui iam ſunt in foedere, vel qui ſe poſtea illis adiungunt.

Ratio facilis. Nam 1. ſubditi cum imperante vnam conſtituunt perſonam moralem, ob ſubmiſſam ei voluntatem, adeoque et imperante declarato hoſte, ipſi quoque hoſtes cenſentur. 2. Ratione ſociorum, ne dubitandi quidem eſt ratio, quum qui hoſtem meum iuuat, procul dubio hoſtis ſit. Ergo et iure meritoque eodem loco habetur.

§. 10.

Inde ergo ſequitur, vt aduerſus ſocios nulla noua opus ſit *indictione*, quia dum ſe hoſti noſtro iniungunt, ſibi ipſi videntur bellum inferre. Hinc Antiocho hoſte declarato, Aetolis bellum ſeparatim non indicebatur a Romanis.

Sed exceptio tamen eſt, ſi bellum cum hoſte finitum ſit, et iam ſocius vindictae cauſſa bello petatur; tunc enim omnino id bellum denunciandum et indicendum. Nam priore caſu bellum aduerſus ſocium decretum conſiderabatur, tamquam acceſſorium. Hoc poſteriore eſt principale, adeoque et nouam requirit indictionem. Hinc negabat Cato iuſtum bellum cum Ariouiſto geſſiſſe Caeſarem. Venerat Ariouiſtus auxilio Gallis aduerſus Aeduos. Ergo ſi tunc Caeſar cum Gallis iſtis bellum geſſiſſet, aduerſus Ariouiſtum nulla opus fuiſſet noua denunciatione. At finito bello, et ſubiugatis Aeduis, tunc demum Caeſar inconſulto populo et priuata auctoritate bellum ei inferebat. Vnde Cato, homo antiquae diſciplinae, Caeſarem per foeciales Germanis dedendum eſſe cenſebat.

§. 11.

Quaeritur autem, *cur indictione opus fuerit ad effectus quosdam belli, veluti, vt captiui fierent ſerui, vt res captae in dominium capientis tranſirent*, cet.

Multi eam reddunt rationem, ne tam dolo quam vi aperta hoſtes adgredi videretur res publica. Sed ea ratione vti poſſumus, ſi quaeſtio eſſet, cur honeſta ſit ea belli indictio? Nunc autem quaeritur, *cur in bello indicto captiui fiant ſerui, non item in bellis haud indictis?*

Hic meliorem rationem commentatus eſt Grotius, nempe quia alias vix conſtaret, iuſſune rei publicae bellum gerant duces, an priuato auſu. Priuati enim bellum iuſtum non gerunt.

Priua-

Priuatos autem bellum non gerere, ſed rem publicam, ex indictione ſollemni adparet.

§. 12.

Obiici poſſet, ſaepe tamen etiam in bellis minus indictis effectus hos fuiſſe obſeruatos. Sic aliquando et captiui bellis ciuilibus in ſeruitutem redacti ſunt. Pompeius et de piratis, Caeſar et de Pompeio triumphauit. Romani et prouincias gallicas retinuerunt, quas a Caeſare bello minus ſollemni occupatas nouerant.

Sed reſp. diſtinguendum eſſe, quod fit de facto, ab eo, quod fit de iure. In bello is, qui altero potentior eſt, multa agit, quae non probanda ſunt, ſed tamen ideo non tamquam iuſta habenda. Exempla docent, quid fiat, non quid fieri debeat.

§. 13.

Quaeritur porro, *an bellum indictum ſtatim geri poſſit?* Id aliqui negant, ex ea ratione, quod ſpatium indulgendum ſit hoſti, intra quod ſatisfactionem hactenus denegatam praeſtare poſſit.

Sed hi iudice Grotio falluntur. Quod perſpicue poteſt demonſtrari. Nam 1. bellum indici non ſolet nec debet, niſi tentata concordia et rebus repetitis. Id ſi ſemel factum, quid opus noua mora? 2. Supra docuimus, indictionem eſſe vel *puram* vel *conditionatam*. In *pura* nullum ſpatium indulgetur hoſti. Ergo et non opus eſt mora. In *conditionata* mora indulgetur, non ex neceſſitate, ſed ex arbitrio noſtro, quia ſemel ei certum ſpatium praefiximus.

§. 14.

Poſtrema quaeſtio eſt, *an legatis violatis indictione belli opus ſit?* Ea hodie non magni momenti, quia bellum per legatos indici non ſolet, vti ante 100. annos; quum legati vel *heroldi*, vti vocabantur, mitterentur haſtati, qui litteras deferrent. Sed tamen ſi vel maxime is mos etiamnum vigeret, tamen ſola violatio legatorum non eſſet ſufficiens cauſſa omittendi indictionem, quae et per litteras fieri poteſt.

CAPVT IIII.

DE IVRE INTERFICIENDI HOSTES IN BELLO SOLLEMNI, ET ALIA VI IN CORPVS.

§. 1.

Diximus belli ſollemnis plures eſſe effectus, qui non deprehendantur in bello non indicto: tales effectus ſunt

1. *Ius occidendi hoſtes*, de quo cap. 4.
2. *Ius res hoſtium vaſtandi et eripiendi*, cap. 5.
3. *Ius captiuos ſibi vindicandi*, cap. 6.
4. *Ius imperandi victis*; de quo cap. 7.

Hic quaeritur *de iure occidendi hoſtes*, vbi denuo diſpiciendum:

1. *An hoſtes interficere liceat?* §. 1-5.
2. *Quos interficere liceat?* §. 6-14.
3. *Quomodo occidere vel corporibus eorum vim inferre liceat?* §. 15-19.

Quod ad primam quaeſtionem attinet, Grotius adducit verba Virgilii,

Tum, (ſi ſcilicet bellum indictum,) *certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.*

Ad quae verba obſeruat ex Seruio Scholiaſta, 1. quod colludat poeta ad vetus ius faeciale Romanorum, ex quo bello indicto in hoſtem omnia licere cenſebatur. 2. Quod rapere hic non in ſenſu maligno accipiendum ſit de raptu illicito, ſed idem ſignificet, ac vim inferre. Ea omnia facilia. Sed id diſputatur praecipue, quo ſenſu haec *licere* dicantur?

§. 2.

num. 1. Obſeruat Grotius, *licere* aliquid non dici vno ſenſu. Nam 1. dicitur *licere* id, quod ſua natura iuſtum et rectum eſt, etiamſi forte aliud fieri poſſit rectius. E. g. *Licet* vnicuique exigere a debitore, quod debet, quamuis laudabilius ſit, ei debitum remittere. *Licet* vnicuique iniuriarum actionem inſtituere, quamuis forte rectius acturus eſſet, ſi iniuriam diſſimularet. Et eo per-

pertinet illud Apoſtoli 1. *Cor.* 6. 17. *Omnia licent mihi, ſed non omnia expediunt.*

2. *Licere* etiam dicuntur ea, quae in ſe non quidem pia et honeſta ſunt, ſed tamen apud homines non ſubiacent poenae. *num.* 2. Sic ſcortatio apud Romanos extra poenam erat, apud Germanos veteres latrocinari, apud Lacedaemonios et Aegyptios furari. Licebat ergo his gentibus ſcortari, latrocinari, furari, ſed tamen ideo haec vitia non erant honeſta. Illa philoſophi perfecte, haec imperfecte licita adpellant. *num.* 3. Et hinc tot diſtinctiones eorum, 1. inter id, quod *licet*, et quod *decet*; 2. inter id, quod *licet*, et quod *oportet*. Vide loca ab ipſo auctore allegata.

§. 3. 4.

Iam quaeritur, quo ſenſu *licere* dicatur hoſtem occidere. Grotius hic ſingularem fouet ſententiam, putatque, poſteriore tantum ſenſu licere, non quod id iuſtum et bonum ſit, ſed quod impune id fiat. Hinc ſub finem addit, ideo licitum dici hoc homicidium in hoſtibus admiſſum, quia vbicumque deprehenſus miles non poſſit tamquam homicida puniri.

Sed hic manifeſto hypotheſibus ſuis, quas in religione peculiares admodum fouebat, ſeruit. Nam ſi imperfecte tantum licet occidere hoſtes, ſemper in foro conſcientiae miles erit homicidii reus, quamuis poenis humanis exemtus, adeoque nec vllus miles ſpem habebit vitae aeternae, quum tamen S. S. doceat, et Dauidem, et Centurionem Capernaumiticum, et centurionem Caeſarienſem in ſtatu gratiae fuiſſe. 2. Grotius ipſe ſupra *lib. I. cap.* 2. docuit, bellum et iure diuino naturali et poſitiuo iuſtum et perfecte licitum eſſe. Iam ſi bellum probat Deus, probat et media, ſine quibus bellum geri non poteſt. Quis autem ſibi concipiet bellum ſine caede hominum gerendum? Ergo rectius ſtatuitur perfecte licere hoſti in hoſtem et caedibus vti, ſi aliter res componi et pax obtineri nequeat, idque ex eo fundamento, quia et contra priuatum licet vti moderamine inculpatae tutelae.

§. 5.

Ceterum *impunitatem a gentibus tributam eſſe illis, qui hoſtem occidiſſent*, ſuo more ex variis teſtimoniis veterum probat Grotius, et quidem

1. Ex

1. Ex prouerbio: *Purus profecto eſt, quiſquis hoſtem occiderit.* Atqui prouerbia ſunt teſtimonia antiquae ſapientiae, et quae communis de re quadam fuerit veterum ſententia, optime docent.

2. Ex ritu Graecorum, quibus nefas viſum cibum ſumere, vel lauare cum eo, qui hominem occiderit, praeterquam in bello.

3. Addit teſtimonia Livii, *lib. XXVI. cap.* 27. 21. Caeſaris, Ioſephi, Papinii, vbi ſaepiſſime fatentur veteres hi auctores, occidere licere hoſtes iure gentium?

Sed quid opus eſt tot ambagibus demonſtrationum. Si enim quaeſtio eſt de iure naturae, an id liceat? facilius id probari potuiſſet ex principio ſocialitatis, quia ſocietas humana conſiſtere nequit, niſi hoſtes, nobis intentantes perniciem liceret occidere, ceu exemplo Iudaeorum patet, qui nefas putabant contra Pompeium arma ferre ſabbatho.

Si de iure gentium quaeritur voluntario, id eſt, de eo iure, quod gentes ex mente Grotii ſibi ipſae conſtituerunt: ſufficeret ad probationem dixiſſe, quod nulla vmquam gens, ab orbe conditio ad noſtra tempora bellum ſiccum ſine caede et ſanguine geſſerit, vel militibus ſuis perſuaſerit, nefas eſſe hoſtem occidere.

num. 2. Sed denuo Grotius monet, quando veteres hanc caedem hoſtium ius belli vocant, intelligendam tantum eſſe impunitatem, non ius aliquod perfectum: nam ipſos fateri veteres, 1. in bello innocentes cadere, 2. laudari ab illis, qui iuſto iure ſe abſtinent. Liv. *lib. I. c.* 1. 3. Quod Cypriano, Senecae Lactantio et Lucano bellum vocatur peccatum publice licitum, item ius ſceleri datum.

Haec quamuis ſpecioſa, non tamen fauent Grotio. Nam 1. quod et innocentes cadunt in bellis, id non per ſe et abſolute fit, ſed vt philoſophi loquuntur per accidens: idque boni principes et belli duces pro virili cauent. Non autem innocentes ſunt, qui arma contra nos ferunt. 2. Laudantur illi, qui iſto iure abſtinent: ſed ſaepe honeſtam eſt, et rebus perfecte licitis ſe abſtinere, e. g. debita exigere a paupere, iniuriarum agere, cet. 3. Cyprianus, Seneca, Lactantius, Lucanus recte intelligendi: loquuntur hypothetice. Si homo non peccaſſet, vel vt Stoici, ſi mens humana non immerſa eſſet tot

mate-

materiae fluctibus, nemo bellum gereret. At iam, inquiunt, malitia hominum effecit, vt et ſceleri, nempe homicidio, ius addendum fuerit in bello.

§. 6.

Quum ergo hoc liceat in bello: quaeritur, *quos in bello occidi fas ſit?* Quum enim ciues ſint vel perpetui vel temporarii, itemque vel originarii, vel aduentitii: quaeritur, *an omnes ius tam rigidum feriat?* Reſp. Grotius, omnes, qui intra fines ſunt hoſtium, vel vti ius faeciale Romanorum habet, qui intra praeſidia hoſtium ſunt. Nam 1. dum apud hoſtes manent, et ſolum non vertunt, hoſtilem oſtendunt animum. 2. Dum hoſtili rei publicae, in qua degunt, vectigalia tributaue ſoluunt, ei commeatum aduehunt, ſtipendiaue faciunt, nos adficiunt damno, adeoque ſatis cauſſae eſt, eos tamquam hoſtes perſequendi.

Quum autem ciues temporarii et aduentitii ſint duorum generum, ſiquidem alii feruente iam bello ſe ad hoſtes conferunt, alii ante bellum ſedes ſibi iis locis bona fide delegerunt: quaeritur, *an ad omnes promiſcue ius illud rigidum pertineat?* Reſpondet Grotius, de prioribus nullam eſſe dubitandi cauſſam. Qui enim feruente iam bello, hoſtibus noſtris ſe adiungit, is procul dubio hoſtis eſt. At de poſterioribus videamus.

§. 7.

Hi quoque pro hoſtibus habentur, ſed non pure, ſed ſub conditione, ſi intra modicum temporis ſpatium non diſcedant, et in patriam reuertantur. Ita Grotius.

Sed diſtinguendum tamen eſſe recta ratio docet, 1. an ciuis noſter apud hoſtes ſit, an alius. Si prius, tunc locum habet Grotii deciſio. Et hinc origo auocatoriorum, quae vocant, quibus publice propoſitis iubentur ciues noſtri hoſtium praeſidia, caſtra, vrbes intra certum temporis ſpatium deſerere, addita comminatione; eos alioquin non pro hoſtibus, ſed deſertoribus et transfugis habitum iri. Poſteriore caſu mitius habendi ſunt ciues exteri, ſiquidem pro hoſtibus quidem habentur, ſed non poena aliqua adficiuntur.

2. Diſtinguendum an poſſint diſcedere, nec ne. Poſteriore

enim caſu ignoſcendum eſt illis, quos neceſſitas apud hoſtes retinet.

§. 8.

num. 1. Redit ad *hoſtes* ipſos auctor, quaeritque *quos occidere liceat?* Reſp. omnes. 1. Quia bellum regi vel rei publicae indictum ciuibus quoque indictum intelligitur, ceu ſupra demonſtrauimus. 2. Quia, vt ſaepe monuimus, in re publica eſt vna voluntas, ſiquidem omnes voluntatem ſuam vel vni, vel paucis, vel plurimis ſubmiſerunt. Ergo tota res publica vult, quod imperans vult, adeoque quum omnes ſubditi habeant pro hoſtibus, quos rex vel imperans habet, ſequitur, vt et omnes tamquam hoſtes occidi poſſint.

num. 2. Quum ergo hoc ius occidendi ſit ex ipſa hoſtiam perſona; conſequens eſt, vt illos occidere liceat, ſine loci diſcrimine. Hinc occidi hoſtes poſſunt in ſolo noſtro deprehenſi, maxime quum ſic vim vi repellamus, et irruentes reiiciamus, in ſolo hoſtili, quia hoſti in hoſtem omnia licent, in ſolo nullius, quale eſt mare, quia et ibi hoſtes reperimus. Non tamen in ſolo amici, non ob perſonam hoſtium, ſed ob priuilegium territorii amici, quod violare nefas eſſet.

Diſtingue tamen, aut pauci ibi hoſtes, vel hoſtiles naues deprehenduntur, quae nos inſigni adfecerunt iniuria, et tunc iudicis implorandum auxilium, aut totus exercitus in ſolum hoſtile confugit, et quidem vel conſentiente amico noſtro vel inuito. Si conſentiente, nobis idem ius erit, adeoque hoſtem ibi deprehenſum occidere fas eſſe, nemo negauerit. Sin inuito, tunc aut in fuga eſt, aut nobis exitium hac via minatur. Priore caſu territorii rationem merito habemus, poſteriore caſu perinde eſt, vbi hoſtem noſtrum deprehendamus.

§. 9.

num. 1. 2. Quaeritur, *an et infantes et feminas occidere liceat?* Reſpondent aliqui, perfecte licere, idque demonſtrant exemplis *Deut.* 2, 34. 20, 16. vbi ipſe Deus vetat veniam dari pueris et feminis Cananitorum. 2. Ex loco *Pſ.* 136. *v. vlt.* vbi beatus is praedicatur, qui alliſurus ſit infantes Babyloniorum lapidibus, iure ſcilicet belli, quod huic crudelitati perfecte indulgeat. Sed 1. quum a iure Dei in homines ad ius hominum

in

in homines non ſtatim valeat argumentatio, et 2. locus ille *Pſalmi* ſupponat mandatum et voluntatem Dei, Babelem eradicandi: inde ſane theſis illa ſatis demonſtrari nequit.

Grotius noſter negat iure perfecto licitam eſſe hanc infantum caedem, imperfecto tamen licitam concedit, idque probat exemplo Thracum, Macedonum, Romanorum.

Plerique recentiores neutro modo licitam eſſe in bello aiunt caedem infantum et feminarum. Fundamentum enim 1. cur hoſtis ſubditi occidi poſſint, eſt conſenſus vel vnio voluntatum. Huiuſmodi conſenſus in infantes non cadit. Fundamentum 2. eſt, quia praeuertere licet eos, qui nobis minantur interitum. At ordinarie id nec feminae poſſunt, nec infantes.

Hinc potius poenas irrogatas militibus ſcimus, ſi ſine neceſſitate in feminas et infantes ſaeuiiſſent: adeoque potius diſtinguendum, vtrum conſilio ita ſaeuierint milites, an caſu huiuſmodi caedes contigerit, e. g. igne vrbi et aedibus iniecto. Priore caſu caedes illa vix excuſanda, poſteriore ſaltim impunis habetur.

§. 10.

Quaeſtio praeterea eſt, *an et captiuos occidere fas ſit?* *num. 1. 2.*

Concedit id Grotius, probatque variis veterum teſtimoniis. Quin addit, id ius occidendi ne quidem tempore vllo excludi.

Sed accuratiores omnino recte diſtinguunt inter deditos et captos. De captis ſine deditione, an iis ſemel ignouerimus nec ne, itemque de deditis, an ſub promiſſione vitae receperimus, (quod vocatur Quartier - geſen) an ſine huiuſmodi promiſſione (quod vocant *op gnaede en ongnaede.*) Si ſpes facta vel venia ſemel data, exſpirat ius eos occidendi, ex pacto ibi expreſſo, hic tacito, cui contrauenire non poſſumus.

§. 11.

Quid vero ſi parati ſunt hoſtes ad deditionem, et tamen nobis non recipiuntur, an tunc impune occidi poſſunt?

Id recte affirmat Grotius 1. quia poteſt iuſta cauſſa eſſe hoſtes non recipiendi in deditionem, e. g. quia nimis pertinaces fuere, quia noſtros non receperunt, quia transfugae ſunt,

 cet.

cet. 2. Si recepti non ſunt, tunc nec pactum, vllum intercedit, nec tacitum nec expreſſum, quod nos poſſit a iure noſtro prohibere. 3. Deditio enim eſt actus bilateralis, nec intelligi poteſt ſine acceptione. Vid. CIC. *Topic. cap.* 8.

§. 12.

Quid ſi dediti recepti, ſed ſine vlla conditione vel promiſſione vitae? Reſp. tunc quoque occidi poſſe, idque exemplis ex hiſtoria Romana haud paucis, et inprimis ex ritu, quo triumphantes occidere ſolebant deditos hoſtes, probat Grotius.

Sed vti exempla nihil probant iuſtum vel iniuſtum eſſe: ita rectius dicitur veram rationem eſſe, quia vbi nihil promiſſum, nec expreſſe nec tacite, ibi nihil hoſti debeatur: atqui deditis et receptis ſine conditione, vel, vt hodie vocant, *op gnaede ende ongnaede*, nihil vel expreſſe vel tacite promiſſum. Ergo, cet.

Fatendum tamen humanius et his parci, quum ipſe actus receptionis iis ſemel aliquam ſpem fecerit ſalutis, neque probabile ſit hoſtes et ad extrema adactos eo fine ſe dedere velle, vt ad ſupplicium ducantur.

§. 13.

num. 1. Quaeſtio porro eſt, *an ob talionem vel pertinacem defenſionem occidere liceat captiuos?* Vtrumque negat Grotius, et quidem

1. Quod ad prius ideo negat, quod talio iuſte exerceri non poteſt, niſi in eamdem perſonam quae deliquit, atqui ſi praeſidium huius vrbis ob delictum alterius praeſidii occiditur, tunc talio exercetur in perſonas diuerſas.

num. 2. 2. Quod ad poſterius, non minus id negat. 1. Defenſio enim eſt iuris naturae, adeoque nemini vitio verti poteſt. 2. Potius laudem merentur, qui tam fortiter ſe patriamque defendunt, ſi verum eſt, virtutem etiam in hoſte laudandam. 3. Nec duces bellici ſine iuſſu principis vel rei publicae, nec milites ſine iuſſu ducum, poſſunt a defenſione deſiſtere, adeoque vtriſque eſt iuſta defenſionis et excuſationis cauſſa.

Ita Grotius. Et recte haec ſe haberent, ſi quaeſtio eſſet de homi-

hominibus his ſupplicio adficiendis. Hic autem quaeritur, an bello occidi poſſint? non per carnifices, ſed per milites noſtros, non tamquam delinquentes, ſed tamquam hoſtes? Iam quum et ſine his cauſſis occidi poſſint, quidni ſi hae cauſſae accedant? Accedit, quod rationes in contrarium allatae facile refellantur. Nam 1. vere hic talio exercetur in eamdem perſonam, quia totius hoſtilis rei publicae eadem eſt voluntas, eadem perſona moralis; 2. defenſio quidem laudabilis, modo non ſit bruta, et ſine ratione ex ſola pertinacia res ad extrema adducatur.

§. 14.

Paulo difficilior eſt quaeſtio, *an et obſides occidere liceat?* Obſides ſunt homines vel perſonae magni momenti, quae ab hoſte nobis pignori dantur, vt retineri poſſint, donec promiſſo ſatisfecerint. Olim et pacis cauſſa dabantur. Hodie vſus eorum paullo rarior, niſi in oppugnationibus vrbium, vbi obſides dant inuicem victor et victi, interea dum de deditione paciſcantur.

Iam *ſi hoſtis promiſſo non ſatisfecerit, an tunc obſes occidi poteſt?* Grotius et id. putat ius gentium permittere, ob varia quae adducit exempla. Sed id quidem falſum. 1. Exempla enim nihil iuſtum eſſe probant. 2. Nemo poteſt vitam alterutrius oppignorare, immo ne ſuam quidem. Sic ſaepe etiam in doli non capaces ſaeuiret victor, ſiquidem haud raro obſides dantur impuberes.

Obiicitur; ſic nulli vſui fore obſides, ſi hoſtes ſciant, ob perfidiam ſuam illos occidi non poſſe. Sed reſp. quaſi ſola mors obſidum hoſtes mouere poſſit, et non etiam periculum carceris perpetui. Illuſtretur id exemplo regis, filium qui obſidem dedit.

§. 15.

Pergimus ad vltimam capitis partem. Vidimus 1. *quod hoſtes occidere liceat*, vidimus 2. *quos occidere liceat.* Reliquum eſt, vt 3. *quomodo eos occidere liceat*, diſpiciamus.

Recte Grotius diſtinguit inter ius naturae et gentium, quamuis nos per ius gentium non verum aliquod ius, ſed mores tantum inter gentes receptos intelligamus.

Secundum ius naturae licet occidere hoſtem: gladio id fiat, an

an puluere pyrio, an veneno, perinde eſt, quia hoſti in hoſtem in infinitum omnia licent.

At mores gentium humaniorum, (*la raiſon de guerre*) hanc regulam iuris naturalis mitigat, et hinc non omnes modos occidendi permittit.

num. 2. Hinc nemini licet aduerſus hoſtes veneno vti, non quod iniuſtum ſit, ſed quod inhumanum, et moribus gentium humaniorum aduerſum. 1. Armis bella gerenda, 2. ſic excluditur omnis defenſio. 3. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Laudandus ergo Fabricius Coſ. qui inſidias in Pyrrhum regem promiſſas reiecit.

§. 16.

num. 1. 2. Veneno vero vti ſolebant hoſtes dupliciter, 1. vt inſidias ſtruerent ducibus bellicis totiue exercitui, e. g. fontes inficiando. 2. Vt illinerent venenis fortioribus gladios et ſagittas, vt iis vulnerati nullam ſpem haberent ſalutis, id quod Turcae etiamnum faciunt. Vtrumque damnant mores cultioris Europae. De priore iam vidimus. Poſterius quoque, inhumanum, 1. quia ſic neminem tuetur fortitudo, et manu fortiſſimus a velite leniter ſauciatus perit. 2. Quia durum eſt vulneratis inuidere reconualeſcentiam et dolores eorum augere.

§. 17.

Quid vero *ſi aquae non veneno inficiantur, ſed ita corrumpantur tamen, vt bibi nequeant, e. g. fimum et ſordes iniiciendo?*

Id numquam mores cultiorum gentium improbarunt. Nam 1. id non fit ad hoſtem perdendum, (quamuis et id non ſit nefas) ſed ad cogendum, vt deditionem faciat. 2. A maiore licebit argumentari ad minus: ſi licet flumen in hoſtis odium vel intercludere catarrhactis vel auertere: licebit etiam eumdem plane corrumpere.

§. 18.

num. 1. Grauiſſima quaeſtio eſt, *an* et *percuſſoribus vti liceat?* Denuo quaeſtio eſt *de gentium cultiorum moribus*, quos Grotius ius *gentium* adpellat. Hic varie diſtinguitur:

1. an

1. an percuſſores ſint hoſti fide obſtricti, vt ſubditi, vaſalli, milites, an vere hoſtes et nullo iuris vinculo obnoxii. Illis vti percuſſoribus ne iure quidem naturae licet, nedum moribus gentium. Poſteriore caſu id conſilium nec improbarunt gentes etiam humaniſſimae, e. g. Romani. Vid. exemplum Mucii Scaeuolae apud Liv.

Rationes ſunt 1. hoſtis hoſtem poteſt occidere, quidni et num. 2.
clam? 2. hoſtem occidere licet per multos, per iuſtum exercitum, quidni et per paucos. 3. Semper laudem mereri viſi qui huiuſmodi quid fecerunt.

Obiici ſolet, atqui percuſſores deprehenſos affici ſupplicio num. 3.
ſolere, adeoque pro crimine haberi eorum audaciam. Reſp. Grotius, id fit non quod vere peccarint, ſed quod hoſtes in hoſtes dura quaeuis ſtatuere fas ſibi exiſtimant. Sufficit enim, quod hi homines magnum hoſtibus intulerint detrimentum.

Illuſtrari id poteſt exemplo exploratorum. Iis vti non eſt nefas, quin ipſe Deus id conſilium probat, dum Moſen exploratores mittere iubet, et tamen deprehenſi occiduntur et afficiuntur ſupplicio.

Aliud ergo, vt diximus, ſi percuſſores hoſti fide obſtricti nu. 4. 5.
ſint. Nam 1. et ipſi peccant dum fidem violant, et 2. qui eos conducunt, dum alios ad peccandum pelliciunt.

Rationem aliam comminiſcitur Grotius, quam et occaſionem huiuſmodi prohibitioni dediſſe putat, ne ſcilicet reges, quorum ſemper ſacroſanctae perſonae viſae ſunt, periclitarentur.

Deinde 2. diſtinguendum, ſitne bellum ſollemne, an minus num. 6.
ſollemne, id eſt, ſitne cum iuſto hoſte facta prius indictione; an cum latronibus, rebellibus, piratis, ſine indictione bellum gerendum. Priore caſu merito abſtinemus a percuſſorum opera. Poſteriore iiſdem iure vtimur. Nam 1. tale quid in piratas, rebelles cet. ſtatuimus, non tamquam in hoſtes, ſed tamquam in delinquentes. 2. Magiſtratui licet praemium polliceri, ei qui delinquentem fugitiuum viuum vel mortuum obtulerit. Ergo etiam licet praemium offerre percuſſori.

§. 19.

Vltima quaeſtio eſt *de ſtupris in hoſtium feminas*: *an et illa*

excu-

excuſanda? Affirmarunt alii ob eam rationem; quia ſit iniuria corpori illata: atqui hoſtile corpus iniuriae cuiuſcumque expoſitum eſt. At rectius illi, qui negant. Nam 1. non eſt ſolum iniuria, ſed ſimul actus illicitus, et cum efferata libidine coniunctus. 2. Non eſt hoc humanum inceptum, ex hoſtili corpore voluptatem capere, et actum amoris ex odio exercere.

num. 2. 3. Repugnat id legi diuinae, *Deut.* 21. 10. 4. maximam laudem ſemper decerni videmus Scipioni, Marcello, Alexandro M. quod et hoſtilis pudicitiae curam geſſerunt. Addi poteſt 5. quod et vtilitati rei publicae aduerſatur eiuſmodi facinora permitti militibus, quibus a virtute ad mollitiem et voluptates ruant.

CAP. V.

DE REBVS VASTANDIS ERIPIENDISQVE.

§. 1.

QVid *hoſti in hoſtium corpora liceat*, ſuperiore capite expoſitum. A maiore ad minus concludentes facile animaduertimus, *multo plus licere in eorumdem res; tum immobiles, tum mobiles.* Videbimus ergo 1. *quid liceat?* §. 1. 2. *In quas res aliquid liceat?* §. 2., 3. 3. *Quomodo eas inuadere liceat?* §. 4.

I. Quid liceat, duabus propoſitionibus commode exprimitur. 1. Licet res hoſtium rapere, eoſque omnibus facultatibus ſpoliare, 2. licet eorumdem res corrumpere, exurere, vaſtare, ſi commode occupari vel retineri nequeant.

Rationes ſunt, 1. quia hoſti in hoſtem in infinitum omnia licent. 2. Quia ſi occidere perſonas licet, multo plus licere debet in earum res.

Praxis bellica haec omnia ſatis confirmat. Sed dubitatur tamen, an idem liceat in deditos. Grotius hoc adfirmat, probatque exemplo ex TACITI *Annal. lib.* 13. Sed omnino et hic obſeruanda diſtinctio ſuperior, an dediti conditiones certas ſibi ſtipulati ſint, tunc eae ſeruandae: an ſine conditione facta ſit deditio, tunc ſufficit, ſaluam deditis manere vitam.

§. 2.

§. 2.

II. In quas res huiuſmodi quid liceat, paullo difficilior quaeſtio eſt. *Res* ſunt vel *communes*, vel *publicae*, vel *vniuerſitatis*, vel *ſingulorum*, vel *nullius*.

Communes ne poſſunt quidem eripi, vt aer: publicae ſunt rei publicae quacum bellum gerimus. Ergo eripi poſſe illas extra dubium. Idem dicendum de rebus vniuerſitatis et ſingulorum. Enimuero res nullius quum ſint vel ſacrae, vel ſanctae, vel religioſae, de his potiſſimum quaeritur, num ab hoſtium manibus exemtae ſint.

Si ſolum ius naturae et gentium proprie ſic dictum ſpectemus: nihil ibi occurrit, quod res ſacras defendat a poteſtate hoſtium:

1. Quia res ſacrae vere non ſunt nullius, vti ethnici ſibi perſuaſerunt, et hodienum ſibi perſuadent pontificii, ſed ſunt eccleſiae; eccleſia autem eſt pars rei publicae, vel vniuerſitatis, adeoque res illae non magis exemtae ſunt, quam res vniuerſitatis et publicae.

2. Quia ex formula vetere ſe dedentes etiam diuina cum humanis dedere cogebantur.

3. Quia omnes gentes, etiam profanae, ſacra victoris arbitrio *num. 2.* permiſere. Id apparet ex α) *leg. 36. D. de religioſ.* β) ex teſtimonio luculento Pauſaniae, qui hunc communem gentibus omnibus morem fuiſſe ait, vt res ſacrae in arbitrio victorum eſſent; γ) exemplis, quae in hoc ipſo numero habentur.

4. Quia ex principiis iuris naturae et gentium, certum eſt, *num. 3.* res ſacras in arbitrio rei publicae eſſe, adeo vt res publica de illis diſponere, et ex ſacris profanas facere poſſit. *L. 83. §. 5. D. de V. O. L. 137. §. 6. eod.* Immo exempla docent ſaepe res publicas rebus ſacris pro tuenda re publica vſas.

Iam quum id liceat rei publicae, quidni et hoſti, qui iure victoriae ſit ſucceſſor priorum imperantium vniuerſalis, eademque iura ſibi recte vindicat, quae victis antea competebant.

Addit tamen Grotius, 1. eos victores, qui numen aliquod *num. 4.* ineſſe ſimulacris credunt, non ſine ſcelere manifeſto illa violare et corrumpere: quia agunt contra fidem ſuam et conſcientiam, aeque ac ſi gentilis per Iouem periurium committat.

2. Contra gentibus, quae contrariam perſuaſionem fouent,

vitio verti non debere, ſi huius modi idola violent, deſtruant, comburant. *Deut.* 7. 5. Et ita fecit Carolus M. Saxonia potitus. Ita et Perſae omnia templa per Graeciam deſtruxere, quia credebant, nefas eſſe, Deos templorum parietibus includere et cohibere velle.

num. 5. Hinc maxime hic diſtinguendum ius belli ſtrictum, ab eo, quod decorum eſt. Iure ſtricto et rebus ſacris non parcentes pro iniuſtis haud habendi, quia iure ſuo vſi nemini faciunt iniuriam. Et hinc Titus deſtruens templum Hieroſolymitanum, non fuit iniuſtus. Sed decorum tamen ſaepe ſuadet, ne victor hoc iure ſuo vtatur, ne ſcandalo victis dato eos ad ſeditionem conſternet, ne atheiſmi ſuſpicionem incurrat. Et hinc recte quoque Pompeius, qui occupatis Hieroſolymis templo nihilominus pepercit.

§. 3.

Hactenus de *rebus ſacris*: quid de *religioſis* dicendum? idem; quod de *ſacris*. Nam 1. falſum, *ſepulcra* eſſe res nullius. 2. Falſum ea eſſe *religioſa*. Vana enim perſuaſio de Diis Manibus ad ſepulcra vagantibus tam abſurda eſt, vt nihil ſupra. 3. Ipſi gentiles, qui ſepulcra pro rebus religioſis habuerunt, religionem tamen ceſſare dicunt, ſi capiantur ab hoſtibus. *L.* 4. *D. de ſepulcr. viol.* Quanto minus victori vitio vertenda iſta violatio, ſi plane ſepulcra pro religioſis non habet.

At diſtinguendum tamen quo fine violentur ſepulcra, an id fiat ex ſolo odio defunctorum et petulantia victoris, (id et abſurdum et deteſtandum eſt, nec vmquam excuſanda Gallorum ſaeuitia, qui capta et deleta Spira ſepulcra veterum imperatorum violarunt, et oſſa eiecerunt) an id fiat ex neceſſitate, e. g. vt lapidibus vtantur ad reficienda munimenta, vt aurum, argentum, ibi repertum, vſibus reip. publicae adplicent. Et id nemo improbauerit ob rationes iam allegatas.

§. 4.

III. Denique ſi de *modo* quaeritur, perinde eſt, *ſiue res aperta vi rapiantur et corrumpantur, ſiue dolo*: vtrumque et ius naturae et mores gentium probant. Nam dolis et ſtratagematibus in bello locum eſſe, iam ſupra demonſtrauimus. Inde ſequitur, vt

1. iniuſti

1. iniuſti non ſint, qui res hoſtium ex inſidiis intercipiunt; 2. excuſandi, qui aliorum opera vtuntur, ad incendenda horrea hoſtium, (*de magazinen in brand to brengen.*)

Nec ferenda Grotii comparatio, qua ſub finem id conniuentiae accenſet, qua et meretrices tolerantur. Nam non ſolum impunes eſſe dolos in bello, ſed et perfecte licitos, ſupra ſatis ſuperque probauimus.

CAPVT VI.

DE IVRE ADQVIRENDI BELLO CAPTA.

§. 1.

QVum fas ſit res hoſtiles rapere, vt *cap.* 5. demonſtratum, *num.* 1. fas quoque erit easdem *adquirere*, de eo iure iam agitur. Et quaeritur

1. *Quo iure hoſtis res captas adquirat?* §. 1. 2.
2. *Quas res adquirat?* §. 3-7.
3. *Quis adquirat?* §. 8-13.
4. *Quid iuris victori ſit in rebus adquiſitis?* §. 14-fin.

I. *Quo iure adquirantur res bello captae*, primum quaeritur. Grotius primum diſpicit de iure naturae et diuino poſitiuo, ac deinde de iure gentium, quia haec iura diuerſa putat; quum tamen per ius gentium nihil aliud hic intelligat, quam *mores gentium*.

1. Iure naturae omnino capta ab hoſtibus fiunt capientis, idque probatur a fine belli. Bellum geritur, quia iudicis auxilio deſtituimur, et quidem vel ad vindicandas iniurias, vel ad ſuum recuperandum. Quemadmodum itaque quod nobis a iudice pro ſatisfactione vel recuperatione rerum noſtrarum adiudicatur, ſtatim noſtrum fit: ita et quod bello hunc in finem geſſo adquirimus.

Nec dubitari poteſt de iure diuino poſitiuo. Nam 1. Abrahamus *Gen.* 15. deuictis quinque regibus ſpolia ſibi vindicauit, Deoque decimam attribuit. Id quod probatur et fidei adſcribitur. *Hebr.* 8, 4.

2. Iacobus *Gen.* 48. 22. ex ſpiritu prophetico Ioſepho filio attribuit partem rerum Amorrhaeorum, quas arcu et manu capturi eſſent. Id quod fieri non potuiſſet, niſi ius eſſet hoſtes rebus ſuis ſpoliare.

nu. 2. 3. 3. Idem patet ex *Deut.* 20, 14. vbi Deus praedam conceſſit Iſraelitis, ab hoſtibus captam. Add. *Num.* 31, 27.

Ex praxi populi Dei, Rubenitarum, *Ioſ.* 22, 8. Aſae, 1. *Chron.* 5, 20. *ſq.* 2. *Chron.* 14, 13. Dauidis, cet.

§. 2.

num. 1. Quid vero de iure gentium, id eſt, *de moribus gentium*? Hi quoque probant hunc acquaeſtum, ſed, vt recte additur, eatenus, vt á gentibus omnibus in poſſeſſione earum rerum tuendus ſit victor, vel qui ab eo cauſſam habet. Nam ratione ipſius victi victor dominium non adquirit, niſi pace facta ius ſuum victori ceſſerit: ſiquidem ipſi victo adhuc ius ſaluum eſt, rem amiſſam recuperandi. Si vero dominus factus fuiſſet victor, non recuperaret rem ſuam, ſed alienam eriperet.

Iam theſin ſuam, quod iure gentium victor res hoſtiles captas adquirat, variis argumentis probat Grotius, quorum primum eſt,

1. quod omnes veteres inter adquirendi modos, qui ex iure gentium ſunt, etiam occupationem bellicam retulerunt. Ita Xenophon, Plato, Socrates, ita et inſtitutiones noſtrae tit. *de rer. diuiſ.*

num. 2. 2. Quod veteres auctores diſerte hoc ius referunt ad ius quoddam gentium voluntarium. Ariſtoteles vocat legem, velut pactum quoddam commune.

num. 3. 3. Quod iidem auctores victores ea, quae poſſident, iure poſſidere dixerunt. Ita Plutarchus, Xenophon, Philippus rex Mac. et Aeſchines loquuntur. Ita et Romana praxis id confirmat. Nam non ſolum hoſtilem agrum in prouinciam redegerunt, praedamque et ſpolia in aerarium intulerunt, ſed et ſemper titulum hunc et cauſſam poſſeſſionis prae ſe vnice tulerunt, quod ea iure belli habeant. Loca huius generis varia ab ipſo auctore allegantur.

num. 4. Obiici poſſet, atqui Theophilum, ICtum Graecum, in paraphraſi Inſtitutionum hunc modum adquirendi vocare naturalem, ergo illum non eſſe ex iure gentium. Sed reſp. 1.) et id

verum,

verum, quia §. 1. demonſtrauimus, hoc principium et ius naturae probare. 2.) Theoph. naturale alio ſenſu accipit, quam vulgo. Naturale aliquid dici poteſt vel ratione originis, vel ratione modi. Priore ſenſu naturale dicitur, quod ex iure naturae deſcendit: poſteriore quod ſine pactis, traditione, aliiſque modis et ſollemnitatibus ciuilibus peragitur. Et hoc poſteriore ſenſu adquiſitionem rerum hoſtilium vocat naturalem.

Quaeritur an hoc modo a victore tantum adquirantur res publicae et principis, an et res priuatorum? Reſp. vtraque, quia princeps cum ſubditis vnam conſtituunt perſonam moralem, et ob vnionem ſubmiſſionemque voluntatum praeſtare teneatur facta rectorum ciuitatis. *num.* 5.

Sed addenda tamen exceptio: niſi pacta deditionis interuenerint, vel promiſſio veniae. Saepe enim hoſtes ſalua ſibi bona per deditionem ſtipulantur: ſaepe ipſis victor illorum ſecuritatem iis promiſit vltro. Tunc iuri ſuo renunciauit. Et ſane etiam ex rationibus politicis abſurdum eſſet priuatis victis ſemper bona omnia eripere, quum ſic nullus ſit, qui tributa in poſterum victori pendat.

§. 3.

II. Sequitur altera pars capitis: *quas res adquiramus bello?* *num.* 1. Iam vidimus, nihil intereſſe, *ſacrae* ſint, an *profanae*, *mobiles* an *immobiles*. Sed tamen ratione modi occupandi inter *mobiles* et *immobiles* quaedam differentia eſt.

Mobiles is demum adquiſiuiſſe videtur, qui eas intra praeſidia vel caſtra pertulit, et perſecutionem hoſtis effugit. 1. Quamdiu enim alteri ius ſaluum eſt rem recuperandi, tamdiu res non eſt noſtra. At hoſtis hoſtem perſequens ius habet amiſſum recuperandi, quamdiu perſequitur. 2. Eodem modo res mobilis bello amittitur, quo poſtliminio redit. At poſtliminio redit, ſi intra fines noſtros eſſe coepit. Ergo et amittitur ſi ad fines hoſtium peruenit.

Sed ea intelligenda, niſi aliter mores ſe habeant. Sic 1. apud Romanos occupata ab hoſte ſtatim fiebant capientium; vt loquuntur inſtitutiones noſtrae §. *item ea*, *tit. de rer. diu.* Et 2. moribus hodiernis naues et alia ſpolia victoris eſſe intelliguntur, ſi per horas 24. in poteſtate victoris fuerint. Qui mos recte a Grotio in notis ex iure Germanorum vetere deriuatur, quibus omnia *num.* 2.

 capta

capta veluti ferae beſtiae, mancipia cet. 24. horis poſſeſſa adquiri dicebantur.

§. 4.

nu. 1. 2. Quid. vero de *rebus immobilibus*? Diſtinguendum eſt inter hoſtes ipſos et exteros. Si quaeritur, *an ratione exterorum victor ſit dominus agri occupati*? nemo negabit. Titulus enim eſt *bellum*, modus adquirendi *occupatio*. Ergo ratione exterorum iuſtiſſime poſſidet, tamquam ſucceſſor prioris domini vniuerſalis.

Sin quaeritur, *an victor etiam ſtatim ſit dominus ratione victi?* id negandum. Nam, vt diximus, ſi dominus eſſet, nullum victo ius remaneret, agrum amiſſum recuperandi. At remanet hoc ius. Ergo manet dominus. Elegante exemplo id illuſtrat Grotius. Hannibal a longinquo obſidebat Romam. Ille ipſe autem ager quem caſtris ſuis occupauerat Hannibal, eo die Romae venibat. An Romae poterat venire ager, quem Hannibal hoſtis inſidebat? Omnino. Erat dominus Hannibal ratione aliorum exterorum, e. g. Macedonum, Syrorum, non ratione Romanorum.

§. 5.

Quaeritur porro, *an et res alienas apud hoſtes inuentas adquirat victor*? Diſtingue vtrum res illae pertineant ad hoſtium ſocios et foederatos, an ad eos, qui neutrarum ſunt partium. Si prius, tunc perinde eſt, acſi ipſorum hoſtium eſſent: ſin poſterius, abripi nequeunt.

1. Nam hoſti in hoſtem in infinitum omnia licent, non in amicos, adeoque cauſſa ceſſat.

2. Diximus bellum in ſtatu naturali eſſe loco iudiciorum, quae ſunt in ſtatu ciuili. Quemadmodum ergo per adiudicationem adquirere nihil poſſum, quod poſſidet is, quocum mihi lis nulla eſt: ita et per bellum adquirere non poſſumus, quod is habet, quocum non bellum gerimus.

§. 6.

Obiicitur, *at res in hoſtium nauibus repertas abripi, ſiue amicorum ſint, ſiue inimicorum?* Sed reſp. id falſum eſſe. Nam omnes gentes moratiores, (exceptis forte Gallis) dicunt, tantum

tum praeſumtionem eſſe, res in hoſtium nauibus repertas eſſe hoſtiles. Quemadmodum vero praeſumtio ceſſat, ſi probari poteſt contrarium, ita et amicorum in hoſtium nauibus repertae ſtatim redduntur dominis, ſimulac liquido conſtat, eas amicorum eſſe. Et hoc eleganti praeiudicio rei publicae Belgicae firmat Grotius.

Aliud tamen ſeruare Gallos diximus, quibus placet paroemia iuris: *La robbe de l'ennemi conſiſque celle de l'ami.* Sed omnes gentes reliquae hanc Gallicam praxin iniquiſſimam merito arguunt.

§. 7.

Quaeritur, *an et acquirat victor ea, quae antea victus bello adquiſierat?* E. g. Amorrhaei partem territorii eripuerant Amonitis, victis Amorrhaeis is ager ad Hebraeos peruenerat. Iam quum Hebraei poſſiderent, eum vindicabant priores domini Amonitae. Et ea origo belli cum Iephtha geſti. *Iud.* 11. 23. *ſeq.* Quaeritur, quem penes fuerit iuſtitia belli?

Reſp. penes Iephtham et Hebraeos. Nam 1. vbicumque ius contra priorem poſſeſſorem exſpirauit, ibi illud non reuiuiſcit contra poſteriorem. At hic illud exſpirauerat, poſtquam Ammonitae finito bello agrum amiſſum Amorrhaeis victoribus reliquerant. Ergo illud reuiuiſcere non poterat aduerſus Hebraeos.

2. Ea ſententia etiam ſemper placuit gentibus, idque Grotius operoſe probat 1. ex DIONYSII HALICARN. *lib.* 6. 7. vbi riſerunt Romani Volſcos, quae olim a ſe poſſeſſa ad Romanos victores peruenerant repetentes. 2. Ex eorumdem praxi. Vnicum videbimus exemplum. Tigranes Rex Armeniae Antiocho regi Syriam eripuerat. Paullo poſt Romani Tigrani inferebant bellum, et eum omnibus exuebant prouinciis. Iam Antiochus repetebat Syriam. Negabant Romani ſe reddituros, quod contra hoſtes tueri nequiuerit. Et ſane ſi Tygranes factus eſt dominus finito cum Antiocho bello, domini etiam fuere Romani victores. *num.* 2. 3.

Enimuero aliud tamen ſtatuendum, ſi ſocii et foederati prouinciam recuperemus, et propter hanc prouinciam bellum commune geritur: tunc reſtituenda omnino ſocio. Sic Ferdinandus II. imp. occupauerat ducatum Mecleub. Pomeraniam, Marchiam. Guſtauus Adolfus rex Sueciae cito cum principibus Euangelicis

foedere

foedere expulit Caeſareos. An poterat ſibi prouincias occupatas retinere? minime. Eas recte reſtituebat prioribus dominis.

§. 8.

III. Sequitur tertia pars capitis, vbi quaeſtio eſt, *quis rerum bello occupatarum dominium adquirat?*

Error is inuaſit ICtos, ac ſi iure Romano res captae fuerint adquiſitae ſingulis capientibus. Occaſionem errori dedit, 1. quod legerunt in iure capta fieri capientium, 2. quod *c. ſicut X. de iureiur.* idem fere cantat, 3. quod omnes fere doctores ita ſentiunt.

§. 9.

num. 1. Sed hanc ſententiam e male intellectis iuris noſtri locis natam luculenter iam refellit Grotius, et quidem argumento hoc uno. Nam

Gentes res hoſtium conſiderarunt tamquam res nullius, quia cum hoſte nulla eſſe videbatur iuris communio. Atqui res nullius cedunt occupanti. Ergo et res hoſtium. Occupatio illa ſiue per me ipſum fiat, ſiue per alium, iuris naturae et gentium perinde eſt: ergo et perinde erit, ipſe ne princeps ſpolia opima hoſti detraxerit, an id fecerit per milites ſuos. Res illuſtrari poteſt exemplo venantium. Qui ius venandi habet, is adquirit feram, ſiue ipſe ceperit, ſiue eius iuſſu ſeruus, venator, ruſticus.

num. 2. Obiiciunt, diſtinguendum eſſe inter perſonas, liberos et ſeruos. Quidquid ſeruus adquirit, id procul dubio adquirit domino. At de perſonis liberis regula eſt: nemo alteri vel ſtipulari, vel adquirere poteſt. §. 4. *I. de inut. ſtip.*

§. 10.

Sed reſp. Grotius, et recte quidem, id non ex iure naturae et gentium eſſe, quippe quod et liberorum hominum volentium opera ad adquirendum vti neminem prohibet, ſed ex iure ciuili Romanorum, quod multa ſingularia habet. Id Grotius probat 1. ex teſtimonio MODESTINI *L.* 53. *D. de adqu. rer. dom.* vbi ipſe diſtinguit inter modos adquirendi *naturales*, et *ciuiles*, et illos vicariam operam fatetur admittere, hos non admittere probat. 2. ex confeſſione ipſorum Romanorum. Maſiniſſa

niſſa rex Numidiae Syhacem, regem Mauritaniae deuicerat: victi prouincias, tamquam ſuas, Maſiniſſae donabant. Cur? quia ipſi bellum geſſerant per Maſiniſſam, adeoque et per eum adquiſiuerant.

Tantum ergo abeſt, vt capta ab hoſtibus iure Romano priuatis adquiſita fuerint, vt et ipſi Romani praedam vindicarint. *L.* 20. §. 1. *D. de capt. et poſt. l. pen. D. ad l. Iul. pecul.* Quaedam ex liberalitate relinquebantur militibus praedam agentibus, quod et hodie aliquando fieri ſolet. *L.* 36. §. 1. *C. de donat.*

§. 11.

Iam ergo de ſingulis rebus videbimus, quibuſnam bello adquirantur? *Res* ſunt vel *mobiles*, vt pecudes, ſerui, pecuniae, arma; vel *immobiles*, vt agri, oppida, caſtella. *num.* 1. 2.

De *immobilibus* clarum eſt, eas ſoli imperanti adquiri, vel, quod perinde eſt, rei publicae. Nam 1. vnius vel alterius militis opera capi non poſſunt, ſed vi totius exercitus, qui eſt principis vel rei publicae.

2. His rebus inhaereat ius imperii, iuriſdictionis aliaque regalia, quorum capaces non ſunt milites priuati. 3. Eam regulam omnes gentes bellicoſae probarunt. Romani hos agros captos bello vocabant publicos. Cur? quia dominium eorum populo adquirebatur. Vid. BVRMANN. *de vectigal. pop. Rom.* Idem obſeruabant Hebraei, Lacedaemonii, immo gentes omnes.

Obiter hic notetur origo agrorum vectigalium et emphyteuticorum, de quibus titulus ſingularis *in Dig.* exſtat. Romani enim dominium agrorum hoſtilium nacti, eos ſi culti eſſent, reddebant poſſeſſoribus, ea lege vt vectigal quotannis ſoluerent, certos modios frumenti; et tunc agri dicebantur *vectigales*. Sin inculti, eos quibuſdam dabant in dominium vtile, ea lege, vt colerent, et inde tenuem aliquem canonem annuum ſolverent, et tunc dicebantur agri *emphyteuticae*. Vid. BVRM. *l. c.*

§. 12.

Quid vero de *mobilibus*? Eae vel in miniſterio publico capiuntur, vel extra illud. Si prius, dominium adquiritur ipſi imperanti, vel rei publicae, e. g. ſi in caſtris occupatis reperiantur inſignes theſauri. Sin extra miniſterium: ſingulorum capientium fiunt. Tale quid contingit. *num.* 1.

1. ſi res hoſtiles apud nos deprehendantur orto bello. Eae enim non publicae, ſed occupantium, fiunt. *L.* 51. §. 1. *D. de adqu. rer. dom.* Quod tamen intelligendum cum exceptione, niſi imperantes eas fiſco addixerint, quod plerumque fieri adſolet. *Vid.* §. *ſequ.*

num. 2. 2. Si quidam milites conſenſu ducum vel ipſorum ſummorum imperantium extra ordinem vel praedas agunt, et in ditiones hoſtiles, longius excurrunt, vel naues armatas emittunt, (*Capers*, *Commiſs - Fahrers.*) Nam quidquid hi capiunt, id ſibi adquirunt, quia veluti ſuo periculo bellum gerunt.

Aliquando et extra ordinem et militibus, qui in miniſterio ſunt, res captae mobiles relinquuntur, ſi forte imminet inſultus periculoſior, ſi vrbs vel caſtra expugnanda. Tunc enim acuendae fortitudinis cauſſa militi victori promittitur facultas praedam agendi.

§. 13.

Sed quamuis haec omnia videantur iuris naturae et gentium, mutari tamen poſſe per leges ciuiles, recte agnoſcit Grotius. Et ſane pleriſque locis mutata. Hinc 1. hodie nuſquam fere priuatis cedunt res hoſtiles, orto bello apud nos deprehenſae ſed, eas, vt dixi, fiſcus occupat.

2. Militibus praedam agentibus permittuntur quidem pecuniae priuatorum, veſtes, aliaque huius generis, non autem pecuniae publicae, commeatus, puluis pyrius, tormenta bellica, ſi quid huiuſmodi interceperint.

3. Ii qui naues ſuo periculo in hoſtes emittunt, quae capiunt, ſibi adquirunt: ſed non niſi ex parte. Nam et collegium archithalaſſicum, vel res publica, partem ſuam accipit.

§. 14.

num. 1. IIII. Hactenus *de rebus mobilibus extra miniſterium publicum captis.* Iam *de iis, quae capiuntur actu publico, adeoque in miniſterio rei publicae.* Ea rei publicae adquiri iam praemonuimus. Et ita omnes gentes ſentiunt. Nam 1. milites tunc non agunt ſuo nomine, ſed eius, cui militant. 2. Qui ſumtus et onera fert belli, penes illum et commoda eſſe debent. 3. Ita omnes gentes ſenſerunt, idque latius probat Grotius.

1. Grae-

1. Graecos praedam rei publicae vindicaſſe demonſtrat ex ipſo Homero, qui quum ſit ſcriptor Graecorum antiquiſſimus, etiam conuincere nos poteſt, hunc morem non heri aut nudius tertius natum, ſed vetuſtiſſimum eſſe. Sane Achilles praedam captam non ſibi retinebat, ſed Agamemnoni tradebat, a quo deinde inter reliquos reges Troiam obſidentes diuidebatur. *num.* 2.

2. Idem placuit Troianis, de quibus Virgilius, quod ſoliti ſint *praedae ducere ſortem.* Vnde argum. Quae per ſortem diuiduntur, ſunt communia: quae praeda capta apud Troianos communia fiebant. Quae communia ſunt, non ſunt ſingulorum. Ergo praeda capta non ſunt ſingulorum capientium. *num.* 3.

3. Idem Perſis placuit, Xenophon enim in Cyropaedia auctor eſt milites praedam captam ad regem detuliſſe. Quamuis vero Xenophontis illud ſcriptum non ſit vera hiſtoria, ſed vt hodie vocant fabula Romanenſis, (*een Roman*) probabile tamen eſt, Xenophontem in ea ſcribenda ſe ad mores Perſarum accommodaſſe.

4. Sic et Carthaginenſium duces praedam ſemper donum miſiſſe, exemplo apud Diod. Sic. *lib. XIII.* et ap. Liv. *XX.II.* patet.

5. Sic et Greg. Tvron. *Hiſt. lib. II. cap.* 17. docet, Francos praedam ſorte diuiſiſſe. Vnde et hic idem argumentum obtinet, quod ſupra de Troianis protulimus.

6. Nec aliter Romani, quamuis vulgo cum Bartolo putent, apud Romanos praedam adquiſitam eſſe ſingulis capientibus. Falſum hoc eſſe multis demonſtrat Grotius, et quidem ex loco elegante Dionyſii Halicarnaſſei, ſcriptoris vere politici, qui omnia capta ab hoſtibus quaeſtoribus tradita, et aerario illata fuiſſe docet. *num.* 4.

§. 15.

Quamuis ergo certiſſimum ſit, Romanos praedam omnem populo vel rei publicae addixiſſe: negari tamen nequit, eosdem multa arbitrio ducum bellicorum reliquiſſe. Idque et aequiſſimum. Nam 1. ſaepe extra ordinem in periculo extremo virtus militum inflammanda ſpe praedae: 2. ſaepe etiam opus eſt exploratoribus, qui non niſi promiſſis et largitionibus poſſunt ineſcari. Sed ea poteſtate raro vſi ſunt duces ſanctiores.

§. 16.

num. 1. Nam ritus ipſe talis erat: 1. praeda omnis colligebatur a duce, et in indicem referebatur vel inuentarium. 2. Ea deinde adducebatur Romam, et in publico triumpho oſtentabatur. 3. Peracto triumpho quaeſtoribus tradebatur praeda cum inuentario, et ab iis pecunia parata inſerebatur aerario, captiui et reliquae res publice ſub corona vendebantur, et redacta inde pecunia ibidem inſerebatur aerario.

num. 2. Aliquando tamen ipſi duces vendebant praedam, et pecuniam in aerarium inferebant. Sed id raro factum, nec inuidia caruit. Hinc ipſe Scipio, patriae ſeruator, quamuis tot rebus geſtis immortaliter de ciuibus meritus, criminis tamen peculatus reus factus, quod haud pauca ex praeda Africana intercepiſſe argueretur.

§. 17.

num. 1. Aliquando duces partem inter milites, virtute eminentiores diſtribuebant. Sed 1. primum Grotius obſeruat, id rarius factum, et viſum eſſe ambitioſius. Cur quaeſo? Quia ita facile duces de alieno liberales ſibi ita deuincire potuiſſent milites, vt ſe aduerſus ipſam patriam duci paterentur. Ita ſane Caeſar militem praeda Gallicana deliniuiſſe credebatur.

2. Obſeruat, diuiſionem factam vel per veram diſtributionem, vel per direptionem. Diuiſio vel ita fiebat a duce per tribunos, vt ſinguli aequales partes acciperent ſecundum proportionem tamen non arithmeticam ſed geometricam, vel vt praeda in medio poſita ita daretur in commune, vt quantum quiſque capere poſſet, tantum haberet. De *direptione §. ſequ.* dicemus.

num. 2. 3. Obſeruat, ſaepe praedam prius venditam, et pecuniam inter milites diſtributam eſſe, quia ſic aequalitas facilius potuerit ſeruari.

4. Habitam rationem ordinis, vt miles caperet ſimplum, centurio duplum, eques triplum.

5. Nec minus rationem habitam meritorum. Nam qui inſigne aliquod virtutis ſpecimen in expugnanda vrbe, claſſe, oſtendiſſent, ii merito partem praedae paullo pinguiorem ferebant. Quae omnia exemplis ex hiſtoria demonſtrat GROTIVS, LIPSIVS, GABR. NAVDAEVS, qui *de re militari veterum egregia* ediderunt *ſyntagmata*.

6. Ducem

6. Ducem in ea diuiſione habuiſſe praecipuum, quidquid aut ratione aut elegantia ſe commendabat. Apud Graecos Pauſanias dux praecipua habebat mulieres, equos, camelos. *nu. 3. 4.*

7. Idem aliquando et aliis virtutis cauſſa eſſe conceſſum, quod vocabant extra ſortem ferre. Apud HOMER. *Iliad.* λ Neſtor feminam poſſidebat munere Graium exceptam ſorti et *ibid. Odyſſ.* ξ. Vlyſſes accepit Menecóea feminam praecipuam, poſtea plurima ſorte tulit. Quin in Iſraele Caleb ob nauatam populo in exploranda terra Canaane operam praecipuam, accepit Hebr.

8. Duces ſanctiſſimos hoc quoque iure ſuo abſtinuiſſe, veluti Fabricium, Furium Camillum, L. Paullum, M. Catonem. Vid. PLVTARCH. *in eorum vitis.*

9. Aliquando et rationem habitam fuiſſe abſentium. Sic Fabius capta Anxure partem praedae et abſentibus ſepoſuit. LIV. *lib. XIIII.*

10. Aliquando etiam praeſentium nullam habitam rationem, ſi vel detrectaſſent imperium aliove modo male ſe geſſiſſent, vel ob ſtatum, capere non poſſent. Prioris caſus exemplum eſt apud LIV. *lib. III.* vbi Minucianus exercitus obſidebatur ab hoſte, a dictatore Cincinnato liberabatur, ſed deinde victo hoſte poenam ferebat imprudentis militiae, nempe vt nihil praedae caperet. Poſterioris exemplum dat tribus Leui, cui nihil datum ex terra Canaan, praeter ſuburbia quaedam, vbi habitarent.

11. Idem ius habuiſſe tempore imperatorum ſequioris aeui magiſter militum, ceu patet ex *l.* 36. *§.* 1. *C. de donat.* vbi imperator ea a rationum reddendarum onere eximit, quae militibus a magiſtris militum ſunt donata. *num. 6.*

12. Denique et id obſeruat, huius modi donationes ſemper inuidiae patuiſſe. Nam 1. videbantur duces ſibi conciliare velle militum animos, 2. ſpeciem hoc prae ſe ferebat affectatae gloriae, immo et 3. auaritiae. Nam ideo arguebantur praedam diuiſiſſe militibus, vt immunes eſſent a reddendis rationibus, ſibique maximam partem impune retinerent. *num. 7.*

§. 18.

Alter modus praedam concedendi militibus erat *direptio*, (§. 17. *n.* 1.) quae in eo conſiſtit, quod oppido vel caſtris expugnatis militibus ſit poteſtas diſcurrendi, et ſibi, quod in aedibus priuatorum repererit, occupandi. Exempla plura ex vetere *num. 1.*

 hiſtoria

hiſtoria dedit Grotius. Addi poſſunt plura ex noua; maxime ex hiſtoria belli Germanici tricennalis, quam luculenter deſcripſit Pufendorffius: vbi tamen eas cautiones obſeruant belli duces, vt direptio concedatur tantum, 1. ſi militibus plura ſtipendia debeantur, nec in praeſenti copia ſit, ea exſoluendi. 2. Si conſtet iam hoſtes penitus proſtratos. Alias enim, incerta adhuc victoria, facile diſperſos et diripientes adgreditur hoſtis, et cedit ad internecionem. Vnde inter ſtratagemata a Polyaeno et Frontino deſcripta, et illud eſt, quod hoſtes ſimularint fugam, et varias res pretioſas per campos patentes ſparſerint, quae dum diſperſi colligunt hoſtes, facilem fugientibus et iam ex inopinato reuerſis dedere victoriam.

num. 2. Sed hunc morem haud pauci improbant, 1. quia ſic nulla habetur virtutis ratio. Nam ignauiſſimus quiſque in praelio ſtrenuum ſe praebere poteſt praedatorem, aliiſque virtutis praemium praeripere. 2. Plerumque caedes inter ipſos diripientes oriri, ſi plures in eandem praedam inuolent. 3. Occaſionem dari licentiae non ferendae, ſtupris, caedibus innoxiorum hominum, infantum, mulierum. 4. Quin et ſaepe milites ex inuidia res, quas auferre nequeunt perdere, ne commilitonibus cedant.

num. 3. Ex quo conſequitur, vt vix excuſanda ſit direptio, niſi vbi neceſſitas eam defendit. Saepe enim inter milites res ad tumultum venit, et ii deſpecto ducum imperio in praedam inuolant. Exempla ſunt apud LIVIVM *lib.* 6. *et lib.* 38.

Sed id non poteſt melius caueri, quam 1. vt ſtipendia iuſto tempore ſoluantur, 2. vt proſtrato hoſte intra caſtra aliquamdiu contineantur, vrbe vel caſtris captis cuſtodia firma munitis.

§. 19.

Extra ordinem aliquando praeda aliis quam militibus data, veluti 1. iis qui rei publicae crediderant pecuniam, vel tributa extra ordinem maiora, quam debebant, contulerant. 2. Diis, ſi nimirum iis ludos vouerant imperatores. Id imitantur aliquando Pontificii, qui Petro Romam, vel Mariae Lauretum ſpoliorum partem mittunt.

Magis laudanda illuſtriſſimorum ordinum pietas, qui in bello illo ferali Hiſpanico haud minimam praedae ex hoſtilibus

nauibus

nauibus captae partem pauperibus conceſſerunt. Rem latius narrant Meteranus et Aizema.

§. 20.

Obſeruat porro Grotius, *numquam certam inter gentes obſeruatam fuiſſe regulam, quin ſaepe in vno eodemque bello, aliter atque aliter de praeda diſpoſitum fuiſſe.* *nu.* 1.2.3.

1. Furius Camillus victis Veientibus, decimam praedae Delphos Apollini miſit: at idem tamen, victis Faliſcis praedam omnem intulit in aerarium.

2. Q. Fabius homines, armenta et greges militibus conceſſit, pecuniam et aurum intulit in aerarium. Idem in bello cum Volſcis et Aequis captiuos militi donauit, reliqua diripienda dedit.

Alia huius generis, diuerſaque conſilia in diſtribuenda praeda obſeruata prolixe refert Grotius. Ex quibus recte colligitur, nihil certi ea de re ſtatuiſſe gentes, nec vllam dediſſe legem, a qua diſcedere non poſſent.

§. 21.

Quaeritur, *ſi quis ex praeda quid ſurripuerit, quo crimine teneatur?* Reſp. crimine peculatus, quod omnibus gentibus viſum eſt poena digniſſimum, ſiue ab imperatore, ſiue a milite eſſet commiſſum. *nu.* 1.2.3.

1. Quia enim praeda eſt rei publicae, eſt in dominio, adeoque res publicae furto abripiuntur.

2. Delictum hoc eo grauius, quia hic non pauci floreni, vt a furibus, ſed immenſi theſauri rei publicae interuertuntur. Elegans notetur Catonis querela, *fures priuatorum furtorum in neruo atque compedibus aetatem agere, publicos in auro atque purpura.*

3. Hinc Achan ſupplicio capitali adfectus a Ioſua, quod partem praedae intercepiſſet. Et a Romanis deportatione digni videbantur, qui peculatum commiſerant, *L. 3. D. de pecul.*

§. 22.

Quaeritur porro, *annon lege ciuili vel moribus aliud quid, quam quod hactenus diximus obſeruatum a veteribus, introduci poſſit?* *num.* 1.2.

Et

Et id recte adfirmatur. Nam 1. ipſos veteres nihil certi obſeruaſſe, demonſtratum eſt §. 20. 2. ſi obſeruaſſent, id eſſet ex moribus et conſuetudinibus gentium. Mores autem et conſuetudines, contrariis legibus et conſuetudinibus poſſunt mutari.

Exemplis id illuſtrat. Sic nemo dixerit, contra ius gentium peccare, qui praedam addicunt pauperibus, viduis, orphanis, vel iis, qui hoc bello inſignem cladem paſſi ſunt.

§. 23.

Quaeritur, *quid ſociis debeatur, qui nobis ſine ſtipendio militant?* Reſp. Iis plerarumque gentium moribus praedam, quam capiunt concedi. Nam 1. opera gratis praeſtari non praeſumitur. 2. Damnum et ſociis reſarciendum. 3. Eum finem habuiſſe videntur ſocii, dum operam ſuam nobis ſtipendio addixerunt.

Exemplum nobis ſuppeditat vltima oppugnatio Viennae Auſtriacae a Turcis tentata. Quum enim Poloni, duce rege ſuo Ioanne Sobieski, ſubſidio venirent obſeſſis, et opulentiſſima Turcarum caſtra bis expugnarentur: immenſam ſibi praedam retinebant Poloni, eamque domum aſportabant, non inuito imperatore, cui ſine ſtipendiis, tamquam ſocii militauerant Poloni tempore quam maxime periculoſo.

§. 24.

num. 1. Quaeritur, *an et ſubditi eodem iure praedam exigere poſſint, ſi rei publicae ſine ſtipendiis militent? vt Heluetii, Poloni.*

Duae rationes hic veluti confligunt. 1. Contra ſubditos militat, quod operam ſuam debeant rei publicae. Qui vero facit quod debet, non poteſt captare praemium, ſed dicere debet, ſeruus inutilis ſum.

2. Pro illis vero militat, quod non omnes militent, ſed multi e ciuibus domi maneant, agros colant, mercaturam faciant, lucrum capiant. Ergo illis videtur retributio deberi, ne plus aliis oneris ferre teneantur.

num. 2. 3. 3. Eadem ratio, quae pro ſociis militat, ne gratis operam praeſtent, militat etiam pro ſubditis, qui bello interſunt ad defendendos conciues.

4. Nec deſunt exempla, vbi ſubditis militantibus ſine ſtipendio

dio aeque diuiſa praeda, ac ſociis. Exempla bina attulit Grotius *n.* 3. Vnum Ebraeorum, *Num.* 22. 27. 47. 1. *Sam.* 30. 22. alterum militum Alexandri, quibus rex ſingulis praedam, quam feciſſent, reliquit.

Sed poſterius tamen exemplum huc non pertinet, partim quia Alexandri milites ſine ſtipendio non militabant, partim, quia non omnes erant ſubditi, ſed plerique mercenarii, ex variis Graeciae ciuitatibus conſcripti. Vid. Cvrtivs *lib. I. cap.* 1.

Enimuero ad quaeſtionem ipſam reſponderi poteſt variis obſeruatis diſtinctionibus. *num.* 4.

I. Diſtinguitur inter ea, quae publica vel regis devicti fuerunt, et quae priuatorum militum. Illa merito regi victori integra relinquuntur, qui in eius locum et iura ſuccedit. Sic regium tabernaculum ſemper manſit Alexandrum, quamuis praedam concederet militibus. Sic corona victi regis victori imponebatur etiam apud Hebraeos. 2. *Sam.* 12. 30.

Deinde diſtinguendum inter bella iuſta et ciuilia. In illis rarius aliquid conceditur ſubditis militantibus, quia rei publicae operas ex obligatione perfecta debent. In his autem frequentius, quia intereſt ducum, vt milites habeant ſibi deditos. Hinc hiſtoriae docent Sullam, Marium, Caeſarem, Auguſtum victores proſcriptionis edictum propoſuiſſe, et redactam e proſcriptorum ciuium bonis pecuniam liberaliter elargitos eſſe inter milites. *nu.* 5. 6.

Porro diſtinguitur inter res magni momenti et exiguas, quae dignae non ſunt publicari. Haec ſaepe et per leges relinquuntur militibus. Sic e. g. ap. Gellivm *lib. XVI. cap.* 4. legimus, iuraſſe milites Romanorum, ſe nihil praedae in rem ſuam conuerſuros, praeter haſtam, haſtile, ligna, pabulum, faculam, vtrem, follem et minores numulos argenteos. *num.* 7. 8.

Et multis legibus nauticis, maxime Gallicanis, receptum, vt nautae in publicum conferre non teneantur praedam infra 10. ſcutatos. Apud Hiſpanos vel tertia vel quinta vel dimidia regi, ſeptima vel decima nauarchae, reliqua militi nauali dantur.

Apud Italos in tres partes diuiditur praeda nautica, vnaque tertia datur domino nauis victricis, altera iis, quorum merces in naue fuerunt, tertia capientibus.

Apud Hollandos decima datur nauarchae, quinta pars rei publicae, reliqua inter dominum nauis vel pugnantes pro dignitatis et loci proportione diſtribuuntur.

§. 25.

Quid ergo ſi de praeda oriatur controuerſia? Reſp. tunc primo omnium reſpicitur ad mores et leges nauticas iſtius populi, in quo controuerſia oritur: ſin eius modi mores probari nequeant, vel leges patriae deficiant, tunc ſequendum eſt ius gentium, adeoque praeda debetur rei publicae, cuius auſpiciis bellum geſtum, niſi plane priuatim, e. g. aduerſus piratas, pugnatum; tunc enim aequiſſimum eſſe, vt praeda capientium ſit, facile patet.

§. 26.

num. 1. Quaeritur porro, *an res alienae apud hoſtes repertae praedae annumerandae?* Diſtinguendum vtrum hoſtis in rebus iſtis alienis ius aliquod habuerit, e. g. pignoris, retentionis, ſeruitutis; tunc non quidem res ipſae, ſed tamen ius in iis radicatum ad victorem tranſit: an vero nihil hoſti iuris fuerit, e. g. in depoſito, tunc res reddenda domino, cui non debet praeiudicio eſſe bellum inter alios geſtum.

num. 2. Ita et facile deciditur quaeſtio, *an extra territorium hoſtis capta capientium fiant?* Reſp. diſtinguendum inter ius naturae et mores gentium.

Iure naturae locus diſcrimen non facit. Quemadmodum enim vbicumque hoſtem noſtrum deprehendimus, ibi eum iure occidimus: ita eumdem quoque iure ſpoliamus, vbicumque terrarum reperiatur.

At mores id non ferunt, vt hoſtem in alieno territorio adgrediamur, niſi volente et conſentiente domino territorii, quo conſentiente ipſi etiam pars praedae procul dubio debetur, quia ei tamquam ſocii militamus.

Eleganter id Grotius illuſtrat ex *l. 2. §. 1. D. de adqu. rer. dom.* Venari iure gentium vbique licet, quia fera eſt res nullius. Si tamen vult dominus, poteſt me prohibere, quo minus fundum ſuum; vbi fera reperitur, ingrediar. Ita et in hoſte perſequendo ſe res habet procul omni dubio.

§. 27.

Finem huic capiti imponit Grotius, addita obſeruatione, *quod quaecumque dicta hactenus de iure occupandi res hoſtium, ea intelligenda ſint non de bello minus ſollemni, ſed ſollemni.* Quum enim

enim bellum minus ſollemne gerant ii, quibus ius nullum eſt bellandi, e. g. ciues inter ſe ipſos, ceſſare etiam oportet effectus belli legitimos, nempe adquiſitionem rerum hoſtilium.

Multa quidem ſibi tunc permittunt victores, qui et omnia capta ab hoſtibus ſibi arrogant, ſed quod de facto fit, non ſtatim iure fieri, facile patet.

CAPVT VII.

DE IVRE IN CAPTIVOS.

§. I.

IN *bello capiuntur non ſolum res, ſed et perſonae.* De illis vidimus: iam de his quaeritur.

1. *An ſerui fiant?* §. 1. 2.
2. *Quis eius ſeruitutis ſit effectus?* §. 3-7.
3. *An et hodie in vſu ſit?* §. 8. 9.

I. Quaeritur, *an homines bello capti ſerui fiant?* Affirmat Grotius, ſi quaeſtio de iure gentium. Id probat 1. teſtimonio ICtorum *L.* 4. §. 1. *D. de ſtatu hom.* qui ſeruitutem dicunt conſtitutionem iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. Ergo fatentur ICti ſeruitutem eſſe iuris gentium, et dum addunt eam eſſe contra naturam, negant, eam eſſe iuris naturae. *num.* 1.

2. Exemplis gentium, etiam humaniſſimarum, quae omnes captiuos in ſeruitutem redegerunt, nullo habito diſcrimine aetatis, ſexus, dignitatis. Non enim hoc ius ex delicto eſt, ſed ex bello. Adducit eam in rem Grotius ſuo more varia auctorum loca, in quibus praecipue notandus locus Polybii, vbi ait: *At haec belli lege et illis ferenda ſunt, qui nihil impii commiſerunt.* *nu.* 2. 3. 4.

Ita quidem vulgo: ſed ſi rem paullo adcuratius conſideremus, fatendum eſt, ſeruitutem non eſſe niſi ex iure naturae permiſſiuo, et ex *moribus* gentium. Id enim ita probo. Quodcumque ius eſt ex iure naturae vel gentium vero et praeceptiuo, id commune eſt omnium gentium et perpetuum. Atqui

ius captiuos in ſeruitutem detrudendi, nec commune eſt, nec perpetuum, quia hodie pleraeque gentes cultiores ab eo abſtinent. Ergo non eſt ex iure naturae et gentium proprio et praeceptiuo.

§. 2.

Poſtquam autem ſemel principium hoc placuit gentibus; captiuos fieri ſeruos: colligere inde procliue fuit, etiam poſteros eorum ſimiliter ſeruos eſſe. Serui enim veteribus erant res, pars patrimonii, quin praecipuum diuitiarum genus. Iam in rerum adquiſitione valet axioma: *Cuius eſt principale, eius eſt acceſſorium. Cuius eſt venter, eius et foetus eſt. Ergo et cuius ſerua, eius quoque et vernae inde nati videbantur.*

§. 3.

num. 1. II. Iam de *effectibus* huius *ſeruitutis*, qui ſe exſerunt 1. *in perſonas captiuorum.* §. 3. 2. *in* eorum *res*, §. 4. 5. 3. *in* eorum *ſtatum*, §. 6. 7.

1. Quod ad perſonas captiuas attinet: in eas omnia licere capientibus videbatur. Hinc gaudebant domini iure vitae et necis, poterant ſeruos venumdare, legare, donare, tamquam pecudes; impune in corpora ſeruilia ſaeuiebant, antequam imperatores hanc dominorum crudelitatem legibus coercerent.

Rationes varias allegabant. 1. Serui ſunt res. Ergo domino ſummum in res ſuas debet eſſe arbitrium. 2. Serui bello capti vitam ſaluam habent precario, quamdiu dominis placuerit. Ergo ſi non amplius placuerit, iure ſuo vtuntur, adeoque occidunt impune.

2. Quod ad *res*: iſtae quoque adquiruntur domino vna cum ſeruo. Nam 1. ſeruus nihil habere poterat proprium, quemadmodum nec bos, vel equus. 2. Cuius eſt principale, eius quoque acceſſorium.

§. 4.

De rebus tantum *incorporalibus*, i. e. de iuribus ſerui diſputant, an et illa domino adquirantur. Sed id nec adfirmari nec negari poteſt, ſine periculo. Ergo diſtinguendum.

Iura aut mere perſonalia ſunt, quae oſſibus inhaerent, aut admittunt vicariam operam. Priora non tranſeunt in dominium: poſteriora tranſeunt: e. g. matrimonii ius non tranſit in dominum,

minum, vt captiui vxore ad libidinem abuti poſſit: at patria poteſtas exſtinguitur, et omne ius illud in dominum tranſit. Ita et dominus adquirit ius pignoris, ſeruitutis cet. quod captiuo ſeruo competebat.

§. 5.

Cur vero *id gentes probarunt, quum tamen vix a truculentia excuſari poſſit?* Reſp. Grotius. Sequutas gentes eſſe principium: ex duobus malis eligendum eſſe minus. Iam ſupra docuimus, licere hoſti hoſtem occidere, etiamſi ſe dedere vellet: ne itaque promiſcue hoc iure vterentur milites, maluere introducere ſeruitutem, vt iſto lucro pellecti victis parcere, quam eos occidere mallent. num. 1. 2. 3. 4.

Et hinc videamus, *ſeruos* dictos, quaſi *ſeruatos*.

Veram hanc fuiſſe rationem, exemplo bellorum ciuilium patuit. Quum enim ibi ciuis ciuem in captiuitatem redigere non poſſet, tam promiſcue in victos ſaeuitum eſt, vt vnum bellum inter Caeſarem et Pompeium plus hominum abſumſerit, quam centum alia.

§. 6.

3. Quod ad *ſtatum* attinet *captiuorum*, ex eo duplex reſultat effectus, quorum prior eſt:

Quod fugere non poſſit ſeruus. Sed hic diſtinguendum inter ius internum, quod vocant *forum conſcientiae*, et externum, quod *forum ciuile* appellant.

Quod ad prius, illud non vetat ſeruum captiuum fugere. Quid enim vetaret hominem innoxium, quem fortuna in hanc miſeriam depreſſit, libertatem quocumque modo recuperare? Vnde etiam abſurda diſtinctio Leſſii, videndum eſſe, ad ſuos, an ad alios fugiat.

Sed ius externus hoc non fert. Hinc ſeruus huius modi fugitiuus poteſt e fuga retrahi, vindicari, puniri, quamuis ſalua conſcientia fugerit.

Equidem, ſunt, qui negant huius modi diſtinctionem eſſe admittendam. Sed eos Grotius exemplis refellit, 1. teſtamenti, quod ex defectu ſollemnitatum nullum dicitur, iure externo, quum tamen, qui ſine ſollemnitate teſtatus eſt, non peccarit in conſcientiam. 2. Praeſcriptionis, qua quis ſecurus ſit, poſſidens

 rem

rem alienam, in foro exteriore, quum quoad conſcientiam ratio vix reddi poſſit, cur ſalua conſcientia poſſidere poſſit rem alienam.

num. 3. Sed probat Grotius, *hanc ſerui obligationem, ne fugiat, tantum ad ius externum pertinere.*

1. Ex cauſſa, cur hoc ius introduxerint veteres, quod ideo factum, ne occiderentur captiui, ſed ſeruarentur. Atqui ad hunc finem adſequendum nos opus erat iure interno, quod conſcientiam obſtringeret, ſed externo.

num. 4. 2. Ex fonte huius iuris. Illud non eſt ex aequitate naturali, ſed ex moribus gentium. Hos qui non obſeruat, is quidem poenam ciuilem incurrit, ſed non ideo peccatum fit actus in ſe indifferens et licitus. Quis vero licitum negauerit fugere, ſi quis ſine delicto et culpa ſua in triſtem ſeruitutem fuerit abreptus?

num. 5. Obiiciunt, canonicum ius etiam probibere, ne quis ſeruo fugam ſuadeat. Atqui ius canonicum inprimis conſulere conſcientiae, adeoque et fugam ſerui illo iure haberi pro peccato contra conſcientiam. Sed reſp. 1. iuris canonici doctrinas non eſſe mera oracula. 2. Illud nonnumquam turbare magis, quam tranquillas reddere conſcientias. 3. Magnam eſſe differentiam inter ſeruos, qui ob delictum vel ob voluntariam addictionem, vel ob ipſam natalium conditionem in ſeruitute viuunt, et eos, qui bello capti in hanc fortunam incidunt. De illis verum eſt, eos ſalua conſcientia fugere non poſſe, de his minime. Vnde Paullus *ep. ad Philem.* Oneſimo ſeruo Philemonis iniunxit, *vt ad dominum rediret*, ſed non iniunxiſſet fortaſſis, ſi fuiſſet bello captus.

§. 7.

Porro ex eorum *ſtatu* fluit, *quod domino reſiſtere nequeant.* Et hoc quidem non modo iuris externi eſt, ſed et interni, quod et conſcientiam ſtringit. Rationes ſunt, 1. quia dum ſeruantur a victore, pactum inter eos et dominum victorem intercedit, quod velint ei ſeruire, quamdiu ſerui ſint. Atqui fruſtraneum eſſet hoc pactum, ſi liceret ſeruo reſiſtere domino. 2. Si liceret ſeruo ſaltim ſalua conſcientia reſiſtere domino, liceret etiam reſiſtere magiſtratui, dominum tuenti. Atqui id non licet ſalua conſcientia, quia vnusquiſque in territorio viuens magiſtratui ſubeſſe et parere tenetur. Ergo etiam non licet domino reſiſtere.

§. 8.

§. 8.

III. Iam quaeritur, *an hos ius*, quod ex iure gentium venditat Grotius, *ſemper et vbique receptum fuerit, et receptum ſit etiamnum?* Et id negat, adeoque tacite fatetur, non eſſe ex iure gentium. Et 1. quidem demonſtrat, nec olim apud omnes gentes fuiſſe receptum. Nam Hebraei captiuos quidem obducebant, ſed ſimul ipſis permittebant, vt confugere poſſent ad aſyla. Quo facto liberi dimittebantur. Apud Francos quicumque terram Francorum attigerat, ſiebat liber. Apud Indos plane nullam ſeruitutem fuiſſe, teſtatur STRABO *lib. XV. p.* 710.

§. 9.

2. Idem dicendum de temporibus noſtris. Notum enim eſt, *num.* 1. hodie inter Chriſtianos fere omnes, (exceptis Ruſſis, qui vetus ius apud ſe reſtaurarunt,) ab vſu receſſiſſe morem captiuos in ſeruitutem abripiendi. Et quidem id ſuadebat 1. caritas Chriſtiana, quae ne minorem quidem ſaeuitiam probat. 2. Mutatio oeconomiae. Hodie enim nec tanto vſui nobis ſunt ſerui, ac olim, quum maximae diuitiae in multitudine ſeruorum conſiſterent. 3. Si et gentiles inter ipſos conciues eiuſdem rei publicae, bellum ciuile gerentes, ſeruitutem ceſſare voluerunt, quanto iniquius eſſet, ſi ea non ceſſaret inter Chriſtianos, fratres ſpirituales, membra vnius corporis myſtici, ſocios futurae hereditatis.

Accedit quod 4. ipſi Mahumediſtae, apud quos ſeruitus adhuc viget, tamen Mahumediſtas non rapiunt in ſeruitutem. *num.* 2. Quanto minus id decet Chriſtianos?

Quo iure ergo victores vtuntur in victos, apud Chriſtianos, ſi eos captiuos abduxerint? Reſp. Captiui detinentur, ſaluo ſtatu libertatis, et tractantur tamquam captiui, (*priſonniers de guerre*) donec lytro ſoluto vinculis vel carcere exeant.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE IMPERIO IN VICTOS.

§. 1.

num. 1. VIdimus hactenus, *quid liceat in victorum vitam, corpora, res, libertatem.* Iam quaeritur, *quid victori populo iuris adquiratur in vniuerſum populum victum?* Reſpondetur, ius hoc vocatur *imperium.* Ergo quemadmodum ex moribus gentium ſinguli priuati capti in ſeruitutem rediguntur: ita et vniuerſus populus deuictus in imperium victoris concedit.

Grotius id probat ſuo more variis veterum teſtimoniis, velut Senecae, Tertulliani, Liuii, Caeſaris, qui omnes fatentur bello adquiri imperium in victos. Et iſta teſtimonia ſaltim euincunt, gentes ea perſuaſione fuiſſe imbutas.

num. 2. Sed fuere tamen reuera gentes, quae non pro imperio, ſed pro gloria bellum gererent. Id de omnibus gentibus antiquiſſimis tradit IVSTINVS *lib. I. c. 2.* qui et obſeruat, primum Ninum vicinos ſubiugare coepiſſe. Similia fere de Germanis narrat Tacitus, quod bello non fines protulerint imperii, ſed plerumque regiones circa ſe in ſolitudinem redegerint, vt exſtaret victoriae et gloriae monimentum.

num. 3. *Quomodo autem adquiritur imperium in victos?* Duplici ratione. Aut enim tantum rex in regis victi locum ſuccedit, tunc eodem iure vtitur victor, quo olim vtebatur victus; e. g. Wilhelmus, victo Iacobo rege Angliae, non alia iura ſibi vindicare poterat, quam quae habuerant anteceſſores. Cum rege enim bellum gerebat, non cum populo. Aut ipſe populus plene victus eſt: tunc victori ita adquiritur imperium, tamquam patrimonium, vt illud et alienare, et alio modo de eo diſponere poſſit. Hinc priore caſu regnum manet vſufructuarium: poſteriore fit patrimoniale.

§. 2.

num. 1. 2. Et poſteriore hoc caſu aliquando ciuitas plane exſtinguitur, vt victi non amplius ſint ciues, ſed ſerui, et imperium non ſit ciuile,

ciuile, ſed *herile*, quale hodie in Turcia, Ruſſia, Perſia, India videmus obtinere. Id quod fit dupliciter,

1. Quando ciuitas victa fit prouincia, adeoque acceſſoria fiat alterius prouinciae, e. g. Macedonia a Romanis victa non manebat regnum, nec res publica ſuis parens magiſtratibus, ſed prouincia acceſſoria rei publicae Romanae.

2. Quando manet quidem regnum, ſed *herile*, vti Conſtantinopolis a Turcis capta. Quod vero regnum *herile* vocatur? vbi finis non eſt vtilitas ſubditorum, ſed principis. Ergo ibi omnia ſunt imperantium, et hi de bonis ſubditorum non minus libere diſponunt, ac de rebus ſuis.

§. 3.

Quaeritur, *an detur etiam imperium ex ciuili et herili mixtum?* Reſp. omnino. In *vero herili* omnes ſubditi ſunt ſerui, ſolus princeps dominus, vti in Turcia. In *mixto* ſubditi gaudent libertate perſonali, vt ſibi adquirant, ſed non *ciuili*. Hinc pro lubitu poſſunt exhauriri tributis, in militiam adduci, omnibus iuribus ſpoliari, quale fere eſt Ruſſorum imperium. Tantum enim abeſt, vt ibi omnes ſubditi ſerui iudicentur, vt potius quidam ſint duces, principes, comites, nobiles. At ratione ciuilis libertatis omnium eſt idem ſtatus, tantum imperatori Ruſſorum licet in ducem, quantum in ruſticum et ſeruum.

§. 4.

Denique quaeritur, *an* et *victor ſuccedat in iura principis vel populi deuicti?* Idque merito adfirmatur. Aut enim per deditionem ſubiiciuntur, aut per victoriam. Priore caſu per pactum, poſteriore per vim omnia fiunt victoris. Si omnia victoris fiunt, ſane victi nihil retinent, adeoque nec iura, tamquam res incorporales. *num.* 1.

Rem variis exemplis illuſtrat Grotius. Alba prima olim inter populos Latinos. Ea victa hunc primatum iure ſibi vindicabant Romani. Elegans quaeſtio circa Thebanos nata. Iis Theſſali 100. talenta debebant. Expugnatis Thebis, Alexander iure victoriae vſus Theſſalis hanc ſummam remittebat. Aliquando poſt Thebani libertati ſuae redditi id aes alienum exigebant a Theſſalis. Quaerebatur an iure? Negatur merito, quia Alexander tamquam victor omnia rei publicae victae iura adquiſiue- *num.* 2.

rat. Ergo et de iis libere diſponere, adeoque et debitum Theſſalis remittere et acceptum ferre poterat.

CAPVT VIIII.

DE POSTLIMINIO.

§. 1.

num. 1. EX captiuitate naſcitur *ius poſtliminii*. Vnde et de eo iam agitur paullo adcuratius.

1. *Quando locus ſit iuri poſtliminii?* §. 2-5.
2. *Quae eius effecta ſint.* §. 6. ad fin.

num. 2. Praemittit autem Grotius quaedam de ipſo vocabulo. Sunt autem duae de eius origine in iure noſtro ſententiae. 1. Seruius a *poſt* illud deducit, ſyllabas vero *liminium* nihil ſignificare putat, quemadmodum in vocabulis *teſtamentum*, *documentum*, *monumentum* vltimae ſyllabae nihil notant. 2. Scaeuola a *poſt* et *limine*, quia captiui poſt captiuitatem ad limina, id eſt ad limites rei publicae reuertuntur. Sed vtramque deriuationem reiicit SALMASIVS *ad ius Alt. cap.* 26. *pag.* 568. quia limen numquam notet limites vel fines rei publicae. Et ſane veriſſimam originem nobis tradit PLVTARCHVS *in Quaeſt. Rom. cap.* 5. vbi docet, reuerſos domum captiuos non per fores aedes ingreſſos, ſed poſt limites vel per tegulas et impluuiam ſe intromiſiſſe, boni ominis cauſſa, et inde nomen ſortitum eſſe *ius poſtliminii*. Conf. AEGID. MENAGIVS *Amoenit. iur. ciuil. cap.* 39.

§. 2.

num. 1. Quid vero eſt *ius poſtliminii*? Eſt recuperatio omnium iurium captiuitate amiſſorum per reditum ad fines imperii noſtri. Dicimus:

Eſt *recuperatio*, non exprimentes, quis recuperaret. Nam ius poſtliminii et ad res pertinet, et ad perſonas. Ad res. Sic e. g. nauis ab hoſte capta, et poſtea vel vi tempeſtatum, vel alio caſu in portum noſtrum reuerſa ad priorem dominum redit; homo captiuus fugiens libertatem iuraque ſua recuperat, ſimul-

ſimulac ad fines imperii noſtri redit.

Recuperatio omnium iurium, quae ſc. captiuitate exſtincta fuerant. Hinc fingebant Romani, eum, qui captus rediiſſet, captiuum non fuiſſe. Hinc reuerſus eſt ciuis, maritus, patria poteſtate gaudet, ac ſi numquam fuiſſet captus.

Captiuitate amiſſorum. Captiuitas enim iure Romano et veterum quorumdam gentium erat capitis deminutio maxima. Vnde patet, hodie perſonas hoc reſpectu opus non habere iure poſtliminii.

Per reditum ad fines imperii noſtri. Non ergo opus eſt, *num.* 2. vt redeant in vrbem ex qua nati, ſed eo momento quo ingrediuntur praeſidia noſtra, omnia iura ſua recuperant. Immo etiamſi non noſtros, ſed amicorum et ſociorum fines attigerint, perinde eſt. Et ita obtinuiſſe apud Romanos quoque Polybius docet.

Inde vero conſequitur, vt ad neutrarum partium gentem confugiens ius poſtliminii non habeat, ſed redimendus ſit. Nec enim ad nos, nec ad ſocios peruenit. Et hinc decidit Cunaeus quaeſtionem belliſſimam, an nauis Ianuenſium iure poſtliminii poſſet vti, quae capta a Turcis vi tempeſtatum in portum Venetorum; qui tunc neutrarum partium erant, fuiſſet depulſa; idque merito negatur.

§. 3.

Explicauimus hactenus definitione, *quid ſit poſtliminii ius*: iam porro docet Grotius, quid interſit inter has loquutiones: *poſtliminio reuerti*, et *poſtliminio recipi.*

Reuerti dicebantur perſonae liberae in captiuitatem redactae ab hoſte. Ii enim ſe poterant ab hoſtili vi liberare et domum redire.

Contra recipi dicebantur res ab hoſte captae, ſi redirent ad priorem dominum, ſiue virtute militum noſtrorum, ſiue caſu id fieret.

Quamuis vero hoc diſcrimen ex ipſa natura vocabulorum fluat, id tamen non ſemper ſeruari animaduertimus apud Festvm, vbi et de perſonis dicitur, quod recipiantur. In *L.* 14. *D. de capt. et poſtl. et L.* 12. *eod.* haec, vt par eſt, adcurate diſtinguuntur.

§. 4.

num. 1. *Poſtliminium* porro aut in pace eſt, aut in bello, *L.* 12. *pr. hoc tit.* Videbimus de pace diuerſos caſus. Nam 1. aliqui bello capti facta pace ideo redeunt, quia in conditionibus pacis iis promiſſa libertas. Et hi habent *ius poſtliminii.*

2. Aliqui bello non capti, ſed tempore pacis apud hoſtes peregrinantes bello ſubito coorto capti et retenti ſunt. Hi ſi durante bello aufugiant, eodem iure gaudent.

3. Sed fuere quidam bello capti. In pacis conditionibus haec non fuit, vt liberarentur. Nihilominus aufugiunt. Hi tantum abeſt vt gaudeant iure poſtliminii, vt vindicari poſſint ab iis, qui dominium in iſtos fugitiuos habent iure belli.

num. 2. Cur vero Romani captiuos nec redemerunt, nec de iis reddendis in pacis conditionibus quidquam ſibi ſtipulari conſueuerunt? Notum ſane eſt, quod cum bello Punico I. Carth. Atilium Regulum conſulem captiuum remitterent Romam, vt redemtionem captiuorum ſuaderet, hic ipſe illam diſſuaſerit.

Rationes ſunt, 1. vt ſpes ciuibus in virtute bellica magis eſſet, quam in pace. Ita TRIPHONIVS *in l.* 12. *D. h.t.* Et hinc plerique Romani ad extremum halitum pugnabant, et ſpe decollante, ſe ipſos interimebant.

2. Quia plerumque ſe victores ſperabant, adeoque in lucro ponebant captiuos quam plurimos retinere.

3. Quia quiſque qui bellum gerit, putat ſibi iuſtam cauſſam eſſe, adeoque captiuos meruiſſe exiſtimat captiuitatem.

num. 3. 4. Inde ergo patet, 1. cur in pace ſemper ſibi ſtipulati ſint veteres redditionem et liberationem eorum, qui bello ſubito ingruente apud hoſtes fuerant deprehenſi. Hi enim arma non geſſerant, adeoque non ex fortitudinis defectu in hoſtium peruenerant poteſtatem. Neque captiuitatem meruiſſe videbantur homines bona fide apud hoſtem peregrinati.

2. Cur res, et ſerui non reddantur facta pace, niſi expreſſe pactis ita conuenerit? Quia hoſtis ſummo iure res hoſtis adquirit, ſibique retinet. Serui autem veteribus erant res.

3. Cur durante bello ſerui et res habuerint *ius poſtliminii*, quia erant in dominio. Ius autem omne per reditum ad fines noſtros recuperari, paullo ante diximus.

§. 5.

§. 5.

Liber homo quando *poſtliminio* redit? 1. Si ad fines noſtros rediit, 2. ſi eo animo redierit, vt maneat. Hinc ſi veniat pacis cauſſa, vel miſſus ab hoſte, vel hoſti fidem dederit, ſe rediturum, non liberatur. Attilius Regulus Carthaginem rediit, quamuis ſciret, ſe ad ſupplicium rediturum. Nec intereſt 3. vi hoſtium ergaſtula effregerit, an clam et dolo ſe liberauit.

§. 6.

Iam ad *effectus*. Horum 1. eſt *quod liber homo ſe ipſum adquirit*. Quum enim antea eſſet ſeruus et alieno iuri ſubiectus, iam in ius ſuum redit. 2. Omnes res ſuas, tum corporales, e. g. ſeruos, praedia, pecunias; tum incorporales, e. g. ius ciuitatis, matrimonii, patriae poteſtatis. *num.* 1.

Ratio erat, quia haec omnia non amiſit ex defectu rerum, quia res ipſi erant ereptae, ſed ex defectu perſonae, quia perſona erat ſubtracta rebus ſuis. Ea ergo redeunte, ceſſabat illa emiſſio.

Sed quaeritur, *ſi res occuparit victor, iſque ea alienarit, an poſtliminio reuerſus habeat ius poſtliminii?* Diſtinguit Grotius, an res habeant *ius poſtliminii*, nec ne. Priore caſu redeunt ad dominum *poſtliminio* reuerſum, poſteriore non redeunt. Ratio differentiae eſt, quia priore caſu venditae cenſentur cum conditione, poſteriore abſolute. Fingi poteſt exemplum tempore belli Gallorum Senonum, qui Romam praeter Capitolium occupauerant. *num.* 2.

§. 7.

Diximus iura recuperari *poſtliminio*. Ea vel actiua ſunt vel paſſiua. Actiua, quo alii ipſi obligantur, e. g. ius patriae poteſtatis; alia, quibus ipſe aliis obligatur, e. g. ſi creditores habet. De prioribus vidimus. An et poſteriora recuperantur. Affirm.

1. Quia aequum eſt; vt ſi commoda recurrat, et incommoda ad eum reuertantur.

2. Quia fingitur numquam in captiuitate fuiſſe. Atqui ſi numquam in captiuitate fuiſſet, manſiſſet obligatus.

3. Quia ita et leges decidunt. *L.* 12. §. 6. *de capt. et poſtl.*

§. 8.

Vidimus hactenus regulam: iam exceptiones expendemus. *Iure* ergo *poſtliminii* non gaudent

I. Perſonae, quae per deditionem in hoſtium poteſtatem peruenerant. Id probatur

1. Ex *L.* 17. *D. h. t.*

2. Ex ratione pactorum, quibus paciſcentes contrauenire nequeunt.

II. Nec gaudent *poſtliminio* ii, qui tempore induciarum aufugiunt. Ratio eſt, quia induciae ſunt pactum, quo conuenit, vt tempore certo omnia in priore ſtatu maneant.

Aliud ſi deditio tacite facta, id eſt, ſi captiui cauſſa deſperata arma abiecerunt.

§. 9.

num. 1. III. Nec ciuitas gaudet *iure poſtliminii*, ſi capta non ſe ipſam liberauit, nec per pacem liberatur. Ratio eſt, quia ciuitas eſt perſona moralis, adeoque eodem iure vtitur ac perſona phyſica.

Hinc elegans illa controuerſia inter Friſios et Vltraiectinos, an Vltraiectum a Gallis captum locum ſuum in re publica receperit. Momenta huius quaeſtionis vid. apud HVBERVM in *prael. ad Dig. h. t.*

num. 2. IIII. Excepta erant matrimonia, quippe quae iure Romano erant diſſolubilia.

Atqui ſupra non ſemel diximus, et *matrimonii ius recuperari.* Recte. Recuperatur, ſi vxor nondum miſit repudium. Si nolit ad virum redire, non recuperatur. Cur? Maritus recuperat iura ſua. Atqui, ſi in ciuitate manſiſſet, potuiſſet vxor ab eo ſuo iure diuertere. Ergo etiam poterit, poſtquam rediit.

§. 10.

num. 1. Vidimus hactenus, quid ſit *ius poſtliminii*, quibus in rebus et perſonis locum, quaeque effecta habeat: iam quaeritur, *ſitne iuris gentium, an iuris ciuilis?*

Diſtinguit Grotius inter *ius poſtliminii* ipſum, et eius limitationem.

Ius ipſum poſtliminii eſt iuris gentium, id eſt, vt nos interpretamur, moribus omnium gentium moratiorum receptum.

Omni-

Omnibus enim viſa ſunt corpora libera in ſeruitutem per captiuitatem detenſa recuperare priſtinam libertatem, ſi ad fines patriae rediiſſent.

Sed ius ciuile aliquid et detrahit et addit huic communi omnium gentium principio.

1. Detrahit aliquid, dum hoc iure excludit.

a) Transfugas, in poenam. Nec enim digni erant beneficio rei publicae qui rem publicam deſeruerant. *L.* 19. §. 4. *D. de capt. et poſtl.* Nec intererat, transfuga eſſet ſui iuris an filius familias; nam nec hic reuerſus in patriam poteſtatem redibat, quia hoſtis erat rei publicae, et diſciplina caſtrorum antiquior eſſe debebat parentibus Romanis quam liberorum caritas. *L.* 19. §. 7. *eod.*

b) Redemtos ab hoſtibus, qui non prius iure ciuili priſtinam *num.* 2.
libertatem recuperant, quam λύτρον ei, qui ſe redemit, reſtituerint, ſed illi interea ſeruire tenentur. Sed id 1. introductum, vt eo faciliores eſſent ad redimendos captiuos, ſi ſcirent, ſe pecuniam non amittere. 2. Seruitus haec fuit moderatior, quam aliorum ſeruorum, quia erant ſtatu liberi. 3. Ex *L. vlt. C. de poſtl. reu. redemt.* durat quinquennium. 4. Amittitur, ſi forte durius habeat redimens redemtum. Quae leges tamen non ſunt Iuſtiniani, ſed Honorii et Theodoſii.

2. Augent etiam Leges ciuiles *ius poſtliminii*, prout iure gentium receptum eſt, eique aliquid addunt,

a) Dum illud, quod apud gentes de perſonis ſtatutum, pro- *num.* 3.
ducunt ad res poſtliminio receptas.

b) Dum fingunt, numquam illum in captiuitate fuiſſe. Fictiones enim non ſunt iuris gentium, ſed ciuilis. Vid. Ant. Dadiv. Altesekra *de fictionibus iuris.*

c) Dum ex hac fictione colligunt, recuperari non ſolum iura quae iam illo tempore, quo reuertantur, ſuperſint, ſed et quae antea habuerint, cum caperentur, e. g. bona vſucapta.

d) Dum lege Cornelia nouam fictionem inuexit, fingens, eos, qui in captiuitate deceſſerint, in ciuitate mortuos eſſe. Inde enim collegerunt, bona et iura eius deuolui in ſucceſſores, ſiue teſtamentum exſtet ante captiuitatem conditum, ſiue ab inteſtato ſuccedere velint.

Haec omnia ex iure ciuili eſſe, nemo non videt.

§. 11.

§. 11.

num. 1. Iam ad res ſingulas progreditur auctor, et quaerit, *in quibus locum habeat ius poſtliminii, et quatenus illi locus ſit?*

1. Quaerit de *ſeruis* et *ancillis*. Serui iure Romano erant res. Res ad nos reuerſae in dominium redeunt. Ergo et ſerui. Nec obſtat

a) Eos ab hoſte fuiſſe alienatos. Emtores enim aliud ius habere nequeunt, quam quod venditores in eos transferunt. Atqui ſi in poteſtate hoſtium manſiſſent, locus fuiſſet *iuri poſtliminii*. Ergo etiam ei locus eſt, ſi ſunt alienati.

b) Eos eſſe manumiſſos. Illa enim manumiſſio effectum habet ratione manumittentium hoſtium, non ratione prioris domini, qui merito nullum iudicat; quidquid hoſtis fecit in re ſua.

num. 2. c) Seruos ad hoſtes transfugiſſe. *L. 19. §. 8. D. de capt. et poſtl.* Quamuis enim 1. aliud obtineat in filiofam. ratio tamen differentiae in promtu eſt. Nam filiusfam. eſt membrum rei publicae, adeoque transfugiens hoſtilem animum declarat, adeoque indignus fit beneficio. Seruus contra eſt res. 2. Filiusfam. ſi *iure poſtliminii* vtitur, beneficio fruitur; ſeruus autem reuerſus nullum capit beneficium, (fit enim ſeruus) ſed domini eſt hoc beneficium.

num. 3. d) Seruos ab alio eſſe redemtos quam a domino. Nam et hic redimens tamdiu ſeruum poſſidet, donec ei pretium a domino fuerit reſtitutum.

§. 12.

2. Quaeritur *de populis in ſeruitutem retractis, an ii iura recuperent priora iure poſtliminii?*

Diſtingu. an prior princeps eos receperit, vti Hungaros imperator tamquam rex Hungariae ſenſim e Turcarum poteſtate liberauit: et tunc in recuperantis principis poteſtatem redeunt, et merito iura ſua recuperant, niſi ſua culpa in hoſtium poteſtatem peruenerint.

An vero tertius eos receperit, veluti imperator Siciliam a Duce Sabaudiae amiſſam. Tunc ſocius illam recipiens debet diſpicere, quid leges ſocietatis vel foederis exigant. Si enim ita cautum eſt, vt prouinciae receptae priori domino reſtituantur, iis parendum eſt. Sin minus, eas retinet ſocius victor, donec

donec ſibi de ſumtibus ſatisfactum ſit. Hinc facile redditur ratio, cur Angli et Belgae Brabantiam, Flandriam, Hannouiam reſtituerint imperatori; imperator autem Siciliam non reſtituerit Sabaudo, ſed ſibi eam retinuerit.

§. 13.

Quaeritur 3. *de agris, qui iure poſtliminii omnino a priore domino recipiuntur, ſimul ac hoſtes expulſi.* num. 1.

Hic ergo ager rediiſſe fingitur ad fines noſtros, ſi expulſis hoſtibus fines vltra agros occupatos protulimus. Nobile eſt exemplum Iuſtiniani imperatoris qui, pulſis ex Italia Gothis agros a Gothis poſſeſſos prioribus dominis addixit, quamuis per plures quam centum annos eos poſſediſſent hoſtes.

Ex eo autem ſequitur, vt et iura rebus iſtis vel agris inhaerentia ſimul redeant ad priorem dominum. Hinc reuiuiſcunt ſeruitutes, vſusfructus, pignoris ius. num. 2.

Ratio eſt, 1. quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. 2. Quia iure poſtliminii res in priorem ſtatum redit. 3. Quia fingitur rem numquam in hoſtium poteſtate fuiſſe.

§. 14. 15.

Quaeritur *de rebus mobilibus, an et in iis locus ſit iuri poſtliminii?* Hic Grotius tempora diſtinguit. num. 1.

Iure veteri diſtinguebatur inter res, quae ad bellum pertinent, et aliam ſupellectilem, quam in caſtris vel in vrbibus occupatis hoſtis abſtulit.

De poſterioribus negabatur, quod poſtliminii ius habeant. Hinc capta hoſti tamquam praeda adquirebantur, ab hoſtibus vendita emtoribus adquirebantur. A militibus noſtris recuperata non praeciſe priori domino reſtituuntur, ſed tamquam praeda vel imperantibus ceduntur, vel diuiduntur inter milites.

Circa res bello deſtinatas diſtinguebatur inter res maioris et minoris momenti. Maioris momenti ſunt naues bellicae, tormenta, equi; minoris arma et veſtes. Illae redibant ad priorem dominum. Hae minime. Ratio differentiae erat, quod fauore indigni videbantur, qui arma vel abiecerant, vel ea hoſti reliquerant. num. 2.

At quod ad ius nouum attinet, illud vix diſtinguit eo modo. Immo multis legibus plane aliud cautum, vt omnes res

mobiles iure poſtliminii deſtituantur etiam naues. Conſtitutiones Genuenſium et aliorum populorum maritimorum reperiuntur in libro quantumuis pretii, qui vocatus Conſulatus maris.

§. 16.

Iam ſequuntur quaedam exceptiones. Nimirum, 1. *res hoſti, antequam in praeſidium eius peruenerint, ereptae, redeunt quidem ad priorem dominum, ſed non iure poſtliminii.*

Ratio haec eſt. Quaecumque nondum ab hoſte in praeſidia ſua adducta ſunt, illa ne capta quidem intelliguntur. Quae capta non ſunt, ea nec e dominio prioris poſſeſſoris exciderunt. Quae non exciderunt ex dominio prioris poſſeſſoris, ea nec poſtliminio indigent.

2. *Res a latronibus et piratis ereptae et recuperatae ad priorem dominium redeunt ſine iure poſtliminii.*

Ratio eſt, quia piratae et latrones non gaudent iure belli; ergo nec bello adquirunt. Ergo, quibus a latronibus vel piratis aliquid receptum, non magis indigent iure poſtliminii, quam ii, qui res furtiuas ſibi tamquam ſuas vindicant.

§. 17.

Attamen et hic ius ciuile poteſt aliud ſtatuere. Exemplum attulit Grotius ex legibus Hiſpanicis, quae naues piratis ereptas non addicunt priori domino, ſed capienti.

Similem Venetorum legem in annotatione ſubiecta recenſet ipſe Grotius.

Atqui videri hoc poſſet iniquum. Cur ergo id inuexere leges nauticae? Reſp. vt eo magis omnes incitentur ad perſequendos piratas, ſi videant, ſibi praedam adiudicatam iri. Sane is cui nauis erepta eſt, plerumque non poteſt piratam perſequi. Alii id nollent, ſi praedam domino reſtituere teneantur, et ſic in tuto futura eſſet piratarum fortuna.

§. 18.

num. 1. Sub finem duplicem adhuc obſeruationem ſubnectit Grotius, nempe I. *quod olim poſtliminii ius inter Romanos et externos populos, quamuis non hoſtes, locum habuerit*, e. g. Romanus naufragium faciebat in littore gentis exterae, non hoſtis. Homines nihilominus in poteſtatem gentis iſtius perueniſſe videbantur; aeque

aeque ac res naufragorum. Si ſe in libertatem vindicaſſent, et ad fines redirent, iure poſtliminii gaudebant.

Quaenam ratio? Grotius eam deducit a priſtina conditione Nomadum, populorum vagorum et incertae ſedis, qui ſibi in omnes peregrinos aliquid licere exiſtimabant. Ergo hoſtes et peregrini olim parum differebant, quamuis nullum ferueret bellum. Et iam a Cicerone aliiſque obſeruatum eſt, hoſtem olim dictum, qui nunc peregrinus, veluti in 12. tabulis. *Aduerſus hoſtem aeterna auctoritas eſto.*

II. *Quod poſtliminii ius etiam eſſet inter foederatos, ſi ex iis aliquis apud nos ſeruiiſſet, et domum rediiſſet.* Sic ſane cenſet AELIVS *L.* 7. *D. de capt. et poſtlim.* ſed diſſentit CICERO *de orat. l.* 1. nu. 2. 3.

Grotius diſtinguit foedera, an tantum veluti inducias contineant, qualia ſaepe, ſuperiore ſaeculo intercedebant inter imperatorem et Turcas, an perfectam pacem intendant, ita vt gens cum gente tuto negotiari poſſit, quale foedus iam eſt inter imperatorem et Turcas.

Priore caſu locum habet *ius poſtliminii*, quia qui ſine fide publica (*paſſeport*) ad gentem illam proficiſcitur, in captiuitatem redigi ſolet. Poſteriore ceſſat, quia ipſum ceſſat ius capiendi. Et iam intelligimus *L.* 5. *§.* 2. *D. de capt. et poſtlim.*

§. 19.

Sed quaeritur, *an haec iura* poſtrema *§.* recenſita *etiamnum recepta ſint?* Reſp. diſtinguendum eſſe, quali cum gente nobis res ſit.

Inter gentes humaniores tempore pacis ceſſat captiuitas: quod et Mahomedani hodie obſeruare ſolent. Ergo nec opus eſt iure poſtliminii.

At barbarae nationes aduerſus peregrinos, etiam non hoſtes, omnia ſibi indulgent. Ergo et ſaepe in pace ius hoſpitalitatis violant, et peregrinos detrudunt in ſeruitutem. Quare his caſibus merito ſeruatur *ius poſtliminii.* Vtilis haec doctrina Belgis, qui ſaepe et pacis tempore ab Algirienſibus, Tunetanis, Tripolitanis, Indis et aliis Barbaris patiuntur iniuriam.

CAPVT X.

MONITA DE HIS, QVAE FIVNT IN BELLO INIVSTO.

§. 1.

num. 1. QVid *hoſti in hoſtem liceat* hactenus per partes oſtendimus. Sed quum Grotius eam imbiberit ſententiam, quod haec omnia permiſſa ſint iure tantum externo, non interno: haec paullo adcuratius iam explicare, et exceptiones ac temperamenta quaedam commendare conatur iuris tam rigidi. Ergo hoc capite

1. Exponit, *quid pudor vetet vel permittat in bello?* §. 1. 2.
2. *Quid in bello iniuſto fieri poſſit vel non poſſit?* §. 3. fin.
3. De reliquis iuribus temperamenta quaedam commendat capitibus ſequentibus.

num. 2. 3. Aliud *leges*, aliud *pudor* prohibet. *Leges* quod prohibent, illud dicitur *iniuſtum*: *pudor* quod prohibet, *inhoneſtum* vel *indecorum* adpellatur. Si quis contra ſanctionem legis facit, is punitur; qui contra pudorem, non punitur, ſed improbus habetur. Leges enim improbos, pudor tantum viros bonos coercet. Poteſt id illuſtrari exemplo pactorum, fideicommiſſorum, quae ius ciuile permittebat violari, at non pudor et honeſtas.

Et hinc eſt quod Seneca *lib. I. de ira c.* 7. diſtinguat inter viros ad legem bonos, et vere bonos, inter ius ad officium, inter ea quae virtus exigit, et quae publicae exigunt tabulae. Priora ad iuſtitiam, poſteriora ad pudorem et honeſtatem pertinent.

§. 2.

num. 1. Iam haec applicat bello, et demonſtrat, hanc diſtinctionem etiam in bello obtinere. Nimirum ius ſtrictum et leges permittunt omnia in infinitum aduerſus hoſtes: non autem idem permittit pudor et honeſtas. Id variis teſtimoniis demonſtrat Grotius veluti Senatus Romani in cauſſa Marcelli. Hic Syracuſas deſtruxerat. Syracuſani de crudelitate eius conquerebantur. Senatus

natus rem putabat cognitione dignam. Marcellus ſe iure belli defendebat. Non autem eam exceptionem admittebat ſenatus; nec putabat tantum inquirendum, quid iure belli liceret, ſed quid victi pati meriti. Alia addit teſtimonia Ariſtotelis, et Thucydidis, quae eodem fere redeunt.

Sed et ad ICtos prouocat, qui ideo captiuitatem bellicam *num.* 2. modo ius vocant, modo iniuriam, *L.* 19. *pr. D. de capt. et poſtl.* Eodem modo loquuntur Liuius, Dio Chryſoſtomus, Lactantius. Quaeritur ergo, quid de hac doctrina ſentiendum? Reſp. negamus nos, ius belli tantum eſſe externum, non internum. Et iam ſupra oſtendimus, haec ſi vera eſſent, tunc neminem ſalua iuſtitia bello interfuturum. Immo ne ſalua quidem conſcientia quemquam tunc bella geſturum, quum tamen et ius naturae bella confirmet, et ipſe Deus tamquam ſummus Iudaeorum imperans bella geſſerit.

Sed tamen vera eſt altera Grotii diſtinctio. *Nec negari poteſt, aliud prohibere leges, aliud pudorem, etiam in bello.* Sic, e. g. *leges* permittunt, vt victos ſpoliemus, vt eos vita iuribuſque priuemus: ſed *pudor* tamen vetat ſaeuire in eos, qui arma nec geſſerunt aduerſus nos, nec gerent vnquam, e. g. feminas, infantes. *Pudor* vetat ſine neceſſitate obtruncare ciues victos; incendere vrbes et aedificia, vaſtare terras, victos omnes in ſeruitutem abripere. Et hinc veteres gentes, quae ſibi haec omnia in victos permiſerunt, non quidem iniuſti fuerunt, ſed tamen aduerſus pudorem et honeſtatem peccarunt.

§. 3.

Iam ad *bellum iniuſtum*, vbi quaeritur, *quae hoſti in hoſtem liceant in bello iniuſto?*

Reſpondemus cum Grotio nihil. Sed ante omnia hic videndum; quid ſit *bellum iniuſtum?* Bellum dicitur *iniuſtum* vel ratione cauſſae, quia nulla adeſt cauſſa ad bellum ſufficiens, ſed bellum tantum geritur ex ambitione, libidine: vel ratione perſonarum, quia qui gerunt, non gaudent iure gerendi bellum, e. g. ſubditi, vel ratione modi, quia ita geritur, vt non ſatis humanitatis rationem habeant victores, vel ratione ſollemnitatum, quia non eſt indictum. Nos hic *bellum iniuſtum* accipimus in duabus prioribus ſignificationibus. Nam quod ad tertiam attinet, vi-

 ctor,

ctor, qui paullo durius conſulit in victos, non contra iuſtitiam, ſed contra honeſtatem peccat. Et poſtrema iniuſtitia plane tantum ex decoro eſt, non ex iuſto.

At qui bellum gerunt ſine cauſſa, vel quum ſint perſonae, quae iure belli non gaudeant, de iis obſeruanda regula: iis nihil in hoſtes licere. Vbi enim ceſſat cauſſa, ibi et effectus ceſſat. Atqui hic ceſſat cauſſa, bellum, (id nomen enim non meretur huius modi concertatio,) ergo et belli effectus ceſſant.

§. 4.

Iam videbimus conſectaria ex hoc principio fluentia, quorum 1. eſt, quod *ad reſtitutionem omnium obligentur tam iniuſti bellatores.* Ratio in promtu eſt. Vbicumque quis extra bellum alterum laedit et damno adficit, ibi committitur delictum. Hic vero vbi *iuſſu* bellum non geritur, aliquis extra bellum alterum laedit, et damno afficit, ergo delinquit. At ex delicto omni obligatio et ad poenam et reſtitutionem naſcitur, ergo et ex hoc.

Quomodo tenentur autem? Ratione perſonarum omnes duces aeque ac milites, illi, quatenus iuſſerunt: hi ex ipſo damno dato, et quidem, ſi actus ſit diuiduus ſinguli pro rata, ſi indiuiduus in ſolidum, quod ex natura damni dati fluit.

§. 5.

num. 1. *Reſtitutio* vero *damni, quum vel aeſtimatione praeſtita fieri poſſit, vel ipſa re reddita in ſpecie,* quaeritur *an praeciſe poſterior requiratur, ſi res bello iniuſto captae vel corruptae?* Adfirmat Grotius, modo culpa adſit. Caſum enim nemo praeſtat, de dolo nemo dubitat. Id fluit 1. ex natura damni iniuria dati, vnde et culpam leuiſſimam vindicat lex Aquillia. 2. Quia id gentes inter ſe ſeruant, inter quas plerumque reſtitutio exigitur eorum, quae bello iniuſto abrepta. Idque exemplo Samnitium probat Grotius.

num. 2. 3. Id illuſtratur exemplo contractus, vbi inaequalitas eſt; quae ſi enormis ſit, datur remedium ex *l. 2. C. de reſc. vendit.* et contractus reſcinditur. Si id in contractu obtinet ex aequitate: quanto magis in bello iniuſto, id eſt in delicto, vt alter alteri reſarciat damnum, culpa ſua tam iniuſte datum?

Obiicitur, gentem, dum cum altera bellum iniuſtum ſuſcipit et

ei illatum propulſat, videri donaſſe res bello captas. Sed abſurda ſane obiectio. Sic donatio enim haec vel expreſſa eſt, vel tacita, vel praeſumta. Non expreſſa, quia numquam hoſtis hoſti declarat, ſe ipſi, quae capturus ſit, donare; nec tacita, quia ſigna nulla adſunt, ex quibus colligatur huius modi donatio. Nam hoſtis potius hoſti praedam agenti reſiſtit, eamque recuperare ſtudet. Non denique praeſumta: quia donatio numquam praeſumitur. Nemo praeſumitur ſuum iactare, inquit lex etiam ciuilis.

§. 6.

Sed difficilior eſt quaeſtio, *an et is teneatur, qui praedam* *num.*
non ipſe hoſti ſurripuit, ſed detinet tamen? Reſp. aut quaeritur an teneatur ad reſtitutionem ex delicto, an ex alio fundamento? Non tenetur ex delicto, quia ipſe nec bellum geſſit, nec damnum dedit, ſed rem ab alio iuſto forte titulo adquiſiuit. Sed ex alio tamen fundamento tenetur. Et ex quo vero? Quia poſſidet rem alienam. Qui praedam hoſti bello iniuſto extorſit, non factus eſt dominus, per §. 2. Ergo et dominium in alium nullo titulo transferre potuit. Si dominium non translatum eſt, poſſidens vero domino vindicanti tenetur ad reſtitutionem.

Ex quo conſequitur, vt eodem iure vtatur hic poſſeſſor re- *num. 2.*
ſtituens, quo vtitur is a quo res euincitur. 1. Quemadmodum enim hic vindicanti tenetur rem reſtituere cum fructibus exſtantibus, ſed non cum perceptis, ita et hic qui praedam poſſidet, modo in bona fide ſit. 2. Quemadmodum poſſeſſor, a quo res euincitur, iure ſuo impenſas in rem euictam factas exigit, ita et poſſeſſor praedae. 3. Quemadmodum qui rem alienam bona fide poſſedit, plane non tenetur, ſi ea vel caſu apud ſe perierit, vel ſi ſine dolo malo alienata ſit, in tantum dumtaxat, in quantum factus eſt locupletior. Ita idem obtinebit in eo, qui praedam iuſto titulo adquiſiuit, et bona fide.

CAPVT

CAPVT XI.

TEMPERAMENTVM CIRCA IVS INTERFICIENDI IN BELLO IVSTO.

§. 1.

num. 1. 2. HActenus de *bello iniuſto*: iam *de iuſto*, de quo docet
1. *Non omnia licere ſecundum iuſtitiam internam.* §. 1.
2. *Quinam occidi poſſint?* §. 2.
3. *Quibus honeſtas parcere iubeat?* §. 3. fin.

I. *Non omnia* etiam *in bello iuſto licere* victoribus, variis veterum teſtimoniis probat auctor. Nos argumenta quaerimus: 1. Quia res publica tota conſideratur quidem tamquam vna perſona,* ſed illa conſideratio eſt fictio. Non autem poſſumus occidere, quos nobis fingimus hoſtes, quum non ſint, vt infantes, feminas, cet. 2. Quia quod iudicia ſunt in ciuitate, id bellum eſt in ſtatu naturali. Quemadmodum ergo in illa iudex modum puniendo excedens peccat: ita et in hac victor, ſi modum excedet ſaeuiendo. 3. Quia non ſemper vincit, cui cauſſa eſt iuſtiſſima. Ergo vinci eſt infortunium, ob infortunium poenas dare nemo debet.

§. 2.

II. *Quis occidi poteſt ſalua conſcientia?* Reſp. Grotius, is, qui deliquit. Sed id nihili. Nititur enim falſa hypotheſi, quam ſuperiore libro deſtruximus, quod bellum in poenam geri poſſit.

Nos potius ita ratiocinamur. Bellum geritur vel defenſionis vel iuris ſui repetendi cauſſa. Quicumque ergo nobis periculum intentat, vel vi prohibet nos, quo minus noſtra repetere poſſimus, is occidi poteſt iure defenſionis. Inde ſequitur, vt occidi poſſint,

1. Milites et duces hoſtium, quamdiu aduerſus nos pugnant, non ſi deditionem fecerunt.

2. Qui hoſtium exercitus, claſſes, caſtra ſequuntur, quamuis non ſint milites, vt miniſtri eccleſiae, medici, chirurgi, tympanotribae, tubicines, calones. Hos enim diſtinguere a militibus

litibus inter praeliandum vix poſſumus. Si tamen agnoſcuntur, ſeruandi ſunt.

§. 3.

III. Vidimus *qui occidi poſſint*, iam *qui non poſſint*? Grotius eximit I. *eos, qui coacti ſequuntur.* 1. Quia hi nihil peccent, adeoque ob ſolum infortunium puniri nequeant. Tales ſunt ab hoſtibus noſtris oppreſſi. Sic Romani obſidebant Athenas, quum Athenienſes eſſent Romanis amiciſſimi. Tenebantur autem a Mithridate, hoſte Romanorum. An non iniuriam feciſſent Athenienſibus, ſi eos occidiſſent?

2. Quia ſub aliena poteſtate ſunt, non agunt ſuo arbitrio, ſed iuſſu et coactione domini, ſaepe inuiti. Qui vero non ſuo arbitrio aliquid agit, non eſt auctor actionis, ergo nec poteſt poena affici. Id quod *hoc n.* 2. multis exemplis et teſtimoniis probat Grotius. *num.* 2.

Sed in eo cum Grotio facimus quidem, quod his hominibus, qui inuiti hoſtem ſequuntur, parcendum ſit, ſi id fieri poſſit commode. Sed Grotii rationes non ſufficiunt, quia ſemper bellum ſibi tamquam poenam concipit.

Nos dicimus. Qui nos occidere vult, eum anteuertere poſſumus, ſiue delictum in eo ſit, ſiue non, e. g. ſi aggreſſor meus ſit furioſus. Ergo hoſtes occidere poſſum, ſiue inuito ſiue ſponte me occidere tentent, et exercitum hoſtilem ſequantur. Si autem conſtet eos inuitos id agere, parcere poſſum; ſi iam victoriam reportaui, non in ipſo praelio.

§. 4.

Hinc facile patet nullius hic momenti eſſe tractatum huius prolixiſſimae §. de variis delinquendi modis. *Alia*, inquit, *committuntur ab inuitis, tunc non delictum eſt, ſed infortunium; alia a volentibus et ſcientibus, et tunc dicitur iniuria vel delictum, maleficium, cet. In aliis voluntas eſt mixta et auctor actionis nec ſciens et volens, nec plane ignorans dici poteſt.* Et id Ariſtoteles vocat ἁμάρτημα, peccatum. Id prolixo loco ex Ariſtotele illuſtrat Grotius. Nos tantum exempla quaedam ex eo et interpretibus eiuſdem adiiciemus. Si quis fame vrgetur, vt aliquid ſurripiat eſculentum, tunc id fit ab inuito, ſine propoſito peccandi, quamuis ſciat, ſe ſurripere rem alienam. Ergo eſt actio mixta. Si quis oſtium aperit, et patrem pene ad- *num.* 1. *n.* 2. 3. 4.

ſtantem laedit, actio eſt inuita, quia nec ſciuit, nec voluit; adeoque infortunium. Si quis furtum deliberato animo facit, eſt verum delictum.

num. 6. Hanc differentiam etiam agnoſcunt leges noſtrae, *L. de poen. Delinquitur aut propoſito*, (en delictum, vt latrones qui factionem habent,) *aut impetu*, (per actionem mixtam, e. g. per ebrietatem:) *aut caſu*, per infortunium, e. g. ſi telum venandi cauſſa emiſſum feriat hominem.

Quae caſu fiunt non ſunt delicta; quae impetu leuiora, quae propoſito grauiſſima.

num. 7. Diximus, quae impetu *leuiora* eſſe. Rationes ſunt 1. quia hic non eſt conſilium, ſed culpa. 2. Quia ea delicta quodammodo excuſat neceſſitas, cui natura humana non ſemper reſiſtere poteſt. Id quod variis teſtimoniis illuſtrat Grotius.

num. 8. Haec omnia recte, ſed quid ad rem? Inde ergo iam concludit Grotius, *occidere licere eos, qui ſponte arma corripiunt, non eos qui inuiti*. Hinc laudat Themiſtium, qui ducem expendere iubet, quid diſtent *iniuria*, *culpa* et *infortunium*. Hinc laudat Titum imperatorem, qui victis Iudaeis in criminis duces animaduertit re ipſa, in multitudinem verbis tantum. Hinc denique laudat Val. Flacci teſtimonium, vbi victor idem obſeruaſſe diſcrimen fingitur.

Haec omnia probanda, excepta vna hypotheſi, quod victor poenas ſumat a victis.

§. 5.

Parcendum II. *multitudini*, 1. quia ſaepe inuita bellum ſequitur. 2. Quia illa raro diiudicare poteſt belli iuſtitiam vel iniuſtitiam, ſed ea in re imperantis iudicium ſequitur.

Ita Grotius denuo ex hypotheſi. Nos diſtinguimus, an multitudo illa aduerſus nos pugnet, an non. Si prius, occidi poſſunt, non quia peccant, ſed quia nobis ius eſt defenſionis. Si non pugnant, ſed victoriam iam reportauimus, tunc parcendum iis dicimus, 1. quia infortunium miſeratione dignum, 2. quia iam nobis nullum ius defendendi, vbi nemo oppugnat, 3. quia et victor contra vtilitatem propriam ageret, ſi multitudinem victam occideret. Quis erit tunc, cui victor imperet?

§. 6.

§. 6.

Parcendum III. *iis quibus probabilis fuit arma arripiendi cauſſa.* Nam 1. difficile eſt diiudicare, vter hoſtium iuſta cauſſa vtatur? 2. Numquam principi deeſt color, quo cauſſam ſuam incruſtet. 3. Errantes non merentur poenam. Hic denuo vberrima ſeges teſtimoniorum veterum, ſed quae nil probant, ſed illuſtrant. nu. 1. 2, 3.

Nos rem ipſam probamus, quia errare humanum eſt, ſed rationes, quibus Grotius vtitur, non omnes admittimus, quia ius occidendi hoſtem non ex delicto eius eſt, ſed ex iure me defendendi.

§. 7.

Parcendum ſaepe IIII. *ipſis nocentibus ex humanitate, modeſtia, magnitudine animi.* 1. Virtutes enim hae in victore maxime laudantur. 2. Pulcrum eſt ſe ipſum vincere. 3. Quia ſemper cogitandum, quam lubrico folio inſiſtat fortuna, et quam facile eadem nobis contingere poſſint. Nota ſunt hanc in rem exempla Adonibeſek, Craeſi, et aliorum.

Ea occaſione merito inuehitur in Romanos, qui captiuos reges bellique duces occidere ſolebant, poſtquam eos duxerant in triumpho. Iſte mos nec moraliter nec politice bonus. Non moraliter, quia repugnat clementiae, humanitati, non politicae, quia intereſt omnium ciuitatum, imperantes etiam hoſtes ſacroſanctos haberi, et tam contumelioſe non tractari, vt taceamus, eius modi morem hoſtes abſterrere a deditione. Quis enim rex tam ignauus eſſet, vt non ad extremum halitum mallet pugnare, quam a carnifice mactari?

Inde ergo recte colligit Grotius, *laudandam* etiam *in victore clementiam*. Pertinet huc inſignis Ciceronis oratio pro M. Marcello, vbi eleganter docet, Caeſarem hoſtibus parcendo maiorem conſequutum gloriam, quam tot victoriis; et Xenophontis Cyropoedia, vbi docet, Cyrum tot Aſiae prouincias non tam victoriis, quam clementia occupaſſe. num. 4.

§. 8.

Danda V. *opera, ne innoxii homines occidantur caſu.* Hinc 1. inculcandum militibus, vt inermibus parcant. Caeſaris vox nota: *Miles parce ciuibus.* 1. Non temere et praeter neceſſitatem

iis vtendum mediis, e quibus innoxiis et nocentibus eadem immineat pernicies, e. g. venenо inficiendo fontes, cet. 2. Diſciplina militaris ſtricte obſeruanda, ne impune milites caedes, latrocinia, furta committere poſſint.

§. 9.

num. 1. Iam vt ad ſpecialia perueniamus, *parcendum erit* VI. *pueris et infantibus*, 1. quia iſti infra iram ſunt, quia Deus ipſe in bellis iis parcere iuſſit, *Deut.* 20, 14.

2. Obiici huic rationi poſſet *Num.* 31. vbi ne infantibus quidem parci vult Deus. Sed reſp. Deus ſupremus arbiter vitae noſtrae eſt, adeoque non eſt quaeſtio, quid ipſe poſſit, ſed quid hominibus promiſerit. Gentes illas idololatricas internecioni deſtinauerat.

num. 2. 3. Quia ipſe Deus miſertus infantum. *Ionae* 4, 2.

4. Quod ius in hoſtes, vt diximus, deſcendit ex iure defenſionis, defenſio ex offenſione imminente. Iam vero pueri et infantes nec volunt nec poſſunt nos offendere. Elegans dictum Camilli apud LIV. quum ludi magiſter pueros Faliſcorum in caſtra eduxiſſet: *Non aduerſus eam aetatem*, cet.

nu. 3. 4. VII. *Parcendum etiam feminis*, ob eaſdem rationes, 1. quia minus generoſum, cum imbelli ſexu bellum gerere, 2. quia ipſe Deus *Deut.* 20, 14. iis parcere iuſſit, 3. quia ordinario non arma aduerſus nos gerunt.

Et hinc omnino ceſſat haec regula, ſi ipſae virilia officia vſurpent, et armis ſe tueantur, veluti Amazones, et vt ſaepe feminae faciunt in vrbibus obſeſſis. Tamen et hoc caſu, quia de ſalute ſua ſollicitae id agunt, parcendum iis eſt, parta victoria, quamuis aegre ferre non debeant ſi inter praeliandum occidantur.

§. 10.

num. 1. *Parcendum* VIII. *et iis, quorum genus vitae ab armis abhorret.* Quum enim defenſio ceſſet, vbi offenſio non metuitur, quis ferret ſaeuitiam in eos, qui de armis capiendis numquam cogitarunt. Tales ſunt,

1. Qui ſacra obeunt a quorum ſanguine et feroces gentes abſtinere conſueuerunt, veluti Philiſtaei. 1. *Sam.* 10, 5. Cretenſes, PLVTARCH. in *quaeſt. graec.*

2. Viri litterati.

3. Mo-

3. Monachi, et poenitentes. Hi omnes enim abhorrent ab armis, nec ea hoſtibus obuertere ſolent ordinario. *num.* 2.

Dico *ordinario*. Nam ſi et ea in re leges et conſuetudines ordinis ſui violent, inter praeliandum iure occiduntur. Non ignota ſunt exempla epiſcoporum et cardinalium, qui ordines duxerunt in bello, de quibus ſingularis exſtat, et perelegans tractatus Casp. Ziegleri, ſub titulo *Clericus Miles*, item *Clericus Percuſſor*.

§. 11.

Parcendum porro VIIII. *agricolis*. 1. Quia hi ob genus vitae innoxium et ſimplicitatem raro diſtinguere poſſunt iuſtitiam vel iniuſtitiam belli, 2. Quia intereſt rei publicae ne agri inculti maneant et ſilueſcant, id quod contingere oporteret, ſi occiderentur a victoribus.

Et hinc plerumque honeſtiores gentes in bellis proponere ſolent edicta, quibus ruſticos fugientes domum reuocant promiſſa ſecuritate, additiſque minis de incendendis eorum pagis, niſi reuertantur.

Sed et hic tamen eadem locum inuenit exceptio, ſi armati aduerſus nos procedant, tunc enim in praelio ſalua conſcientia occidi poſſunt. Poſt victoriam iis parcendum.

§. 12.

Idem dicendum X. *de mercatoribus*. Ii duplices ſunt, vel enim caſtra ſequuntur, qui vocantur *marquetainers*. Iſti ſi inter praelium occidantur, id ſibi imputare debent, maxime quum plerumque ſint milites, vel ſaltim ab iis tam accurate diſcerni nequeant, vel vitam ſtabilem in vrbibus et emporiis agant. His parcendum, 1. quia ab armis alieni, 2. quia aliis magis expoſiti forent militum iniuriis ob diuitias, quas poſſidere ſolent, 3. quia intereſt rei publicae vt commercia non peſſumdentur, quo ſemel facto non facile ad priſtinum florem redeunt.

§. 13.

Hactenus actum de illis, qui non nocuerunt: iam vero pergimus ad *eos, qui arma geſſerunt*, inter quos praecipui ſunt *captiui*. Quaeritur itaque, *an eos occidere poſſimus ſalua honeſtate?* Dicimus *ſalua honeſtate*. Nam quid ius ſtrictum permittat, ſupra vidimus. *num.* 1. 2. 3.

Et primo quidem obſeruat Grotius, *omnes gentes honeſtiores abſtinuiſſe ab occidendis captiuis.* Inter Graecos eminent exempla Pyrrhi et Alexandri M. qui ſe negabant bellum cum captiuis gerere; Ageſilai, qui captiuos, non tamquam ſontes puniendos, ſed tamquam homines cuſtodiendos dicebat.

De Romanis exſtant exempla innumera. Et laudat Tacitus duces Veſpaſiani, qui vltra aciem non ſaeuiebant.

De Ebraeis notabilis eſt quaeſtio Eliſaei prophetae, 2. *Reg.* 2. *an tu, quos captiuos gladio tuo et arcu tuo abduceres, interimeres?* Talis eſt poene omnium gentium humaniorum perſuaſio.

§. 14.

Inde ergo ſequitur, 1. *vt recipi debeant, qui ſe dedere cupiunt*, 1. quia ſic finem ſuum ſine ſanguine adſequitur victor, 2. quia poenitentia et in hoſte veniam meretur, 3. quia ſic ceſſat offenſio; ergo et defenſio, quia hanc regulam gentes moratiores omnes probarunt.

num. 2. Quaeritur, *an idem in expugnatione vrbium obſeruandum?* Pleraeque gentes olim diſtinguebant, an deditio ſtatim fiat, priusquam aries muros pulſaret, an poſtea. Priore caſu deditis parcebant, non item poſteriore.

Sed hodie diſtingui ſolet, an vrbs inſultu capiatur, an nondum factus inſultus. Nam hoc caſu deditio admittitur, ſed quo diutius ſe oppoſuerunt, eo duriores accipiunt conditiones, ſalua tamen deditis vita et libertate. Sin inſultus iam factus et expugnata vrbs, tunc non amplius de deditione cogitandum, ſed victoris eſt, leges dicere victis.

Enimuero et hic humanitas et honeſtas iubet abſtinere manus a victis, quibus ipſa fortuna ſat poenarum irrogat.

§. 15.

Quaeritur, *an occidi poſſint, qui ſe ſine conditione dediderunt?* Iure ſtricto eos occidi poſſe, ſupra dixerat Grotius, quia vita illis non promiſſa.

Sed aequius eſt, id negari. Nam qui deditos recipiunt, tacite iis vitam promittunt, adeoque ſi occidantur, id non ſolum honeſtati repugnat, ceu fatetur Grotius, quia vita illis non promiſſa, ſed et iuri. Quis enim eo fine ſe dederet, vt penes victorem velit eſſe arbitrium, velitne ſe mactare, an viuum

ſeruare?

ſeruare ? Quis non potius pugnans moreretur ? Si vero is finis non eſt ſe dedentium, ſed vt conſeruentur, ſane victor dum deditos recipit, in hunc finem videtur tacite conſenſiſſe.

§. 16.

Solent hic nonnulli, qui de iure belli ſcripſerunt, exceptio- *num.* 1.2.
nes quaſdam addere, quarum

1. Eſt, *ſi ius talionis vel vltionis id exigat:* e. g. *hoſtes deditios noſtros occiderunt, ergo et nos poſſumus.* Reſp. 1. non hic quaeri quid fiat, nec quid iure ſtrictiſſimo fieri poſſit, ſed quid honeſtas permittat. 2. Ius talionis locum tantum habere inter eaſdem perſonas. 3. Idem pertinere tantum ad delicta, de quibus in bello non eſt quaeſtio.

2. Excipiunt caſum, *ſi ex hac ſeueritate ingens vtilitas ſpere-* *num.* 3.
tur, veluti *ſi hoſtes terrore afficiuntur, vt eo facilius a noſtris manus abſtineant.*

Sed reſp. 1. non omne, quod vtile, honeſtum eſt. Vtilitas ius non tribuit occidendi, alias et latro excuſari poſſet. 2. Iſte terror hanc vtilitatem certe non promittit, ſed hoſtes ſaepe eo obſtinatiores facit.

3. Excipiunt, *qui obſtinatius in partes ſuas ferebantur.* Sed id *num.* 4.
quoque falſum, 1. quia cauſſae belli plerumque ſunt dubiae., 2. quia ignoſcendum naturali amori in patriam et principem vel rem publicam, 3. quia fides laudem potius meretur, quam ſupplicium.

4. *Si clades magna anteceſſerit; tunc enim dolorem excuſare* *num.* 5.
vltionem. Reſp. qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam. An iraſcemur hoſti, quod nobis cladem intulerit ? An ideo ſaeviemus in captiuos, quia nos paullo ante ſuccubuimus ? Siccine illi poenas dabunt ignauiae noſtrae, vel ſaltim infortunii.

§. 17.

Illuſtrat Grotius exemplo *delictorum.* Si multitudo delinquentium eſt nimia, parci illi ſolet. Et hinc ſi e. g. totae legiones peccarint, e. g. ſeditionem moliendo, decimus et viceſimus quiſque ſorte duci ſolet ad ſupplicium.

Si id in delictis fit, quanto magis in bello, vbi captiui nullius delicti rei ſunt ? An non ipſa multitudo iis eſſet praeſidio.

§. 18.

§. 18.

num. 1. Grauior eſt quaeſtio *de obſidibus*, *an ii occidi poſſint*? Obſides ſunt, qui veluti pignori dati ſunt in ſecuritatem pactorum. Iam veteres, ſi hoſtis pacta violaſſet, obſides occidebant. Id vero fieri iure poſſe recte negat Grotius.

1. Quia nemini eſt ius in vitam ſuam, adeoque et nemo ſe ea lege poteſt pignori dare, vt occidendi facultatem det hoſti.

2. Quia nemo poteſt ſupplicio adfici, niſi ob delictum proprium, quale hic nullum eſt.

nu. 2. 3. 3. Quia obſides plerumque inuiti dantur.

Obiiciunt cum Menochio, valere tamen huiusmodi conuentionem, ſi moribus confirmetur. Reſp. Mores rem in ſe iniuſtam iuſtam facere nequeunt, ſed tantum impunitatem tribuere, de qua iam non agitur.

§. 19.

Denique concludit Grotius, Chriſtianos decere ab omni inutili ſanguinis humani effuſione abhorrere. Et recte quidem, quia 1. ipſi Deo ſanguis humanus tam pretioſus eſt, 2. quia vita ſemel erepta reſtitui nequit, 3. quia caritas Chriſtianorum veluti propria eſſe debet. Caritas autem non ſaeuit, non iraſcitur, non occidit, maxime ſine ratione.

CAPVT XII.

TEMPERAMENTVM CIRCA VASTATIONEM ET SIMILIA.

§. 1.

num. 1. Vaſtatio veluti proprium belli effectum eſt. *Vaſtantur* vrbes, agri, prouinciae. Quaeritur *an iuſte?* Grotius oſtendit, non niſi tres eſſe cauſſas; ob quas excuſari poſſit rerum alienarum corruptio.

1. Neceſſitas, ipſo iure naturae conceſſa; e. g. ſi gladium adgreſſoris quis frangat, vel in amnem proiiciat.

2. Debi-

2. Debitum aliquod antecedens, in quod poſſet res perdita imputari, e. g. in repreſſaliis.

3. Delictum ob quod poena infligitur. Sed hic tamen proportionem aliquam inter delictum et poenam obſeruandam putat Grotius, quemadmodum in caſu reſtitutionem deberi exiſtimat. Neutrum recte, quia vbi delictum non eſt, reſtitutio ceſſat, et proportio inter poenam et delictum locum tantum habet inter perſonas diuerſas.

Hae ſunt cauſſae iuſtificae, ob quas res aliorum corrumpi poſſunt: ſequitur cauſſa impulſiua. Vbi regula: *Non debet quis ad id extremum prouolare, niſi vtilitas quaedam ſuadeat.* Talis eſt

1. Si videamus ea ratione bellum citius finitum iri.

2. Si res hoſti ſubtrahamus, quibus nos impugnare poſſet.

3. Si res ſeruari melioribus vſibus non poſſint, ſine periculo quod hoſtis eas occupaturus ſit.

Ergo non ferenda *vaſtatio* ex ſolo odio, crudelitate, et ſine omni ratione ſuſcepta.

§. 2.

Ex eo ergo deciditur quaeſtio, *quando abſtinendum ſit a vaſtatione*, de qua §. 2-7. Reſpondet Grotius, *excipiendos quoſdam caſus et quaſdam res*. Videbimus prius de *caſibus*. num.

Primus eſt, *ſi res nobis fructuoſa ſit, nec in hoſtis poteſtate.* Hinc abſtinere Deus iubet ab 1. arboribus frugiferis, agris frugiferis. Nam 1. iis hoſtis non fit fortior, 2. ita impugnamus poſteritatem, immo et 3. nos ipſos, ſi hoſtili terra potituri ſumus.

Eadem eſt ratio 2. animalium quorum in bello nullus vſus, 3. aedificiorum, 4. eſculentorum et potulentorum. Cui bono enim cum his bellum geramus? num. 2.

Sed tamen haec omnia tam crude non accipienda. Aut bellum gerimus, aut reportauimus victoriam. Si prius, tunc ſi videamus hoſtem arboribus, agris, animalibus frui, et inde victum et commeatum habere, vel aedificiis eum vti ad munitiones, quis neget ea exſcindi poſſe? Sane ne quidem tempore pacis obligor ad id, quod mihi nocet et alteri prodeſt, quanto minus in bello?

num. 3. 4. At ſi de victoria ſit quaeſtio, tunc facile largior, iniuſtiſſimam eſſe rerum hoſtilium deuaſtationem, 1. quia tunc nulla cogit neceſſitas, 2. nulla vtilitas ſuadet, 3. immo in nos ipſos tunc ſaeuimus, qui fructum iam ex rebus illis capere poſſemus poſt victoriam.

Obiiciunt hic denuo bella cum Cananaeis geſta, *Ioſ.* 6, 2. *Reg.* 3, 19. vbi Deus ipſas res corrumpi iuſſit. Sed quod ex ſupremo Dei in res omnes dominio fluit, id ad homines non poſſe adplicari, iam antecedente capite diximus.

§. 3.

num. 1. Abſtinendum, 2. *ſi ſpes ſit celeris victoriae.* Tunc enim vt dixi res non alienas, ſed ſuas futuras perderet victor. Addantur elegantia dicta Alexandri et Croeſi.

Sed hoc monito non admodum opus eſt, cum propria vtilitas facile vnumquemque permoueat, vt res hoſtium ſuperatorum non corrumpat, ſed abripiat.

§. 4.

Tertia Grotii exceptio eſt, 3. *ſi res aliunde habeat, quo ſe ſuſtentet, e. g. ſi mare vel fines alii pateant.* Nam

1. Tunc fruſtranea eſſet vaſtatio, qua hoſtis ad famem non adigitur.

2. Maiorem fructum capere poſſumus, ſi agros tutos praeſtemus, iiſque imponamus certum tributum. Quod in vltimis bellis fere vbique obſeruatum eſt.

num. 2. 3. 4. 3. Ita moribus aliarum gentium receptum, vt apud Indos, Perſas, Graecos, et hodie Europaeos humaniores tantum non omnes. Ex quo conſenſu Gentium Grotius quidem ſuo more ius gentium arguit: ſed nihil ille conſenſus probat, niſi morem hunc pluribus gentibus placuiſſe.

Melius *n.* 4. a minore ad maius concludit, ſi gentes profanae religioni deditae tam humanae fuerunt, multo magis id decere Chriſtianos.

§. 5.

Abſtinendum a vaſtatione, 4. *ſi res ad bellum fouendum nullius ſit vſus, tales ſtatuae, imagines, horti, aedificia elegantiora.* Ita enim nec debiliorem hoſtem reddimus, nec nos fortiores.

Meretur hic conferri Rhodiorum oratio, et quantam inui-

diam

diam id ſuperiore bello conflauit Gallis, quod Sabaudiae Ducis hortos et palatia voluptatis cauſſa aedificata ſine ratione corruperint.

§. 6.

Hactenus de *caſibus*: iam de *rebus*, *quas vaſtationi exemtas eſſe decet*; quales ſunt, *ſacris vſibus deſtinatae*.

Sunt qui id negant. Aiunt enim falſum et ſuperſtitioſum eſſe, quod quae iura aſſerunt, res has eſſe nullius, diuini iuris, ſacras: reuera enim eſſe vel publicas vel vniuerſitatis, a quibus nulla ratio nos iubeat abſtinere.

Sed hic pro rebus iſtis militat, 1. quod ſint innoxiae, 2. quod earum deuaſtatio cum ſcandalo coniuncta, 3. quod videtur ea contumelia in cultum ipſum redundare. *nu. 2. 3.*

Accedit conſenſus gentium, tam gentili ſuperſtitioni addictarum, Graecorum, Romanorum, Gallorum, quam Chriſtianorum, inprimis Francorum: ex quibus ſaltim id fluit, humanitatem hanc ſemper placuiſſe gentibus honeſtioribus.

Enimuero diſtinguendum tamen, 1. an res vere ſacris vſibus deſtinatae nec ne. Sic enim innumeri theſauri quos conuaſant Pontificii non ſunt res ſacra. 2. An pertineant res ad eccleſiam, an, quod fit, priuati eas ibi depoſuerint? 3. Sitne hoſtis eorumdem ſacrorum ac nos, nec ne? Hinc Franci Saxonum profana delubra, ſtatuas, ſimulacra violarunt. Et notum eſt Chriſtiani Ducis Brunſuicenſis ſcomma, qui in bello tricennali capta Paderborna, quum duodecim ſtatuas argenteas apoſtolorum repeririſſet, eas conflari et pecuniam inde fieri iuſſit, addita ratione, apoſtolis non deliteſcendum eſſe Paderbornae, ſed eundum in mundum vniuerſum.

§. 7.

Eiuſdem generis ſunt *res religioſae*, id eſt, *ſepulcra*. Nam *num. 1. 2.* quamuis profana ſit perſuaſio, ea eſſe loca religioſa, quum nos nullos Deos Manes ſtatuamus, 1. vaſtatio tamen ſepulcrorum nullam habet iuſtam rationem. 2. Redundat ea contumelia in ipſos mortuos, quorum honori deſtinata ſunt, et quibuſcum bella gerere, plus quam ſtolidum eſt.

Hinc iure reprehenſa Gallorum inſania, qui capta Spira ſepulcra imperatorum veterum violarunt, ipſaque oſſa eiecerunt, et cineres. Humaniores ſane ipſi gentiles, quorum teſtimonia et exempla gregatim ſuo more adducit Grotius. Nos addimus te-

ſtimonium Caroli V. qui quum Wittebergam cepiſſet, et miniſtri ſuaderent, vt Lutheri corpus paullo ante ſepultum effodi curaret et comburi, reſpondit, Lutheri cadaueri ſe non iraſci, animam vero iam coram tribunali Dei rationes actuum ſuorum reddituram.

§. 8.

num. 1. Quemadmodum autem et ſaluberrimae admonitiones parum ponderis habere ſolent, niſi inſignis inde vtilitas effulgeat, hinc Grotius iam vſum inſignem huius modi moderationis addit ſub finem huius capitis.

1. Ita eripitur hoſti magnum telum, *deſperatio.* Ea magis armat hoſtes, quam copiae et gladii. Exemplum Numantinorum notum eſt.

num. 2. 3. 2. Ita magnam prae nobis ferimus fiduciam de victoria. Id quod et fortiores reddit milites noſtros, et hoſtes tardiores.

3. Faciliores hoſtes erunt ad deditionem, ſi moderationem victoris videant. Ita Cyrus, ita Caeſar pleraque occupauit.

num. 4. 4. Maximus autem fructus eſt tranquillitas conſcientiae, cuius praecipue rationem habere decet Chriſtianos principes et respublicas. Ipſos gentiles nonnumquam morſus conſcientiae ſenſiſſe legimus, ſi in vaſtandis vrbibus et terris modum exceſſiſſent, veluti Alexandrum captis Thebis: quanto minus Chriſtiani conſcientia feret eam crudelitatem, maxime in alios Chriſtianos exercitam?

CAPVT XIII.

TEMPERAMENTVM CIRCA RES CAPTAS.

§. 1.

num. 1. IN bello et res hoſtium capi ſolent: vnde quaeritur, *an permittenda ſit* illa *rerum hoſtilium occupatio?* Si de iuſto quaeritur; ipſe Grotius iam ſupra id conceſſit: aliud eſſe exiſtimat de honeſto reſpondendum. Hinc duas tantum cauſſas eſſe exiſtimat, ob quas in bello abripi poſſint res hoſtiles:

1. Si

1. *Si nobis hoſtis aliquid debeat, quia hoc et in pace licet.*

2. *Si ſecuritas noſtra id exigat*, e. g. *ſi arma, puluerem pyrium cet. intercipiamus.*

Debitum iterum duplex, vel ex pacto, vel ex delicto. Ex vtroque res intercipi poſſe hoſtiles, ſed obſeruato tamen diſcrimine, quia ex pacto debitum et ſubditorum tamquam fideiuſſorum bona obliget: ex delicto autem id non procedere. *num.* 2.

§. 2.

Nam *quod ex delicto debetur, ſiue ad reſtitutionem ſiue ad poenam tendat, a ſolo delinquente repeti debet.*

1. Quia poena eſt obligatio odioſa, nec adeo per interpretationem extenſiuam ab alio, quam delinquente exigi poteſt.

2. Obligatio ex pacto in bonis eſt. Ergo et vicariam admittit praeſtationem, obligatio ex delicto in bonis non eſt.

3. Quia poena eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis a ſuperiore. Ergo tertius puniri nequit, qui non commiſit malum actionis.

§. 3.

Quod ex debito debetur, ad illius ſatisfactionem et res hoſtium; tum imperantis, tum ſubditorum occupari poſſe iam conceſſit Grotius. Sed quum debitum vel ante bellum natum ſit, vel durante bello: de illo nemo dubitat, quin ob id res hoſtiles occupari queant; de hoc autem quaeritur, an et ob id liceat?

Et id recte adfirmatur. Nam tunc aliquid ſolutum intelligitur, quando mihi ſatisfit de eo, quod debetur, vt nihil debeatur amplius.

Iam vero ſi e. g. Galli nobis debeant millena millia, expendimus, in eoque bello occupauimus res hoſtiles millenorum millium, tunc ſane nobis non eſt ſatisfactum, quia tantum impendimus, quantum cepimus.

Ex quo conſequitur, 1. vt capta in bello non compenſentur cum debito principali, ſed cum impenſis et ſumtibus bellicis.

2. Vt ſi nihil cepeimus, bello finito non ſolum debitum principale ſoluendum, reddendumque ſit, verum etiam ea pars, quae iniuſtum bellum geſſit ſumtus belli reſtituere teneatur.

3. Vt etiam in bello iuſto non ſolum tantum hoſti iuſte eripi poſſit, quantum nobis debetur, ſed et quanti ſumtus belli ſunt.

§. 4.

Hactenus *quid* et *iure ſtricto et ex honeſtate liceat*, vidimus; iam *quid caritas permittat*, videndum. Ea de iure ſuo aliquid remittit, et non conſiderat, quid hoſtis mereatur, ſed quid Chriſtiano dignum ſit. Idque probat

1. A minore ad maius, exemplo fideiuſſoris priuati. Si creditor iure ſtricto vſus fideiuſſorem pauperem ad extremum vſque numum excutit, iure quidem ſtricto vtitur, ſed id miſerum eſt, dum nihil in rem fideiuſſoris verſum ſit. Quanto miſerius, rem publicam excutere ſubditos alienos ob debitum principis?

num. 2. 2. Illi, quos excutimus, ſubditi alieni difficilius carebunt re ſua, quam nos debito. Caritas vero iubet, ne magno alterius detrimento locupletiores fiamus. Vnde laudatur a Xenophonte Cyrus, quod praedam agentes milites repreſſerit, eoſque humanitatis rationem habere iuſſerit.

num. 3.4. 3. A natura fideiuſſionis. Fideiuſſor tenetur in ſubſidium, ſi ſpes non ſit, nos res noſtras a debito principali recuperaturos. Atqui, quamdiu bellum gerimus, ſpes eſt, nos res noſtras ab ipſa re publica debitrice, vel principe debitore recuperaturos. Ergo ad haec extrema non prouolandum, vt ſubditos tamquam fideiuſſores pro debito imperantium excutiamus.

4. Addit Grotius varia huius humanitatis exempla: veluti Romuli, et Alexandri M. qui quum profanae religioni fuerint addicti, merito in ruborem dant principes et res publicas Chriſtianas, quibus multo ſanctior praeſcripta eſt lex caritatis.

CAPVT XIIII.

TEMPERAMENTVM CIRCA CAPTOS.

§. 1.

num. 1. *Circa captiuos* ſupra vidimus duplex ius introductum eſſe, moribus gentium. Aliae gentes *captiuos* ſeruos faciunt, aliae *captiuos* ſalua libertate detinent quidem, ſed reſtituunt ſoluto pro iis lytro, vt gentes Chriſtianae fere omnes. Iam in vtroque iure temperamenta quaedam obſeruanda monet, et quidem

1. *Circa*

1. *Circa captiuorum ſeruitutem.* §. 1-8.

2. *Circa captiuos non ſeruos.* §. 9.

Seruos quod attinet, diſtinguit Grotius inter id, quod li- num. 2.
cet *iuſtitia externa*, id eſt, vt impune ſit; quidque *iuſtitia interna*, vt ſalua iuſtitia fieri poſſit.

Iuſtitia externa permittit, vt indiſtincte omnes captiui in ſeruitutem redigantur, ſi ſemel huius modi mos inuectus ſit.

At *interna* iubet perſonas diſtinguere, ſintne vere hoſtes, nec ne. Hinc ſalua conſcientia vix capi et in ſeruitutem detrudi patitur 1. feminas, quae ſe armis non defendunt, 2. infantes et pueros, 3. agricolas et turbam imbellem, 4. eos, qui coacti caſtra ſequuntur. Quale diſcrimen et a Philippo Macedone obſeruatum, laudat Demoſthenes, cuius locus apud Grotium.

§. 2.

Eadem *iuſtitia interna* obſeruanda circa ſtatum captiuorum. num. 3.
Nam 1. non ex delicto in ſeruitutem incidunt, ſed ex infortunio. 2. Pares ſunt huius modi captiui iis, qui ſe pro debito ad perpetuas operas creditori addicunt. Ex quo ſequitur,

1. Vt miſericordia potius, quam odio digni ſint.

2. Vt benignior eorum debeat eſſe ſeruitus, quam eorum, qui ex delicto in ſeruitutem inciderunt.

3. Vt nihil domino capienti debeant, quam operas perpe- nu. 2. 3.
tuas pro alimentis, adeoque eiuſdem conditionis eſſe debent, ac mercenarii noſtri ſerui et ancillae. Quod et Deus inculcat. *Deut.* 15, 18. 40. 53. et Paulllus *Coloſſ.* 4, 1.

§. 3.

Ex hoc principio patet, *non omnia quae in huius modi ſeruos licent, etiam honeſta eſſe.* Sane iure ſtricto externo conceditur ius vitae et necis in ſeruos, ceu ex *tit. Inſt. de his qui ſui vel al. iur. ſunt*, patet. An vero id et honeſtas permittit in ſeruo ab hoſtibus capto? Neg.

1. Quia vt §. 2. demonſtratum, eſt mercenarii inſtar. Mercenarios occidere nefas eſt.

2. Quia ius vitae et necis eſt veluti domeſtica iuriſdictio. Iuriſdictio autem, etiam publica, non eſt promiſcue occidendi licentia, ſed animaduerſio in facinoroſos.

3. Quia

3. Quia aequum eſt delicta priuata non capitali ſupplicio, ſed caſtigatione moderata expiari.

§. 4.

In iſta quoque *caſtigatione multum differt iuſtitia externa et interna.*

Iuſtitia externa Romanis et aliis gentibus omne truculentiae genus permittebat, vt poſſent totos virgarum faſces in tergo ſerui frangere, eum per integras noctes e manibus ſuſpendere, pedes ponderibus immenſis onerare. Qua de re MEVRSIVS *in Auctario elegantis libelli de Gloria* permulta erudite diſſerit.

At *iuſtitia interna* exigit caſtigationem moderatam, 1. vt ratio habeatur delicti, 2. virium ſerui, 3. vt eius ſanitati parcatur, 4. ne voluptas capiatur ex eius dolore, ſiquidem haec omnia inhumana ſunt.

§. 5.

nu. 1. 2. Porro ſeruus debet operas, et quidem iure ſtricto qualeſcumque. At iuſtitia interna, et conſcientia et hic iubet rationem humanitatis habere.

1. Ne perpetuis et continuis laboribus opprimatur, e. g. nec die ſolis ipſi ad quietem et cultum diuinum conceſſo.

num. 3. 2. Ne domini obliuiſcantur, ſe eſſe patresfamilias, ſeruos eſſe pueros.

3. Vt rationem habeant virium, priſtini ſtatus, artis ac aetatis ſerui capti. Hinc iniquum eſſet captum belli ducem detrudere ad harenam, vel culinam, iiſque operis eum fatigare, quibus numquam adſueuit.

§. 6.

num. 1. Eadem *iuſtitia interna* iubet, *vt alimenta ſufficientia concedantur ſeruo.* Eſt enim inſtar mercenarii. Immo ipſa aequitas iubet, vt quo plus operarum a ſeruis exigimus, eo liberalius alimenta iis adſignemus.

Hinc Romani adſignabant ſeruis ſuis in menſem quatuor modios frumenti, et apud Orientales certae librae panis et carnis in diem. Vnde et eleganter quidam interpretantur quartam precationem orationis dominicae: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Humani-

Humanitas porro exigit, *vt* huiuſmodi *ſeruo peculium relinquatur.* Tale erit nu. 2. 3.

1. Si quid fecit, quod ſeruilis officii modum excedit, et inde praemium tulit.

2. Si quid ex demenſo ſuo, genium defraudans comparſit.

Sed tamen eatenus manet peculium, quod 1. ſeruus in eo nihil poteſt contra domini voluntatem, 2. quod in caſu neceſſitatis dominus eo ipſe iure vti poteſt.

Humanitas iubet, *vt ſummi imperantes* huiuſmodi *ſeruorum curam ſuſcipiant, neque eos a dominis intolerabili iniuria affici patiantur.* Hinc apud Graecos licita erat proclamatio ad venditionem. Apud Romanos ſerui inhumanius tractati apud Praefectum vrbi poterant conqueri: *L.* 1. *D. de off. praef. vrb.* poterant ad ſtatuam principis confugere. Et tunc cogebantur domini inhumaniores ſeruos bonis conditionibus vendere. *§.* 2. *Inſt. de his qui ſui vel al. iur.* num. 4.

Denique aequitas iubet, *vt huiuſmodi ſerui, ſi frugi fuerint, tanto citius manumittantur.* Seruus enim aliud praemium nullum ferre poteſt, non honores, qui in ſeruum non cadunt, non diuitias, quia ſibi nihil adquirit. Quum vero omnis virtus praemium mereatur, nihil ſane aequius eſt, quam vt ſeruus, qui liberaliter ſeruiuit, a domino manumittatur. num. 5.

§. 7.

Quaeſtio incidit, *an* et *fugere* huiuſmodi *ſeruo liceat*? Negat id Grotius: et quidem ex ea ratione, quia ex conuentione debet operas. Perinde enim eſt, ac ſi cum victore pactus eſſet, *ſerua mihi vitam, et ego tibi operas praeſtabo.* Si vero fugeret, iam ageret contra pactum, adeoque contra ius naturae.

Sed poteſt tamen obiici, vix poſſe fugam hanc quaſi delictum reprehendi aut damnari. Nam 1. praeter delictum qui in infortunium incidit, is poteſt quocumque modo ſe inde expedire. 2. Pactum illud per ipſam naturam non poteſt aliter explicari, quam; quod ſe ſeruiturum promittat captiuus, quamdiu ſeruus futurus, nec libertatem recepturus ſit. Et hoc ipſe ſupra faſſus eſt Grotius *lib. III.* c. 7. §. 6. vbi hanc quaeſtionem plane aliter ſoluit.

§. 8.

num. 1.2. Porro et id iubet humanitas, *vt poſteris* huiuſmodi *ſeruorum parcatur, neque illi in eandem detrudantur ſeruitutem.* Id probat ex fundamento huius iuris, quod poſteri eorum qui ex delicto ad mortem condemnati fuiſſent, non futuri fuiſſent in rerum natura. Sed id negat in bello captos quadrare, qui capiuntur tamquam obligati ex debito ciuitatis, ceu iam diximus. At nondum nati ciuitate obligari non potuerunt. Ergo nec poſſunt in ſeruitutem detrudi.

Sed hic quidem non adeo accurate ratiocinatur Grotius. Nam 1. ſi pater huiuſmodi vernae fuiſſet in bello occiſus, nec a victore ſeruatus, ipſe quoque non fuiſſet in rerum natura futurus: adeoque idem fundamentum adeſt.

2. Nec adeo crude dici poteſt nondum natos obligari non poſſe. Quid enim frequentius inter res publicas et priuatos, quam vt obligationes concipiantur pro ſe et poſteris? Ergo ſi ſemel admiſſum eſt principium, quod ſerui liberi et ipſi ſerui ſunt: non video, quomodo liberi dici poſſint captiuorum liberi.

§. 9.

num. 1. Altera capitis parte quaeritur *de iis, qui capti non detruduntur in ſeruitutem, ſed detinentur donec dato lytro redimantur.* Hic humanitas ſuadet,

1. *Vt captiui eiuſdem conditionis permutentur.*

2. *Vt deficiente permutationis occaſione redimantur.*

3. *Vt pretium non ita intendatur, vt captiuus deinde egere cogatur.* Et hinc fit, vt inter gentes humaniores iniri ſoleat pactum, quod vocatur *un Cartel*, quo exprimitur, quantum vnusquiſque ſecundum ordinem et conditionem ſuam ſoluere pro lytro debeat. Gregarius plerumque ſoluit ſtipendium menſtruum.

4. *Vt interea tolerabilem habeat conditionem, et hoſpitaliter habeatur.*

num. 2. 5. *Omnium generoſiſſimae indolis eſſe, captiuos ſaluos dimittere.* Quod quidem verum; et merito laudantur, qui id fecerunt: ſed ideo non poteſt aliis regula praeſcribi: *qui ſuo iure vtitur nemini facit iniuriam.*

CAPVT

CAPVT XV.

DE TEMPERAMENTO CIRCA ADQVISITIONEM IMPERII.

§. 1.

Bello et imperia adquiruntur. Quin plerumque ea vel praecipua bellandi cauſſa eſt. Quaeritur *an id liceat?*

Supra *iuſtitiam* in *externam* et *internam* diſtinximus. De *externa iuſtitia* nemo dubitat. Hoſti enim in infinitum omnia licent.

Quod ad *internam*. Grotius negat plus poſſe ex rebus hoſtilibus occupari, quam vel delictum vel debitum exigat. Sed id nemo temere probauerit. Nam

1. Bella non geruntur ex delicto vel in poenam, quia gens ratione gentis non eſt ſuperior.

2. Belli praecipuus finis eſt ſecuritas rei publicae noſtrae. Quamdiu vero hoſtis mei vires non infringo, tamdiu ſecurus eſſe non poſſum. Atqui ſi tantum ab eo occupem, quantum debitum vel delictum exigit, eius vires non infringerem. Ergo ſecurus eſſe non poſſem. Cur aliter ſe res habeat in ſtatu ciuili poteſt oſtendi, quia ibi iudicis auxilium in promtu eſt.

§. 2.

Et hinc *laudandum* iam porro dicit Grotius, *ſi quis hoc iure abſtineat.* Hinc ipſi maxime placent effata Salluſtii, Ariſtotelis, Ciceronis, qui huiuſmodi quid inculcant. Eaque *n.* 2. accumulat dictis theologorum et patrum primitiuae eccleſiae, qui idem ſuadent. Sed reſp. *num.* 1. 2.

1. Pleraque illa dicta quae a Romanis proficiſcuntur factis Romanorum contraria ſunt, quippe qui vniuerſum fere orbem occuparant.

2. Nec prudentia patitur a conquiſitione imperii hoſtilis abſtinere, ſi ſit occaſio. Nam aut nos habebimus, aut prior imperans, aut quiſquis id occupauerit. Si prior imperans vel alius occupans illud eadem conditione tenet, tunc non magis ſe-

curi ſumus quam antea, adeoque bellum fruſtra geſſimus. Ergo nos potius illud iure occupabimus.

§. 3.

Sed alia temperamenta omnino commendanda ſunt. Tale eſt, I. *vt victi, ſi fieri poſſit, victoribus miſceantur.* Sic Romulus, quum videret vrbem ſuam non admodum populoſam eſſe, victos plerumque vel in vrbem tranſtulit, vel ciuitatis iure donauit.

Ita et poſteri ſaepe cum integris prouinciis ius ciuitatis communicarunt.

Denique Antoninus cum vniuerſo orbe Romano *L.* 17. *D. de ſtat. hom.* quod maxime laudat Grotius.

Sed quamuis humanitas victoris laudanda ſemper videatur: in eo tamen errat, quod Antonini factum laudat, qui orbem ciuitate donauit, non ex benignitate, ſed ex auaritia, vt eo plures viceſimam hereditatis penderent. E z. S P A N H E M. *in orbe Rom. exercitat. II.*

§. 4. 5.

nū. 1. 2. Laudanda quoque moderatio, II. *ſi imperium priori domino relinquatur.* Quod multis exemplis heroum et victorum illuſtrat Grotius. Sed hic plures cautiones obſeruandae.

1. Ne haec liberalitas rei publicae noſtrae damnoſa ſit, e. g. ſi ſic nulla nobis ſecuritas ſit.

2. Vt nouum imperantem nouis conditionibus obſtringamus, vt nobis fere ſit ſtipendiarius. Ita Romani Iudaeam Herodi, Galatiam Amyntae, Cappadociam Archelao regibus reliquerunt.

3. Vt non ſemper id pro liberalitate habeatur, ſed pro prudentia. Archelaus ab Auguſto Cappadociam accepit, quia Auguſtus euitabat bellum cum Parthis. Melius ergo putabat fines a rege defendi, quam a Romanis.

§. 6.

Inter temperamenta eſt, III. *vt tributum potius iniungatur victis, quam vt iis omne adimatur imperium.* Ita Romani cum Carthaginenſibus et aliis egerunt. Nam

1. Sic ſatis conſulitur ſecuritati.

2. Ita

2. Ita locupletatur aerarium.

3. Ita fines tertii ſumtibus defenduntur, vt iam exemplo Archelai Cappadocis docuimus.

§. 7.

Vtilitatem huius conſilii non vnam promittit Grotius, veluti

1. *Quod pax cum eius modi victis eo firmior futura.* 2. *Quod ita non opus eſt praeſidiis et ſumtibus, ad ſubditos coercendos.* 3. *Quia iſta moderatio gloriam victoris auget, eique plures conciliat.*

4. *Quia ſaepe magis intereſt rei publicae fines regere imperii, quam illud nimium proferri.* num. 2. Hadrianus omnes prouincias trans Euphratem deſeruit. idem et alii fecerunt. Nam a) vbi imperium nimium, ibi ſeditiones eo plures. b) Ibi magis timendi prouinciarum praeſides. c) Ibi eo pluribus bellis immiſcemur, et eo pluribus locis inuadimur. Ego ſane Hiſpaniae regem hodiernum amiſſis Neapoli, Sicilia, Mediolano et Belgio opulentiorem arbitror, quam eius deceſſorem.

§. 8.

Ea quoque moderatio notanda, *quod mutatur quidem a victore rei publicae forma, ſed non ipſum imperium victis eripitur.* Eo conſilio vſi Athenienſes et Laecedaemonii. Quoties illi ciuitatem expugnabant, formam introducebant democraticam, quam ipſi elegerant. Si hi victores eſſent, optimatibus concedebant imperium; et ſic et moderationis exemplum dari, et periculum ſeditionis euitari, ſiquidem plebs ſemper optimates, et optimates plebem odio habeant.

§. 9.

Porro ſi imperium in victos ſuſcipiendum ſit, ſuadet Grotius, *vt ſubditis vel pars imperii relinquatur*, quod fit 1. regem illis imponendo ſocium et amicum, vel, vt vere dicamus, ſtipendiarium, quales ſub Romanis in Iudaea Herodes, in Cappadocia Archelaus, in Galatia Amyntas, in Numidia Maſiniſſa. 2. *Vt regnum quidem victis relinquatur, ſed nobis ius ſit legiones et praeſidia in terra victa habendi.*

§. 10.

Immo ſi et omne imperium ſibi victor condicat, moderationis tamen laudem feret, ſi ipſiſ relinquat αὐτονομίαν, id eſt, vt circa res priuatas et publicas minores victi ſuis legibus patriis vti poſſint. Sic Romani Bythyniae ciuitatibus omnibus conceſſerant ius ſuas conſtituendi res publicas ſuos eligendi decuriones, decreta et leges faciendi. Et tamen hoc deluſi ſimulacro libertatis, omnes parebant praeſidi prouinciarum.

Explicandum hic ex politica, quid ſit *ſimulacrum libertatis.*

§. 11.

num. 1. Inprimis laudanda victoris moderatio, qua victis auitam religionem ſaluam ac illibatam relinquit. 1. Nihil enim eſt religione cuique carius. 2. Nihil ad ſeditionem excitandam procliuius.

Tantum relligio potuit ſuaſiſſe malorum.

3. In ſe religio non poteſt coactioni ſubeſſe, quia in intellectu conſiſtit. 4. Exempla principum humaniorum euincunt, id fieri poſſe. Auguſtus fere omnibus victis ſuum cultum reliquit. Vid. BYNKERSHOEK *de religione peregrina.*

num. 2. At obiicitur ſaepe religionem falſam et obſcuram eſſe. Reſp. 1. ita omnibus fere alienam religionem abſurdam videri: in ea re errari facillime. 2. Dare poteſt operam victor, vt ne verae religioni noceat. 3. Poteſt de eorum conuerſione ſollicitus eſſe, ſed non de violenta, verum de vera, quae fit per praedicationem verbi.

Interim ſi religio in quibuſdam iuri naturae repugnet, poteſt id mutare legibus. Sic ipſi Romani non paſſi ſunt Afros et alios barbaros homines ſacrificare.

§. 12.

num. 1. Vltima denique moderatio eſt, *vt ſi, vel maxime omni imperio potiantur victores, eo tamen non in modum herilem et tyrannice vtantur, ſed prout decet aequos imperantes.* Hoc modo Romani conſequuti ſunt, vt rariſſime prouinciae rebellarent. Vbicumque enim vicerant, ibi bonis legibus temperabant rem publicam, vrbes et frequentiores et opulentiores reddebant, ſubditos ad cultum vitae elegantiorem traducebant, adeo vt pleri-

que

que gauderent prouinciales, ſe ſub tam clementibus eſſe dominis.

Et *id vel politica ſuadet ratio.* Nemo amat dominum ſi ſeruus fit, ſed amat imperantem, ſub quo felicior fit et opulentior. Et hinc firmiſſimum prouincias ſeruandi praeſidium eſt beneuolentia. Hinc elegans illud legati Priuernatis dictum, qui victa ciuitate ſua, quaeſitus, *qualem pacem exſpectet?* reſpondit: *ſi bonam dederitis, firmam et perpetuam*; ſin: *malam, haud diuturnam.* *num. 2.*

CAPVT XVI.

TEMPERAMENTVM CIRCA EA QVAE IVRE GENTIVM IVRE POSTLIMINII CARENT.

§. 1.

SVpra vbi de *iure poſtliminii* actum, diximus multas et perſonas et res eſſe, quae illo iure non gaudeant. Sic non gaudent eo iure captiui pace facta, ſi eorum inter conditiones nulla ſit facta mentio; nec eo gaudent res mobiles, praeter naues, quippe quae ſemel captae manent capientium, cet. Ergo iam et hic temperamentum commendat Grotius. *num. 1.*

I. Primum eſt, *vt omnia bello iniuſto capta, et in quemcumque translata poſſeſſorem, reſtituantur priori domino.* Nam 1. quod ad ipſos capientes, ceſſante cauſſa, nempe bello iuſto, ceſſat etiam effectus ius res occupandi vel capiendi perſonas. 2. Quod ad alios poſſeſſores, illi cauſſam habent a victore, qui iure non habuit dominium, adeoque nec transferre ille potuit.

Illuſtrat id Grotius exemplo liberi hominis a latrone vel pirata capti, qui, quamuis in ſeruitutem abreptus, non tamen fit ſeruus; adeoque nec libertinus eſt, ſi manumittatur, ſed ingenuus. Quid vero intereſt inter eum qui iniuſtum bellum gerit et latronem? Recte Scythae Alexandrum M. vocabant latronem gentium. *num. 2.*

§. 2.

§. 2.

num. 1. 2. Idem Grotius illuſtrat exemplis. Aequi et Volſci vicinos iniuſte ſpoliauerant; Lucretius Rom. Coſ. eos fudit, et praedam recepit, et eam omnem publice expoſuit, vt quiſque ſuum abduceret. LIV. *lib. III.* Eamdem aequitatem ſeruauit Poſtumius dictator, teſte LIV. *lib. X.* Immo quid celebrius exemplo Abrahami, qui victis quinque regibus, qui Sodomam ſpoliauerant, et recepta praeda, iurauit conceptis verbis ſe ne corrigiam quidem ex praeda retenturum; ſed omnia regi Sodomorum reſtituit, quamuis ipſe illa concedere vellet Abrahamo. *Gen.* 14. 16. *ſeq.*

§. 3.

num. 1. 2. Sed quaeritur, *an non aliquid deduci poſſit a tertio poſſeſſore*, e. g. *ſi bona fide rem a victore emerim, an non ſi reſtituam, pretium repetere poſſum*? Reſp. Grotius:

1. Malae fidei poſſeſſor nihil deducet iure: e. g. ſi, ſciat victorem bellum iniuſtum gerere, et tamen ab eo praedam emat.

2. Bonae fidei poſſeſſor deducet 1. aliquid, ſi ipſe victus a victore ſine impenſis quibuſdam rem recuperare non potuiſſet. 2. Deducit impenſas, ſi bello vel vi victori res extorſit. Ita ipſe Abrahamus, quamuis vero domino omnia redderet, deduxit tamen decimam Deo dandam, et praemia ſociorum.

§. 4.

Aequitas eadem iubet, vt et populi victi ab hoſte noſtro ſibi ſuaeque libertati reddantur. Non enim, vt diximus, poteſt ſucceſſor verum dominium habere, quod is non habuit, a quo cauſſam habet. Et hinc iniqui Romani, qui Mithridate victo, qui Seleuco Syriam iniuſto bello eripuerat, repetenti Seleuco illam reſtituere noluerunt.

§. 5.

Quid vero *ſi praeſcriptio obſtet?* Eam hac in re notum eſt producere ius externum, ſed non internum; 1. quia eſt ex iure mere ciuili; 2. quia plerumque victus rem ſuam recuperare non potuit. Non valenti agere, ne iure quidem ciuili currit praeſcriptio.

§. 6.

§. 6.

Quid ſi cauſſa belli dubia? Eo caſu res ad tranſactionem redit, cuius elegans exemplum ipſe adfert Grotius.

CAPVT XVII.

DE HIS, QVI BELLO MEDII SVNT.

§. 1.

Medii *bello* dicuntur, qui neutri belligerantium ſuppetias ferunt, adeoque plane extra bellum ſunt.

His nihil omnino eripiendum eſſe tradit. 1. Quia in pacatos nihil licet, niſi vrgente neceſſitate, quae hic nulla eſt. 2. Quia neceſſitas quidem excuſat ſi ſumamus, non ſi ſine pretio ſumamus. 3. Quia ius belli non niſi contra eos, qui bellum gerunt, locum habet.

§. 2.

Id ſuo more exemplis illuſtrat Grotius, vt doceat, gentes in hanc doctrinam conſenſiſſe. Sed quid opus exemplis gentium, dum ipſa ratio hanc doctrinam probat? Non ergo ea repetamus, quae ab vnoquoque legi poſſunt, ſed praecipue tantum delibabimus, quae vim probandi habent. Horum praecipuum eſt; quod §. 4. adfertur dictum Joannis Baptiſtae: *A concuſſione & calumniis in quoſuis abſtinete, contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Luc.* 2. 14. Haec diſciplina militaris diuina eſt, tam rationi conſentanea, vt vel ſolum hoc dictum ſufficiat ad hanc doctrinam demonſtrandam. *num. 1-2.*

§. 3.

Quemadmodum ergo pacificos laedere non licet, ita nec iis licet vllo modo laedere belligerantium alterum, aut vni plus, quam alteri fauere. Hinc *num. [illegible].*

1. aut neutri aut vtrique aequis conditionibus concedendus tranſitus.

2. Vtrique petenti dandus commeatus aequo pretio: ſi vero exſtent edicta de non aduehendis mercibus prohibitis, neutri.

3. Subditos prohibere ne militent alterutri. Hinc parum ex fide fecit rex Galliae, qui quum Regi Hiſpaniae promiſiſſet, ſe cauſſam Luſitanorum non ſuſcepturum maximam exercitus partem dimiſit, ſed clandeſtinis mandatis inſtructam, vt ſtipendia faceret Luſitanis.

num. 2. Ratio eſt, quia qui hoſtem meum iuuat, hoſtis eſt, ex quo ſequitur, vt qui alterutri belligerantium plus fauet, non ſit neutrarum partium; ſed hoſtis, adeoque ei, ſi hoſtis loco habeatur, non fiat iniuria.

num. 3. Sub finem id temperamentum commendat Grotius, vt foedus cum vtroque belligerante ineatur, quod vocant *Neutralitæts-Tractaten.*

Huius foederis ea vtilitas eſt, 1. vt non poſſint cogi ad arma pro alterutro ſumenda. 2. Vt eo magis ad liquidum perducatur, quid facere liceat durante bello, vel non liceat. 3. Vt commerciorum libertati conſulatur.

CAPVT XVIII.

DE HIS, QVAE IN BELLO PRIVATIM FIVNT.

§. I.

num. 1. HOſti in hoſtem in infinitum omnia licent in bello publico, id eſt, in praeliis, in expugnationibus vrbium, terra marique, ſed ſaepe hoſti et extra bellum priuatim damnum inferri poteſt, e. g. ſi ſubditi noſtri ſubditos hoſtis ſpolient, occidant, cet. ſi priuatorum naues nauibus hoſtilibus inſidias ſtruant, cet. Quaeritur itaque, an id iuris ſit?

Negabant Romani eum iure cum hoſte pugnare, qui ſacramento militari ſe non obſtrinxiſſet. Hinc Cato filium miſſione impetrata negauit cum hoſte iuſte pugnare, niſi nouo ſacramento ſe obſtringeret. Sed Grotius conſiderat, ſintne arma priuatorum iuſta iure gentium et naturali.

num. 2. Quod ad ius gentium, i. e. mores gentium attinet, nihil prohi-

prohibet, et priuatos hoſti nocere, 1. quia bellum gerit tota res publica, adeoque et ſinguli inter ſe hoſtes ſunt. 2. Quia declarationibus belli plerumque additur adhortatio, vt ſubditi arma corripiant, et ſe ſuaque tueantur, et quocumque modo hoſti incommodent.

Hinc quae Cato ad filium ſcribit, non ſunt ex iure gentium, ſed ex diſciplina militari Romanorum, cuius tam tenaces erant, vt Manlius Coſ. ideo filium ſecuri feriret, quod priuata auctoritate, ſe abſente hoſtem eſſet adgreſſus.

At ius naturale concedit quidem, inquit Grotius, vt priuati hoſtibus incommodum adferant, non autem, vt res captas ſibi vindicent. Cuicumque enim nihil debetur, iſte nihil poteſt ſibi eripere. Sed tamen ne cui ea occaſione ius ſit homicidia praeter ius et fas committere, hodie non temere id permittitur, niſi praecedat mandatum rei publicae.

Id vel generale vel ſpeciale eſt. Generale locum habet 1. ***num. 4.***
in periculo ſubitaneo. Quicumque rem publicam ſaluam eſſe volunt, me ſequantur. 2. In defenſione. Hinc in bello, ſi cohors hoſtilis pagum vel oppidum inuadat, et ciuibus licet ſe ſuaque tueri.

§. 2. 3.

Speciale mandatum habent 1. ſtipendiis conducti; 2. ſuo ***num. 1.2.***
ſumtu militantes, *les volontaires*; 3. qui naues armant ſuo ſumtu et conſentiente re publica, vt iis hoſtibus inſidientur. Qui id ſingulare habent,

1. quod iis pars praedae pro ſumtibus concedatur.
2. Quod ipſi contra partem praedae debeant fiſco vel rei publicae.
3. Quod ſi naues amittant, vel capiantur ipſi, indemnitatem a re publica exigere nequeant.

§. 4.

Haec iure naturae et gentium recepta. Iam quid Chriſtiana caritas ſuadeat, Grotius commendat hanc moderationem;

1. ne innocentibus iſta praedatio noceat, ſed hoſtili rei publicae, vel eius principi.
2. Vt ea omittatur, ſi hoſtium vires eo ipſo non inſigniter occidantur.

3. Ne crudelitati indulgeant victores.
Leges probae et Chriſtiano doctore dignae, ſed quae plerumque ſilent inter arma.

§. 5.

Obſeruat porro Grotius, *aliquando occaſione belli publici priuatum naſci*; id fit, 1. ſi quis in hoſtes inciderit, e. g. ſi nauis mercatoria ab hoſtibus impugnetur, ſi iter faciens a cohorte hoſtili petatur. Tunc quaelibet honeſta eſt ratio defenſionis. 2. Si tempore belli damnum inſigne paſſi a magiſtratu impetrent ius repreſſaliarum.

Sed poſterior caſus vere non priuatum eſt bellum ſed publicum, quia non priuata auctoritate, ſed publico arbitrio geritur.

§. 6.

At quaeritur ſub finem, *ſi quis priuata auctoritate hoſti damnum intulerit, ad quid obſtrictus ſit?*

Reſp. aut ſine neceſſitate id fecit, et tunc ad reſtitutionem non tenetur, quia hoſti non facta iniuria, ſed ad poenam, quia leges rei publicae violauit.

Sin iuſta cauſſa defenſionis adfuit, et poena ceſſat, et reſtitutionis obligatio, ob ius inculpatae tutelae, quae cuiuis tempore pacis, adeoque multo magis tempore belli promittenda eſt.

CAPVT XVIIII.

DE FIDE INTER HOSTES.

§. 1.

num. 1. CAput hoc 1. probat, *hoſtibus quoque ſeruandam eſſe fidem*, §. 1-6. et 2. *in quibus rebus habenda ſit*, docet, §. 7. ad fin.

1. Prius Grotius demonſtrat 1. variis teſtimoniis, Silii Italici, Xenophontis, Ariſtidis, Ciceronis, quae tamen in ſe illuſtrant potius quam probant.

num. 2. 2. *Fides eſt vinculum*, non ſolum *ciuitatum*, ſed *et totius humanae*

humanae ſocietatis. Atqui hoſtes etiam pertinent ad humanam ſocietatem. Ergo fides ipſis habenda.

3. Hoſti in hoſtem in infinitum omnia licent, immo cum ſtratagematibus quoque et falſiloquiis circumuenire licet, ceu ſupra diximus, verum dum eo agimus, tamquam cum hoſte. At ſi cum eo paciſcimur, cum eo non agimus tamquam cum hoſte, ſed tamquam cum amico et pari. Ergo obligatio hic manet, vt fidem ſeruemus.

4. Denique et ab abſurdo probari poteſt. *Bella geruntur, vt pax fiat.* Pax vero numquam fieri poſſet, ſi nullum pactum inter hoſtes initum obligaret. Ergo obligat omnino.

§. 2.

Sunt tamen qui id negant. Et hi maxime vtuntur exemplo praedonum et latronum, quibus negant fidem eſſe ſeruandam. Talis eſt ſententia ipſius Ciceronis et Senecae. *num. 1.*

Iidem vti ſolent exemplo tyranni, cui nihil deberi ait MICH. EPHESIVS *in Comm. ad Ariſtotelem*, adeo, vt nec in eius vxorem adulterium committi putet.

Denique et ad Iudaeos prouocant, quorum magiſtri alienigenarum coniugia pro nullis habent, et aduerſus eos negant violari poſſe fidem.

Sed reſpondetur, 1. quod ad latrones, diſtinguendum eſſe, an pactum nobis vi et metu extorſerint, an ſponte iis quidquam promiſerimus. Si prius: nulla eſt obligatio, non quod cum praedonibus vel latronibus pacti ſumus, ſed quod pactum debet eſſe conſenſus liber. Sin poſterius, obligatio omnino valida producitur, e. g. ſi magiſtratus praedonibus impunitatem promiſerit. Quod fecit Pompeius in bello piratico. 2. Quod ad tyrannos, abſurda eſt ſententia. Tyrannus eſt, ſed homo tamen, et quis homini neget fidem eſſe ſeruandam. 3. Iudaeorum ſententia de alienigenis falſa eſt, nec ex Scriptura S. ſed ex magiſtrorum lacunis fluit. Ergo nihil probat. *num. 2.*

§. 3.

Equidem ſunt qui obiiciunt: *latrones a quouis puniri poſſunt. Ergo et a quouis poſſunt dolo circumueniri, vt puniantur, adeoque fides iis impune non ſeruatur.* Ita Cicero. *num. 1. 2.*

Reſp. 1. falſum eſt, latronem a quouis puniri poſſe. Poena eſt ſuperioris. Occidi poteſt, ſed per modum defenſionis, non puniri.

2. Non ſequitur, puniri poteſt, ergo et pactis decipi. Puniri enim poteſt, ſi occidat in manus magiſtratus; magiſtratus vero impunitatem promittens renunciauit iuri ſuo, adeoque eum punire amplius non poteſt.

3. Decipi poteſt latro, ſi eum tamquam hoſtem perſequamur, tunc licet ſtratagematibus quibuſcumque vti: non autem ſi cum illo paciſcimur.

§. 4.

Atqui ipſi faſſi ſumus, *promiſſum metu extortum non valere.* Quid vero latronibus promittitur, annon metu extortum eſt? An non magiſtratus ideo promittit, quia metuit, ne latro plures homines occidat?

Reſp. Promiſſum metu extortum liberat promittentem, ſi illi ipſi promittenti vis illata. Hic autem latro vim non intulit magiſtratui, ſed priuatis quibuſdam. Ergo magiſtratus dicere non poteſt promiſſum ſibi metu extortum eſſe.

§. 5.

Addit Grotius, et *promiſſum metu extortum ſeruandum eſſe, ſi iusiurandum acceſſerit: quia, quamuis homini non teneatur promittens, teneatur tamen Deo, cui iurarit.*

Sed hoc, quod probe notandum, 1. falſiſſimum eſt, et nititur falſa iuris canonici doctrina, quod iusiurandum nouam producat obligationem, quum tamen tantum acceſſorium ſit obligationis. Si ergo acceſſorium eſt, ſequitur ſuum principale. Ergo ſi obligatio nulla eſt, per iusiurandum nulla introducitur. Deinde 2. iureiurando obligamur Deo, ſi acceptat iusiurandum. Quis vero dixerit, Deum acceptare iusiurandum vi et metu extortum?

§. 6.

Inde ergo colligit Grotius, etiam *fidem habendam eſſe ſubditis bellum cum rege gerentibus.* Bellum enim gerunt aut iuſtum cum tyranno, aut iniuſtum tamquam rebelles. Si prius: quis negauerit iis fidem ſeruandam, qui iuſti hoſtes ſunt? Sin po-

ſterius,

ſterius; ſane nulla ratio denegandi fidem ſubditis rebellibus, quam ne latronibus quidem denegari poſſe demonſtrauimus.

§. 7.

Obiiciunt, *quod ad ſubditos dominium eminens.* Eo iure poſſunt agere omnia principes, quae exigit rei publicae vtilitas. Ergo et pacta cum rebellibus inita poſſunt reſcindere, ſi ſalus rei publicae exigat.

Reſp. 1. Dominium eminens eſt ius, non ergo verti debet in iniuriam. 2. Locum non habet niſi in caſu extremae neceſſitatis. 3. Iuri in ſuum fauorem introducto vnuſquiſque poteſt renunciare. Ergo et princeps. Renunciat vero, dum paciſcitur cum rebellibus.

§. 8.

Inprimis id obſeruare oportere ait, *quod promiſſum eſt rebellibus, ſi iusiurandum vel principis vel ciuitatis acceſſerit, cuius eadem eſt ratio, quod ita non rebellibus, ſed Deo obligentur.* nu. 1. 2.

Sed id quoque nihili eſt. Iusiurandum enim nihil nouae obligationis introducere, iam paullo ante vidimus. Ergo aeque promiſſa rebellibus ſeruanda ſunt, ſi iniurata ſint, ac ſi iureiurando firmata.

§. 9.

Verius eſt, quod hac §. ait Grotius, *multo magis valere promiſſum, ſi tertio interuenienti factum ſit.* Nam tertio, qui metum nullum iniecit, exceptio quod metus cauſſa obſtare non poteſt. Hinc e. g. quum Macedones bellum cum rege ſuo Philippo geſſiſſent: Romanis pollicitus eſt rex, ſe ſubditos ſuos ob hoc bellum non perſequuturum. An contra Romanos habebat exceptionem, pacta cum rebellibus inita, tamquam vi et metu extorta non obligare? Negatur. Romani enim, quibus promiſerat, non erant rebelles, nec ii hoc pactum vi metuque iniuſto extorſerant.

§. 10.

Porro et ideo pacta cum ſubditis inita abſurda non ſunt, quia mutatio rei publicae non abſurda eſt. Alio loco demonſtrauimus, rem publicam vel ciuitatem pactis inter principem et ſub-

ſubditos conſtitui. Quis vero negauerit, pactum contrario pacto tolli et mutari poſſe.

Ergo nec abſurdum eſt, cum ſubditis, in quos antea imperans pleno imperio vtebatur, ita pactum iniri, vt in poſterum reſtrictior ſit imperantis poteſtas, vel vt pars ſubditorum plane libera ſit?

§. 11. 12.

nu. 1. 2. Iam ex his quae dicta ſunt colligit Grotius. *Si ergo pacta ſeruanda ſunt latronibus et rebellibus, multo magis ſeruanda erunt hoſtibus iuſtis.*

Nam hic ceſſat exceptio, quod metus cauſſa, quia hoc medium coercendi inter gentes aeque iuſtum habetur, ac inter ciues iudicia.

Quicumque vero non eſt iniuſtus, iſte nec obligationem reddit irritam. Illuſtrari id poteſt exemplo ciuis a magiſtratu metu carceris adacti vt promitteret, ſe intra menſem quod debeat, ſoluturum. Hic ſane exceptionem quod metus cauſſa non habet. Ergo nec is, qui bello iuſto adactus promiſit.

Ergo hoc non pertinet ad promiſſa vi non bellica ſed illicita extorta, e. g. ſi quis reginam victam metu ſtupri adegerit ad promittendum. Non enim vis bellica in ſtupris, ſed in armis conſiſtit.

§. 13.

nu. 1. 2. Quaeritur, *an* et *perfidis ſeruanda fides*? Adfirmat Grotius, ideo laudans Romanos, qui fidem ſeruauerint Poenis, toties foedifragis, itemque eoſdem vituperans, quod Luſitanos toties foedifragos, noua perfidia vlti ſint.

Sed diſtinguendum, an in aliis pactis perfidi ſint, an in hoc ipſo. Si in aliis, id non prohibet, quo minus ipſis fides ſeruanda ſit. Sin in eadem, perfidia alterius nos quoque liberat. e. g. Hannibal aliquoties deceperat Romanos. Iam hi cum illo inducias faciebant, an poterant eas ideo violare Romani, quia Hannibal antea fuerit perfidus? negatur. Sed ſi fingamus, Hannibalem contra has ipſas inducias feciſſe: nihil prohibet, quo minus et Romani iam poſſent iis ruptis Hannibalem bello perſequi.

§. 14.

Vidimus hactenus regulam: *hoſti ſeruanda fides*: ſequuntur exceptiones, quarum duae ſunt, conditionis defectus et compenſatio.

I. De conditionis defectu res clara eſt. Promiſſi enim conditionalis non praeſens eſt obligatio, ſed futura. Nec prius incipit obligatio, quam exſtiterit. Ergo ſequitur, vt ſi conditione non exſiſtente promiſſum non adimpleo, non perfidus ſim; ſed iure meo vtar.

Eſt vero conditio vel expreſſa vel tacita. Per tacitam hic non intelligitur ea, quam quis dicit ſe in mente retinuiſſe. Nam ſic nulla obligatio valeret, quia vnuſquiſque dicere poſſet, ſe hanc vel illam conditionem in mente habuiſſe: ſed talis, quae ex ipſa natura negotii fluit; e. g. *dotem tibi dabo*: ſubintelligitur, *ſi tibi nupſero*. Dos enim ſine nuptiis non intelligitur. *Adimplebo pacis conditiones*, ſubintelligitur: *ſi et tu adimpleueris*, cet.

§. 15.

II. Altera exceptio eſt *compenſatio*, quae eſt mutui debiti et crediti contributio. Valet 1. ſi debitum vtrinque liquidum eſt, 2. ſi mutuum eſt, 3. ſi certae aeſtimationis. Si ita fiat compenſatio, tunc recte dicitur obligationem promiſſi ceſſare, ſi ſit ius compenſandi.

Hinc elegans caſus. Titius a me mutuam ſumſit pecuniam et iuratus promiſit, ſe eam reſtituturum. Interea et ipſi tantumdem debere coepi ex vendito. Non ſoluit. An periurus eſt? Negatur, quia compenſare eſt ſoluere.

§. 16.

Nec intereſt, vtrum ex eodem contractu naſcatur debitum mutuum, an ex alio diuerſo. Sufficit enim adeſſe debitum mutuum. Hinc paullo ante dedimus exemplum, vbi vnus ex mutuo, alter ex vendito debebat.

Obiici quidem poſſet, iure ciuili in quibuſdam contractibus et cauſſis locum non habere compenſationem, e. g. in depoſito. Sed facilis reſponſio: ius naturae gentium hoc diſcrimen non agnoſcere, quippe ideo inuentum a legiſlatoribus, vt omnem praetextum non reddendi depoſitum excluderent.

§. 17. 18.

Immo et non intereſt, an alter mihi debeat ex contractu an ex delicto. Nam et ex hoc naturalis naſcitur obligatio, tum ad reſtituendum, tum ad poenam. Sed id modo diſcrimen in ſtatu ciuili obſeruatur, 1. quod quum debitum ex contractu plerumque liquidum ſit, ex delicto quod debetur, fere iudicis officio definitur. 2. Quod quum ex contractu priuatis aeque ac rei publicae deberi poſſit, mulcta plerumque hodie non priuatis ſed rei publicae debeatur, excepta fere aeſtimatione, quam actione iniuriarum conſequimur.

§. 19.

n. 1. 2. 3. 4. 5. Quemadmodum ergo haec in ſtatu ciuili locum habent, ita et inter gentes bellum gerentes obſeruantur. Sed id tamen non intelligendum de controuerſia primaria, de qua bellum geritur, ſed de aliis ſpecialibus, quae durante bello incidunt. Sic e. g. ſi bellum geratur ob debitum 300. millionum, et ſubditi nobis tributa promiſerint durante bello, non poſſunt nobis tributa negare ſub praetextu, quod ipſis 300. milliones debeamus. Haec enim eſt controuerſia, de qua ſub gladio iudice lis eſt. At ſi e. g. bellum geramus diuerſis locis, et alio loco victores adegerimus hoſtes ad promittenda tributa, alio loco victi ipſi tributa promiſerimus, nobis non ſoluentibus ipſi quoque ſua iure compenſationis merito retinent.

Addit et hic Grotius monita quaedam, veluti *generoſi animi eſſe et compenſationi renunciare : id quoque exigere aliquando Chriſtianam caritatem* cet. Quae quidem vera ſunt, ſed in bello raro obſeruantur, vbi plerumque ſufficere creditur, ſi non iniuſte agant belligerantes.

CAPVT XX.

DE PACE.

§. 1.

PRolixe hactenus egimus de *bello*. Iam de *pace* agitur, vel de pactionibus cum hoſte. Pactiones illae aut *expreſſe* fiunt

aut

aut *tacite*. De *fide tacita* agitur *cap.* 24. Expreſſae pactiones ſunt vel *publicae* vel *priuatae*. De priuatis agitur *cap.* 23. *Publicae* ſunt aut ſummarum poteſtatum aut inferiorum. De *pactionibus inferiorum poteſtatum* agitur *cap.* 22. Denique ſuperiorum poteſtatum pactiones vel bellum componunt, quales *pactiones de pace*, de quibus *hoc capite* 20. vel ſuſpendunt belli actus, vt *induciae*, de quibus *cap.* 21. De pace quaeritur,

1. *Quis eam inire poſſit?* §. 2-4.
2. *Quibus conditionibus?* §. 5-26.
3. *Quomodo pax violetur vel rumpatur?* §. 27-41.
4. *An et aliis modis finiri poſſit bellum?* §. 42. fin.

§. 2.

Si quaeritur, *quis pacem poſſit inire?* reſp. ſummus imperans. Qui enim habet ius belli, idem et ius pacis; 2. in pace quaeritur, de rebus reddendis, de cedendis vrbibus et prouinciis. De his rebus nemo praeter ſummum imperantem ſtatuere poteſt.

Ergo ſequitur, vt in ſtatu vere monarchico ſolus rex pacem faciat, quia ſolus ſummus imperans. Dicimus *vere monarchico*. Saepe enim rei publicae forma exigit, vt rex nihil poſſit ſine conſenſu ſtatuum, vt in Polonia.

§. 3.

Quum vero pax ineatur per pacta: paciſci vero non poſſint impuberes: quaeſtio eſt, *an rex impubes pacem facere poſſit? item an furioſus? denique an captiuus?* *num.* 1.

De impubere et furioſo id negatur, quia illius nullus conſenſus. Ergo aut cum tutore eius paciſcendum, cuius plena eſt poteſtas, aut cum tutore et ordinibus imperii ſimul: aut, quod tutius, induciae fieri poſſunt, vſque ad pubertatem regis.

De captiuo incidit quaeſtio, quum Carolus V. cum Franciſco I. Rege Galliae in carcere Madritano feciſſet pacem. Et recte quidem negatur, captiuum pacem facere poſſe, quia quamuis rex ſit, exercitium tamen regii imperii ceſſat.

Ergo diſtinguendum, an de rebus priuatis paciſcatur, an de regno et re publica. Priores pactiones valent, non poſteriores. *num.* 2.

§. 4.

In ſtatu Ariſtocratiae proceres pacem ineunt: in democratico

tico totus populus per ſuffragia in comitiis. Inde ſequitur, vt

1. Diſſentientibus proceribus vel ciuibus plura ſuffragia vincant pauciora.
2. Vt pacta tunc obligent et eos, qui non conſenſerunt.
3. Vt iisdem etiam proſit.

§. 5.

n. 1.2.3. Hactenus de perſonis paciſcentibus, iam *de rebus* vel *conditionibus, de quibus pacta ineuntur*, quae vel *publicae* vel *priuatae*.

Publica res eſt regnum eiuſue pars, vnde quaeritur, *an id vel totum vel ex parte per pacem alienari poſſit*?

Diſtinguitur et hic, an regnum patrimoniale ſit, an vſufructuarium. Si vſufructuarium, rex illud alienare non poteſt, adeoque nec per pacem concedere hoſti, niſi accedat ordinum totius regni conſenſus.

Si pars hoſti concedenda, diſtinguendum denuo an ea iam ab hoſte armis occupata ſit, an de nouo illi ſponte concedenda. Si prius, ſufficit in regno vſufructuario conſenſus principis et ordinum regni, nec opus eſt conſenſu eorum, qui hoſti conceduntur. Sin poſterius, et rex, et ordines, et illi ipſi, qui alienantur, conſentire debent.

Ratio ex pacto primaeuo, quo res publicae huiusmodi conſtituuntur petenda, quo ſane facultas non alienandi ſed regendi data eſt principi.

num. 4. Si vero regnum patrimoniale eſt: ipſa natura huiusmodi imperiorum docet; ea libere alienari, ita vt nec ordinum, nec partis alienandae conſenſu opus ſit, ſed ſola ſufficit principis voluntas.

§. 6.

Ex quo ſimul patet, quomodo decidenda quaeſtio: *an et quatenus ſubditi regum pactionibus teneantur?* Nam eadem obtinet diſtinctio. Si regnum patrimoniale vel plane herile, quidquid pactus eſt rex, et ſubditos obligat. Sin vſufructuarium, ſubditi tenentur, quatenus rex egit ſecundum leges fundamentales regni et imperii. Non enim plus habet huiusmodi rex, quam quod ipſi datum eſt.

§. 7.

§. 7.

Iam *de rebus priuatis*! An et de his valet *pactio*? e. g. ſi princeps praedia et agros priuatorum cedat hoſti in ſatisfactionem, an id ratum eſt. Reſp. affirmando, quia imperantes in ſubditorum rebus gaudent dominio eminente. Res publica aeque habet dominium in rebus ciuium ac ipſi ciues, ſi neceſſitas rei publicae id exigat. Iam neceſſitas rei publicae id ſaepe exigit, vt potius res priuatae, quam publicae hoſti concedantur. Ergo id poteſt res publica eiuſque victor. num. 1. 2.

Interim omnino et reliqui ciues his, quorum res hoſti conceſſae ſunt, tenentur ad reſarciendum damnum, 1. quia nec reliqui ciues cum vnius damno fieri debent locupletiores, 2. quia inter ciues debet eſſe aequalitas, nec vnus plus contribuere debet ad tuendam rem publicam quam alter.

§. 8.

Noua quaeſtio eſt, *an ſi ciues noſtri damnum ingens tempore belli paſſi ſunt, iis reſtitutio quaedam a re publica debeatur?* Vaſquius in controuerſiis illuſtribus negat, ex ea ratione, quod ius belli talia permittat. Sed id recte abſurdum dicit Grotius. Ius belli enim excuſat, non quae ciuibus fiunt, ſed quae hoſti nocentur.

Ergo omnino reliqui ciues debent refundere damnum, quod ex conciuibus vnus vel alter extra ordinem paſſus eſt, ex eadem ratione, ob quam contributio fieri ſolet ex *L. Rhodia de iactur.* ſi vnius merces in mare proiectae ſint; vt aliorum res ſeruentur.

§. 9.

Sunt qui diſtinguunt inter ea, quae iure gentium et quae iure ciuili noſtra ſunt. Haec dicunt ſubeſſe arbitrio principis vel rei publicae, ita, vt poſſit in illa dominium eminens exercere. Illa non aeque. Quaeritur itaque, an recte ita diſtinguant?

Negatur. Nam 1. dominium ex qualicumque cauſſa naſcatur, eſt dominium. Non ergo ad cauſſam dominii, ſed ad effectum reſpiciendum. 2. Quae iure ciuili noſtra ſunt, eo minus alterius arbitrio ſubeſſe debent, quia plerumque titulo oneroſo adquiruntur, quum quae iure gentium adquiruntur, maximam partem titulo benefico.

§. 10.

Ergo maneat hoc, rem publicam poſſe vrgente neceſſitate de rebus etiam priuatis diſponere, easque hoſti tradere in ſatisfactionem. Sed diſtinguendum tamen ius hoſtis et noſtri principis.

Hoſtis poteſt accipere ſalua conſcientia, quae ipſi in ſatisfactionem offeruntur, ſiue ſint publica, ſiue priuata.

Princeps vero noſter, vel res publica, non poteſt promiſcne res priuatorum tradere, ſed 1. vrgente neceſſitate, 2. oblata ſatisfactione dominis, qui rerum ſuarum iacturam patiuntur.

§. 11. 12.

Incidere hic ſolet quaeſtio *de interpretatione conuentionum pacis.* Interpretatio quum vel extenſiua, vel reſtrictiua, vel declaratiua ſit, quaeritur, quae hic locum habeat?

Inhaeret Grotius regulae vulgari: *Fauorabilia late, odioſa ſtricte ſunt interpretanda*; quae et falſa, et hic adplicari nequit. Nos ita dicimus. Iura magis fauent iis, qui de damno vitando certant, quam qui de lucro captando.

Inde ſequitur, vt pacis conuentiones ratione eius, qui inde lucrum habet ſtricte interpretandae ſint, ratione eius, qui iis damnum patitur, late. Ex hac regula facile componi potuiſſet controuerſia inter Gallos et Germanos, an pace Weſtphalica cum Alſatia etiam decem ciuitates imperii in Alſatia ceſſae eſſent?

Si neuter lucratur, regula plerumque eſt: *Vti poſſidetis, ita poſſideatis*; adeoque interpretatio in dubio pro poſſeſſore facienda.

§. 13.

Nonnumquam in pace conuenit, *vt omnia reſtituantur in ſtatum, qui ante bellum fuit*; vbi tenenda regula: *Reſpicitur tunc ad poſſeſſionem vltimam, non anteriorem, quia de ea paciſcentes cogitaſſe non praeſumuntur.*

Inde lucem capit art. 4. pacis Ryswicenſis, Proteſtantibus tam infeſtus, vbi cautum vt ſtatus religionis in locis ceſſis et reſtitutus ſit, qualis fuerit ante bellum. Id pontificii interpretabantur de religione antiquiore pontificia, proteſtantes de ea, quae proxime ante bellum fuerit, nempe Euangelica.

Interim

Interim antiquioribus poſſeſſoribus, ſi quod ius habent, ſolum debet eſſe ius, via iuris ſuum conſequendi.

§. 14.

Fieri etiam ſolet, vt tempore belli populus liber alterutri parti belligerantium ſponte ſe ſubiiciat. Quaeritur itaque, *an tunc in pace, ſi omnia ad priorem ſtatum redire iubentur, etiam hic populus libertati ſuae reddendus ſit?*

Reſp. diſtinguendum, an ita expreſſe conuenerit, nec ne. Priore ſtatu ſtandum eſt pacto. Poſteriore non praeſumitur ita conueniſſe. Nam 1. hunc populum nemo poſſedit, adeoque nemini reddendus. 2. Ipſe ſui iuris ſponte ſe nobis dedidit, potuitque ſuo iuri renunciare. Ergo tertii nihil intereſt.

§. 15.

Quaeritur porro, *an poſt pacem et damna inuicem reſarcienda?* Reſp. aut ita conuenit, tunc pacto ſtandum: aut non conuenit, et tunc damna ſibi inuicem cenſentur remiſiſſe,

1. Quia bellum ſine iis geri nequit.

2. Quia et in ſtatu ciuili in dubio litis impenſae compenſantur.

§. 16.

Quid vero *de priuatorum debitis, an illa* quoque *bello exſpiraſſe cenſentur?* e. g. ſi ante bellum Gallus mercator debuerit Amſtelodamenſi.

Negatur, ea bello exſpirare, 1. quia liberatio a debitis priuatis non eſt belli cauſſa, 2. quia belli ius debita non exſtinguit, quamuis durante bello occaſio exigendi debita ceſſet.

§. 17. 18.

Quid vero de *poenis?* Aut illae debentur ob delictum hoſti illatum, tunc remittendae pace inita; aut ex alio quocumque crimine, tunc pax nihil mutat.

E. g. ſi cepimus hoſtilem piratam vel praedonem, qui nobis multum damni intulit; vel proditorem, qui munimentum hoſti tradidit, ei poena remittenda facta pace: non qui condemnatus ob furta, adulteria, caedes.

Ratio prioris deciſionis eſt lex amneſtiae, quae ſemper primum pacis articulum conſtituit.

§. 19.

§. 19.

Quaeritur porro *de praetenſionibus*, *quae ante bellum vrgebantur*, *an eae per pacem ceſſent?*

Reſp. id ex ipſis articulis iudicandum. Aliquando illis ſollemniter renunciatur, tunc res clara. Aliquando tacite, dum alterius ius agnoſcimus, e. g. imperator in pace nupera agnouit ius regis Hiſpaniae; aliquando ſibi reſeruat titulum, vt idem imperator dicitur rex Hiſpaniae; aliquando res dubia relinquitur, vt pace Ryswicenſi controuerſia inter ducem Aurelianenſem et electorem Palatinum.

§. 20.

Aliquando contingit, vt pace nondum publicata exercitus noſter vrbem, homines, res capiat, quamuis vere pax contracta ſit. Si ergo de iſtis in pace nihil conuenerit, an reddenda erunt? Adfirm. 1. quia per pacem exſpirauit belli ius; 2. quia ceſſante belli iure etiam ceſſat ius occupandi.

§. 21.

Plerumque etiam in pacis articulis conuenit, *vt res captae reddantur*. De his has regulas tradit auctor.

1. Mutua huius modi conuentio late, vnilateralis ſtricte interpretanda, quia hic de lucro captando certat.

2. Reſtitutio hominum latius interpretanda, quam reſtitutio rerum. Quia pro hominibus captis militat miſericordia.

3. Immobilium reſtitutio maioris momenti quam mobilium; quia dubiae aeſtimationis.

4. Reſtitutio a re publica magis vrgenda quam a priuatis; quia hi plerumque titulo oneroſo adquiſiuerunt.

§. 22.

Si res reſtitui iubentur, an et fructus?

Reſp. Diſtinguendum inter fructus a tempore poſſeſſionis, et a tempore pacis. Illi non reſtituuntur, quia victor fuit bonae fidei poſſeſſor. Hi exiguntur, quia a momento pacis initae rem alienam poſſedit.

§. 23.

§. 23.

Si regio reſtitui promiſſa, an intelligendum antiquum an nouum nomen? Controuerſia haec incidit inter Hiſpanos et Gallos, quum Neapolin inter ſe diuiderent, vbi Galli regiones nouo, Hiſpani antiquo nomine vocabant. GVICCIARDIN. *Hiſt. lib. V.*

Sed recte Grotius, nomina regionum accipienda eſſe ex vſu praeſenti. Vſus enim interpretatur vocabula, quem penes eſt vis et norma loquendi.

§. 24.

Saepe in pace fit relatio ad pactum antecedens aut vetus. Quo facto, omnes conditiones videntur repetitae, quae non excipiuntur ſpeciatim.

Saepe etiam promittitur factum, tunc quaeritur, an in mora ſit, qui paratus eſt facere, quum per alterum ſtet, quo minus fiat? e. g. ſi promiſerit rex regi copias 10000. et hic bellum non gerat.

Negatur. Quia facti promiſſum obligat tantum vt faciamus, ſi alterius interſit. Ergo vbi alterius non intereſt, vel vbi ipſe, cui promiſſum factum impedit, ceſſat obligatio. Exemplum habemus in iure priuato. Titius ſi filiam meam vxorem duxerit, 1000. habeto. Ducere voluit, ſed haec noluit, conditio pro adimpleta habetur.

§. 25.

Si vero *in mora vere ſit promittens, poteſtne illa mora purgari?* e. g. promiſit rex alteri ſuppetias, ſimulac bellum ingruat. Otto bello non mittit, ſed exacto anno mittit, an mora purgata? Minime. Nam vbi non perinde eſt, quando promiſſum praeſtetur, ibi mora tardius praeſtando non purgatur. Atqui in promiſſis ſubſidiis non perinde eſt, quando promiſſum praeſtetur, ſiquidem cauſſa ſemel vulnerata, victori reſiſtere non tam facile eſt, quam ſub initium belli. Ergo mora tardius praeſtando ſubſidium, non purgatur.

§. 26.

Interpretatio contra quem fieri debet in dubio? an contra promittentem, an contra eum cui promittitur. Reſp. contra eum cui promittitur, 1. quia hic conditiones exigit; 2. quia ſibi imputa-

re debet, quod clarius non ſit loquutus; 3. quia quod non exegit, remiſiſſe videtur. E. g. imperator Ruſſiae victis Suecis conditiones pacis praeſcripſit, vt Liuonia et Ingermania caderent, ipſe Finnoniam redderet. Quaerebatur, an et Wiburgum reddi debeat? Procul dubio. In dubio enim contra eum fieri debet interpretatio cui promiſſum.

§. 27.

Sequitur tertia pars capitis, qua quaeritur, *quomodo pax rumpatur et violetur?* Primo ergo omnium diſtinguenda haec duo, *pax rumpatur, an noua bello cauſſa praebeatur.*

Noua bello cauſſa praebetur, quoties controuerſia naſcitur, de qua ſuperiore pace nihil plane deciſum eſt. E. g. Bellum de ſucceſſione Hiſpanica ex noua plane oriebatur controuerſia, de qua pace Riſwicenſi nihil ſtatutum. Ergo nec pax Riſwicenſis rumpi videbatur.

Pax contra rumpitur tribus modis, 1. faciendo contra id, quod omni paci intereſt, 2. faciendo contra conditiones pacis expreſſas, 3. faciendo contra id, quod tacite ex pacis conditionibus fluit.

§. 28.

I. *Faciendo contra id quod omni paci intereſt.* Omni paci hoc ineſt, vt ſine noua cauſſa bellum non moueatur, nec vis alteri vlla inferatur. Ideo enim pax initur, vt bellum ex iſta priore controuerſia natum ceſſet. Ergo ſi paciſcens reuocat antiquam praetenſionem, et ideo arma corripit, pacem procul dubio rupit. Sic recte Romani arguebantur, quod pacem violarint, bello Punico III. moto. Pace enim antecedente controuerſia fuerat definita, nec Carthaginienſes contra pacem quidquam admiſerant, ſed Romani tantum prae ſe ferebant, quod ſecuritatis ſuae cauſſa vrbs eſſet deſtruenda.

§. 29.

Poteſt autem aliquis contra id, quod omni paci intereſt facere, 1. ſi vel ipſe, vel ſocii, vel ſubditi vim inferant; 2. ſi vel nobis, vel ſubditis, vel ſociis noſtris vis inferatur.

Perinde eſt, ſiue ipſe, qui nobiſcum pactus, ſiue ſocii vim intulerint. Sed hic diſtinguendum tamen, an ſocii ſint aequales, ita vt alter alterius imperio nullo modo ſubſit, an inaequales,

vt alter alterius certo modo ſit ſuperior. Priore caſu pax rupta non videtur a nobis, ſi ſocii noſtri bellum moueant, e. g. ſi iam imperator bellum inferat Gallis, nec Britanni nec Belgae dici poſſent pacem rupiſſe, quamuis imperator ſit eorum ſocius. At poſteriore caſu omnino pax rupta, ſi ſocium noſtrum arma mouentem non prohibuerimus, e. g. ſocii Ruſſorum ſunt Coſaci, ſed ita vt Ruſſi ſint ſuperiores. Iam ſi Coſaci impreſſionem faciant in Poloniam, et illi non prohibeant, nemo dubitarit, quin Ruſſi pacem ruperint.

§. 30.

Perinde quoque eſt, ſiue nos, ſiue ſubditi noſtri laedant eos, quibuscum pacem iniimus. Sed hic denuo diſtinguendum. Aut iuſſu publico id faciunt, aut priuato auſu. Si iuſſu publico, tunc quod quiſque per alium facit, illud ipſe feciſſe videtur; ſin auſu priuato, tunc aut ſciente aut ignorante imperante id factum. Si prius, et imperans ſciens non impediuit, pacem rupit. Sin poſterius, tunc tertio diſtinguendum, paratine ſint imperantes ad ſatisfactionem, et ſupplicium a ſubditis ſumendum, an illa denegent. Priore caſu non rupiſſe cenſentur pacem, poſteriore ruperunt procul dubio.

§. 31.

Quid ſi ſubditi noſtri damnum intulerint, ſed aliis militantes. E. g. Heluetii multi ſtipendia faciunt Gallis. Fingamus Gallos militibus iſtis Heluetiis vti ad inuadendam Germaniam, an Heluetii fractae pacis argui poſſunt?

Et hodie quidem diſtingui ſolet, an militia illa auſpiciis publicis alteri ſtipendia faciat, an priuato conſilio. Si prius: tunc denuo videndum, an id foederibus repugnet, nec ne. Si prius, pax rumpitur, non ſi poſterius. Sic e. g. nullum exſtat pactum, nullum foedus, quo Heluetii Germanis promiſerint, ſe contra Germanos alteri non militaturos. Si priuato conſilio, tunc pax rumpi non cenſetur, niſi ſimul ſint e gente ſocia. Haec enim obſtricta eſt ad milites illos hoſti ſtipendia facientes, ſub poena proditionis et confiſcationis bonorum domum reuocandos.

§. 32.

Perinde porro eſt, *ſiue nobis vis contra pacem inferatur, ſiue* num. 1. 2.

ſubditis noſtris. Vbi tamen diſtinguitur, an ſubditis noſtris nocitum ſit vltro, an defenſionis cauſſa. Si prius, pax rumpitur, niſi ſtatim detur ſatisfactio. Sin poſterius, non rumpitur, e. g. ſi ſubditi noſtri exerceant piraticam, et alii eos capiant, nauibus ſpolient, cet.

§. 33.

num. 1. 2. Perinde porro eſt, *ſiue nobis ſiue ſociis noſtris vis inferatur.* Socii enim pace comprehenſi nobiſcum communem cauſſam habent. Diſtinguendum tamen, an ſocii ſint pace comprehenſi de quibus iam diximus, an tantum cognatione, affinitateue iuncti. Si prius, pax rumpitur, non ſi poſterius, tametſi bellum inferatur cognato vel adfini.

§. 34. 35.

II. Rumpitur pax faciendo contra expreſſas pacis conditiones, ſiue id fiat faciendo, e. g. tributum imponendo ſociis, quod non impoſiturum ſe promiſerat.

Nec intereſt, conditio ſit magni an parui momenti; non enim hic quaeritur, quantum damni feramus ex conditione pacis violata, ſed an non alter ſit perfidus. Quemadmodum ergo in ſtatu ciuili aeque iniuſtus eſt, qui 100. florenorum debitum non ſoluit, quam qui 10000. non ſoluit: ita et in pace violata perinde eſt, ſiue leuior, ſiue maioris momenti conditio violetur.

Alia quaeſtio eſt, *an caritas Chriſtiana, an prudentia ferat, ob levem quamuis iniuriam pacem pro rupta habere; et arma corripere?* Id enim nemo dixerit. Sed ſi quis tamen corripiat, ideo non iniuſte egiſſe cenſebitur.

§. 36.

Aliquando in eum caſum poenam nobis ſtipulamur, ſi alter, quocum paciſcimur, pacem rumpat; et tunc poenam committi, ſi quid contra pacis conditiones fiat, nemo dubitat. Poena enim huius modi non eſt ſatisfactio, quam exigit ſuperior, ſed quam per conuentionem conſtituit ipſe paciſcens. Pacta vero et iure naturae ſeruanda ſunt.

Quum vero exſequutio huius modi poenae conuentionalis admodum ſit difficilis: ita ſtipulari ſolent principes et res publi-

cae,

cae, vt huius modi ſumma interea apud tertium deponatur, donec conditionibus pacis ab vtraque parte ſatisfactum ſit.

§. 37.

Quid *ſi res caſu perierit, quam in pacis conditionibus alter alteri promiſit?* Tunc alias quidem promittens ſpeciem, iure ciuili liberatur, ſi ſpecies perierit: ſed aliud iure gentium. Quia enim ſic pax fieret inutilis, hinc inter gentes moribus receptum, vt aeſtimatio praeſtetur.

Ergo regula iuris ciuilis tantum valet, ſi quid promiſſum, quod aeſtimationem non recipit, e. g. reſtitutio captiuorum. His enim interim mortuis in captiuitate, ne aeſtimatio quidem debetur.

§. 38.

Obſeruat hac §. auctor, *integrum eſſe parti laeſae, etiam poſt laeſam ab altera parte fidem, pacem continuare*; idque illuſtrat exemplo Scipionis, quem Carthaginenſium perfidia non impediuit, quo minus ex ſua parte pacem ſatis diu ſeruaret. Sed haec res dubio caret. Quod enim alter nobis in pacis articulis promiſit, id in fauorem noſtrum promiſſum eſt. Quiſque vero poteſt iuri in fauorem ſui introducto renunciare.

§. 39. 40. 41.

III. *Rumpitur pax faciendo aliquid contra id, quod ex pacis conditionibus fluit.* Sic e. g. ex pace fluit amicitia. Haec exigit,

1. vt legati vtrimque recipiantur, et amice tractentur.
2. Vt ſubditi vtriuſque partis poſſint per vtriuſque prouincias tuto peregrinari et iter facere.
3. Vt non prohibeantur commercia mutua, ſi non repugnent foederibus et pactionibus anterioribus.
4. Vt iuſtitia adminiſtretur tam ſubditis exterorum, quam noſtris.

Si quid ergo poſt pacem ſecus fiat, nec ſatisfactio offeratur, dubitari nequit, quin pax rupta ſit.

§. 42.

Sequitur quarta pars: *an non et aliis modis, quam pactionibus pax iniri poſſit?* Sane veteres aliquando vſi ſunt huius modi compendiis, de quibus iam diſſerit Grotius.

 I. Ali-

I. Aliquando gentes belligerantes rem ſorti commiſerunt; id eſt, ita inter eos conuenit, vt de iure controuerſo ſortes iacerent, et cuicumque ſors faueret, is pro victore haberetur.

Egregium ſane compendium: 1. quia ita ſanguini humano parcitur, et 2. res vere iudicio Dei committitur, cuius in manu ſors eſt, teſte Salomone.

Sed diſtinguendum tamen, an res de qua litigatur, ſit in commercio et arbitrio imperantium, vt oppida, pagi, cet. an non ſit, e. g. vita, pudicitia, libertas ſubditorum. Priore caſu, ſorti locus eſt, non poſteriore, quia obligantur imperantes potius vt haec defendant, quam vt ſubmittant aleae.

§. 43.

num. 1. II. *Aliquando pacem factam nouimus per bellum repraeſentatiuum.* Tale eſt, ſi ex vtriuſque partis excercitu, ſelecti quidam iuuenes congrediuntur, eo inter vtramque rem publicam interpoſito pacto, vt vtra pars vicerit, iſta pro victrice re publica habeatur. Exempla iam collegit Grotius, ſed nullum eſt ſollemnius, quam bellum repraeſentatiuum inter Curiatios Albanos et Horatios Romanos, apud LIVIVM.

n. 2. 3. 4. 5. Quaeritur, *an talia certamina ſint licita?* Diſtinguit Grotius inter ius gentium et naturale. Iure gentium id licitum eſſe concedit, non iure naturali, quod et ſupra *Lib. II. cap.* 1. §. 12. *ſequ.* docuerat. Videbimus rationes:

1. Peccare contra Deum, qui ob res, quibus carere poſſumus, hominem occidit.

2. Peccare in Deum et ſeipſum, qui vitam tam vili aeſtimat, vt eam exponat periculo.

Sed eaedem rationes ipſum quoque bellum iniuſtum redderent. Ratio ergo, *quae nimium probat, nihil probat.* Potius dicimus:

1. Quae fieri poſſunt per plura, ea et per pauca poſſunt. Iam non eſt nefas, ſi res publica 100000. hominum vitam periculo opponat: ergo nec nefas erit, ſi tres homines mittat in certamen.

2. Quocumque medio innumerae ſtrages et calamitates impediuntur, illud non eſt in ſe moraliter illicitum. Atqui hoc bello repraeſentatiuo id fit. Ergo in ſe non eſt moraliter illicitum. Quod demum ipſe Grotius *n.* 4. 5. concedit.

Alia

Alia quaeſtio eſt, *an prudentiae conueniens ſit huius modi bellum?* id enim non dixerim, quia hic ſemel victus nullam ſpem reliquam habet, quae reliqua eſt in bello iuſto.

§. 44.

Quid vero *ſi rex ita pactus ſit, vt controuerſia bello repraeſentatiuo finiatur, an tunc ſubditi, ſi male res ceſſerit, pacto huic ſummi imperantis ſtare tenebuntur?* Recte Grotius diſtinguit inter formas eorum. Regnum vel patrimoniale eſt vel vſufructuarium. Patrimoniale rex pro lubitu poteſt alienare. Ergo et huius modi pacto intercedente de eo paciſci poteſt. In vſufructuario autem non valet huius modi compromiſſum ſine conſenſu populi. Si regnum ſit feudale, e. g. Neapolitanum, tunc et domini conſenſus requiritur.

§. 45.

Saepe in his *praeliis, aeque ac in bello iuſto, dubia eſt victoria:* quaeritur ergo, *quis pro victore habendus?* Victi cenſentur,

1. Qui omnes amiſerunt, e. g. Albani tres Curiatios, quos miſerant, amiſerunt: ex parte Romanorum vnus Horatius victor ſupererat.

2. Qui omnes in fugam acti, nec ſe ſtiterunt iterum. Neuter victor eſt.

1. Si nox ancipiti adhuc victoria pugnantes ſeparat.

2. Si maiore imminente periculo, ſaluis viribus ceſſim ſe receperunt pugnantes. (*la retraite en bon ordre.*)

3. Si vtraque pars paria damna paſſa diſcedat. Reliqua ſigna incerta ſunt, e. g. ſpolia legere, campum in quo praelium factum occupare, cet.

Quodſi ergo vere dubia victoria, res manet integra in eo ſtatu, quo antea fuerat.

§. 46.

III. *Aliquando bellum finitur per arbitrium, ſi belligerantes* ***num. 1. 2.*** *compromittant in tertii ſententiam.*

Arbitri vero duorum generum ſunt, aut enim lecti, tamquam mediatores, quos vocant, ſeu conciliatores: aut tamquam iudices controuerſiae, ob quam bellum geritur. Effectu vtrumque arbitrium ita differt, quod illius arbitrio non pareamus neceſſa-

ceſſario, ſed quatenus aequa ſuadere videatur: huius ſententiae abſciſſe et abſolute parendum.

Et de his hic ſermo eſt. De his vnica obſeruanda regula: *parendum eſſe ei, quod edixerint arbitri, qui vtrique parti placuerunt.* Eſt enim haec natura compromiſſi, vt quod ab initio fuerat voluntatis, id ex poſtfacto fieret neceſſitatis.

§. 47.

num. 1.2. Sed quaeritur, *quam normam* tunc *ſeruare debeant arbitri?* Reſp. Diſtinguendum inter modos compromittendi. Aliquando enim illos eligimus, vt ſecundum certum ius iudicent, aliquando vt ex ſola aequitate.

Si prius arbiter obligatus eſt, vt ex illo iure rationes deciſionis ſuae oſtendat; ſin poſterius, ſatisfecit officio ſuo, modo non aperta ſit iniquitas.

§. 48.

An vero huiuſmodi *arbitri de poſſeſſione, an de cauſſa primaria pronunciare debent?* Reſp. de cauſſa primaria. Nam 1. diuiſio iudiciorum poſſeſſoriorum et petitoriorum ex iure ciuili eſt; eamque ius gentium plane ignorat. 2. Iure naturae et gentium, nemo eſt iure poſſeſſor, niſi qui dominus. Ergo ſi de dominio res ad liquidum perducta, de poſſeſſione etiam res clara eſt.

§. 49.

num. 1.2. IIII. Modus pacem conſtituendi eſt *deditio,* quae vel *pura*, vel *conditionata*, de qua §. 57. *Pura* dicitur, quando victus victori de ſe plenum arbitrium permittit. *Conditionata*, quando dedens ſe certas ſibi conditiones ſtipulatur.

De *pura* ergo quaeritur, *quid* tunc *victor poſſit in deditos ſtatuere?* Diſtinguit Grotius inter deditos et victores. De *deditis* exiſtimat, quod omnia pati teneantur, quippe ſubditi. Hinc vitam, opes, libertatem in victoris arbitrio eſſe.

Sed id falſum videtur. Nam qui ſe etiam pure dedunt, id faciunt, vt vitam ſeruent. Ergo tacita deditioni huic ineſt conditio vitae retinendae, et victor dum deditos recipit ſine iniuria vitam eis eripere non poteſt, licet ſe pure dediderint.

§. 50.

§. 50.

Quid vero victor ſalua conſcientia poteſt? Recte hic Grotius. nu. 1. 2. 3. 4. 5.

1. Non poteſt ipſis eripi vita, niſi in iuſtam poenam, nempe ſi bellum ex inſigni delicto natum ſit. Iam vero victor eſt ſuperior, ergo in ſubditos poteſt poenam ſtatuere.

2. Non poteſt opes auferre. Sunt enim ſubditi. Subditos ſpoliare non poteſt princeps, niſi iterum in poenam.

3. De libertate et conditione eorum poteſt ſtatuere, prout mereri videbuntur, neque iniuriam facit deditis, ſi ipſis paullo durius iugum imponat, quam ciuibus reliquis, e. g. plus tributorum pendere iubeat.

4. Clementia et caritas Chriſtiana hic quoque ſuprema lex eſto. Homines ſumus. Hodie victor, cras fortaſſis victoris currum ſequitur. Moderate ergo vtendum victoria.

§. 51.

De *deditione conditionata* vna eſt regula, quae ex ipſa pactorum natura fluit: *conditiones deditis conceſſae accurate ſeruandae ſunt.*

§. 52.

Addit ſub finem Grotius quaedam de *acceſſoriis pacis*, qualia ſunt *obſides* et *pignora*.

Obſides ſunt homines, qui pro rei publicae ſponſione in pignus traduntur. Ii aut ſponte ſe dant, aut inuiti dantur ab imperante. Quaeritur ergo, *an imperans poſſit ſubditum inuitum dare?* Affirm. quia imperans in caſu neceſſitatis habet ius vitae et necis in ſubditos. Quemadmodum ergo iubere poteſt, vt omnes ſubditi arma corripiant, et ad extremum halitum pugnent: ita poteſt etiam ſubditum dare hoſti in pignus.

Sed quum hoc ex dominio eminente fluat, ſequitur vt res publica damnum huic obſidi datum repenſare teneatur.

§. 53.

An vero obſes occidi poteſt, ſi ciuitas pacto non ſteterit? Negatur. 1. Oppignorauit libertatem et bona, non vitam, quam ne potuit quidem oppignorare. 2. Crudele eſt conſulere dirius in innocentes ob perfidiam alienam.

§. 54.

An vero *fugere licet obſidi?* Diſtinguendum aut fidem dedit hoſti, ſiue ſe ſponte offerendo, ſiue poſtea paciſcendo, vt laxius haberetur, aut fidem non dedit. Si prius fugere non poteſt ex pacto. Sin poſterius, vix ratio eſt cur fugere nequeat, quum nec ipſe nec res publica eum ad id obligaret, ne fugeret.

Alia quaeſtio eſt, *an ciuitas fugientem obſidem recipere poſſit?* Negatur. Nam pignus ſemel datum, licet furto creditori ſubreptum quocumque titulo ad me redierit, reddendum eſt creditori. Ita et obſes ſi fugiat, et ſui ipſius furtum faciat, et ad nos reuertatur. Hinc Cloelia obſes fugiens reddenda erat Porſennae.

§. 55–58.

Subnectit iam Grotius quaedam, quae ad *iura obſidum* pertinent, veluti

1. *ceſſare obſidis obligationem, ſi ſatisfactum ſit promiſſo pro quo dati ſunt; adeo vt ne ob aliam quidem cauſſam retineri poſſint, quod iure ciuili licet in pignore.*

2. *Qui pro homine obſes datur*, e. g. pro captiuo, *eo mortuo liberatur.* Quia enim, vt ſupra diximus, captiuus mortuus non reddi poteſt; hinc et obligatio obſidis ceſſat.

3. Ergo et, qui pro *regis perſona* datur, mortuo rege, liberatur. Pro *regis perſona* dico, nam ſi pro rege, tamquam capite regni, ſimul pro re publica datus cenſetur. Ergo etiam non poteſt liberari rege mortuo.

§. 59.

Alterum pacis acceſſorium ſunt *pignora*, ſimilia quodammodo *obſidibus*. Sed hoc ſingulare et proprium habent, quod quum obſidum obligatio ſtricte admodum interpretanda ſit, in pignoribus locus ſit interpretationi extenſiuae. Pro hominibus enim oppignoratis miſericordia militat, non pro rebus.

§. 60.

Quaeritur poſtremo, *an ius luendi pignoris tempore exſpiret?* idque negatur, 1. quia pignus datur in ſecuritatem promiſſi. Promiſſo praeſtito pignus ipſo iure liberatur. 2. Quia ſi debitor in mora ſit, ſufficit ſi vſuras praeſtet, nec aequum, vt ſimul pi-

gnus amittat. 3. Quia lex commiſſoria in pignore numquam aequa eſt, ob pretium pignoris debitum plerumque excedens.

CAPVT XXI.

DE FIDE MANENTE BELLO, VBI DE INDVCIIS, COMMEATV, CAPTIVORVM REDEMTIONE.

§. 1.

Conſtat hoc caput 3. partibus. Et prima quidem agitur *de inducciis*, §. 1-13. ſecunda *de commeatu*, §. 14-22. tertia *de redemptione captiuorum*, §. 23-30. Omnia enim haec pacta in eo conueniunt, quod durante bello ineantur. *num.* 1-4

I. *Induciae* ſunt pactum per quod actibus bellicis manente bello ad aliquod tempus abſtinetur. Bellum enim eſt ſtatus ſocietatum liberarum de iure controuerſo per vim inter ſe certantium, aut certandi propoſitum retinentium. Si ergo vere inter ſe digladiantur, bellum eſt. Si non certant, ſed tamen certandi propoſitum retinent, induciae ſunt, ſed tamen bellum.

Et inde facile deciditur quaeſtio, *ſintne induciae ad pacem an ad bellum referendae?* Reſp. ad bellum:

1. Quia pax ius controuerſum decidit, adeoque bellum tollit, induciae id non faciunt.

2. Quia ſtatus eſſe poteſt ſine actu. Sic e. g. ſeruus fugitiuus in ſtatu ſeruitutis manet, quamuis actu non ſeruiat: febricitans manet in ſtatu morbi, quamuis paroxyſmus actu non adſit; ita et bellum manet, quamuis actu inter ſe non certent belligerantes.

Obiici poſſet, aliquando tamen inducias admodum diuturnas eſſe, e. g. centum annorum, Liv. *lib.* I. *cap.* 21. Sed reſp. breuius aut longius tempus non variat rem. Inde tamen eſt, quod induciae diuidi ſolent in *bellicas* et *pacificas*.

Bellicae, vbi ceſſat certamen, ſed manet tamen apparatus bellicus, exercitus, caſtra, cet. quod fit ſi breues ſint admodum.

Pacificae, quando apparatus bellicus aeque ac in pace ceſſat,

ſat, e. g. ſi ſint 100. annorum induciae. Vere tamen omnes induciae ad bellum pertinent.

§. 2.

Quaerit iam Grotius, vnde vocabulum *induciae*? Duplicem adfert etymologiam: alteram Gellii *lib. XVIIII. c.* 8. qui ab *endoitu*, id eſt *introitu*, deriuat, quia quaſi introitus ad pacem ſit; alteram ab *inde* et *ocium*, quia inde, id eſt, a certo tempore ocium ſit, de qua etymologia prolixe. Inde ergo etiam confirmatur, quod diximus, *inducias ad bellum pertinere*. Non enim inde pax eſt, ſed otium, manente bello, quale etiam eſſe ſolet hieme; ſi per frigus hoſtes intra hiberna continentur. Otium tunc eſt, non pax.

§. 3.

Quando ergo quaeritur, *an elapſo induciarum tempore noua indictione belli opus ſit*? id merito negatur. Nam

1. vbi bellum non ceſſat, ibi non nouum bellum incipitur, ſed ſuperius continuatur. Vbi ſuperius continuatur, non opus eſt noua indictione.

2. Induciae ſunt tantum impedimentum temporale actuum belli. Ceſſante impedimento, ſtatus belli ipſo iure reuiuiſcit.

Romani tamen aliquando, induciis finitis, de nouo indixere bellum, Liv. *lib. IIII.* Sed indictio illa fuit ſuperfluum, et ideo procul dubio facta, vt Veientes, ſi viderent, nouum ſibi bellum imminere, metu periculi deterriti ſatisfactionem offerrent.

§. 4.

Sed *quomodo tempus induciarum computandum*?

1. Tempus aut generaliter per numerum deſignatum, e. g. centum dies, aut ſpecialiter indicato die, quo finiri debeant, e. g. vſque ad Kal. Martias.

Si prius, tunc tempus computatur a momento in momentum, et centeſimo die elapſo, bellum reuiuiſcit.

Poſteriore caſu quaeri ſolet an Kal. Martiae, tamquam terminus ad inducias adhuc referendae? an iam illo die bellum reuiuiſcit? Et magis eſt, vt ad inducias pertineat, 1. quia magnus eſt induciarum fauor, 2. quia neutrius partis intereſt, eas

die

die citius vel tardius rumpi, 3. quia vulgaris vſus loquendi terminum vltimum tempori coniungit. E. g. loco aedes ad Kal. Martii, nemo dixerit conductorem ipſi illis Kal. expelli poſſe.

§. 5.

Quando vero *incipiunt induciae?* Reſp. a die ſcientiae, vel publicationis. Ergo ſequitur

1. vt ipſos contrahentes ſtatim obligent a momento, quo pactio perfecta eſt, quia ſtatim ſciunt.

2. Vt reliquas a loco pactionis remotiores demum obligent a die publicationis, adeoque

3. vt, ſi quid interea poſt inducias hoſtile fecerint, id impune fecerint.

Ratio eſt, quia induciae, quoad ipſos paciſcentes ſunt pactum, at quod ad ſubditos paciſcentium, ſunt lex, qua edicit imperans, vt belli actus ſuſpendantur. Lex vero non obligat, niſi a die publicationis.

§. 6.

Quaeritur porro, *quid per inducias liceat?* Reſp. ex ipſa definitione patet, omnes actus belli ſuſpendendos eſſe, perinde ac ſi pax eſſet. Ex quo ſequitur nu. 1. 2.

1. vt ceſſare debeat ius occidendi hoſtem, oppugnandi caſtra, vrbes ſpoliandi, praedas agendi.

2. Vt ſi res hoſtiles raptae ſint, eae illis reddi, et raptores puniri debeant.

3. Vt liceat vltro citroque ire et redire, modo periculum non immineat ex multitudine, e. g. ſi aliquot hoſtium millia in caſtris noſtris libere vagantur.

§. 7.

An et futurae defenſionis curam gerere licet tempore induciarum? Omnino, quia bellum imminet poſt inducias. Ergo

1. exercitum poſſum introrſum in locum tutiorem reducere,

2. Moenia reficere,

3. Militem conſcribere, cet. Ii enim non ſunt actus bellici, ſed belli praeparatio, quae quum in ipſa pace licita ſit, quidni et durantibus induciis?

§. 8.

num. 1.2. *An et loca quaedam vel hoſtium praeſidia inuadere licet?* Reſp. quaeſtio nimis obſcura eſt. Diſtinguendum, ſintne loca iam ab hoſte occupata, et praeſidiis cuſtodita, an incuſtodita, et veluti nullius. Si prius, occupari nequeunt, eſſet enim hic actus bellicus: poſteriore, poſſunt, quia locum nullius occupare non eſt hoſtile.

Ergo 1. perinde eſt, ſiue tempore induciarum proditione aliena inuadamus, ſiue armis. Vtrumque illicitum.

2. Non excuſandi, qui loca hoſtium minus cuſtodita, e. g. pagos, oppida, caſtella praeſidiis nudata occupant. Requiſiuimus enim, vt ſit locus nullius, qualis eſt derelictus, e. g. ſi hoſtis oppidum noſtrum tempore belli occupaſſet, idque tempore induciarum vltro desereret; tunc illuc praeſidium noſtrum inducere poſſumus, quia res pro derelictis habitae ſunt nullius.

§. 9.

num. 1.2. Quaeritur iam *an is, qui tempore induciarum iter per hoſticum fecit, et morbo alioue caſu retentus ibi, donec induciae exſpirarent, ius ad ſuos redeundi habeat?*

Reſp. negatur: idque probatur a pari. Nam ſi nouum bellum ingruit, omnes apud hoſtes deprehenſi retineri poſſunt, et ius poſtliminii habent. Ergo et qui reuiuiſcente bello ibi deprehenduntur.

Sed vi maiore et diuina impeditus eſt. Reſp. atqui omne infortunium eſt a vi maiore, et diuina. Talis vero captiuitas non poena eſt, ſed infortunium, ergo nihil intereſt, culpa acceſſerit nec ne.

§. 10.

Hactenus de *induciis generalibus*, quae omnes actus bellicos ſuſpendunt. Sunt etiam *ſpeciales*, quae illos actus ſuſpendunt, qui certum finem impedire poſſent. e. g. *induciae fiunt ad ſepeliendos mortuos.*

Haec ſtricte interpretandae. Ergo nihil quidem tunc agere poſſumus, quos hoſtis cadauera ſepeliens, impediatur, ſed non prohibemur tamen interea alias vrbes inuadere, et aliis locis bellum perſequi.

§. 11.

§. 11.

Quaeritur, *ſi hoſtis inducias rumpat, an et nos obligatione liberemur?* Affirmatur.

1. Perfidia enim vnius alterum obligatione abſoluit in obligationibus bilateralibus.

2. Defenſio vbique et ſemper licita, ergo multo magis, ſi me quis contra pacta vi adgrediatur.

3. Ita fructum ferret hoſtis perfidiae ſuae, dum nos defenſionis iure deſtitutos, intra inducias opprimeret.

§. 12.

Paciſcentes inducias addidere poenam conuentionalem, ſi alteruter eas violaret. *Hoſtis violauit, poenam ſoluit, an iam bellum continuare poteſt?*

Negatur. Nam poena additur, vt hoſtis violationem praeteritam luat, non vt in futurum impune perfidus eſſe poſſit. Et hoc fluit ex natura omnis poenae, tum iure ſuperioritatis tum iure pacti inflictae. Ea enim punitur praeteritum delictum, non licentia peccandi in futurum conceditur. Sane abſurdus eſſet fur, ſi putaret ſe iam impune impoſterum furari poſſe, quia poenam fuſtigationis ob furtum ſuſtinuerit.

§. 13.

An et ob priuati facinus rumpuntur induciae? Negatur, ſed priuatus, qui violauit, ad poenam obligatus eſt. Poteſt tamen et priuati huiuſmodi delictum imputari ipſi imperanti et pro ruptis induciis haberi, 1. ſi ratum illud habeat imperans, 2. ſi datum damnum reſarcire nolit, 3. ſi violantem inducias ad poenam poſcamus, et imperans eum protegat.

§. 14.

II. Sequitur altera pars capitis *de Commeatu. Commeatus* eſt priuilegium, quo per ſcriptas litteras (*paſſeports* vocantur) ſubdito hoſtis conceditur facultas ad nos commeandi, commercia tractandi, cet.

Quaeritur *an ipſe commeatus late an ſtricte interpretandus?* Late, inquit Grotius, quia priuilegium. Sed priuilegia potius ſtricte interpretanda eſſe omnes hodie conſentiunt. Nos ergo potius

tius ſtrictae commeatus interpretationi fauemus. 1. Res enim eſt cum hoſte. Ergo nihil ipſi indulgeri cenſendum, quam quod in litteris commeatus expreſſum. 2. Res periculo non vacat. Facile enim eiuſmodi peregrinus per vrbes noſtras impune vagatus, poſſet hoſti enunciare ſtatum prouinciae, proditiones fouere, litterarum commercia cum hoſtibus inire, cet. Id ne fiat, nihil ipſi indulgemus, quam quod litteris expreſſum.

§. 15.

Quid ſi militibus commeatus datur? an et ſummi duces intelliguntur? an et nautici milites? Adfirmat Grotius, ex ea ratione, quod verbi proprietas eam ſignificationem admittat.

Sed quia 1. iam §. 14. vidimus, commeatum ſtricte eſſe interpretandum, 2. quia in ſenſu ſtrictiſſimo per milites nec belli duces intelliguntur, nec turba nautica, 3. quia res periculo non caret, ſi belli duces in regiones et vrbes noſtras recipiantur, vt et occaſionem et vires noſtras ſpeculari poſſint; magis eſt, vt commeatum militibus datum ad duces porrigi non debere dicamus.

§. 16.

num. 1.2. In litteris commeatus vti ſolent formula: *vt libere ire et redire poſſint.* Quaeritur itaque, quomodo haec verba intelligenda?

Per *itum* intelligitur tum iter ad locum, quo tendit, tum commoratio in illo loco, donec negotium finiatur, cuius cauſſa pervenerit; per *reditum* intelligitur iter a loco iſto in patriam, vſque dum eo peruenerit, vbi in tuto ſit.

Ergo 1. nec in itinere violari poſſunt, quod fecit Alexander, nec in loco, vbi aliquamdiu commorantur, nec vbi ad fines noſtros peruenerunt.

2. Ergo ſi, vel maxime omiſſa clauſula, *vt redire poſſit*, ea tamen tacite ineſſe cenſetur. Alias enim ſine effectu eſſet commeatus.

3. Contra ſi abitus conceſſus, non ideo data cenſetur libertas redeundi: nec cui itus, datus eſt facultas alium mittendi, quia ſtricte interpretandum eſſe commeatum, §. 14. oſtendimus.

§. 17.

§. 17. 18. 19.

Quaeritur porro, *an et ad alias perſonas et res extendatur commeatus?* id eſt, an ſi cui ea libertas data, is alios quoſcumque tamquam comites ſecum ducere poſſit? item an quaſuis res ſecum ferre?

Reſp. Quae ad iter neceſſaria ſunt, ea ſimul conceſſa intelliguntur, ſi iter conceſſum. Hinc ſequitur

1. filios, vxores eo commeatu non frui, quia et ſine iis peregrinari ſolemus. At ſi ius commorandi vel ius domicilii Titio conceditur, etiam familiae conceſſum intelligitur, quia ſine familia habitare non ſolemus. Hinc porro

2. Famuli an comitari debeant eum, cui commeatus datur, et quo nnmero comitari debeant, ex eius ſtatu et dignitate iudicandum.

3. Bona ei conceduntur ad iter neceſſaria, veluti ſuppellex, eſculenta, potulenta, veſtes, pecunia, non item merces vetitae, (*de contrebande.*)

4. Si comites conceſſi, tamen non adſumendi, qui delicti cauſſa odioſi ſunt, vt proditores, piratae, exſules, transfugae, deſertores.

5. Si gentis nomen expreſſum, e. g. Hiſpani, tunc comites ex alia gente adducere nequit. Quia ſtrictam interpretationem in commeatu adhibendam diximus.

§. 20. 21. 22.

Quaeritur denique, *quando ceſſet ius commeandi, ſemel datum?* Reſp. quando, qui accepit, in tuto eſſe coepit. Ergo

1. non ceſſat morte concedentis principis vel ſummi imperantis. Is enim non ratione perſonae conceſſit, ſed ratione ſummae poteſtatis, quae eſt perpetua.

2. Si datus cum clauſula: *quamdiu voluero*: poteſt quidem princeps, quandocumque libuerit, iubere, vt migret, ſed tamen eum violare non poteſt, donec ad praeſidia ſua peruenerit.

3. Si commeatus datus, is valet in omni territorio, ratione concedentis. Et hinc excuſanda non eſſet, e. g. Gallorum perfidia, qui dato commeatu Germano, eum per Heluetiam euntem in itinere opprimerent.

4. Addendum tamen, quod omiſit Grotius, ob nouum delictum ceſſare commeatum. Hinc ſi hoſtilis dux, qui in regnum commeatu inſtructus venit, homicidium ibi commiſerit, vel proditionem conflauerit, commeatus ceſſat, 1. quia delictum omne priuilegium tollit, 2. quia commeatus ſemper conceſſus intelligitur ſub conditione, ſi pacifice et honeſte ſe geſſerit.

§. 23.

Sequitur III. pars capitis, *de redemtione captiuorum*: nam et de ea pacta durante bello iniri ſolent, quae vocantur *cartels*.

Hic 1. obſeruat Grotius, redemtionem hanc eſſe ſumme fauorabilem, a) quia ex caritate Chriſtiana fluit, b) quia captiui ſaepe in corporis et animae periculo verſantur, c) quia et res ſacrae per leges alienari poſſunt, vt redimantur captiui.

§. 24.

Hinc 2. quaerit, *an ea redemtio lege publica prohiberi poſſit?* Id ſane factum apud Romanos, qui numquam captiuos ſuos redimebant, etiamſi ab hoſte offerrentur, vt ad fortitudinem inflammarent homines, eoſque adſuefacerent, vti mori mallent, quam capi. Vid. LIV. *lib. XXII.*

Sed hanc legem *trucem* merito adpellat Grotius 1. quia caritati Chriſtianae repugnat, 2. quia non ſemper culpa captiuorum intercedit, quandoquidem et viri fortiſſimi capi poſſunt, 3. Quia huiuſmodi lex ducit ad αὐτοχειρίαν, vt homines ab hoſte non occiſi, ſe ipſos occidant, quae deſperatio et abſurda, nec rei publicae vtilis eſt.

Non ergo huiuſmodi lex excuſari poteſt, niſi neceſſitate, vt docet Grotius; ſed talis neceſſitas, quae iubeat huiuſmodi legem ferre, vix poteſt excogitari.

§. 25. 26.

3. Quaeritur, *ſi tertius captiuum redimat, an ius in captiuum conſequatur?* Idque adfirmatur, ſi redemtus ipſe non habeat, quo reſtituat pretium pro ſe ſolutum. Nam qui non habet in aere, merito operas debet, quibus pretium quocumque modo repenſetur.

Obiici quidem poſſet, apud nos tamen ſeruos non eſſe, et ne captiuos quidem ſeruos fieri. Triſte ergo eſſe captiui fatum, qui in conditionem deteriorem detrudatur, et iam ſeruus fiat, quum captus eſſet liber.

Sed reſp. falſum eſſe, quod in ſeruitutem detrudatur. Operas enim et ſine ſeruili conditione praeſtari poſſe, vel mercenarii noſtri docent.

Idem iuris eſt, ſi ſaepius captus, ſaepius redemtus ſit, tunc enim pluribus in commune operas praeſtare tenetur.

27.

4. Quaeritur, *ſi captiuus pauper creditus leui pretio dimiſſus ſit, an ſi locupletiorem eum eſſe adpareat, retineri poſſit, et pretium intendi?*

Negatur. 1. Quum enim aeſtimatio captiui incerta ſit, non poteſt dicere capiens, ſe laeſum eſſe. 2. Pretium non ex diuitiis, ſed ex ſtatu aeſtimari ſolet, e. g. an miles gregarius ſit, an centurio, an tribunus, cet. 3. Dolus hic non adeſt, quia nemo tenetur facultates ſuas alteri indicare, ne amico quidem, nedum hoſti. Ergo pacta ſemel inita ſeruanda.

§. 28.

5. Sed *annon bona captiui captorem ſequuntur?* Reſp. Negatur. Nam aut ſeruus ſit captiuus, aut non ſit. Si ſit ſeruus, capite deminuitur, adeoque et dominium rerum domi relictarum amittit, idque nec domino captori adquirere poteſt. Si non ſit ſeruus, vt hodie inter Chriſtianos, ceſſat etiam ius adquirendi. Nec aliud dicendum de rebus quas ſecum fert captiuus, e. g. de numis aureis, quos in veſte celauit. Ii enim manent captiui, adeoque et illis ſe liberare omnino poteſt, quia ſeruus non fuit, adeoque nec dominium rerum ſuarum amiſit.

§. 29.

6. Quaeritur, *an heres debeat pretium, a defuncto promiſſum?* num. 1. 2.
Diſtinguendum, in carcere mortuus ſit captiuus, poſtquam pretium promiſit, an iam fuerit dimiſſus. Si prius nihil debetur; quia ſub conditione promiſſum, nec conditio exſtitit. Poſteriore caſu debetur 1. modo vere ſit heres; nam ſi in ſeruitutem

 quis

quis redactus fuit, is heredem habere nequit, 2. modo non enorme ſit pretium, et doloſe promiſſum, vel vi metuque extortum,

§. 30.

Demum 7. quaeritur, *an in carcerem redire debeat, ſub conditione dimiſſus, vt et alius pro eo dimittatur, ſi conditio haec non adimpleatur?*

Hic pro captiuo militat, 1. quod numquam promiſit ſe in carcerem rediturum, 2. quod, qui factum tertii promittit liberetur, ſi praeſtiterit omnem diligentiam.

At contra eum militat, quod libertatem lucrifacere non debeat, quia ita numquam conuenit, vt gratis liberaretur.

Ergo inde ſequitur, vt non quidem redire teneatur in carcerem, ſed tamen aeſtimationem captori praeſtare debeat arbitrio boni viri, eaque praeſtita plenam libertatem conſequatur.

CAPVT XXII.

DE FIDE MINORVM POTESTATVM IN BELLO.

§. 1.

HActenus *de pactis a ſummo imperante initis*: iam *de iis, quae a belli ducibus ineuntur.*

Quum duces a *ducendo* dicti ſint: ita vocantur omnes, qui ordines ducunt, ſiue cum ſummo imperio, vti apud nos *Maréchaux de camps*, *Généraux d'armées*, ſiue vice ſummi ducis, vti Legati, *Lieutenans Généraux*.

Differunt tamen quoad praeſentem materiam duces ſummi et eorum legati. Illi libere agunt, hi ex praeſcripto: illi ſemper, hi ſi ille abſit aut impediatur. Ergo pactum a Legato cum hoſte initum non valet, praeſente ſummo duce, niſi hic vel iuſſerit paciſci, vel pactum ratum habuerit.

§. 2.

§. 2.

De his ergo pactis quaeritur, 1. *an ſummum imperantem obligent?* §. 2-9. 2. *an ipſos belli duces obligent?* §. 10. ad fin.

Quod ad I. quaeſtionem, praemittenda regula: *obligari per alios non poſſumus, niſi quatenus illum voluntatis noſtrae magiſtrum conſtituimus, quod ſit per mandatum.*

Mandatum duplex eſt, aut expreſſum, aut tacitum. Expreſſo mandato inſtructi paciſcuntur legati, in aulas miſſi, ſi ipſis conditiones pacti praeſcribuntur: et haec abſolute obligant principem.

Tacitum mandatum eſt, quod ex officio demandato colligitur. Quemadmodum enim e. g. qui inſtitorem tabernae praepoſuit, voluit etiam vt emeret et venderet, quamuis id expreſſe non mandauit, ita et qui e. g. ducem belli conſtituit, tacite etiam mandaſſe cenſetur, vt paciſcatur cum hoſte, ſi bellum aliter geri non poſſit.

Ergo obligatur princeps, quando dux belli egit ſecundum officium, non obligatur, ſi eius limites exceſſit.

§. 3.

Aliquando et obligatur princeps, quamuis nec expreſſe mandauit, nec tacite, idque

1. Propter ratihabitionem, quia eius effectus retrotrahitur ad initium, adeoque perinde eſt ac ſi ab initio conſenſerit.

2. Propter rem ipſam, ſi ex pacto ducis ſui commodum ſenſit princeps. Nemo enim tenetur cum alterius damno locupletior fieri. Sic e. g. fingamus pactum initum eſſe de tradenda vrbe, cum omnibus tormentis et nauibus, nos hoſti promiſimus, quod ſalui exituri ſint. Princeps iam id negat ſe ratum habiturum, quum tamen nec naues, nec vrbem, nec tormenta reddere velit. Abſurdum!

§. 4. 5.

Quid vero ſi contra mandatum pactus ſit dux? Reſp. tunc nu. 1. 2. 3. ipſe obligatur, non princeps. Ipſe, quia principalis eſt contrahens, quando non mandatarius eſt, non princeps, quia ex promiſſo alieno nemo obligatur, niſi mandatum dederit, ſecundum §. 2.

 Hinc

Hinc ſupra multis diximus, huius modi pacta dictas eſſe ſponſiones, et ſi princeps vel res publica apud Romanos eas ratas habere voluerit, tunc ducem illum ſine mandato paciſcentem hoſti traditum eſſe nudum, reuinctis in tergum manibus.

§. 6.

Sed porro quaeritur, *an* et *ducum pactum obliget inferiores magiſtratus?* Saepe enim belli duces in vrbibus obſeſſis pacta cum obſidentibus ineunt, et ciuibus vel aliquid ſtipulantur, e. g. certam pecuniae ſummam; an tunc obligantur magiſtratus inferiores?

Reſp. Diſtinguendum, an aliquid ipſis ſtipulatus ſit dux, tunc ex hoc pacto vtilitatem capiunt, quia hoſtis ex promiſſo ſuo tenetur; an eorum nomine aliquid promiſſum, tunc non obligantur, niſi conſenſerint.

Obiici poſſet, magiſtratus tamen eſſe duce inferiores, ſuperiores autem pro inferioribus paciſci poſſe. Sed reſp. Superiores ſunt in iis quae ad defendendam vrbem pertinent: non vt poſſint illis pro lubitu tributa et onera imponere.

§. 7. 8. 9.

Quum vero ſupra dixerimus, *obligari principem, ſi dux pactus ſit ſecundum officium*: quaeritur, *quae* ergo *pacta inire poſſit, quae non poſſit ſine expreſſo mandato?*

Reſp. 1. non poteſt ſine mandato pacem inire, 1. quia vt ſupra *cap.* 20. *§.* 1. diximus, qui bellum gerere, idem et pacem facere poteſt. 2. Quia belli dux ad bellum adminiſtrandum mittitur, non ad pacem ineundam, 3. quia hic duci, ſi pax offeratur non deeſt occaſio, a principe ſuo mandata exigendi. Hinc Caudina et Numantina ſponſio Romanos non obligauit, de qua ſupra.

2. Inducias dare poteſt dux, ſed breues et ſpeciales, e. g. mortuorum ſepeliendorum, vel morbi in caſtris graſſantis cauſſa, non autem generales et diuturnas, niſi mandato principis, quia hic ducem non ocii ſed belli gerendi cauſſa miſit.

3. Non poteſt de prouinciis, oppidis, agris bello quaeſitis pro lubitu diſponere, quia eas non ſibi, ſed principi adquiſiuit, nec princeps eum rerum ſuarum arbitrum, ſed belli ducem conſtituit.

4. Po-

4. Poteſt tamen pacta inire de conditionibus deditionis, quia id mandatum ſibi intelligitur.

§. 10.

II. *Quaeritur an ipſe dux obligetur, ſi principem non obligat?* Reſp. quatenus officium fecerunt, non obligantur paciſcendo, 1. non enim poſſunt alienam praeſtare perfidiam. 2. Non locum habet in pactis ducum interpretatio extenſiua, vt ipſi ſe vltra promiſſum obligarint.

§. 11. 12.

Quid ſi ita pacti ſint, vt principi rem integram ſeruarent? Id fit dupliciter, 1. per deditionem. Accipio vos in deditionem, et principi meo reſeruo arbitrium de vobis ſtatuendi: 2. per conditionem rati. Promitto ſi princeps meus ratum habuerit.

Vtroque caſu nec princeps obligatur, nec dux belli. Non princeps, qui nec promiſit, nec promittere iuſſit, nec dux belli, qui diſertis verbis principi ſuo omnia integra ſeruauit, nec eum pacto ſuo obligare voluit.

§. 13.

Ceterum et hic valet regula, *qui poteſt antecedens, poteſt et conſequens.* Ergo quia duci belli fas eſt, tradere vrbem obſeſſam, etiam ſine ſpeciali mandato, ſi res ad extrema peruenerit, poterit etiam praeſidium dimittere, vel illud alio ducere.

CAP. XXIII.

DE FIDE PRIVATA IN BELLO.

§. 1.

SAepe et priuati paciſcuntur cum hoſte; e. g. miles captus ante dimiſſionem iurat, ſe intra ſex menſes non arma geſturum, an tunc teneatur?

Fuere qui id negarent, maxime ICti celebres, Bartolus et Za-

Zaſius, ex ea ratione, quia mandatum paciſcendi non habeant a principe.

Sed confundunt hi quaeſtiones. Mandato opus eſt, ſi quis pro alio velit promittere vel ſtipulari. At nemo dixerit, priuatos pro principe ſuo paciſci poſſe ſine mandato. Hic autem quaeritur, *an non pro ſe ipſis paciſci poſſint?* Id negari nequit, quia ad paciſcendum de rebus priuatis mandato opus non eſt.

§. 2.

Addit Grotius et aliud argumentum a minore ad maius. *Si latroni data a priuato fides, ſeruanda: multo magis iuſto hoſti.* Sed eo argumento vti non poſſumus ſine diſtinctione. Aut vltro aliquid latroni promittimus, non tamquam latroni, ſed tamquam homini, tunc fides data ſeruanda. At ſi vi metuque nobis promiſſum extorqueat, non obligamur, quamuis iuramentum acceſſerit, quidquid videatur Grotio.

Hoſti contra obligamur, ſiue vltro, ſiue metu adacti promiſerimus, quia metus, quem hoſtis hoſti incutit, non eſt iniuſtus.

§. 3. 4.

Rectius Grotius quaeſtionem, *an omnes priuati obligentur?* ſoluit. Obligantur omnes, quibus intellectus et voluntas. Ergo non obligantur furioſi, mente capti, infantes, impuberes. Obligantur vero 1. minores, a) quia intelligunt quid agant, b) quia beneficium minorum ex iure ciuili eſt, non ex iure naturae et gentium; nec 2. errantes, ſi error ſit in eſſentia rei, non ſi erratum circa rei accidentia.

§. 5.

n. 1. 2. 3. 4. His, quae diximus, obiici ſolet *publica vtilitas.* Sed cadit ea obiectio, ſi diſpiciamus, quouſque ſe illa pacta priuatorum extendant. Nimirum paciſci non poſſunt

1. De rebus publicis, e. g. ſe tradituros vrbem.

2. De factis, quae abſolute debent rei publicae, e. g. ſe numquam principi ſuo tributa daturos tempore belli.

3. Non de factis prohibitis, e. g. ſe occiſuros hominem;

4. Sed de iis, quae ſunt in priuati cuiuſque arbitrio, e. g. ſe nolle intra tantum temporis ſpatium arma ferre, ſe hoſti 100. daturos.

Obiici

Obiici poſſet, militem in poteſtate non habere, an arma ferre velit, an nolit. Reſp. verum id eſſe de milite, qui eſt in exercitu noſtro; non de eo, qui ab hoſte captus, quem et inuito duce noſtro cogere poteſt hoſtis, ne arma ferat, ſi nimirum eum non dimittat.

§. 6. 7. 8. 9.

His quatuor paragraphis ſequuntur aliquot exempla *pactorum licitorum*, veluti

1. Si quis captiuus promittat, ſe in carcerem rediturum, nihil enim promittit iniuſtum, quia iam in carcere eſt, nec promittit vi et metu iniuſto adactus. Exemplo Attilii Reguli notum.

2. Si quis promittat ſe in certum locum non venturum. Id pactum valet ob eaſdem rationes.

3. Si quis captiuus promittat, ſe non velle fugere, quod ſaepe faciunt duces bellici, capti, vt ex carcere dimittantur.

4. Non autem poteſt captiuus cum tertio pactum deditionis inire. Dedere enim ſe poteſt liber et ſui iuris. Talis non eſt captiuus. Nec cuiquam inuito ius ſuum auferre poſſum.

§. 10.

Quaeritur iam, quod effectum ſit huiuſmodi *pactorum?* Reſp. vt ſeruentur. Sed ſi ſeruare nolint, an a magiſtratu ſuo cogi poſſunt? Et id affirmatur, quia hoſti quoque ius dicendum. Et ita etiam obtinet inter gentes honeſtiores. Exemplo ſunt decem captiui ſub promiſſione reditus ab Hannibale dimiſſi, qui cum pactum ſeruare vel redire nollent, a ſenatu inuiti duci iuſſi ſunt.

§. 11.

Addit Grotius quaedam de pactorum huiuſmodi interpretatione, et commodat regulas:

1. *Non recedendum eſſe ſine ratione a proprietate verborum.* Nam verba explicanda ex vſu.

2. *In dubio interpretationem faciendam contra eum, qui clarius loqui debuit.* Is enim ſibi imputare debet, quod non perſpicue mentem ſuam expoſuit.

§. 12. *ad fin.*

Has regulas iam exemplis illuſtrat Grotius, et quaerit,

1. *an qui vitam ſibi pactus eſt, et libertatem ſibi pactus cenſeatur?* idque negat, quia in dubio interpretatio facienda contra eum, qui clarius loqui debuiſſet. Nec proprietas verborum patitur, vt per vitam libertatem intelligamus.

2. *Si quis veſtes ſibi pactus eſt: an et arma intelliguntur.* Negatur ob eamdem rationem.

3. *Si quis dicat, ſe deditionem facturum, niſi auxilium venerit, an ſufficit ſi copiae auxiliares in conſpectu ſint, an requiritur, vt et impreſſionem faciant?* Reſp. ſufficere prius, ob vſum loquendi.

4. *An rediiſſe cenſeatur ad hoſtem, qui clam eo fuit, et clam diſceſſerit?* Negatur, quia redire ad hoſtem ex vſu vulgari dicitur, qui ſe eius poteſtati permittit.

5. *An pactum ideo ceſſat, ſi de exſequutionis modo quid conuenit, quod iam adimpleri non poteſt*, e. g. ſi quis ſolui promiſit Heidelbergae, eaque interea in cineres conuerſa? Negatur: ſufficit enim ſi promiſſum in loco propinquo praeſtetur.

6. *An, ſi obſides dati, illi vt acceſſio obligationis primariae obligantur, an primario?* Reſp. in dubio vt acceſſio, quia ita natura huius negotii exigit.

CAPVT XXIIII.

DE FIDE TACITA.

§. 1.

Pacta vel *expreſſa* ſunt, vel *tacita*. *Expreſſa*, vbi vtrinque conſenſus per verba litteraſue declaratur; *tacita*, vbi per alia ſigna, e. g. nutum, ſilentium.

Quemadmodum ergo hoc obtinet inter priuatos: ita et cum republica, immo et cum hoſtibus huiuſmodi pacta poſſunt iniri: id quod iam exemplis quibuſdam illuſtratur.

§. 2.

§. 2.

Primum exemplum eſt eius, qui ſe in rem publicam contulit, ibique vel ciuitatis ius impetrauit, vel ſaltim domicilium conſtituit. Quamuis enim is non expreſſe promiſerit, quod velit ſecundum leges iſtius rei publicae viuere, nec quidquam contra ſtatum illius agere: vel tacite tamen videtur ſe ad id obligaſſe: quum qui vult finem, vult etiam media.

§. 3.

Alterum exemplum eſt eius, qui colloquium cum hoſte poſtulat. Quamuis enim iſte non promittat, ſe alteri ſecuritatem praeſtiturum, videtur tamen id tacite promiſiſſe: ob eamdem rationem. Hinc nec Cn. Domitii nec T. Labieni facinus ferendum, qui hoſtium reges et duces in colloquium euocatos vinculis conſtrinxerunt.

§. 4.

An autem *durante colloquio hoſtis vterque rem ſuam agere, caſtra mouere, munimenta abſoluere, praelium committere poteſt?* Diſtingue, an ſimul induciae factae, tamdiu duraturae, quoad colloquium finitum ſit, an huiuſmodi induciae factae non ſint. Priore caſu poteſt quidem vterque hoſtis caſtra mouere, munire, munimenta abſoluere, ſed non committere praelium. Poſteriore caſu et hoc poteſt, modo colloquentibus fides et ſecuritas praeſtetur, nec illi vel eorum comites violentur.

§. 5.

Tertium exemplum eſt, quoties ſignis voluntatem ſibi inuicem declarant hoſtes.

Talia ſigna olim erant vittae et rami oliuarum, apud Romanos ſerta capiti impoſita, apud Macedones haſtarum erectio: quibus indicabant, ſe ad deditionem paratos eſſe.

Hodie talia ſigna ſunt

1. Vexillum candidum, quo petitur colloquium.

2. Certus ſonus tympani (*la chamade*) quo ſe offerunt ad deditionem aequis conditionibus faciendam.

3. Proiecta arma, quibus ſe ſine conditione dedunt.

Hhhh 2 §. 6.

§. 6.

Quartum exemplum eſt rei publicae tacite adprobantis ſponſionem a ducibus factam.

1. Si ſciat eam factam, nec contradicat.

2. Si conditiones quaſdam adimpleat.

3. Si quod ea ſponſione promiſſum, praeſtari ſibi patiatur, et quod ideo datur, acceptet.

§. 7.

An et *poenae remiſſio ex ſola diſſimulatione colligitur?* Negatur, niſi accedat actus ex quo tale quid colligatur, e. g. ſi princeps delictum, ſciens delinquenti tamen officium vel honorem contulit, ſi proceſſum aduerſus eum inſtitutum aboleuit, cet.

CAPVT XXV.

CONCLVSIO CVM MONITIS AD PACEM.

§. 1.

nu. 1.2.3. CAput hoc vltimum vere oratorium eſt, complectitur enim *paraeneſin* elegantem, *ad fidem ſeruandam*, §. 1. 2. *ad pacem*, §. 2 ad fin.

1. Fidem et *hoſti ſeruandam* recte ſuadet, 1. Quia vt vinculum rei publicae eſt, ita et totius generis humani. 2. Quia laudem conciliat bellum gerenti, et homines promouet, vt eo facilius ſe eius fidei permittant. 3. Quia perfidia Deo et hominibus inuiſa eſt.

Cauere ergo debent reges, ne miniſtros perfidiam ſuadentes audiant. Qui enim tale vitium ſuadent, ipſi eodem laborant.

§. 2.

Deinde et 2. ſapienter ſuadet, *vt in bello principes de pace cogitent.* 1. Eſt enim pax finis belli, propter eam niſi bellum ge-

ritur,

ritur, ferarum more geritur. 2. Bellum ſemper aleae plenum et periculoſum, pax ſemper tuta eſt.

§. 3.

Suadet, 3. *vt* et *pax non admodum pinguis bello praeferatur.* Recte, 1. eſt enim hic ſtatus ſtatui Chriſtiano adcommodatiſſimus. 2. Pace etiam non pingui paruae res bene adminiſtratae creſcunt; bello etiam triumphis pleno opes maximae dilabuntor.

§. 4. 5. 6.

Idem ſuadet vtriuſque partis vtilitas. Aut enim quis cladem bello paſſus eſt: tunc ipſi vtiliſſima pax, quia periculoſiſſimum cum valentiore certamen, et vana ſine viribus ira: aut victoriam reportant; tunc nullum fructum victoriae dulciorem exſpectare poſſunt, quam pacem, maxime, quum Martis fortuna admodum anceps et varia: aut denique adhuc pares ſunt belligerantes, pares vtriuſque vires: tunc optimum tempus eſt pacem faciendi, aequaſque impetrandi conditiones.

§. 7.

4. Suadet Grotius, *vt pax ſemel facta religioſe ſeruetur.* Nam 1. fide nihil ſanctius, perfidia nihil homine et maxime rege indignius eſt. 2. Non poteſt ſperare benedictionem Dei, qui fidem violat, ruptaque pace ad bellum ruit.

Triſte exemplum Ludouici, Hungariae regis, qui Cardinalis ſuaſu pacem cum Turcis ſine ratione ruperat. Quum Turcarum imperator cum exercitu praelium initurus eſſet, prius inſtrumentum pacis ſinu extraxit, ſublatiſque in coelum manibus: Deus, inquit, ſi vere Chriſtianorum Deus es, in populo tuo vindica perfidiam. Paullo poſt rex cum vniuerſo exercitu miſere caeſus eſt, et totum fere regnum Turcis ceſſit.

§. 8.

Subiicit denique auctor elegans et pium votum, vt Deus haec monita inſcribat cordibus imperantium, vt iis det mentem iuris diuini intelligentem, quaeque ſemper cogitet, reges regere homines, cariſſimum Deo animal, ne vilem exiſtiment humanum ſanguinem, ne bellum ſolius ambitionis, et cupiditatum

cauſſa gerant. Pium ſane votum, cui et nos ex animo ſubſcribimus. Nam

Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Det ergo Deus pacem in diebus noſtris, det eam Deus pacis, cui pro praeſtito auxilio exantlatoque hoc labore ſit laus et gloria ſempiterna.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM.

PROOEMIVM. pag. 1

LIBER I.

AP. I. *Quid bellum? Quid ius?* 37
II. *An bellare vmquam iuſtum ſit?* 52
III. *Belli partitio in publicum et priuatum, ſummi imperii explicatio.* 74
IIII. *De bello ſubditorum in ſuperiores.* 117
V. *Qui bellum licite gerant.* 135

LIBER II.

AP. I. *De belli cauſſis, et primum de defenſione ſui, et rerum.* 137
II. *De his, quae hominibus communiter competunt.* 150
III. *De adquiſitione originaria rerum, vbi de mari et fluminibus.* 166
IIII. *De derelictione praeſumta, et eam ſequuta occupatione, et quid ab vſucapione et praeſcriptione differat.* 180
V. *De adquiſitione originaria iuris in perſonas, vbi de iure parentum, de matrimoniis, de collegiis, de iure in ſubditos, ſeruos, cet.* 190
VI. *De adquiſitione deriuatiua facto hominis, vbi de alienatione imperii, et rerum imperii.* 213
VII. *De adquiſitione deriuatiua, quae fit per legem, vbi de ſucceſſione ab inteſtato.* 222
VIII. *De adquiſitionibus, quae vulgo dicuntur iuris gentium.* 245
VIIII. *Quando imperia, vel dominia deſinant.* 256
X. *De obligatione, quae ex dominio oritur.* 266
XI. *De promiſſis.* 273
XII. *De contractibus.* 287
XIII. *De iureiurando.* 304
XIIII. *De eorum, qui ſummum imperium habent, promiſſis, contractibus, et iureiurando.* 318
XV. *De foederibus et ſponſionibus.* 329
XVI. *De interpretatione.* 343
XVII. *De damno per iniuriam dato, et obligatione, quae inde oritur.* 363
XVIII. *De legationum iure.* 371
XVIIII. *De iure ſepulturae.* 380
XX. *De poenis.* 387

XXI. *De*

CAP. XXI. *De communicatione poenarum.* pag. 426
XXII. *De cauſſis iniuſtis.* 441
XXIII. *De cauſſis dubiis.* 449
XXIIII. *Monita de non temere etiam ex iuſtis cauſſis ſuſcipiendo bello.* 457
XXV. *De cauſſis belli pro aliis ſuſcipiendi.* 458
XXVI. *De cauſſis iuſtis, vt bellum geratur ab his qui ſub alieno imperio ſunt.* 563

LIBER III.

CAP. I. *Quantum in bello liceat, regulae ex iure naturae generales, vbi et de dolis et mendacio.* 468
II. *Quomodo iure gentium bona ſubditorum pro debito imperantium obligentur, vbi de repreſſaliis.* 482
III. *De bello iuſto, ſiue ſollemni, iure gentium, vbi de indictione.* 487
IIII. *De iure interficiendi hoſtes in bello ſollemni, et alia vi in corpus.* 494
V. *De rebus vaſtandis eripiendiſque.* 504
VI. *De iure adquirendi bello capta.* 507
VII. *De iure in captiuos.* 523
VIII. *De imperio in victos.* 528
VIIII. *De poſtliminio.* 530
X. *Merita de his, quae fiunt in bello iniuſto.* 540
XI. *Temperamentum circa ius interficiendi in bello iuſto.* 544
XII. *Temperamentum circa vaſtationem et ſimilia.* 552
XIII. *Temperamentum circa res captas.* 556
XIIII. *Temperamentum circa captos.* 558
XV. *De temperamento circa adquiſitionem imperii.* 563
XVI. *Temperamentum circa ea quae iure gentium iure poſtliminii carent.* 567
XVII. *De his, qui bello medii ſunt.* 569
XVIII. *De his, quae in bello priuatim fiunt.* 570
XVIIII. *De fide inter hoſtes.* 572
XX. *De pace.* 578
XXI. *De fide manente bello, vbi de induciis, commeatu, captiuorum redemptione.* 595
XXII. *De fide minorum poteſtatum in bello.* 604
XXIII. *De fide priuata in bello.* 607

FINIS.

IO. GOTTLIEB HEINECCII,

IC. ET ANTECESSORIS,

PRAELECTIONES ACADEMICAE

IN

SAM. PVFENDORFFII

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

LIBROS. II.

EDITIO SECVNDA AVCTIOR.

GENEVAE,

Impensis FRATRVM CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↄIↄCCXXXXVIIII.

PROLEGOMENA.

PRolegomenorum loco paucis diſpiciendum erit:

I. an detur ius naturae?
II. quid ſit?
III. quam vtilitatem in vita chriſtiana et ciuili praeſtet?
IIII. quae eius ab antiquiſſimis temporibus fata fuerint? quique prae ceteris hanc diſciplinam libris ſuis illuſtrarint?

I. Dari ius naturae, haud pauci negarunt, veluti Epicvrvs apud Diog. Laert. *Lib. VIIII. Segm.* 150. cuius ſententiam ita expreſſit Horat. *Satir. I,* 3.

Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum:
Atque ipſa vtilitas iuſti prope mater et aequi.

E. g. furari ex eorum ſententia non natura et moraliter tur-

pe eſt; prohiberi tamen illud ſuaſit vtilitas generis humani.

Eiuſdem ſententiae fuit ARISTIPPVS apud DIOG. LAERT. *libr. II.* 97. qui, vti omne virtutis ſtudium euertit, voluptatemque pro ſummo hominis bono habuit: ita et ſtatuit, *nihil ſua natura iuſtum, iniuſtum, honeſtum, inhoneſtum eſſe, ſed ſola lege et conſuetudine; furto quoque et ſacrilegio, quum tempeſtiuum fuerit, operam daturum eſſe ſapientem, neque enim quidquam horum ſua natura turpe eſſe, ſi auferatur vulgaris opinio, ad continendos in officio ſtultos conflata.*

Nec minus delirauit CARNEADES Platonicus, ſed in ſkepſin quam maxime procliuis, qui Romae legationis cauſſa commoratus aliquando pro iuſtitia, poſtridie contra eamdem, iuriſque naturalis exſiſtentiam diſſeruit, vrbe ideo pulſus auctore Catone. Vid. PLVTARCH. in *Caton. maior. pag.* 349. Argumenta, quibus iuſtitiam impugnauit, ſeruauit LACTANT. *Inſtit. diuin. V*, 16. Ea huc redeunt. *

1. *Omnia animalia ſuae vtilitati ſtudere, e. g. propulſare iniurias, verbera, mortem, nec tamen ideo iuſtitiam illis tribui, aut iniuſtitiam?* Reſp. brutis animantibus, quae facultate rationali voluntatem diuinam cognoſcendi deſtituuntur, ad hominem ratione et conſcientia praeditum non valet conſequentia. Potius argumentum inuertimus: quaecumque creaturae facultate voluntatem Dei cognoſcendi, adeoque ſana ratione praeditae ſunt, eae quoque actiones ſecundum Dei voluntatem, non vero proprium commodum, dirigere tenentur: iam homines, non vero animalia, cet. ergo, cet.

2. *Omne ius naſcitur ex* vtilitate, *ergo non ſua natura quidquam iuſtum eſt.* Reſp.

a) Va-

* Ex recentioribus et HOBBESIVS de ciue *cap.* I. §. 10. dixit in ſtatu naturali fuiſſe ius omnium in omnes, adeoque tum menſuram iuris fuiſſe cuiuſque vtilitatem.

a) Vacillat conſequentia; ſiquidem aliquid ex vtilitate naſci, at iuſtum tamen eſſe poteſt; Deus enim ens benigniſſimum vere noſtram vtilitatem intendit, nec quidquam nobis tamquam legem praeſcripſit, niſi quod nobis vere vtile: ſic e. g. pacta eſſe ſeruanda, et vtile, et rectae rationi conſentaneum eſt.

b) Inde ius eſt, vnde obligatio: at obligatio noſtra non eſt ab vtilitate, (nam huic quiſque renuntiare poteſt,) ſed a voluntate Dei, quae nobis per rectam rationem innoteſcit; ergo iùs non eſt ex vtilitate, ſed ex voluntate Dei, quae per rectam rationem innoteſcit, adeoque aliquid natura iuſtum eſt.

3. *At leges inter gentes variant, et hinc nihil eſt natura iniuſtum, alioquin enim vnum omnibus ius eſſet?* Reſp. Diſtinguendum eſſe inter ius naturae et ciuile; prius apud nos idem, e. g. neminem eſſe occidendum, pacta eſſe ſeruanda, cet. poſterius ad rei publicae cuiuſque vtilitatem adtemperatum. Vid. Xenoph. *de re publ. Athen.* Ratio diuerſitatis in eo poſita, quod ius ciuile verſetur circa actiones in ſe indifferentes, e. g. ius retractus, prohibitio alienationum, iura dotium.

Nos itaque exiſtentiam iuris naturae ſic probamus: quicumque in natura ſua deprehendunt rectam rationem, quae aliquid iuſtum eſſe cognoſcat, et conſcientiam, quae nos obligationi ſatis feciſſe vel non ſatis feciſſe monet, illi habent ius naturae: atqui homines, cet. ergo, cet. Eſt hoc argumentum, quo vtitur Pavllvs, *Epiſt. ad Rom. II*, 14. 15.

II. *Quid vero eſt ius naturae?* Conſiderari illud poteſt vel tamquam ius, vel tamquam diſciplina ſeu ſcientia; hic priori ſenſu accipimus. Iam *definitiones* ſunt vel *nominales*, vel *reales*: *nominales* nobis tantum modo ſubminiſtrant no-

 tas

tas aliquas, quibus res nobis obuias ab aliis omnibus ſemper diſcernere poſſumus, e. g. circulus eſt figura, cuius peripheria a centro vbique aequaliter diſtat; *reales* contra oſtendunt modum, quomodo illa res oriatur, vel quomodo poſſibilis ſit, e. g. circulus eſt figura, quae radio circa punctum circumacto deſcribitur; hic vero tantum quaeritur definitio nominalis.

Igitur *ius naturae* eſt ius a Deo toti generi humano per rectam rationem promulgatum: Dicimus

1. *Ius*, quia ex parte noſtra eſt obligatio, teſte conſcientia.

2. *A Deo*, vt diſtinguatur a iure humano et ciuili, quod ab hominibus eſt.

3. *Toti generi humano*, ita diſtinguitur a iure diuino particulari, e. g. lege de circumciſione, de ſacrificiis.

4. *Per rectam rationem*, ita diſtinguitur a iure poſitiuo vniuerſali, e. g. ſabbathum non eſt iuris naturae, quia ex recta ratione non innoteſcit.

(Vocamus vero *rectam rationem*, quae principia actionum ex finibus ratiocinando colligit; *peruerſam*, quae inſuper habito fine et ſcopo Dei de principiis actionum ſuarum ex praeiudicio ſuo ſtatuit, Weidler. *Ius nat. et gent. cap.* 1. §. 9. *n.* 7.)

5. *Promulgatum*; ſine promulgatione enim nulla lex obligat; *lex* eſt norma, ad quam actiones noſtras componere debemus: atqui norma debet eſſe nota, alias enim non poſſemus actiones noſtras componere; ergo promulganda eſt. Abſurdum facinus Caligulae apud Sveton. in eius *vit. cap.* 41.

At quid eſt *ius gentium*? Sunt, qui diuerſum aliquod ius gentium ſtatuunt a iure naturae.

Vlr. Hvber. *de iure ciuit, libr. I. ſect. I. cap.* 5. et *Eunom.*

nom. Rom. pag. 12. per illud intelligit ius, quod voluntate omnium, aut ſane cultiorum gentium vim obligandi acceperit.

Contra VITRIAR. *Inſt. iur. nat. cap.* 1. §. 28. illud definit, quod Deus per rectam rationem inter omnes gentes propter communem neceſſitatem et vtilitatem conſtituit.

Sed vtrumque falſum; ſi recipias definitionem HVBERI, cultiores gentes aut per modum legis id introduxerunt, aut per modum pacti: ſi prius, lex illa nullam obligabit gentem, quia gens ratione gentis non eſt ſuperior, adeoque et nulla alteri legem praeſcribere poteſt; ſin poſterius, nullum erit ius, ſed pactum; ius eſt complexus legum, non pactorum. Accedit, quod quaeſtio ſit facti, an vmquam inter gentes ita conuenerit, id vero ex hiſtoria demonſtrari nequit.

Si VITRARII definitionem recipias, inde probari contra ipſum poterit, vnum idemque ius naturae et gentium.

Si enim eadem eſt legiſlatoris voluntas, idemque modus eam promulgandi tum in gentibus, tum in ſingulis hominibus, vtriſque quoque idem erit ius: prius verum ob definitionem VITRIARII; ergo et poſterius.

Dicendum itaque, *vnum eſſe ius naturae et gentium*, quia 1. ab eodem legiſlatore eſt, 2. eiuſdem obligationis, 3. eodem modo promulgatum, iiſdemque legibus et regulis conſtat; e. g. pacta ſunt ſeruanda, nemo laedendus, ius ſuum cuique tribuendum.

Itaque *ius gentium* nobis eſt ipſum ius naturae, negotiis ciuitatum et liberarum gentium applicatum. Ita PVFENDORFFIVS, THOMASIVS, COCCEIVS, et recentiores tantum non omnes.

III. At *quam vtilitatem praeſtat ius naturae et gentium?* Sane in diſciplinis quoque valet illud Caſſianum, cui bono? fruſtra

fruſtra ergo ſudaremus in explicando addiſcendoque iure naturae et gentium, ſi nulla eſſet eius vtilitas.

Oppugnauit hoc indirecte Io. Lvdov. Praschivs tribus *diſſertationibus de lege caritatis ad Hugon. Grot. de iur. bell. et pac. Deſignatio iuris naturalis ex diſciplina Chriſtianorum, et de iure gent. maxime Chriſtianorum. Ratisbon.* 1688. et 1689. ſed iis ſatisfactum a Christ. Thomasio in *Cogitat. menſtr. Germ.* 1689. *pag.* 79. 206. et 295.

Directe vero id fecit a. 1704. auctor anonymus in *der erſten Entdeckung des Lichts und Rechts*, cap. 2. Rationes eorum ſunt:

1. *Quod ius naturae nullius vſus ſit in vita Chriſtiana, Chriſtiano enim pro norma eſſe debere Scripturam ſacram?* Reſp. a) At multi ſunt et inter Chriſtianos, qui Sacram Scripturam parum curant, ii, vt ſint inexcuſabiles, iure naturae conuincuntur, *Epiſt. ad Rom. I*, 20. 21. b) Deinde nihil eſt vtilius ad confirmationem in Chriſtianiſmo, quam harmonia rationis et Sacrae Scripturae; c) Multa in iure naturae explicantur, quae Sacra Scriptura non expoſuit, tamquam ad vitam aeternam non comparata, e. g. de contractibus, vltimis voluntatibus, ſucceſſionibus ab inteſtato, aliiſque humanis negotiis.

2. *Nullam eſſe eius vtilitatem in vita ciuili, quia in legibus ciuilibus decidantur controuerſiae, non ex iure naturae et gentium?* Reſp. a) Falſum eſt, nullam controuerſiam ciuilem decidi ex iure naturae et gentium, ius enim ipſum conflatum eſt ex legibus naturalibus, praeceptis gentium et ciuilibus, §. *vlt. Inſt. de iuſtit. et iur.* b) Ius ciuile valet tantum inter ciues eiuſdem rei publicae; quid vero ſi controuerſia intercedit inter diuerſas gentes? quid ſi inter ciues diuerſarum rerum publicarum, e. g. inter Hollandum et Indum? hic non alia poteſt eſſe norma, quam ius naturae et gentium.

3. *Eſſe ius naturae cordibus hominum inſcriptum, ergo non opus eſſe tanto molimine in illo in ſcripturam redigendo explicandoue?* Reſp. a) Homo natura cantat, numerat, ratiocinatur, et tamen ideo nemo reiicit muſicam, arithemeticam, vel logicam; ars enim perficere debet naturam: b) In omni iure dantur principia; concluſiones proximae et remotiores; illa vnuſquiſque nouit, cui eſt recta ratio, concluſiones quoque proximas ex illis principiis facile cognoſcit etiam vulgus, non autem ſtatim habet omnes concluſiones remotiores, ſic e. g. pacta eſſe ſeruanda facile quis intelligit; fluit enim hoc immediate et proxime et principio: *quod tibi non vis fieri*, cet. at, num etiam pactum errore initum ſeruandum ſit, non ſtatim vnuſquiſque intelligit, niſi qui plura iuris naturalis principia connectit.

(Inprimis ſtudioſo iuris plane neceſſaria eſt iuris naturae et gentium cognitio, 1. propter controuerſias illuſtres, 2. *propter ius publicum, vniuerſale enim ex ipſo iure naturae eſt*; 3. propter fontem et originem iuris ciuilis, qui non alius eſt, quam ius naturae et gentium. Conf. Io. Essenhar. Harmonia *Inſt. iuris nat. et ciuil.* Helmſt. 1699. 8.)

IIII. Iam ad hiſtoriam iuris naturae, qualem ex inſtituto ſcripſerunt Io. Franc. Bvddevs, quae habetur inter *Selecta iuris naturae et gentium*, *Hal.* 1704. Io. Frid. Lvdovici *Delineatio hiſtoriae iuris diuini*, edita *Halae* 1701. et 1714. Christ. Thomasii *Hiſtoria iuris naturae paullo plenior*, *Hal.* 1719.

Tacemus quae Iac. Frid. Reimmannvs, Gottl. Stollivs, et alii, de hiſtoria et ſcriptis iuris naturae commentati ſunt in hiſtoria litteraria. Quatuor conſtituimus periodos:

1. *ab initio mundi ad Chriſtum natum.*
2. *a natiuitate Chriſti vſque ad originem Academiarum et ſcholarum*,
3. *ab hoc tempore ad Grotium*, et denique
4. *ab hoc ad noſtra tempora.*

Periodus prima.

Ius naturae tam antiquum eſt, ac ipſum genus humanum, ſed non ita ſtatim exculta eſt diſciplina iuris naturae.

1. Ante legem Moſaicam multi viri pii vixerunt, Enoch, Noah, Abraham, Iſaac; quum ergo hi leges Dei poſitiuas nondum habuerint, conſequens eſt, vt vixerint ſecundum ius naturae.

Iudaei quidem tradunt, Noacho Deum dediſſe ſeptem praecepta, ex quibus illi ius naturae deriuare ſolent, ceu docuit Io. SELDENVS, *de iure nat. et gent. ſecundum diſciplinam Hebraeorum*, *cap.* 10. ſed parum fidei meretur, haec Iudaeorum traditio.

a) quia Iudaei hiſtorica cognitione plane deſtituuntur;

b) quia nullum de re tam antiqua habent teſtimonium vel Scripturae, vel antiquitatis.

Interim certum, tum nondum in ſyſtematis formam redactum fuiſſe ius naturae, hominesque magis ſtuduiſſe ſecundum ius naturae viuere, quam illud in artem redigere.

2. Inter gentiles ſoli fere Stoici ius naturae excoluerunt, quod vocarunt partem de officiis; de iis enim ſcripſere ZENO, PANAETIVS, et alii, ſed eorum libri omnes perierunt, ſolius exſtant CICERONIS *libri de officiis*, in quibus ius naturae explicat ſecundum diſciplinam Stoicorum. Sed multis tamen naeuis laborat hoc ſyſtema.

1. Confudit CICERO ethicam et ius naturae, et hinc multus eſt in deſcribendis virtutibus cardinalibus.

2. Non

2. Non ſemper doctrinas connectit adcurate, ſed fucum ſaepe facit eloquentia ſua.

Interim multa habet laude digna, vt dici poſſit, CICERONEM ſolum poſt Stoicos hac prima epocha praeclare meritum eſſe de iuris prudentia naturali.

Periodus ſecunda.

Poſt Chriſtum natum neminem decuiſſet magis hanc diſciplinam emendare, quam Patres Eccleſiae.

Et ſane habemus etiam AMBROSII libellum *de officiis*, ſeparatim editum a Io. HENR. BOECLERO; ſed multa hic deſideres:

1. Ambroſius confudit ius naturae et ſcripturae;

2. Magis inſtruxit clericum, quam virum bonum; vnde et DV PIN *Biblioth. eccleſ. Tom. I.* obſeruat, librum hunc in codicibus MSS. inſcribi *de officiis clericorum*;

3. Commune id habuit cum reliquis Patribus, quod fuerit Platonicus, multaſque erroneas doctrinas Platonis immiſcuerit Chriſtianae ethicae, et

4. Magis homiletice vel oratorie ius naturae tractarit, quam philoſophice. Vid. BARBEYRAC. *Praefat. ad Pufendorff.* §. 9. *ſequ.*

Priodus tertia.

Patribus ſucceſſit turba ſcholaſticorum, qui neglectis rectae rationis principiis ſcripſere *caſus conſcientiae*, opera *de iuſtitia et iure*, hiſque libris totum ius naturae et gentium complecti voluerunt. Sed

1. Mirifice probant, aliquid iuris naturae et gentium eſſe, modo ex Scriptura Sacra, modo ex iure ciuili et canonico, modo ex Ariſtotele, Lombardo, cet.

2. Multa miſcuerunt falſa principia probabiliſmi, metho-

di dirigendi intentionem, de peccato philoſophico, de quibus
LVD. MONTALTIVS in *Epiſtolis ad Prouinciales*,
ARNALDVS in *Denuntiatione nouae haereſeos de peccato philoſophico*,
TRIBBECHOVIVS *de doctoribus ſcholaſticis*.

Periodus quarta.

Ius naturae ergo primus emendauit
HVGO GROTIVS qui libros *de iure belli et pacis* edidit *Pariſ.* 1626. Cur illud non vocarit ius naturae et gentium, vid. COLOMES. *Epiſt. clar. viror.* 3. Commentarii in hos libros exſtant multi, ſed plerique parum vtiles: alii enim eius errores contra orthodoxiam admiſſos refellunt, vt IO. ADAM. OSIANDER, et IO. WOLFG. IAEGERVS; alii eum ex philoſophia Ariſtotelica refellere voluerunt, vt VALENT. VELTHEMIVS, IO. A FELDEN, IO. GE. SIMON; alii ex auctoribus claſſicis potius, quam ex recta ratione illuſtrarunt, inprimis IO. HENR. BOECLERVS, et IO. FRID. GRONOVIVS. Soli laudandi CASP. ZIEGLERVS, KVLPISII Collegium Grotianum, HENNINGES, BARBEYRACIVS.

Ceterum obſeruati in Grotio defectus ſunt:

1. Quod ſcholaſticos nimis ſequatur.

2. Quod nimium tribuerit conſenſui gentium, quum tamen

a) gentes conſenſerint ſaepe in rebus turpiſſimis, e. g. πολυθεότητι;

b) hoc principium ſit obſcuriſſimum, et hinc inde conuinci non poſſit indoctus.

Sed haeſit adhuc GROTIVS in errore, quod ius gentium conſenſu vel pactis gentium nitatur.

THOMAS HOBBIVS vel HOBBESIVS, eiuſdem cum Grotio aetatis; eius liber de *ciue* prodiit 1646. poſt 21. annos a libro

bro Grotii, et tamen hanc laudem ſibi tribuit HOBBESIVS in *praefat. philoſoph.* quod ius naturae primus excoluerit.

Occaſio huius libelli ſtatus Angliae turbulentiſſimus, vereque ἀναρχικῶς; hinc ſibi finxit ideam ſtatus naturalis, eumque poſuit in bello omnium in omnes; inde collegit ius omnium in omnes: inde victori tribuit ius in victum, adeoque omnia ex vi et potentia victoris deducit.

Fuit philoſophus profanus, et Machiauelliſmum inculcauit; multis tamen mirifice placuit.

Aſſeclas habuit LAMB. VELTHVYSEN, qui edidit *Diſſertat. epiſtolic. de principiis iuſti atque decori*, *Amſtel.* 1651. et BENED. SPINOZAM, cuius hypotheſin examinat PVFENDORFFIVS, *de iur. nat. et gent. libr. II. cap.* 23.

Aduerſarios contra nactus eſt IO. BRAMBALLVM, ROB. FILMERVM, ROB. SCHARROCKIVM, *recuſum a Reihero in* 12. *Goth.* 1667. GISB. COCQVIVM, SAM. STRIMESIVM, et omnium optimum RICH. CVMBERLANDVM.

IO. SELDENVS, de cuius *iure naturae et gentium ſecundum diſciplinam Hebraeorum* iam ſupra diximus.

SAMVEL PVFENDORFFIVS, poſtea Liber Baro, quum videret, Grotium in multis ius priuatum neglexiſſe, aliquando etiam minus diligenter cauiſſe ab erroribus ſcholaſticorum, de emendando iure naturae cogitare coepit: quumque Heidelbergae priuatim doceret, *Hagae Comitum* 1660. edidit *Elementa iuris naturalis* methodo vſus mathematica.

Quum ita placeret Carolo Ludouico, Palatino Electori, et eum primum conſtitueret Profeſſorem iuris naturae et gentium, maius opus molitus eſt. At euocatus interea Londinum Scaniae, vbi Rex Sueciae nouam academiam erexerat, ibi demum illud edidit 1672.

Male id habebat collegas, IOSVAM SCHWARTZIVM, theologum, et NICOLAVM BECMANNVM, ICtum,

qui e plagellis furtim ſubtractis excerpſerunt indicem nouitatum, eumque publici iuris fecerunt. Et quamuis res male cederet Becmanno, ideo publice relegato: magnam tamen hoc inuidiam etiam conflauit Puſendorffio; vnde nulla erat fere Germaniae academia, in qua id opus Puſendorffianum non exagitaretur. Specimen harum controuerſiarum edidit ipſe PVFENDORFFIVS in *Eride Scandica*, quae cum Iure Naturae et Gentium ſaepiſſime prodiit.

At triumphauit demum Puſendorffius, et hoſtes eius non ſine aegritudine animi viderunt, eius libros vbique praelegi in academiis.

Contraxit ergo ipſe hoc opus, indeque edidit libellum *de officio hominis et ciuis*; et haec eius fata.

CHRISTIANVS THOMASIVS primum Puſendorffii partibus acceſſit, ediditque ad eius principia primum *Iuris prudentiam diuinam*, vbi ſimul iunxit doctrinam *de legibus poſitiuis vniuerſalibus diuinis.*

Sed a. 1705. ipſe haec principia ſua deſtruxit, editis *Fundamentis iuris naturae et gentium*, in quibus eliminauit principium de legibus diuinis poſitiuis vniuerſalibus, et loco principii ſocialitatis totum ius naturae ex regulis *iuſti*, *honeſti*, *et decori* deriuauit; qua de re infra erit dicendi locus.

Hi auctores veluti familiam ducunt: poſtea plures calamum arripuere, et iuris naturae ac gentium compendia quaedam ediderunt, quae partim vix plauſum meruerunt, partim ita ſunt comparata, vt ſua laude non ſint defraudanda.

Prioris generis ſunt

1. HENR. BODINI *Diſſ. de iure mundi*, quae primum *Rintelii* prodiit, recuſa dein *Halae* 1698. In ea principium ponit voluntatem Dei ſecundum ordinem creaturarum: ſed


refellit hoc opuſculum CHRIS. THOMASIVS, *de fundamentorum definiendi cauſſas matrimoniales hactenus receptorum inſufficientia*, *Halae* 1698.

2. VAL. ALBERTI, theologi Lipſ. *ius naturae orthodoxiae conformatum*, vbi hoc ius deducere vult ex ſtatu paradiſiaco.

Poſterioris generis plures prodiere libelli, ex quibus omnibus fructum capere poteſt, qui iam ſolida huius ſcientiae cognitione eſt imbutus. Halae prodiere 1. IO. FRANCISCI BVDDEI, 2. NIC. HIERON. GVNDLINGII, 3. WOLFFII vtriuſque, 4. FLEISCHERI varia ſcripta. Marburgi prodiere HOMBERGKII Z'VM VACH; Francofurti ad Viadrum HENR. er SAM. *de* COCCEII varia ſcripta. Vitembergae 1. WEIDLERI liber elegantiſſimus, 2. GRIBNERI, et 3. WERNHERI ſcripta.

Taceo alia compendia eius generis fere innumera, quae in omnibus fere Germaniae academiis prodierunt, et iam tantum commendo ill. LEIBNITII *praefationem*, *Codici iuris gentium diplomatico* praemiſſam, in qua haud pauca egregia occurrunt.

IO.



IO. GOTTL. HEINECCII PRAELECTIONES IN SAM. PVFENDORFFII DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS LIBROS II.

LIBER PRIMVS.

* * * * * * * * * *

CAPVT I.

DE ACTIONE HVMANA.

QVum traditurus ſit Auctor officia hominis et ciuis; officia vero ſeſe exſerant per actiones: primo omnium agitur de actionibus humanis; et quidem quaerit hoc capite auctor,

1. *Quid ſit officium?* §. 1.
2. *Quid ſit actio humana?* §. 2.
3. *Quae actionum humanarum principia* §.? 3-16.
4. *Quae actiones homini imputentur, vel non imputentur?* §. 17. ſeqq.

§. 1.

I. *Officium* Germanice vocamus *eine Pflicht*, eaque notio vocabuli eſt ex philoſophia Stoica; primi omnium enim Stoici de officiis ſcripſerunt, vti in *Prolegomenis* dictum.

Eſt vero *officium* actio, ex obligatione ſiue perfecta, ſiue imperfecta, legibus conformanda. Ergo reuera actio bona vel iuſta et officium ſunt ſynonyma. Praecipue vero obſeruandum; officia ſemper reſpicere ad legem, eaque ceſſante et officium ceſſare, e. g. quamdiu lex vigebat de circumciſione, de ſacrificiis, tamdiu Iſraëlitae faciebant officium, dum circumcidebantur, ſacrificiaque offerebant; ceſſante hac lege, nemo hodie faceret officium, qui bouem offerret.

Stoici officia diuidebant in *perfecta*, quae a ſapiente proficiſcuntur; et *media* vel *communia*, quae a quocumque. Rident vulgo hanc diſtinctionem Stoicam, inprimis BVDDEVS, *Diſſert. III. de errorib. Stoicor.* §. 1. verum praeter rem, quum non poenitenda veritas hic lateat. Officia adtemperanda ſunt legi: legi aliquid adtemperatur vel *materialiter* tantum, quando fit, quod ex lege praecipitur; vel *formaliter*, quando id fit eo animo et eo conſilio, quod lex exigit: prius Stoici vocabant officium *commune*; poſterius *perfectum*. Elegans exemplum habemus in muliere „ quae duos obolos iniecit aerario eccleſiaſtico, *Marc. XII*, 42.

§. 2.

II. Quum itaque officium ſeſe exſerat per actiones; quaeritur, *quid actio humana ſit?*

Obſeruamus in homine varios motus, qui vel ex principio *interno* oriuntur, vel *externo*: ſi ex interno, vocantur *actiones*; ſi ex externo, *paſſiones*.

Actiones ergo ſunt motus ex principio interno ſubiecti agentis orti: *paſſiones* ſunt motus ex principio externo, quod non eſt in agente, orti. E. g. ſpongia mouetur, dum comprimitur: quum vero non comprimatur ex principio aliquo interno, ſed externo, nempe manu mea, *patitur* aliquid; contra dum ſpongian comprimo, *ago* aliquid.

Iam actiones hominum ſunt duorum generum: quaedam enim directioni voluntatis ſubiectae ſunt, e. g. paciſci, iurare, occidere, beneficium dare; quaedam huic directioni non ſubiacent, e. g. mo-

ſus

tus ſanguinis, motus periſtalticus, ventriculi et inteſtinorum, digeſtio et concoctio cibi. Priores vocantur *humanae* vel *morales*; poſteriores *naturales*. Hae communes ſunt hominibus cum brutis; illae hominibus propriae.

Quaeritur iam; *quaenam actiones ſint obiectum iuris naturae?* Reſp. humanae; ius naturae enim praeſcribit leges, ad leges voluntas debet dirigere actiones. Quum vero voluntas dirigere actiones naturales non poſſit, (per definit.) ſequitur, vt nec obiectum ſit iuris naturae.

Quamuis vero has actiones ipſas non dirigat ius naturae: poteſt tamen praeſcribere regulas decori omnino non negligendas. Sic e. g. ſternutare eſt actus naturalis; at poteſt tamen et debet circa eum obſeruari decorum.

§. 3.

III. Iam ergo quaeritur, *quaenam ſint actionum humanarum principia?*

Id non rectius cognoſcemus, quam ſi inquiramus, quid homo prae brutis habeat proprium; diximus enim, humanas actiones homines proprias habere.

1. Primo omnium in nobis animaduertimus corpus, id eſt, ſubſtantiam in longum, latum, et profundum extenſam, certae figurae, quantitatis, et qualitatis: at hoc idem animaduertimus in arboribus. Vid. Malpigh. et Nehem. Grew, *Anatom. plantarum.*

2. Prae arboribus id quidem habemus praecipuum, quod loco mouere poſſimus, et quaedam extra nos viſu, auditu, aliiſque ſenſibus percipiamus; ſed id in brutis quoque deprehendimus.

3. Prae brutis ne id quidem habemus praecipuum, quod aliquid cogitamus, cognoſcimus, volumus, auerſamur; nam et brutis eamdem virtutem eſſe obſeruamus. Vid. Rorar. *quod animalia bruta ratione vtantur melius homine.* Falſa quidem eius eſt hypotheſis; ſed collegit tamen quamplurima exempla, quae non ſine ſtupore animaduertimus.

4. Itaque hoc praecellimus brutis α), quod haec tantum res ſingulares et materiales cognoſcant; nos inde abſtrahere poſſumus, etiam ad ideas vniuerſales et immateriales β); quod bruta ideas aliquot comparent, ſed non nouas incognitaſque inde veritates eliciant: at homines cognita vna veritate abſtracta, mille alias incognitas ratiocinando inde elicere poſſunt.

Itaque praeter corpus nobis eſt mens rationalis ; hanc ſpiritualis eſſe naturae certo nouimus, quia cogitationum ſuarum ſibi conſcia eſt, quod numquam a materia praeſtari poteſt; quidquid enim materia agit, id agit ex figura, ſitu, diſpoſitione partium. At ſi materiam ſiue in hanc, ſiue in illam figuram formes, ſiue hoc, ſiue alio modo ſita diſpoſitaque ſit, numquam cogitabit, numquam cogitationum ſuarum ſibi conſcia erit. *Mens* itaque erit ſpiritus de rebus etiam immaterialibus cogitans, ſuarumque cogitationum ſibi conſcius.

Facultates ergo huius mentis ſunt principia actionum humanarum.

Si ergo actio quaedam oritur ex ſpiritu illo cogitante, et ſuarum cogitationum ſibi conſcio, erit *humana*; ſi non, *naturalis*.

§. 4.

Principia actionum humanarum ſunt
Intellectus, de quo §. 4--8.
Voluntas, de qua §. 9--16.
Quod ad primum, agitur
1. de intellectus *natura* §. 4.
2. de praecipua eius operatione, *conſcientia* §. 5. 6.
3. de quibuſdam intellectus vitiis, *errore* et *ignorantia* §. 7. 8.

Iam quaeritur, *quaenam ſint illae facultates mentis, ex quibus actiones humanae proficiſcuntur?*

Reſp. *intellectus*, et *voluntas*.

Exiſtimat equidem TITIVS, *Obſeru. XIII.* §. 3. *n.* 3. ſuperſedere nos potuiſſe hac diuiſione; eamdem enim mentem et intelligere, et velle: ſed philoſophi eſt ea diſtinguere, quae diſtinctos habent effectus. Quemadmodum ergo recte diſtinguimus lumen et calorem in ſole, quum tamen idem ſol et calidus ſit, et luceat: ita nec male diſtinguimus intellectum et voluntatem, quamuis eadem mens et intelligat, et velit.

Iam ergo primum de *intellectu*, qui eſt facultas mentis, qua percipimus, iudicamus, ratiocinamur.

In prima operatione mens ſe habet paſſiue, in reliquis actiue. In prima mens occupata eſt circa veram ideam; in ſecunda circa duas; in tertia circa tres ideas.

Iam auctor habet regulam: *Cuilibet homini, matura aetate et mente integra, tantum ſupereſſe naturalis velut luminis, vt adhibita*

cultura, ac debita meditatione, poſſit recte comprehendere, ſaltem generalia illa praecepta et principia, quae ad vitam hancce honeſte et tranquille exigendam faciunt, ſimulque indicare, iſta vtique indoli humanae congruere.

Et recte quidem: nam 1. alias non eſſet ius naturae cordi humano inſcriptum; 2. alias ceſſaret imputatio, poena.

Varias tamen auctor addit limitationes:

1. *maturae aetatis*; ergo non quaerendum in infantibus;

2. *mente integra*; ergo excipiuntur furioſi, morbo inſanientes;

3. *Adhibita cultura*; hinc excipiuntur homines barbari, inter beſtias educati, ſurdi, muti, aliiſque ſenſibus orbi; caſus triſtis in Marchia, de quo KRESSIVS ſingularem tractatum ſcripſit;

4. id intelligendum eſſe non de actu, ſed *de potentia*; poteſt homo, ſi vult, id cognoſcere; et hinc, ſi non vult, nihilo minus eſt ἀναπολογήτως.

§. 5.

Intellectus tres eſſe operationes diximus, perceptionem, iudicium, atque ratiocinationem. Ratiocinatio quoties circa res morales verſatur, vocatur *conſcientia*; ergo iam hic de ea agitur.

Conſcientiam aliquam exiſtere, negant athei ac deiſtae, in primis TOLANDVS in *Adêiſidaem. ſiue Tito Liuio a ſuperſtitione vindicato.* Nam quamuis experientia doceat, eum, qui contra rationem peccauit, angores animi perſentiſcere: negat tamen eas oriri ex ſenſu legis diuinae, ſed putat, illas non niſi ex metu poenae temporalis proficiſci.

At falſum hoc eſſe, patet exemplo Neronis apud SVETON. *in eius vit. cap.* 34. *qui ſceleris conſcientiam, quamuis et militum, et ſenatus, populique gratulatione confirmaretur, nec ſtatim, nec vmquam ferre potuit, ſaepe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, ac taedis ardentibus.*

Sed ſtolidum eſt negare exiſtentiam conſcientiae contra ipſam conſcientiam: ſane, ſi in nobis deprehendimus aliquid, cui quadrat definitio conſcientiae, ſatis conuicti erimus, dari in nobis et definitum, nempe conſcientiam.

Eſt vero *conſcientia* ratiocinatio de actionibus noſtris, inſtituta eum in finem, vt liqueat, iuſtaene, an iniuſtae ſint.

Eſt ratiocinatio: hinc videmus

1. quando conſcientia dicatur dormire, quando expergiſcere:

nam quamdiu non ratiocinamur, dormire quodammodo videtur conſcientia; expergiſcere autem, ſimul ac data occaſione ratiocinari incipimus.

2. Totidem eſſe propoſitiones in ratiocinatione conſcientiae, quot in ſyllogiſmo; maior vocari poteſt LEX, minor FACTVM, concluſio SENTENTIA, e. g. Dauides, qui homicidium et adulterium committit, eſt morte dignus; ego id feci; ergo morte ſum dignus.

De actionibus noſtris. Alienae ſcandalum quidem praebent, aut triſtitiam vel commiſerationem in nobis excitant, non vero pertinent ad conſcientiam noſtram; e. g. ſi legimus, tyrannum multa hominum innocentum millia obtruncaſſe.

Obiici poſſet, *ſaepe etiam nos ob aliena facta conſcientiae angores perſentiſcere, quoties nos iuſſimus, vel alio modo in culpa fuimus:* Reſp. tunc ſumus cauſſa moralis, adeoque actiones hae non ſunt alienae, ſed actiones noſtrae. Ita Ahabus et Ieſabel factum eorum, qui Nabodum innocentem damnarant, occiderantque, ſuum reputare debebant. Huc et illa pertinent *Ioann.* XVIIII. II. *qui me tibi tradidit, in maiore culpa eſt.*

Iuſtae, an iniuſtae ſint. Hinc patet, quo modo conſcientia differat I. a pudore; hic enim oritur, quoties de decoro actionis ratiocinamur; 2. a poenitentia, quae ſequitur, quoties perſuaſi ſumus, nos contra vtilitatem noſtram feciſſe.

Quotuplex vero conſcientia? Auctor tradit vnicam, quae tamen re ipſa quidem haud accurata eſt: nam opponit ſibi inuicem *rectam* ac *probabilem* conſcientiam, quum tamen probabilis et recta eſſe poſſit; ſupplenda ergo hic erunt multa.

Conſcientia eſt vel *antecedens*, quando ratiocinamur de facto futuro; e. g. Naëman; vel *conſequens*, quoties ratiocinamur de facto praeterito. Illa nobilior, quia virtute praeditis propria; haec etiam in ſceleratis deprehenditur. Illa, nempe antecedens, eſt *certa*, ſi liquido ratiocinando comperimus, iuſtane, an iniuſta ſit actio: vel *dubia*, quoties in vtramque partem ratiocinamur, e. g. an ſanguine veſci liceat; vel *probabilis*, quando non ſuppetit principium certum, ſed ex hypotheſi tantum ratiocinor; e. g. quia hoc ex miniſtro eccleſiae audiui.

Porro conſcientia eſt vel RECTA, quando nec in materia, nec in forma, vllum eſt vitium, adeoque vtraque praemiſſarum vera eſt, ex eaque fluit concluſio; vel ERRONEA, quoties alterutra praemiſſarum falſa, vel forma vitioſa eſt. Sic e. g. in Caini ſyllogiſmo.

Qui fratrem occidit, eius peccatum eſt maius, quam vt ferri poſſit,

ſit, cet. maior eſt falſa, ſi verſionem hanc admittamus. Poteſt vero et minor falſa eſſe, ſi e. g. in turba homo occiſus ſit, et vnuſquiſque putet, ſe auctorem eſſe homicidii.

Denique conſcientia vel BONA eſt, vbi concluſio abſolutoria; vel MALA, vbi condemnatoria.

Quaeritur iam, *num conſcientia ſit norma actionum?* quod negatur, quia et poteſt eſſe erronea; at dicitur norma actionum ob propoſitionem maiorem, quatenus eſt lex.

§. 6.

Quid ſi conſcientia dubia? Tunc actio eſt intermittenda; contra conſcientiam dubiam enim nihil agendum.

Negat hanc regulam TITIVS, *Obſeru.* 18. ea ratione, quod aeque bonam, ac malam actionem omittere tunc poſſit dubitans.

Sed 1. ſi etiam bonam actionem edit quis contra dubitationem, tamen non habet intentionem bene agendi. BARBEYRAC. *ad Puſendorf. I*, 3, 8.

2. Qui contra conſcientiam dubiam agit, non poteſt aliter ratiocinari, quam hoc modo: neſcio quidem, iuſtane ſit actio, an iniuſta, ſed, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, eam tamen perpetrabo. Quid vero eſt contemtus Dei, diuinaeque legis, ſi hoc non eſt.

Id tamen certum, hominem obligatum eſſe, vt de euellenda animo hac dubitatione quam maxime laboret, ne actionem forte bonam diutius intermittat. Poteſt ergo aliquis et intermittendo peccare, quia media non adhibet, quibus dubio liberari poſſet, modo vellet.

§. 7.

Hactenus de intellectus operationibus; proxima ſunt eius vitia; *error*, de quo §. 7, et *ignorantia*, de qua §. 8.

Differunt error et ignorantia, quod haec ſit priuatiuum quid, puta priuatio cognitionis; illa poſitiuum, falſitas idearum.

Itaque *errorem* definimus, quod ſit diſconuenientia idearum noſtrarum cum obiecto. Is vero multipliciter committitur: modo in ipſa *perceptione*, quoties nobis falſam ideam formamus, turrim putantes rotundam, quum ſit quadrata; modo in *iudicio*, affirmantes aliquid, quod negandum, et vice verſa; vel vniuerſale formantes iudicium, quum ſit particulare, et vice verſa; modo in *ratiocinatione*, ſiue in materia, ſiue in forma perperam ratiocinemur. Sed ita logice conſideramus errorem.

In

In moralibus diuidimus errorem in *vincibilem*, et *inuincibilem*; quae diuiſio et in ignorantia locum habet. *Vincibilis* eſt, qui debita adhibita diligentia poterat euitari; *inuincibilis*, ad quem euitandum nulla ſufficiebat diligentia atque attentio. E. g. ſi quis aurum putat, quod inauratum tantum, errat, ſed error eſt uincibilis; ſi quis vero hominem inter beſtias educatum obtruncaſſet, erraſſet invincibiliter.

Deinde error eſt vel *facti*, ſi quis in facto; vel *iuris*, ſi in iure quis errat. E. g. ſi quis putat, ſe vxorem poſſe ducere amitam, errat, et quidem in iure; ſi quis exiſtimaret, virginem ex captiuitate liberatam eſſe extraneam, eamque vxorem ducat, quae poſtea appareat amita, errauit, et quidem in facto. Iam obſeruandae regulae:

I. Error iuris ſemper eſt vincibilis; α) quia ius naturae cordi inſcriptum; ius poſitiuum promulgatum; β) quia ciuis eſt obligatus ad inquirendum in iura ciuitatis, adque conſulendos peritiores.

II. Error facti poteſt vel vincibilis eſſe, vel inuincibilis: factum enim non diſcimus ex recta ratione, ſed ex circumſtantiis, quarum multae tam occultae eſſe poſſunt, vt et ſapientiſſimum fallant.

Vſum haec doctrina habet, quoties de imputatione actionum humanarum quaeritur, eamque oſtendemus infra §. 20. 21.

§. 8.

Ignorantia eſt ſimplex ſcientiae priuatio, vel defectus cognitionis. Sic e. g. olim ignorabat apoſtolus, cupiditatem eſſe peccatum; ignorabant patres, exiſtere quartam partem orbis, Americam; quia omni idea earum rerum deſtituebantur.

Ea, quoad actiones, eſt vel *efficax*, vel *concomitans*; *Efficax*, ſi quid ex ignorantia egi, quod acturus non fuiſſem, ſi vere habuiſſem perſpectum; exemplum Abimelechi, *Geneſ.* XX. 4. 5.

Concomitans, ſi quid ex ignorantia facio, quod facturus fuiſſem, etiamſi melius rem ſciuiſſem. Sic puer apud PLVTARCHVM lapide petens coruum, oculum nouercae excutit, eoque comperto, ait: *ne ſic quidem male*; *fors melius conſilium cepit, quam nos.* Signum ergo eſt poenitentia vel gaudium ſuper eius modi actione.

Deinde quod ad cauſſam et originem, ignorantia eſt vel *voluntaria*, vel *inuoluntaria*.

Voluntaria, vbi culpa mea fit, vt rem ignorem, e. g. ſi quis non adhibet debitam diligentiam et attentionem, eaque non eſt excuſabilis.

Inuoluntaria, vbi reuera ignorantiam in praeſenti euitare non potui; eaque duplex eſt.

1. *Vel in ſe et in ſua cauſſa ſimul*, ſi in eo ſtatu ſum, vt rem ſcire non poſſim, nec in culpa tamen ſim, quod in eum ſtatum inciderim; talis eſt ignorantia inuoluntaria furioſi, morbo inſanientis, infantis.

2. *Vel in ſe, et non in ſua cauſſa*, vbi quis in eo ſtatu eſt, vt ignorantiam euitare nequeat, ſed ſua tamen culpa in eius modi ſtatum incidit. In tali ignorantia inuoluntaria verſatur ebrius; et haec non eſt excuſabilis, poterat enim quis cauere eius modi ignorantiam.

Zaleucus legislator crimen ab ebrio commiſſum duplici poena dignum iudicauit; primo quod crimen commiſiſſet; deinde quod inebriatus eſſet. Simile fere edictum pater regis noſtri prodidit.

At in foro humano tamen, quia res publica conſiſtere non poteſt ex mere piis, plerumque ſumma ebrietas pertinet ad cauſſas poenam ordinariam mitigantes.

Vſus etiam huius doctrinae ſeſe exſerit in quaeſtione, *an actio homini imputanda ſit, nec ne?*

§. 9.

Progredimur ad alterum principium actionum humanarum, *voluntatem*, de qua quaeritur

1. *quid ſit?* §. 9.
2. *an libertatem habeat?* §. 10.
3. *cur tam variae ſint eius inclinationes?* §. 11-15.
4. *quaenam actiones ſint voluntariae et inuoluntariae?* §. 16.

Voluntatem exiſtere plane negauit BENED. SPINOZA, *Epiſt. II. ad Oldenburger. pag.* 399. hominem enim habet pro parte magnae iſtius machinae, quae mundus vocatur. Inde concludit: in machina nihil ſe mouet voluntarie, ſed ex neceſſitate; ergo et homo.

Enim vero repugnat conſcientia: nos non mouemur, ita vt nobis actionum et motuum noſtrorum non conſcii ſimus, quemadmodum machina; ſed ſcimus, quod nos mouere velimus, nouimus etiam rationem, cur moueri velimus, quia ſcilicet rem vel pro bona, vel mala agnoſcimus; quae omnia in machinam minime cadunt.

Ceterum quemadmodum intellectum verſari circa verum diximus:

mus: ita *voluntas* verſatur circa bonum, adeoque definitur, quod ſit facultas mentis, qua bonum adpetimus, malum auerſamur.

Operationes intellectus erant perceptio, iudicium, ratiocinatio: operationes voluntatis, adpetere et auerſari.

Hae tamen operationes ſeſe exſerunt diuerſis actibus, quorum alii vocantur

Imperati, quia voluntas imperium exercet in alias facultates: ita voluntas excitare poteſt intellectum, vt rem accuratius contempletur, voluntas mouere poteſt membra corporis: ſaltem experientia docet, praeuia voluntate membra moueri, nec opus eſt, vt iam de cauſſa ſimus ſolliciti. Hi omnes actus ſunt imperati.

Eliciti contra ſunt, qui immanent voluntati, in qua oriuntur; et hi ideo ordine diſponuntur.

Volitio eſt primus motus voluntatis.

Intentio eſt decretum voluntatis de actione ſuſcipienda.

Conſenſus eſt conſilium de mediis eligendis.

Electio eſt electio mediorum.

Vſus eſt ipſe vſus mediorum.

Fruitio eſt, quando quis per media finem ſuum obtinet.

Exemplum furis furtum committentis hos ſex actus optime illuſtrat.

§. 10.

Iam quaeritur, *an voluntas libertate aliqua gaudeat?* LOCKIVS equidem *de intellectu humano, libr. II. cap.* 21. abſurdam putat hanc quaeſtionem, perinde ac ſi quis quaereret, an virtus ſit quadrata? libertatem enim eſſe ſingularem et ſeparatam mentis facultatem: ſed magna inter has quaeſtiones eſt differentia, quum priorem quaeſtionem ne concipere quidem poſſimus, poſterioris bonus ſenſus ſit.

Ita potius de ſtatu quaeſtionis nos decet eſſe ſollicitos. Primo ergo non quaerimus de ſpontaneitate, ſed de libertate. Spontaneitas opponitur neceſſitati internae, qualis eſt in machina; libertas opponitur coactioni; ſpontaneitatem voluntatis ſupra contra SPINOZAM vindicauimus.

Deinde libertas in duplici ſenſu accipitur: aut enim opponitur *coactioni phyſicae*, et tunc conſiſtit in indifferentia ad oppoſita, vt homo poſſit agere, vel non agere, hoc vel illo modo agere; vel

morali.

morali, et tunc quaeritur, an non intra hominem ſint quaedam impedimenta, quae efficiunt, vt non ſemper agat, quae velit.

Primo ſenſu accepta libertas omnino competit hominis voluntati; experientia enim docet, eum phyſice poſſe pro lubitu ſtare, ſedere, ſurgere, tardius vel citius moueri, furari et non furari, ſi morbo non impediatur.

At poſteriori ſenſu ſi accipiatur libertas, diſtinguendum inter virtute praeditos, et vitiis adhuc obrutos.

Priores liberrimam voluntatem habent, liberat illos virtus, vt cum voluntate legi diuinae pareant, et, quoties obnititur natura, pugnant contra prauas cupiditates, nec prius quieſcunt, donec eas vicerint.

Contra vitioſi homines impedimenta in ſe habent vitia ſua, quibus ad nefanda ſcelera impelluntur, vt ea ne poſſint quidem data occaſione intermittere; e. g. homo auarus et alieni cupidus non poteſt non furari, vbi occaſionem ſibi fauere videt, quin ſi vel maxime furtum malum eſſe ſcit, tamen ipſi ob cupiditatis illecebras eueniat, quod ait poeta:

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

At ſunt tamen et hic media, quibus, ſi vti velit ſceleratus, haec impedimenta ſuperare poſſit; puta repraeſentatio maioris boni vel mali ſiſtit et impedit cupiditatem boni vel mali minoris, e. g. ſi fur ſibi repraeſentet patibulum, virgas, laqueum.

Et ſic ſceleratiſſimi etiam homines in libertatem ſe vindicare poſſunt, partim ſi animum emendare velint, partim ſi ſibi repraeſentent maius vel minus malum.

Et hanc libertatem ſtatuere neceſſe eſt; quia
1. alias fruſtra eſſent leges;
2. iniquae poenae legibus ſancitae.

§. 11.

Sequitur tertia quaeſtio, *cur tam diuerſae ſint hominum inclinationes*; quum tamen omnes natura appetant bonum, malumque auerſentur? vt inde colligi poſſe videatur, omnes homines ſibi ſimiles fore, quum tamen repugnet experientia.

Cauſſas ergo recenſet auctor, 1. *varios reſpectus boni*, §. 11. 2.

 varia

varia hominum temperamenta, §. 12. 3. *conſuetudinem*, §. 13. 4. *affectus*, §. 14. 5. *ebrietatem*, §. 15.

Quod ad reſpectus varios BONI attinet, ſciendum eſt, in vero bono diuerſos reſpectus non eſſe ſeparatos. Bonum enim conſideratur tamquam *iucundum*, *honeſtum*, et *vtile*; at hi reſpectus *in vero bono* ſemper coniuncti ſunt, idem enim bonum verum et honeſtum, et vtile eſt, e. g. virtus; quam doctrinam et CICERO in *libris de officiis* tuetur.

At *in bono apparente* haec ſeiuncta ſunt, et talia bona adparentia vel ſe repraeſentant vt *honeſta*, quum non ſint vtilia et iucunda; vel vt *iucunda*, quum non ſint honeſta et vtilia; vel vt *vtilia*, quum nec honeſta, nec iucunda ſint.

Quum ergo homines plerique, immo natura omnes, in apparentia magis bona, quam in vera ferantur: inde naſcuntur diuerſa vitia, diuerſae inclinationes.

Si enim voluntas fertur in bona apparentia tamquam honeſta, naſcitur ambitio; ſi in iucunda, oritur voluptas; ſi denique in vtilia, auaritia.

AMBITIO eſt inclinatio in bona apparentia, quae ſe repraeſentant tamquam honeſta, adeoque homini praerogatiuam tantam dare videntur. Quum vero alii alia in re quaerant praerogatiuam; varia quoque eſt ambitio. Alia enim eſt

RIDICVLA vel STOLIDA, quae praerogatiuam quaerit in re nihili; e. g. in eo, quod verſiculos emendicat; quod nomen in nouellis publicis legatur; hic magna mixtura ſtultitiae, vt iam veteres dixerint:

Stolidus und Stolz
Wachſen auf einem Holtz.

THRASONICA vel BRVTA, quae praerogatiuam quaerit in rebus turpibus, e. g. in frequentibus digladiationibus, facultate bibendi, aſtutia furandi.

SPECIOSA, quae praerogatiuam quaerit in aliqua perfectione; et haec eſt vel

1. *aulica*. Huic qui dediti ſunt, honeſte viuunt, grauitatem adfectantur, ſimulare et diſſimulare commode ſciunt, magnam religionis ſpeciem oſtendunt tam diu, quam ipſis expedit; alias neque haec, neque conſcientia ipſis curae cordique eſſe ſolent, inprimis decoro ſtudent; vel

2. m.

2. *militaris.* Huius characteres fere iidem ſunt, niſi quod plerumque accedat inhumanitas, iurgia quaerant, exſecrationes euomant, minoremque decori curam habeant; vel

3. *erudita*, cuius characteres, diligentia, nouitatis ſtudium, controuertendi libido, inuidia, aliquando et pedantiſmus, et decori neglectus; vel

4. *phariſaica*, cuius characteres, adfectata humilitas, decori neglectus, peruicacia, contemtus aliorum; tale quid in Cynicis deprehendimus.

VOLVPTAS eſt inclinatio in bona adparentia, quae ſeſe repraeſentant tamquam iucunda; *iucundum* autem vocamus, quidquid oblectat ſenſus ſiue internos, ſiue externos. Quum vero aliud alium oblectet, voluptas eſt

1. *bacchica*, cuius characteres conſiſtunt in ingluuie, varietate deliciarum, otio, conuerſatione cum hominibus ſimilibus, contemtu religionis, decori neglectu;

2. *Venerea*, cuius characteres, fabularum Romanenſium lectio, luſus, ornatus, frequens ad hominum conuentum acceſſus, nimia comitas atque decori cura;

3. *amica*, cuius characteres, conuentus, luſus, hilariores ſermones, curioſorum ſtudiorum ſectatio, nouitatis ſtudium; officioſi tamen ſunt et benefici.

AVARITIA eſt inclinatio in bona adparentia, quae ſe repraeſentant tamquam vtilia. Ea eſt vel

1. *ſplendida*, quae de adquirenda pretioſa ſuppellectili laborat;

2. *ruſtica*, quae de fundis et agris ſollicita;

3. *mercatoria*, quae poſſeſſionem pecuniae paratae anhelat.

4. *Sordities* eſt extremus auaritiae gradus, vbi quis ipſe genium defraudat.

Ceterum omnes auari ſunt ſuperſtitioſi, inuidi, nemini boni, decori negligentiſſimi.

Quaeritur *quem effectum habeant* 1. *cholerici?* Reſp. iudicio et ambitione noti;

2. *melancholici?* memoria et auaritia;

3. *ſanguinei?* ingenio et voluptate;

4. *phlegmatici?* ad vitia et virtutes tardiores et ſomnolenti. Solent tamen haec temperamenta mixta eſſe. Solent aetate variare.

An excuſent? Negatur,

α) cultura virtutis omnia ſuperare poteſt, et ad eam quiſque obligatus eſt.

β) Vitari debent occaſiones, quibus temperamenta incitantur.

γ) Pugnandum, corpuſque ad obſequium reducendum.

§. 12.

Cauſſa tot diuerſarum inclinationum altera eſt *temperamentum*; vbi quaeritur

Vnde illa temperamentorum diuerſitas? Reſp.

α) Sanguis noſter per venam cauam tranſit in dextrum cordis ventriculum, inde per arteriam pulmonarem in pulmones, ex his per venam pulmonarem in ſiniſtrum ventriculum cordis, et ex hoc denique per aortam in reliquas corporis partes.

β) Particulae ſanguinis non apud omnes eadem proportione mixtae.

γ) Vaſa quaedam et pulſus variant.

δ) Ergo nec motus ſanguinis idem.

Cholerici ergo ſunt, quorum in ſanguine plus particularum ſulphurearum.

Sanguinei, quorum in ſanguine plus particularum ſalinarum.

Melancholici, quorum in ſanguine plus particularum terreſtrium.

Phlegmatici denique, quorum in ſanguine plurimum ſeri.

§. 13.

Tertia cauſſa diuerſarum inclinationum eſt *conſuetudo*, quae eſt habitus frequente repetitione vnius eiuſdemque generis adquiſitus, e. g. conſuetudine fidibus canere diſcimus.

Ea vero non modo in corpore ſeſe exſerit, e. g. in ſaltando, luctando, aliiſque exercitiis; ſed et in animo, in ſpecie,

In intellectu, conſuetudo bene ratiocinandi.

In voluntate vtramque paginam facit; hoc docet educatio, conuerſatio, immo hoc in ipſis brutis adparet.

Praecipua quaeſtio eſt, *an actio ex conſuetudine orta poſſit imputari?* e. g. exſecrationes.

Ratio dubitandi eſt, quia non eſt voluntaria. Ratio decidendi.

α) Illud eſt procul dubio voluntarium, quod nobis actibus toties repetitis adquirimus.

β) Actio ex conſuetudine etiam praeter voluntatem ſuſcepta vitioſa eſt, propter antecedentem culpam; Grot. *de iur. bell. et pac. II*, 10, 29, 2.

γ) Nulla eſt conſuetudo, quae non poſſit contraria deſuetudine minui, ſi homo eamdem diligentiam adhibere vellet. Eleganter Aristoph. in *Veſp.*

Vſus, quo fueris diu
Mutare ingenium graue, eſt
Multos inuenias tamen,
Qui mores, moniti, ſuos
Mutarunt melioribus.

§. 14.

Quarta cauſſa ſunt *adfectus*; his enim ſi quis indulgeat, facile degenerant in mores.

Affectvs ſunt motus voluntatis ex repraeſentatione boni vel mali orti, et cum extraordinaria commotione ſanguinis et fluoris neruoſi coniuncti. Dicimus eſſe

Motus, quia quamdiu adfectus mentem non perturbat, is dicitur quieſcere.

Voluntatis; Omnis enim adfectus vel adpetitus eſt, vel auerſatio, atque hae ſunt operationes voluntatis.

Ex repraeſentatione; ſiue ſenſu fiat, ſiue imaginatione, quamuis haec ſit debilior, quam illa. Vnde regula: *aus den Augen, aus dem Sinn.*

Boni vel mali. Hic varii reſpectus, et innumerae adfectuum ſpecies, e. g. ſi bonum ſe repraeſentat tamquam praeſens, naſcitur laetitia; ſi tamquam futurum, *ſpes*; ſi tamquam certum, *fiducia*; ſi in amico, *congratulatio*; ſi in inimico, *inuidia*.

Extraordinaria commotione ſanguinis. Quod adparet ex rubore et pallore, quin et ſentitur iſte motus in ira et triſtitia, et in hac quidem maxime per anxietatem cordis.

Et fluoris neruoſi. Inde varii geſtus, firmitas eorum membrorum, quae exſerendo adfectui inſeruiunt.

Notandum 1. non omnia in adfectu eſſe inuoluntaria; eius varii

rii gradus, commotio animi, adprobatio, et impetus; primum impedire non poſſumus, reliquos poſſumus.

2. Suſpendendam eſſe actionem.

3. Pugnandum; affectus enim ſunt momentanei quid. Plato iubebat recitare alphabetum Graecum.

§. 15.

Vltima cauſſa eſt *ebrietas*: haec quid ſit, quomodo contrahatur, quantum mentem perturbet, quotidiana experientia docet. Iam obſeruandum:

1. Eam varios habere effectus pro diuerſitate temperamentorum;

2. Eam aliquando eſſe inuoluntariam; e. g. ſi quis potui non adſuetus ſit, ſi alterius dolo inebrietur;

3. Eam vel *modicam* eſſe, vel *ſummam*; hancque in eo conſiſtere, quod ea inebriatus homo ſuarum actionum ſibi plane conſcius non ſit.

Quoties ergo quaeritur, an actio in ebrietate ſuſcepta excuſabilis ſit, vel imputari poſſit: tunc ſemper diſtinguendum inter ebrietatem modicam et ſummam. Modica numquam excuſat, quia homo tunc ſcit, quid agat; e. g. ſi quis ideo contractum reuocare velit, quod contrahentes modice biberint.

In ſumma ebrietate diſtinguendum porro, ſitne *voluntaria*, an *inuoluntaria*: quae poſterior excuſat. Denique in voluntaria diſtinguendum, ſitne actus indifferens, i. e. legibus nec praeceptus, nec prohibitus, tunc actus eſt nullus; e. g. ſi ebrius domum vendiderit; ſi vero criminoſus, tunc non excuſat ebrietas. Conſ. BVDDEI *Diſſert. II. de ſeptem ſapient. Graec. dict.* §. 6. et 9.

§. 16.

Vltima quaeſtio de voluntate humana eſt de actionibus voluntariis et inuoluntariis, vbi

1. Doctrina auctoris explicanda. Diſtinguit ille actiones in

α) *Voluntarias*, quae a voluntate proficiſcuntur et diriguntur, e. g. paciſci, iurare, circumſtantiis omnibus perſpectis;

β) *Inuitas*, quas duplici ſenſu dici exiſtimat, vel late, vel ſtricte; *ſtricte*, quae reluctante voluntate ſuſcipiuntur, e. g. iactus mercium ad euitandum naufragium; *late*, quae per ignorantiam patrantur, e. g. Hercules in furore occidit liberos.

Ad-

Addit auctor, inuitum ſe accipere pro coacto.

II. Sed haec omnia nihili ſunt: nam

α) Inuitum dici non poteſt, vbi ignorantia eſt, quia ignorantia eſt in intellectu; inuitum vero reſpectum habet ad voluntatem;

β) Falſum, inuitum et coactum eſſe ſynonyma; in inuitis enim actionibus voluntas plane abeſt, in coactis adeſt, ſed vi et metu extorta, e. g. ſi quis ex ſcala truditur et aliquem laedit, actio eſt inuita; ſi pater cogit filium, vt alterum laedat, actio eſt coacta.

III. Hinc ita procedendum: actio omnis eſt vel *ſpontanea*, vbi voluntas concurrit, e. g. furari; vel *inuita*, vbi voluntas non concurrit, e. g. ſi ceruum petens pater filium occidit.

Spontaneae actiones itidem ſunt vel

1. *Liberae* quando voluntas nulla vi extorta eſt, e. g. ſi quis ſponte furatur; vel

2. *Coactae*, quando voluntas quidem concurrit, ſed vi alterius extorta, e. g. ſi quis latroni promittit centum aureos.

Statuit auctor etiam actiones *mixtas*, quas et volumus, et, ſi noſtri rei arbitrii eſſet, magis nollemus; ſed reuera hae eaedem ſunt cum coactis, e. g. iactus mercium.

Iam quaeritur, *an actiones inuoluntariae ratae ſint?* Reſp.

α) Inuitae plane non imputantur, quia homo non earum auctor eſt;

β) coactae imputantur, ſi alteri ius cogendi eſt: non imputantur, ſi alteri tale ius non eſt.

Demonſtratio haec eſt. Vbi alteri non eſt ius, ibi nec ex mea parte obligatio, ius enim et obligatio ſunt correlata; ſed de hoc infra ſuo loco, e. g. promiſit quis iudici ob minas carceris et exſequutionis, ſe ſoluturum; obligatur ſane, quamuis coactus, quia iudici ius cogendi eſt; contra ſi quis promiſerit latroni centum aureos, non obligatur. Elegans epigramma MARTIALIS: *XI. 59. 5. ſeqq.*

Quid ſi me tonſor, dum curua nouacula ſupra eſt,
Tunc libertatem diuitiaſque roget?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat: res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curua quum tuta nouacula theca:
Frangam tonſori crura, manuſque ſimul.

§. 17.

Supereſt poſtrema pars capitis. Vidimus, quid officium, quae actio humana, quaenam eius principia? Supereſt, vt videamus, quid *imputatio actionum*, et *quaenam actiones imputentur vel non imputentur?*

Imputare proprie eſt aliquid in alterius rationes, vel expenſi tabulas referre. Quemadmodum ergo in ratiociniis quaeritur, quid quis debeat, vel quid ei debeatur: ita in moralibus quaeritur, quid quis ob actiones ſuas debeat, quidue ei debeatur? ac proinde vocatur imputatio.

Ergo *imputare* nihil aliud eſt, quam declarare effectum, quem lex actioni adſignat, huic actioni competere: e. g. furem debere poenam furti ſuſtinere, huic victori deberi praemium.

Iam quum effectus ponat cauſſam, conſequens eſt, vt effectum actionis nemo ferre poſſit, niſi qui eiuſdem cauſſa vel auctor ſit: ac inde fluunt axiomata:

1. *Qui eſt auctor actionis, illi poteſt imputari;*
2. *Qui auctor non eſt, ei nec imputari poteſt.*

Obiici poſſet, aliquando etiam imputari ſolere caſus fortuitos, e. g. conductori. Reſp. 1. id fieri ex pacto, 2. regulariter caſum nemini imputari, niſi culpa concurrat.

§. 18.

Ex generalibus illis axiomatibus fluunt regulae et canones ſpeciales, quorum *primus:*

Actiones ab alio patratae, vt et operationes quarumuis aliarum rerum, nec non quiuis euentus, non poſſunt alteri imputari, niſi quatenus ille poteſt et tenetur iſtas moderari.

Ratio 1. quia, quod alius patrat, eius non ſum auctor, niſi quatenus directionem habere potui et debui.

2. Quia euentuum, qui a prouidentia diuina pendent, non magis auctores ſunt. Sic

Patri non imputantur actiones filii, nec filio patris, niſi quatenus hoc iuſſit, vel alio modo cauſſa moralis fuit. Idem dicendum de ſeruis. Obiiciuntur *actiones de peculio noxales*. Reſp. hic non iniuſte imputatur actio domino vel patri, ſed ideo tenetur, quia, dum peculium dedit, conſenſit in contractum, et dum omnes res per ſeruum adquirit, etiam damna ferre debet.

Quod fit ex neceſſitate phyſica, nemini imputatur. Sic abſur-

de

de obligabant Mexicani reges ſuos, vt iurarent, effecturos ſe, vt ſol curſum ſplendoremque ſuum teneret, nubes pluerent, riui currerent, et terra produceret omne genus frugum. Sic nemo *adeo iniquus, vt ſceleri adſignet, quod venti et fluctus deliquerunt*, vti ait TACIT. *Annal. XIIII. 3.*

Si tamen factum alicuius concurrat, ob hoc et eius modi euentus imputari poſſunt. Sic Eliae imputatur pluuia, nauarchae imputatur aliquando naufragium, hominibus imputantur bellum, peſtis, fames publica, quia haec iudicia diuina peccatis ſuis prouocarunt.

§. 19.

Sequitur *alter* canon ſpecialis:

Quaecumque in quolibet homine ſunt, vel non ſunt, quae penes ipſum non fuit, vt adeſſent vel non adeſſent, non poſſunt ipſi imputari, niſi quatenus per induſtriam naturalem defectum non ſuppleuit, aut naturae vires non adiuuit.

Si enim penes ipſum non fuit, vt adeſſent, vel non adeſſent; non eſt cauſſa vel auctor illius rei; ergo non imputatur, (*per axioma* 2.) Sin vero induſtriam debitam omiſit, cauſſa et auctor eſt defectus, adeoque recte illi imputatur, (*per axioma* 1.) Itaque nemini imputantur vitia corporis et animi, e. g. caecitas, ſurdities, deformitas. Inde PHAEDR. *Fabul. III,* 11. 6. 7.

Sed quid fortunae, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

Ita et ſimplicitas, ignorantia. Imputantur tamen et huius modi defectus, ſi culpa hominis contracti ſunt, e. g. ſi quis per delictum aures, naſum amiſerit, ſi deformitas a ſtigmate ſit ſcelere merito, ſi quis occaſionem culturae habuit, eamque neglexit.

§. 20.

Tertius canon:

Quae per ignorantiam inuincibilem patrantur, imputari non poſſunt.

Quae enim per ignorantiam inuincibilem patrantur, ea non progrediuntur ex principio actionum humanarum; ergo non ſunt actiones humanae, adeoque nec homo earum auctor eſt.

Sed iam ſupra obſeruatum,

1. Hic non intelligendam ignorantiam iuris, ſed facti; iam vero addendum.

2. Ignorantiam etiam facti, licet inuincibilem, etiam imputari, ſi quis

α) verſetur in re illicita, e. g. ſi philtrum detur adoleſcenti. Areopagitae apud ARISTOT. *Moral. magn.* I. 17. feminam, quae philtrum dederat, abſoluerunt, ſed male; melior ratio in *L.* 38. *§.* 5. *D. de poen. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam amiſſa parte bonorum, relegantur: quodſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adſiciuntur;*

β) ſi quis non verſatur in loco licito, tempore licito, modo conſueto et licito, e. g. ſi quis iaculatur in vrbe interdiu, feriens hominem punitur, etſi ignorauit, hominem alicubi latitare; ſin in publica palaeſtra iuſto tempore, excuſatur.

§. 21.

Quartus canon:

Ignorantia, vt et error, circa leges et officium cuique iniunctum, ab imputatione non liberat.

Ratio eius rei eſt, eius modi error et ignorantia ſunt vincibiles, ergo poterant caueri; qui ergo non cauit, eſt in culpa, adeoque auctor huius ſtatus, ergo poſſunt imputari, e. g. ſi quis iudici offerat libellum chartae non ſignatae inſcriptum.

Sed tamen leges benignius agunt, et, ſi non nimis ſupina eſt negligentia, aliquid indulgent feminis, militibus, minoribus, ruſticis; ſed non aliter, quam ſi de damno vitando certent, et peritiores conſulere non potuerint.

§. 22.

Quintus canon:

Cui occaſio agendi citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit.

Demonſtrari hoc poteſt, ſi ſciamus, quid ſit *occaſio*; per quam intelligimus praeſentiam circumſtantiarum, ſine quibus actio ſuſcipi non poteſt. Tales circumſtantiae ſunt: 1. obiectum actionis; e. g. praecepto de honorandis parentibus ſatisfacere non poſſunt, vbi deſunt parentes; Medicus non culpandus, ſi neminem curet, quum nemo aegrotet; 2. tempus opportunum, e. g. ſalutare amicos non poſſum, dum officio fungor; 3. impedimentum nullum obſtans, quod

quod inſuperabile ſit, e. g. Iudaei non erant obſtricti ad ſabbathum celebrandum, quando Pompeius erat ante portas. Vid. CARTES. *de paſſ. art.* 144. 145. 146.

Si ergo occaſio eſt praeſentia circumſtantiarum, ſine quibus actio ſuſcipi non poteſt: ſequitur, actionem ſine occaſione eſſe impoſſibilem, impoſſibilia vero nemo poſſibilia facere poteſt; ergo qui haec non facit, non eſt auctor huius impoſſibilitatis, adeoque nec imputari poteſt.

§. 23.

Sextus canon agit de impoſſibilibus:

Non poteſt alicui imputari, quod non praeſtiterit ea, quae vires ipſius excedunt, neque per eas prohiberi, aut effici poſſunt.

Demonſtratio. Omiſſio non imputatur, vbi nulla eſt agendi occaſio. (*per can.* 5.); vbi quid impoſſibile, ibi nulla eſt agendi occaſio; omiſſio ergo impoſſibilium nemini poteſt imputari.

Eſt vero *impoſſibile* aliquid vel

ABSOLVTE, quod a nemine mortalium fieri poteſt, e. g. factum facere infectum, caelum attingere digito; vel

RESPECTIVE, quob ab alio per vires eius fieri non poteſt, quamuis ab aliis facilius praeſtetur, e. g. problema algebraicum ſoluere.

Iam loquimur in canone de prioris generis factis; quod enim ad poſteriora attinet, etiam impoſſibilia ita poſſunt imputari,

1. Si promiſerit quis, ſe praeſtiturum, nec praeſtiterit, e. g. alchymiſta, vel ſi quis metallifodinas reperturum promiſerit;

2. Si vires habuerit, eaſque detriuerit; ſi e. g. ab obaerato exigitur debitum, quamuis non ſit ſoluendo; hinc et Deus ab hominibus perfectum legis obſequium exigit, quamuis eam implere nequeant;

3. Si occaſio fuerit vires adquirendi, eamque neglexerit homo; e. g. dedit quis operam matheſi, vel dare debuit, nec vmquam vllum problema ſoluere didicit.

§. 24.

Septimus canon agit de obligatione vi et metu extorta:

Imputari non poſſunt, quae quis coacte patitur, aut agit.

Sed hanc regulam falſam eſſe, iam ſupra vidimus; dedimus enim inſtantias: coactus a iudice ſoluere obligatur; coacti a principe ſub-

diti rebelles obligantur; coactus iuſto bello ad pacis conditiones admittendas obligatur. Hinc regula limitanda erit ſic:

Imputari non poſſunt, quae quis coacte agit, aut patitur, ſi alteri nullum ius cogendi ſit.

Iam demonſtratio erit facilis: vbi cogentis nullum eſt ius, ibi coacti nulla obligatio.

Fraudi auctori fuit, quod inuitum confuderit cum coacto; de illo enim abſolute vera eſt regula:

Imputari non poſſunt, quae quis inuitus agit aut patitur.

Itaque hic animaduertimus, quam neceſſarium ſit, ſi ſolidam eruditionem anhelemus, veras atque accuratas definitiones perſpectas habere.

§. 25.

Octauus canon facillimus eſt:

Eorum, qui rationis vſu deſtituuntur, actiones non imputantur.

Demonſtratio. Non imputatur, cuius non ſum auctor. Non ſum auctor vbi intellectus vel voluntas non concurrit; nec intellectus vel voluntas concurrit, vbi ratione deſtituimur; ergo quae hi agunt, non imputantur.

Sed intelligendus eſt caſus, vbi ſine culpa et facto ſuo quis rationis vſum amiſit, vel numquam habuit, e. g. furioſus, infans.

Aliud, ſi quis culpa ſua ratione priuatus eſt, e. g. propter ebrietatem; et tunc aliter formanda regula:

Ebrio actiones imputantur, niſi vel ebrietas inuoluntaria ſit, vel actio indifferens ſuſcepta ſit a ſumme ebrio.

§. 26.

Nonus canon agit de actionibus in ſomno ſuſceptis:

Imputari non poſſunt, quae quis in ſomniis agere ſibi videtur.

Duplicis ſunt generis actiones, quae in ſomno patrantur:

1. Per ſomnium, vbi imaginatio dormienti fingit aliquid fieri, quod non fit, e. g. ſi Titius in ſomnio ſibi videtur fratrem occidere;

2. Per ſomnum, vbi noctambulus vel lunaticus aliquid agit, quod in ſe alias vetitum eſt, e. g. Titius noctu ſurgens vere hominem occidit; qualis caſus eſt in *Clement. vn. de homicid.*

De vtroque verus eſt canon ab auctore propoſitus.

Demonſtratio. Quae quis ſomnians vel dormiens agit, eorum directio

ctio non eſt penes intellectum; quae actiones ex intellectu non prouenîunt, eae non ſunt humanae; ergo non ſumus earum auctores; ergo non imputantur, (*per axiom.* 2.) Elegans caſus de piſcatore per ſomnium iurante, ſe numquam pedem allaturum in cymbam apud. THEOCRIT. *Idyll.* 22.

At id quidem de imputatione in foro humano verum eſt: quod ad forum diuinum attinet, ſomnia quoque praua peccata ſunt,

1. Quia ſunt effectus peccati originalis;

2. Quia homo malis cogitationibus et actionibus indulgendo talia ſomnia ipſe excitat. Itaque PLVTARCH. in libello *de profectibus virtutis ſentientis* eleganter obſeruat, virtutis incrementum etiam ex ſomniis animaduerti poſſe;

3. Quia ſaepe homo eius modi ſomniis oblectatur, quin iis excitatur ad male agendum, e. g. eques Romanus in ſomnio ſibi videbatur Imperator; ſomnium hoc cum voluptate vbique narrabat, quin non obſcure prae ſe ferebat, ſe huic ſomnio aliquid tribuere, ac proinde a Tiberio capitis damnabatur.

§. 27.

Sub finem ſubiunxit Auctor tractationem de cauſſa phyſica et morali, et quatenus vtrique actio imputetur.

CAVSSA eſt, quae effectum producit; effectum producimus vel *actu phyſico*, et motu corporis noſtri, e. g. quando fur furtum committit; vel *actu morali*, quando ipſe motus corporis non concurrit, ſed tamen actus mentis vel voluntatis; e. g. ſi pater filium furari iubet: prior vocatur *cauſſa phyſica*, poſterior *moralis*.

Iam quum moraliter quis magis minuſue concurrere poſſit ad actionem; obſeruandae regulae:

I. Quoties alter alterum cogit, cui in obſequio gloria relicta eſt, vel permittit alteri quid, quod impedire poterat, et debebat, toties cauſſa moralis pro principali, phyſica pro minus principali habetur; adeoque in illum maior, quam in hunc, poena ſtatuitur, e. g. pater filium iubet occidere; paedagogus praeſens permittit tironi, vt furetur.

II. Quoties alter conducit, alter locat operam male agendi, vel alter alteri opem fert, toties par vtriuſque reatus eſt, e. g. ſicarius, congraſſator.

III. Quoties alter alterum tantum conſilio vel prauo exemplo ad male agendum inſtigauit, toties ipſe pro cauſſa minus principali, inſtigatus

gatus pro principali habetur, e. g. ſi quis pauperi ſuaſit furari, et hic furatus eſt; ſi quis exſecrationibus vſus alii exemplo fuit, vt eodem ſe ſcelere pollueret.

At hoc quoque de foro humano intelligendum; Deus enim grauiter imputat poſtremi generis ſcelus propter ſcandalum. *Matth. XVIII. 7. vae mundo, ob peſſima, quae dat, exempla.*

CAPVT II.

DE NORMA ACTIONVM HVMANARVM, SEV DE LEGE IN GENERE.

§. 1.

HActenus de ACTIONIBVS HVMANIS: iam de NORMA, ad quam actiones componendae, quae eſt LEX; ex complexu enim legum naturalium ius oritur. Itaque auctor noſter agit primum de LEGE IN GENERE *hoc capite*, deinde de lege naturae, *cap.* 3. De lege in genere oſtendit,

1. Non conuenire homini, vt viuat exlex. §. 1.
2. Quid ſit lex? §. 2--8.
3. Varia legis adiuncta. §. 9. 10.
4. Actiones ad legem conſideratae quotuplices ſint? §. 11-15.
5. Ipſa lex quotuplex? §. 16.

Non conuenire homini, vt exlex viuat, variis demonſtrari poteſt argumentis.

Primarium hoc eſt: *qui iis facultatibus inſtructus eſt, vt actiones aeque bonas, ac malas edere poſſit, ei opus eſt norma, ad quam actiones componat; iam homo inſtructus eſt iis facultatibus, ergo homini opus eſt norma.*

Minor eſt clara, vbi enim periculum eſt in extremum aberrandi, ibi opus eſt norma, e. g. quia manus aeque rectam, ac curuam, lineam ducere poteſt, opus ei eſt regula; quia fallere poteſt in longitudine, capacitate, ideo opus eſt vlna, menſura, ac pondere.

2. A voluntatum humanarum diuerſitate. *Si innumerae hominum ſunt inclinationes, eaeque rectae omnes ac bonae eſſe non poſſunt, opus eſt*

eſt norma, ad quam iudicentur; atqui prius eſt verum; ergo eſt poſterius. Conſequentia clara eſt, vbi confuſa ſunt bona et mala, ibi opus eſt illa diſtinguendi, e. g. boni vel falſi adamantes.

3. Ab inſigni hominis prauitate; homo peior omnibus animalibus, homo vitia multa habet, quorum ne veſtigium quidem in animali eſt; quaeque cum animalibus communia habet, ea multo maiori gradu poſſidet; praeterea maiore facultate pollet aliis nocendi. CHARRON. *de la Sageſſe, libr. I. cap.* 34. §. 12. et *cap.* 39. §. 11. Itaque argumentamur: *cuius indomita eſt prauitas, ei opus eſt fraeno et coërcitione; hominis indomita eſt prauitas, opus ergo ei eſt fraeno, ſeu coërcitione*, quae alia eſſe non poteſt, quam lex.

4. A praeſtantia facultatum humanarum; RICH. CVMBERLANDVS *de legibus natur. Sine quo praeſtantiſſimae illae hominis facultates homini parum vtiles, immo noxiae eſſent futurae, illud eſt neceſſarium; atqui ſine norma et lege* cet. *ergo* cet. Maior probatur ab intentione benigniſſimi creatoris, qui, quum nos velit eſſe felices, procul dubio etiam voluit facultates, quas dedit, nobiliſſimas nobis non eſſe noxias, adeoque id dedit, ſine quo eſſent noxiae. Minorem probat experientia; nobiliſſimae hominis facultates ſunt intellectus et voluntas, eiusque libertas. Iis quam maxime abutuntur, e. g. fures intellectu, vt tanto ingenioſius furentur; voluntatis libertate, vt per omne ſcelus ruant.

Opponi poſſet, ſupra nos demonſtraſſe, Deum homini dediſſe libertatem voluntatis, immo natura omnes ſumus liberi, ergo locum habere non poteſt lex. Reſp. definienda eſt libertas. *Libertas* eſt facultas agendi omnia in meam vtilitatem; quemadmodum *ſeruitus* eſt ſtatus, in quo omnia agere cogor in alterius vtilitatem. Non itaque liberum dico hominem, quod poſſit deuorare venenum, quod ſe praecipitare poſſit in puteum, ſed quod omnia agere poſſit, quae vtilia ſibi ſunt, nec alius inde capit vtilitatem, quam agens, et qui ipſe vtilitatem vult capere.

Si ergo libertas eſt facultas omnia agendi in vtilitatem noſtram, lex non obſtat libertati; nam et ipſa iubet, quae nobis vtilia ſunt; prius verum, ergo et poſterius; legi ergo parere, haec demum ſumma libertas.

§. 2.

Quid ergo eſt *lex*? Auctor definit: *decretum ſuperioris, quo ſibi ſubiectum obligat, vt ad iſtius praeſcriptum actiones ſuas componat.*

Ego malim: praeceptum ſuperioris, quo ſubditi poena vel praemio obligantur, vt ad eius praeſcriptum actiones ſuas componant.

Eſt praeceptum.) Decretum enim proprie in mente latet, et ſubditos non obligat, niſi promulgatum; decretum autem promulgatum vocatur *praeceptum.*

Superioris.) Fuere qui legem definierunt per communem ſponſionem, *L. 1. §. 2. D. de leg.* ſed ſponſio non eſt lex, ſed pactum; qui conceptus maxime differunt. Ob oculos quidem habuerunt quidam ICti ſtatum democraticum, ſed in eo quoque lex fertur non in modum pacti, ſed praecepti. Per pactum lex decernitur, per modum praecepti promulgatur: totus populus eſt ſuperior; ſinguli ciues ſubditi.

Poena vel praemio.) Sunt enim pars eſſentialis legis, vt infra dicemus, ergo debent ingredi definitionem; lex ſine poena eſt imperfecta.

Subditi.) Siue perpetui, ſiue temporarii; ergo leges non praeſcribuntur ſuperiori vel pari; ergo capitulationes aliaeque leges fundamentales imperii ſunt pacta.

Vt ad eius normam actiones.) GROT. *de iur. bell. et pac. lib. I. cap. 9.* dicit, legem obligare ad id, quod rectum eſt; falſo: non ideo lex obligat, quia actio iam tum recta eſt, ſed ideo actio recta eſt, quia lex ad eam me obligat. Praeterea parere teneor legi, etiamſi quid praeſcribat, quod in ſe nec rectum, nec prauum ſit; e. g. ſi princeps iubeat, vt peregrino calendario non vtar, vt contractus inſcribam chartae typario principis notatae.

Hac obſeruata definitione diſtinguere poſſum legem

α) *a conſilio*; lex enim 1. a ſuperiore; conſilium a quouis mihi bene cupiente; 2. lex eſt praeceptum, quod a voluntate legiſlatoris pendet; conſilium valet propter rationes; 3. lex obligat; conſilium non eſt obligatorium; 4. lex habet coniunctam poenam et praemium, tale non coniunctum eſt cum conſilio;

β) *a pacto*; lex enim 1. eſt actus, qui intercedit inter ſuperiorem et inferiorem; pactum inter pares; 2. lex exigit voluntatem vnius imperantis; pactum vtriuſque conſenſum; 3. in lege obligatio antecedit; in pacto obligatio ſequitur.

γ) *a iure*, quatenus eſt facultas perſonae competens; lex enim neceſſitatem imponit ſubditis; ius libertatem indulget. Vnde legi renuntiare non poſſum, iuri quiſque ſuo renuntiare

tiare poteſt. THOMAS. *Fundam. iur. nat. et gent. lib. I. cap. 5.* Lex eſt vel praeceptiua, quae aliquid fieri iubet vel prohibet; vel permiſſiua, quae quid fieri permittit; e. g. ne occidito; cuique patrifamilias ius condendi teſtamentum eſto.

Hanc diuiſionem quidam non admittunt, quia lex permiſſoria non obliget, adeoque legis definitio ei non quadret. Sed obligat omnino lex etiam permiſſiua, non quidem eum, cui quid permittitur, quippe qui iuri ſuo poteſt renuntiare, ſed reliquos ſubditos, ne eum turbent in vſu et exercitio iſtius iuris.

§. 3.

Quum legis praecipua virtus ſit obligatio; hinc de natura legis auctor acturus praecipue etiam quaerit, quid ſit *obligatio.*

Nota eſt vulgaris definitio in *pr. Inſt. de obligat.* *Obligatio eſt vinculum iuris, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei faciendae, vel praeſtandae.* Quae definitio tolerabilis eſt; quamuis a multis vapulet: Nam

1. Obligationem diſtinguit ab omnibus aliis rebus ſimilibus; quod ſufficit in definitione nominali;

2. Genus, *vinculum iuris*, eſt quidem metaphoricum, ſed non ideo ineptum, quia res morales plerumque metaphorice eloquimur, ob defectum vocabulorum propriorum, quippe ad corpora fere pertinentium, e. g. obligatio, contractus.

Accuratior tamen ſi cui placeat definitio, dicimus, *obligationem* eſſe neceſſitatem moralem, qua homines ad dandum, faciendum, patiendumque adſtringuntur.

Eius correlatum eſt IVS, per quod intelligimus facultatem moralem aliquid agendi habendique ſine iuſta cuiuſquam contradictione; e. g. ſi mihi ius eſt eundi, ambulandi per alterius fundum, alteri eſt obligatio ſeu neceſſitas moralis id patiendi.

Iam duplex nobis imponitur neceſſitas, vel ex conſideratione naturalis commodi, vel incommodi, quod ex violatione legis oritur, et tunc *obligatio* vocatur INTERNA; vel ex metu poenae, vel ex ſpe praemii a legiſlatore propoſiti, et tunc vocatur *obligatio* EXTERNA, e. g. alius paret edicto de aduenis ſine teſtimonio tempore peſtis non admittendis ex conſideratione proprii periculi, cui ſe ſuoſque expoſiturus eſſet, ſi hoſpites eo tempore promiſcue acciperet; alius paret quidem edicto, ſed ex metu poenae, quam minatus eſt princeps.

Obligatio interna oritur, quoties id, quod a nobis exigitur, tamquam dictamen rectae rationis, vel conſilium aliquod eſt nobis ſaluberrimum; *externa* vero, quoties idem conſideramus tamquam legem propriam, et ſanctione poenali munitam. Sic princeps paret praecepto archiatri ob obligationem internam; medicus praecepto principis ob obligationem externam. THOMAS. *Fundam. iur. nat. et gent. lib. I. cap.* 4. *§.* 61.

Vſus huius doctrinae eſt in diiudicanda quaeſtione, *an ius naturae futurum eſſet*, etiamſi *non eſſet Deus?* Scholaſtici id affirmarunt, itemque GROTIVS in *Proleg. de iur. bell. et pac.* Contra PVFENDORFFIVS hanc theſin acriter impugnauit: 1. quia nullum ius ſit ſine lege, nulla lex ſine legiſlatore; 2. quia peccatum ſit ἀνομία, adeoque ſine lege proprie ſic dicta nullum poſſit eſſe peccatum, nulla obligatio.

At dici poſſet, ſi homo atheus eſſet, eum quidem ſe obligatum putare poſſe obligatione interna, quia praecepta iuris naturalis ſunt rationi conſentanea, non obligatione externa: ergo ipſi haec praecepta non erunt ius naturae, ſed praecepta ſalubria a ſe ipſo reperta, quibus parebit tamquam praeceptis et conſiliis medicorum.

§. 4.

Quis vero proprie obligari poteſt? hoc ex definitione patet. Quum enim obligatio ſit neceſſitas moralis, qua adſtringimur ad aliquid faciendum, dandum, vel patiendum; neceſſe eſt 1. vt intelligat, quid ſibi dandum, faciendum, vel patiendum ſit; 2. vt in eius arbitrio ſit, hoc dare, facere, pati; impoſſibilia enim neminem obligant, (per §. 23. *cap.* 1.) 3. vt quis de iure a me exigere poſſit; ius enim et obligatio ſunt correlata, hinc e. g. par parem praecepto non poteſt obligare, quia ipſi nullum ius eſt alteri imponendi neceſſitatem.

Ex hoc ſequuntur requiſita tria, ſi quis obligari debeat:

1. vt ipſi ſana ſit ratio, qua legem intelligat;

2. vt habeat voluntatem, qua ſe ad legem poſſit determinare;

3. vt aliquem agnoſcamus pro ſuperiore, cui ius ſit imponendi nobis obligationem.

Obiici poſſet, *etiam exteros tamen obligari legibus principis, ſi veniant in ciuitates* alias. Reſp. tunc ſunt ciues temporarii, et per acceſſum illum ſponte ſe legibus ſubiiciunt.

Hinc

Hinc ſolui poteſt quaeſtio, *an princeps ſit ſolutus legibus*? Hobbesii dura eſt philoſophia, quidquid princeps agit, rectum eſſe. Si ſolutus dicitur, qui antea vinculo adſtrictus, negamus quaeſtionem; numquam enim princeps legibus fuit adſtrictus: ſi vero ſenſus quaeſtionis eſt, ſitne princeps immunis a legibus? tunc diſtinguimus inter

1. pacta, quales ſunt leges fundamentales, capitulationes, pacta conuenta, quibus omnino obligatur princeps, in eaque plerumque iurare debet;

2. inter *leges proprie ſic dictas*; eae ſunt vel

α) *diuinae*; quibus obligari principem patet ex tribus requiſitis;

β) vel *humanae*, quibus non obligatur ob defectum requiſiti tertii. Vid. Buddei *Diſſ. de principe legibus humanis, non diuinis, ſoluto.*

Obiicitur 1. *legiſlatorem aliquando ſe ſponte obſtringere, ſe legem non mutaturum.* Reſp. id fit vel per modum pacti, vel per modum propoſiti: prius ſeruare tenetur, non poſterius. Thvcidides *Hiſt. libr. II.* refert, Athenienſes 2000. talenta repoſuiſſe in arce, non prius promenda, niſi ſi contingeret vrbem obſideri; quaerebatur, an id mutare poſſent bello Peloponeſiaco? Reſp. quod ſic.

2. *L.* 1. et 2. *C. ſi ex reſcript. nupt. pet. reſcriptis propriis parere vetat Imperator.* Reſp. α) leges iſtas Imperator pro diuinis habuit; β) parere vetat ob praeſumtionem ſub- et obreptionis.

§. 5.

Quaeritur; *quis obligare poſſit alterum*? Hic Hobbesivs *de ciue, cap.* 15. et in *Leuiath. cap.* 22. *pag.* 167. delirat, dum ſolam praecipientis potentiam pro iuſta obligandi cauſſa habet, aitque, *iis, quorum potentiae reſiſti nequit, ius dominandi, leges ferendi, obligandi, ab ipſa potentia deriuari.* Sed ita et latrones ius haberent nos obligandi, nobis dominandi, et leges ferendi.

Alii ſolam praeſtantiam pro iuſta cauſſa habent nos obligandi, vti Moses Amyraldvs, in *Diſſ. de iure Dei in res creatas*; ſed praeſtantia quidem illa dat facultatem ſeu ius imperfectum ad imperandum, non ideo actu quis eſt imperans. Hinc vtrumque coniunxit Pvfendorffivs, et pro requiſitis exigit,

1. Vt quis habeat iuſtam cauſſam a me obſequium exigendi;

2. Vt ipſi etiam potentia ſit, malum repraeſentandi illis, qui obſequium denegant, cui aſſentit BVDDEVS, dict. *Diſſert. axiom.* 2.

Vnum eſt, quod obicii poſſet: *principem nempe iure obligare rebelles, quamuis vere hi ſint potentiores.* Reſp. diſtingue inter obligationem internam, quae omnino adeſt, et externam, quae tum apud rebelles ceſſat, ſi ipſi victores ſint; quia princeps ipſis non poteſt repraeſentare malum, quod contumacia ſua merentur.

Sed *quaenam ſunt illae iuſtae cauſſae, ob quas quis obſequium exigere poſſit?* Auctor eo refert

1. Extraordinaria beneficia; ſed ea obligant ad gratitudinem, non ad obſequium; e. g. Cyrus Harpagum non ideo tenebatur pro imperante agnoſcere, quia Cyrum ſuſtulerat expoſitum;

2. prudentia eminens; ſed haec tantum ius imperfectum, vel praetenſionem tribuit, non ius perfectum, vt ipſe quis ſit imperans.

Hinc non niſi tres ſunt cauſſae verae ac proprie ſic dictae:

1. *Dependentia* ratione eſſentiae vel conſecrationis;

2. *Spontanea ſubiectio*;

3. *Pactum inter imperantes et ſubditos.*

§. 6.

Ex his principiis de obligatione fluunt iam aliquot conſectaria:

1. *Legiſlatorem debere eſſe notum*, non quoad perſonam, ſed quoad poteſtatem legiſlatoriam, i. e. certos eſſe debere ſubditos, hunc eſſe legiſlatorem, alias deeſſet requiſitum (§. 4.).

2. *Legem debere eſſe promulgatam*; quum enim intelligi debeat (per requiſitum 1. §. 4.) intelligi autem non poſſit, quod in mente latet legiſlatoris; ſane debet promulgari. Deberent ergo ſubditi informari in legibus, exemplo Hebraeorum, Lacedaemoniorum, Germanorum, Romanorum, qui leges ediſcere iubebant ciues: hinc apud quaſdam gentes in verſus redigebantur, vt eo facilius ediſcerentur; apud nos eadem de cauſſa dicuntur *Geſetze*; eodem pertinent paroemiae iuris.

3. *Legem non obligare in praeteritum, ſed in futurum*; quum enim lex obliget ciues ad actiones normae legum adtemperandas, ſequitur, vt lex prior ſit actionibus: ſi prior eſt actionibus; non poteſt adplicari actionibus praeteritis. At aliquando tamen leges proferuntur ad caſus praeteritos etiam, *L. 7. C. de pact. pign. Nouell. XVIIII.* Reſp. tunc vel lex antiquior reuocatur in vſum, vel aliquid

liquid diſponitur, quod iam tum iure naturali notum eſt.

4. *Legem debere eſſe perſpicuam*; obſcuritas naſcitur vel ex ſtilo: vti legg. XII. tabb. vel ex ambiguitate, vel ex re ipſa, veluti ex colliſione, de qua ſuo loco; hinc *interpretatio authentica*, *vſualis*, (de qua ZIEGL. in *Dicaſtic. concl.* 36. et *Art. rabuliſt.*) et *doctrinalis*, de qua infra.

Quaeritur, *an et conſenſus requiratur populi?* Affirmant aliqui, vti PETR. DE MARCA, *de concord. ſacerd. et imper. cap.* 16. §. 2. *ſeqq.* alii negant, et recte; lex enim non eſt pactum, ſed iuſſus. Confundunt conſenſum tacitum generalem et antecedentem in imperium, cum expreſſo ſpeciali et conſequente in legem; ille adeſſe debet, non autem hic requiritur.

§. 7.

Quaeritur porro *de partibus legis?* de his patet ex fine.

Quum enim pro norma eſſe debeat (§. 2.) ſubditis, requiritur *praeceptum*, vt ſcire poſſint ſubditi, quid facere, vel omittere debeant.

Quumque etiam obligationem externam producere debeat, ea vero ex metu poenae naſcatur praecipue (§. 3.): opus quoque eſt SANCTIONE POENALI.

Illa ſanctio poenalis duplex eſt; 1. *generalis*, vt actus contra leges ſuſceptus nullus ſit, *L.* 5. *de legib.* 2. *ſpecialis*, vt et poena maneat poſitiua illum, qui legem violet, e. g. ſi quis ſine conſenſu parentum nuptias fecerit, nuptiae erunt nullae, et coniuges carceris poena plectentur.

Si his partibus lex conſtat, vocatur *perfecta*; ſi ſanctio poenalis deeſt, *imperfecta*; ſi et haec addita, ſed actus non declaratur nullus, *minus quam perfecta* vocatur. Vid. VLPIAN. *Fragm. tit.* 1. §. 1. 2. CVMBERLAND. *Proleg.* §. 14. et *cap.* 5. §. 40. Praemiorum potius promiſſionem facit partem legum: ſed diſtinguendum inter leges

1. *Negatiuas* ſeu *prohibitiuas*, quae ſemper cum poena coniunctae;
2. *Affirmatiuas*; hae vero aliquid praecipiunt, vel
   α) quod ius naturale praecipit;
   β) quod iure naturali non praeceptum; tunc vel *generalis* eſt, et poena requiritur, vel *ſpecialis*, et opus eſt praemio.

§. 8.

Materia legum ex fine iudicanda; finis eſt tranquillitas rei publicae; ergo princeps non alias ferre debet leges, quam quae ad finem hunc comparatae. Hinc leges

1. De-

1. Debent eſſe poſſibiles; fruſtra ergo feruntur leges, vt aurum fiat; abſurda quoque erat lex Nebucadnezaris Chaldaeis ſcripta, vt ſomnium, ſibi non relatum, interpretarentur;

2. Debent reſpicere vtilitatem et tranquillitatem rei publicae; alias fruſtra reſtringeretur libertas naturalis. Abſurda ergo lex regis Babylon. vt nemo aliquid petat intra certos dies vel a Deo, vel ab homine.

At quod ad poſterius attinet, id caute accipiendum: Nam

1. Vtilitas legis non ſemper in oculos incurrit; ipſae leges Dei caerimoniales ſunt eius generis;

2. Imprudens quidem legiſlator eſt, qui leges inutiles fert, ſed ſubditi ideo non obligatione liberantur.

§. 9.

Tertia pars agit de legis adiunctis, quorum duo ſunt: *diſpenſatio*, §. 9. *aequitas*, §. 10. DISPENSARE vocabulum minus Latinum; veteres dixere, gratiam legis facere, indulgere, et hinc GROTIVS ſcripſit de aequitate, facilitate, et indulgentia.

DISPENSATIO eſt declaratio Legiſlatoris, legem aliquo caſu non obligaturam, quamuis iſte caſus vere lege comprehendatur.

Hinc differt

1. *ab aggratiatione*; nam tum peccauit aliquis, ſed poena remittitur, quum, qui impetrata diſpenſatione agit, non peccet;

2. *ab aequitate*; tunc enim declaratur, caſum ad legem non pertinere.

Sic dum Ageſilaus obtenta victoria deſertoribus ciuibus veniam daret, acclamaretque: Dormiant hodie leges, erat aggratiatio; dum Chriſtus in interpretatione praecepti de ſabbatho eximit operam neceſſitatis et charitatis, eſt aequitas; dum princeps alicui veniam aetatis indulget, vel matrimonium in gradu quodam prohibito permittit, eſt *diſpenſatio*.

Diſpenſare vero poteſt princeps;

1. *quia leges tulit*; nam earum dominus eſt;

2. *quia eas plane tollere poteſt.*

Sed obſeruandum,

α) *diſpenſationem non fieri debere circa leges diuinas*, tum naturales, tum poſitiuas. Quaeritur, *an Deus diſpenſare poſſit contra ius naturae?* Reſp. abſurda quaeſtio: Deus poteſt, quidquid vult, contra ius naturale diſpenſare non vult, ergo non poteſt. Ad obiectio-

nem,

nem, quod Deus *Exod. XI.* 2. 3. diſpenſauerit contra ſeptimum praeceptum, reſpondetur negando, non enim furtum permiſit Iſraelitis, ſed eos immiſit in bona Aegyptiorum, qui operas debebant.

β) *Diſpenſationem fieri non debere ſine iuſta et praegnanti cauſſa*; ſic Scipioni ante iuſtam aetatem venia aetatis conceſſa, teſte APPIANO.

§. 10.

Alterum legis adiunctum eſt *aequitas*, quam multi in ore habent, quum rei ipſius ſatis ignari ſint. Nimirum

1. Aequitas *generaliter* accipitur pro iuſtitia, et tum aequum eſt, quidquid legi conſentaneum; hoc ſenſu etiam datur aequitas ſcripta.

2. *Specialiter* vero aequitas eſt interpretatio legum reſtrictiua, qua opus eſt, quoties lex aliquid paullo durius inculcare videtur. Ne enim ſummum ius fiat ſumma iniuria, ex aequitate ſubueniendum ieſt, e. g. lex eſt, praedium vſucaptum vindicari non poteſt; caſus occurrit, vbi praedium minoris vel abſentis rei publicae cauſſa vſucapitur: hic ſane aequitas adhuc vindicationem admittit. Ceterum facile patet, aequitatem debere habere aliquod fundamentum; quare aliud eſſe non poteſt, quam regula interpretandi. Si ergo hoc fundamentum adeſt, aequitas eſt vera; ſin abſque fundamento hoc aequitatem crepat, eſt cerebrina, de qua *L.* 91. *§.* 4. *D. de verbor. obligat.* Plerumque ſub auctoritate iuris ſcientiae perniciose erratur.

Ex hoc iam diſcimus, *quomodo aequitas differat a diſpenſatione.*

Differunt 1. *cauſſa efficiente*; diſpenſatio ab imperante eſt, aequitas a quolibet iudice exigitur.

2. *forma*; illa eſt arbitraria, haec neceſſaria, ac proinde illa precibus impetranda, haec vltro concedenda.

3. *effectu*; diſpenſatio legem ſuſpendit, aequitas interpretatur; ibi permittitur aliquid contra legem, hic declaratur, actum non repugnare legi. Vid. Diſſ. GROT. *de aequitat. indulgent. et fac ilt.*

§. 11.

Iam ſequitur quarta pars capitis; Quotuplices ſint actiones ad legem conſideratae?

1. *vel neceſſariae, vel permiſſae, vel licitae*, §. 11. 2. *vel bonae, vel malae*, §. *ead.* 3. *vel iuſtae, vel iniuſtae*, §. 12--15.

Primae diuiſionis auctor bina membra facit, adeoque actiones ipſae ſunt vel neceſſariae, vel licitae ſeu permiſſae; ſed poſtremae differunt.

1. *Neceſſariae*, quae in lege vel prohibentur, vel praecipiuntur, immo et quae honeſtati, aequitati, decoro repugnant. Vnde recte PAPINIANVS *L.* 15. *D. de condit. inſtit. quae facta laedunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, et vt generaliter dixerim, quae contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt*, e. g. honorare parentes, verum dicere, a mendaciis abſtinere, erranti monſtrare viam, ſunt actiones neceſſariae.

2. *Licitae*, de quibus leges nihil diſponunt, adeoque eas nec praecipiunt, nec prohibent, e. g. quo colore veſtium vtendum ſit? Haec vel

α) *perfecte licitae*, quae moraliter indifferentes, e. g. fuſco, an flauo colore vti malim in veſtibus.

β) *vel imperfecte licitae*; hae quidem legibus, nec praecipiuntur, nec prohibentur, tamen vel honeſtati, vel decoro repugnant, e. g. nudis incedere pedibus. Vid. STRYKII *Diſſ. de iure liciti, ſed non honeſti.* Eleganter PAVLLVS 1. *Cor. VI.* 12. *quiduis mihi licet, tametſi non quiduis conducit*; et CLAVDIANVS:

Non tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebt
Occurrat.

3. *Permiſſae*, quas lex expreſſe permittit, e. g. vt quis vſuras ſemiſſes accipiat; hinc iuri quiſque poteſt renuntiare, e. g. pater condit teſtamentum in forma illegitima, poſſem illud impugnare, ſed nolo, quia pater eſt.

Altera diuiſio.

ACTIONES BONAE, quae legi ex inſtituto conformantur ſecundum omnes circumſtantias.

MALAE, quae legi diſconueniunt.

Dico: actiones bonas conformari debere legibus ex inſtitutio; inde ſequitur

a) Actionam non eſſe bonam, quae caſu legibus conſentanea eſt, e. g. vult quis verberare inimicum, et per errorem verberat ſeruum vagabundum;

b) Nec ſtatim bonam eſſe actionem, cuius effectus bonus, id enim caſu vel potius dirigente diuina prouidentia fieri poteſt; e. g. pars Lace-

Lacedaemoniorum exercitum deſeruerat, montemque occuparat, vt ſe cum hoſtibus coniungeret, Ageſilaus perſuaſerat ciuibus, illud ſuo iuſſu factum eſſe: hoſtes rerum ignari metuebant inſidias, ac facta ab Ageſilao impreſſione fugiebant; an ideo bene egerunt illi transfugae?

c) Nec actionem bonam eſſe, quae non ſecundum omnes circumſtantias legi ſit conſentanea; e. g. eleemoſynas dare, cultui diuino intereſſe oſtentationis gratia.

§. 12. 13.

Tertia diuiſio eſt, quod actiones ſint vel IVSTAE, vel INIVSTAE, vbi quaeritur, 1. *quid iuſtitia?* §. 12. 13. 14. 2. *quid iniuſtitia?* §. 15.

Iuſtitia attribuitur vel

1. *Perſonae*, et tunc eſt virtus, qua ſuum cuique tribuimus; vel

2. *Actionibus*, et tunc eſt conformitas actionis cum lege. Conformitas illa eſt vel

a) *In omnibus circumſtantiis*, et tunc actio bona et iuſta ſunt ſynonyma;

b) *In facto externo*, et tunc actio ciuiliter iuſta eſſe poteſt, quae in ſe bona non eſt, e. g. ſi ruſticus tributa ſoluit, ſed reluctante voluntate.

§. 14.

Iuſtitia eſt vel *expletrix*, quae tribuit ſuum cuique, quod iure perfecto debetur; vel *attributrix*, quae tribuit, quod iure imperfecto debetur.

Nobilior procul dubio attributrix; magis neceſſaria eſt expletrix.

§. 15.

Iniuſtitia eſt vitium, quo ſuum alicui denegamus; vel ſi iniuſtitiam tribuam actionibus, eſt diſcrepantia actionis a lege.

Eius varii gradus:

1. *Culpa*, eaque vel latior, vel leuior.

2. *Dolus*, qui in propoſito conſiſtit.

Hinc inculcari ſolent regulae:

a) *Qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam*; modo inde

1. propoſitum abſit;
2. res in ſe non ſit inſolita; e. g. veneno inficere flores;
β) *Volenti non fit iniuria*; modo
1. res licita;
2. alter ius volendi habuerit;
3. iuſtae aetatis fuerit.

§. 16.

Vltima pars capitis explicat varias ſpecies vel diuiſiones legis:

1. Lex eſt vel a Deo, vel ab homine; ergo vel *diuina*, vel *humana*.

2. Lex diuina vel innoteſcit per rectam rationem, vel per reuelationem tantum; ergo eſt vel *naturalis*, e. g. neminem occide; vel *poſitiua*, e. g. ſabbathum ſanctifica.

3. Lex poſitiua vel omne humanum genus obligat, vel aliquam tantum gentem; illa eſt *vniuerſalis*, haec vero *particularis*. Earum ratio praecipue typica, quod contra IO. MARSHAM. *Canon. chronic.* et SPENCER. *de legib. ritualib. Hebraeor.* tenendum.

De vniuerſalibus poſitiuis legibus quaeritur, *an dentur*? Affirmarunt initio poſt Theologos, et GROTIVM *de iur. bell. et pac. II.* 5. 8. THOMASIVS, *Iuris prud. diuin. I.* 2. 63. et BVDDEVS in *Elem. philoſ. pract. part. II. cap.* 2. *et* 13. Probarunt id exemplis legum de vetita arbore in paradiſo, legum matrimonialium, *Leuit. XVIII. et XX.* de poena homicidii, *Geneſ. VIIII.* 6. ſabbathi.

Addunt characteres: 1. repetitionem eiuſmodi legis in Nouo Teſtamento; 2. comminationem poenae et gentilibus irrogandae.

Sed eaſdem leges iterum negauit THOMASIVS in *Fundam. iur. nat. et gent.* quem ſequuti BVDDEVS, in *Inſtit. theol. moral. part. II. cap.* 1. §. 9. WEIDLERVS, et alii. Rationes dubitandi praecipuae;

1. Quod excogitari non poſſit ratio promulgandi has leges; non promulgatae ſunt illae leges per rationem, quia haec illas ignorat; nec per reuelationem, quia Sacra Scriptura tum ſoli populo Dei tradita, *Pſalm. CXXXXVII.* 19. 20. *Deus ſua dicta Iacobaeis, ſua placita et ſententias Iſraelitis indicauit: id quod non fecit vlli ceterarum gentium.* Septuaginta viralis verſio vero multo poſt captiuitatem Babylonicam curata eſt.

Poſſet quidem promulgatio ſtatim per traditionem, perque Adamum, Noachum, atque Chriſtum eſſe facta: ſed Adamo iſtae leges nondum notae fuerunt omnes, e. g. non matrimoniales, quia

fratres

fratres et ſorores, nempe Adami liberi, inierunt matrimonium; nec de poena homicidii, quia Cainus hanc poenam non luit. *An eae Noacho reuelatae omnes, itidem non conſtat.* Statuunt id Iudaei, idque probabile viſum *Buddeo* in *Introd. ad Hiſt. Philoſ. Hebraeorum pag.* 14. *et* 15. ſed certis argumentis non conſtat. Si per Chriſtum demum innotuiſſent, toto tempore Veteris Teſtamenti gentiles fuiſſent excuſabiles, et tamen eos ideo punitos praeſupponunt.

2. Quod characteres iſti non ſunt vniuerſales, e. g. lex de vetita arbore non eſt repetita in Nouo Teſtamento, ſed fuit tantum temporaria. *Leuit. XVIII.* dicitur quidem, Cananeos ob violationem legum eiectos terris ſuis; ſed immediate praecedunt eiuſmodi leges, quae et ex recta ratione innoteſcunt. Lex de ſabbatho adeo non repetita in Nouo Teſtamento, vt potius ex libertate Chriſtiana mutata, et loco ſabbathi ipſa Apoſtolorum aetate ſit ſubſtitutus dies ſolis.

3. Nec neceſſarium quidem eſt, has leges ſtatuere; α) quaedam enim harum legum ſunt temporariae; β) quaedam ex naturalibus rationibus innoteſcunt, e. g. lex de poena homicidii; γ) quaedam ex regulis decori et honeſti poſſunt deduci, veluti leges matrimoniales, et de ſabbatho, vt adeo his legibus vniuerſalibus poſitiuis facile careamus.

CAPVT III.

DE LEGE NATVRALI.

HActenus de lege in genere; iam in ſpecie de lege naturali, vbi quaeritur, 1. *quodnam ſit principium iuris naturae* ? §. 1--9. 2. *quis eius auctor* ? §. 10. 11. 3. *quis modus promulgandi* ? §. 12. 4. *quaenam eius obiecta* ? §. 13.

De principio iuris naturae agitur.

Non ergo hic intelligimus principium eſſendi, quod vocant; ſed cognoſcendi. Per PRINCIPIVM intelligimus propoſitionem vniuerſalem, ex qua omnes iuris naturalis concluſiones deriuari poſſunt. Quod eſt in vita communi cynoſura, lapis lydius, ſtatera, id in moralibus eſt principium.

Iam mirus eſt in re tam neceſſaria diſſenſus ; ergo opus eſt, vt ſciamus, quae ſint principii boni requiſita.

1. Debet eſſe *principium cognoſcendi*, id eſt, vt ſimul concluſionum inde reddi poſſit ratio ; ergo non ſufficit illud ſcholaſticum: *quod eſt in ſe iuſtum, illud eſt iuris naturalis*; perinde eſt, ac ſi dicerent : quod in ſe iuſtum, eſt iuſtum.

2. *Debet eſſe verum* ; quia ex vno falſo ſequuntur plura ; itaque et fictiones excluduntur, qualia ſunt Iudaeorum praecepta Noachica, HOBBESII bellum omnium in omnes.

3. *Debet eſſe euidens* ; omnes enim homines inde colligere debent, quod quid iuris naturalis ſit, tam indocti, quam docti.

4. *Adaequatum* denique ; quia qui legem vnicam violat, omnes violaſſe videtur ; debet ergo homo habere principium, ex quo omnes leges cognoſcat : ſi tale habet, vocatur adaequatum ; ergo et

5. *Vnicum* ; nam ſi plura ; aut nexum inter ſe habent, aut non : ſi poſterius, ſunt ſibi contraria ; ſin prius, reduci poſſunt ad vnam communem propoſitionem. Iam hunc ordinem tenebimus, vt

1. Diſpiciamus qua methodo inueſtigandum ſit hoc principium. §. 1-6.

2. Oſtendamus, quodnam ſit principium auctoris, et quid de eo ſentiendum, §. 7--9.

3. Conſideremus aliorum auctorum principia ; ac demum

4. Quodnam veriſſimum ſit, diſpiciamus.

§. 1.

Quod ad methodum attinet, commendat auctor conſiderationem ſtatus naturalis : eo cognito perſpectum eſſe debere putat iuris naturalis principium.

Supponit, prudentem Legiſlatorem leges ſuas adtemperare ſtatui rei publicae, adeoque non eaſdem leges quadrare ſtatui rei publicae monarchico, democratico, ariſtocratico, rebus publicis militaribus et commerciorum cauſſa inſtitutis. Ex inſtituto hoc oſtenderunt ARISTOTELES, *Ethic. ad Nicom. I.* 7. et CONRING. in *Diſſ. de legib.* §. 27.

Demonſtratio. Quoties diuerſae ſunt rei publicae formae, toties diuerſi ſunt fines ſpeciales ; diuerſi fines ſpeciales requirunt diuerſa media ; talia diuerſa media ſunt leges ; ergo in diuerſis rebus publicis ſunt diuerſae leges.

Iam Deus eſt Legiſlator prudentiſſimus, qui nihil ſine ratione

et ſufficiente fundamento ſancire poteſt; ergo Deus adtemperauit ius naturale ſtatui naturali hominum.

Itaque ſi quis cognoſcere velit legem naturae primariam, vel iuris naturalis principium, debet conſiderare ſtatum naturalem.

Enim vero 1. Status naturalis hominis, ceu ipſe auctor agnoſcit, eſt corruptiſſimus: at procul dubio aliquid iuſtum fuit et ante naturae corruptionem.

2. Prudens legiſlator non modo ad ſtatum rei publicae et ſubditorum reſpicit, ſed ad finem ſuum, quem paene neglexit Pvfendorffivs. Ita quum Deus populum Iudaicum vellet ad regnum Chriſti praeparare, omnes leges huic fini adtemperauit, non ſoli genio populi Iudaici, vt viſum eſt Spencero et Marshamo.

§. 2.

Sed ſemel poſita hac methodo iam inquirit in ſtatum hominis naturalem: per hunc itaque intelligimus

1. Statum conditioni brutorum oppoſitum;

2. Statum hominum extra ſocietatem viuentium;

3. Statum oppoſitum ſtatui ciuili.

Quoad primam acceptationem obſeruat homini ineſſe naturalem φιλαυτίαν, vel ſui amorem. Docet experientia

α) Hominem facere omnia ad ſui conſeruationem;

β) Hominem ſuae felicitatis cupidiſſimum eſſe; eius cauſſa omnia facit, et quamuis tum in conceptu felicitatis erret, tum in mediis, finem tamen hunc ſemper habet. Hoc omne Dei intentioni non aduerſatur; qui enim nobis dedit exiſtentiam, is et vult, vt ſimus, adeoque in eſſe noſtro conſeruemur; atqui Deus dedit nobis exiſtentiam; ergo voluit vt in eſſe noſtro conſeruemur. Qui vult vt conſeruemur, vult etiam, vt mediis vtamur ad conſeruationem noſtram neceſſariis. Itaque philautia illa in ſe non eſt praua, ſed fit talis, ſi ordo amoris turbetur, e. g. ſi homo ſui conſeruationem maioris facit, quam ipſum Deum.

§. 3.

In ſenſu ſecundo homo in ſtatu naturali eſt ad ſui conſeruationem ineptiſſimus. Hoc probatur

1. Ex natiuitate; homo in hoc mundi theatrum prodit nudus, rerum omnium indigus, ſine rationis vſu, nec edere, nec bibe-

bibere, nec frigus, nec aeſtum repellere poteſt, quod pleraque bruta poſſunt.

2. Ex educatione; homo degenerat in brutum, ſi deeſt educatio; docent hoc exempla barbararum gentium, inprimis Hottentottorum. 3. Ex vitae vſibus; nemo ſibi ipſi ſufficit; quam miſera ſit hominis conditio in ſtatu naturali, conſideret tantum hominem in deſerto viuentem, vel in inſulam incultam proiectum. Commendari meretur GRACIANI *Criticon animorum.*

§. 4. 5.

In tertio ſignificatu, ſtatus naturalis hominis coniunctus eſt cum inſigni hominis prauitate, qua omnia bruta ſuperat. Nam

α) Homo habet plus malitiae, quam beſtiae, e. g. ex voluptate, et alios laedit. Exemplum Luctatii Neratii apud GELLIVM, *Noct. Attic. XX.* 1. Hoc non faciunt beſtiae. Praeterea multas in homine deprehendimus paſſiones, quibus vel carent beſtiae, vel non tam prauis et validis vtuntur, e. g. auaritiam, dominandi libidinem, cet.

β) Habet plus potentiae male faciendi, ingenium promtum, arma nocentiſſima, quum bruta tantum naturalibus vtantur.

γ) Nullum in hoc ſtatu naturali fraenum eſt, quemadmodum cohiberi poſſit; tale enim fraenum eſt poena et praemium, at his caremus in ſtatu naturali. Obſeruari quidem ab homine poteſt iuſtitia Dei vindicatiua, ſed quia 1. Deus non ſemper ſtatim punit; nec 2. certam poenam determinauit; 3 ſaepe etiam poenitentibus eam remittit; hinc homines hoc parum curant. δ) Homines ne in ſtatu quidem ciuili ab inſigni prauitate poſſunt cohiberi, quum grauiſſima immineant ſupplicia; quid ergo de ſtatu naturali ſperandum?

§. 6.

Denique in ſtatu naturali auctor deprehendit inſignem ingeniorum varietatem, dum ſupra ex diuerſis reſpectibus boni et mali, ex varietate temperamentorum, et eorum mixtura, conſuetudine, affectibus eam deriuauimus, hinc quot capita, tot ſenſus.

Ea ingeniorum diuerſitas non poteſt non innumeras lites progignere: aut enim duo vel plures idem volunt, aut diuerſa; ſi idem,

liti-

litigabunt, quia omnes idem concupiſcunt; ſi diuerſa litigabunt, quia nec in fine, nec in mediis conuenient, ergo ſemper in ſtatu naturali hominibus male conueniet.

§. 7.

Iam inde auctor colligit, hominem natum eſſe ad ſocietatem. Eius argumentum, quod hac paragrapho profert, reſolui poteſt in ſequentes ratiocinationes:

1. *Quicumque eſt animal ſui conſeruandi ſtudioſiſſimum, illud viuere debet ſocialiter; homo eſt animal ſui conſeruandi ſtudioſiſſimum* (*per* §. 2.) *ergo homo debet viuere ſocialiter.* Maior certa, quia ſe conſeruare homo non poſſet, ſi extra ſocietatem viueret.

2. *Quicumque eſt animal extra ſocietatem miſerrimum, illud viuere tenetur ſocialiter; homo eſt extra ſocietatem animal miſerrimum* (*per* §. 3. *ergo homo viuere tenetur ſocialiter.*

3. *Si homo eſt animal peſſimum extra ſocietatem, et nocentiſſimum, ſequitur, vt ſocialiter viuere debeat ex intentione Dei; atqui verum eſt prius; ergo et poſterius.*

4. *Si homines diuerſiſſima habent ingenia, adeoque extra ſocietatem ſe inuicem neceſſario deſtruerent, neceſſarium eſt, vt ſocialiter viuant; atqui prius verum eſt, ergo et poſterius.*

§. 8. 9.

Hinc ergo colligit auctor, principium iuris naturae eſſe *ſocialitatem*, eaque in re conuenit ille cum veteribus. CIC. *de legib. I.* 5. *de offi. I.* 16. *ſequ. de finib. III.* SENEC. *de benef. IIII.* 18. IAMBLICH. *in Protrept. cap.* 20.

Quin et HOBBESIVS atque GROTIVS idem principium ſubſtrauerunt iuri naturae; quamuis diſſentiant in medio termino, vel fundamento ſocialitatis: Nam

1. GROTIVS ſocialiter putat viuendum, quia id per ſe iuſtum ſit etiam ante leges

2. HOBBESIVS, quia alias naſceretur bellum omnium in omnes.

3. PVFENDORFFIVS, quia naturalis hominis ſtatus, Deique intentio id exigat.

Iam quum PVFENDORFFIVS demonſtrauerit, ſocialiter eſſe viuendum, idque exiſtimet eſſe principium iuris naturalis, inde colligit axiomata.

1. *Quidquid ſocialitatem inter homines conſeruat, eique conſentaneum eſt, id eſſe iuris naturalis.*

2. *Quidquid eamdem deſtruit, aut ei aduerſatur, id contra ius naturae eſſe.*

Quaeritur ergo, *an illud principium* PVFENDORFFII *recte ſe habeat?* Hoc oſtendunt characteres ſub initium capitis explicati. Primo itaque fatemur

1. Principium hoc PVFENDORFFII eſſe *principium cognoſcendi*; nam facile ſubſumere poſſum, hoc vel illud eſſe ſocietati conſentaneum vel contrarium. At quamuis hodie in ſtatu ſociali inde concluſiones petere poſſimus, id tamen non potuiſſet Adamus, qui ſolus in mundo viuebat.

2. Eſt etiam verum, hominem debere viuere ſocialiter; nam obligatos nos eſſe ex intentione Dei ad ſocialem vitam, auctor ſatis liquide demonſtrauit; ergo hoc ipſum eſſe principium iuris naturae. Sane poteſt aliquod praeceptum iuris naturae eſſe veriſſimum, quamuis ideo id non ſtatim ſit principium vnicum.

3. Non eſt euidens; euidens quidem eſt, hominem viuere debere ſocialiter, ſed non ſtatim expeditum eſt, qualem eſſe oporteat ſocialitatem; nam et latrones viuunt ſocialiter: ſocietas ergo eſt terminus aequiuocus; quod aequiuocum eſt, non poteſt euidens eſſe.

4. Eſt quidem hoc principium vnicum, ſed tamen

5. Non adaequatum, quia non omnia officia iuris naturae, quae tamen conſcientia dictitat, inde poſſunt deriuari, e. g. officia erga Deum et ſe ipſum. Auctor quidem ea inde deriuat, Deum colendum, quia religio ſit vinculum ſocietatis; hominem obligatum eſſe ad ſui conſeruationem, quia alias ſocialiter viuere non poſſet: ſed vtrumque officiorum genus locum habiturum eſſet, etiamſi ſoli viueremus inter homines, ceu iam demonſtratum eſt.

Sed age: examinemus aliorum principia, et, an firmiore talo ſubnitantur, diſpiciamus.

I. *ICti* quidem ſuppoſuerunt: *quidquid natura omnia animantia docuit, eſt iuris naturae*, e. g. procreare ſobolem, eamdem educare, ſe aduerſus aliorum iniurias defendere. Sed hoc 1. *non* eſt *verum* (*per* §. 4. *cap.* 2.) quia obligari nemo poteſt, niſi qui et ratione inſtructus, et libertate voluntatis; 2. *non euidens*; quia natura omnium animalium nobis non ſatis nota eſt; 3. *non adaequatum*, quia impoſ-

impoſſibile eſt, vt inde deducantur officia erga Deum, et officia imperantium et ſubditorum; vnde et ICti *§. vlt. Inſt. de iuſtit. et iur.* dicunt, ius tantum priuatum tripertitum eſſe, compoſitum quippe ex naturalibus praeceptis, gentium, et ciuilibus, quia ſtatum ciuitatis natura omnia animantia non docuit.

II. Scholaſtici quidam: *quod ſua natura eſt iuſtum, eſt faciendum, et quidquid turpe, fugiendum*; ſed hoc principium *non* eſt 1. *cognoſcendi* principium; explicat enim idem per idem, nec ſcire inde poſſum, quid ſua natura iuſtum vel turpe; 2. *nec* eſt *verum*; nititur enim hypotheſi, ius naturae fore, etiamſi ponatur, non eſſe Deum, ſed tum non futurum eſſe ius proprie dictum ſupra demonſtrauimus.

III. Alii ſcholaſticorum adſumunt principium: *quod ſanctitati Dei conuenit, id eſt iuris naturae*; quod poſtea et ZENTGRAVIVS Argentoratenſis recoxit; ſed et hoc principium *non* eſt *euidens*; quis enim accurate nouit, quid ſit ſanctitati Dei conſentaneum; 2. *non adaequatum*; multi actus iuſtitiae ſunt, quorum nullum archetypum in Deo reperimus, e. g. debita ſoluere, emere, vendere, Vid. PVFEND. *Specim. controuerſ. cap.* 4. *§.* 4.

IIII. VAL. ALBERTI, theologus et philoſophus Lipſienſis, in *Compendio iuris naturae, orthodoxae theologiae conformato*, quum animaduerteret, PVFENDORFFIVM ius naturae ex natura corrupta deducere, vt emendaret id, ponebat principium: *quidquid conuenit ſtatui integritatis, illud eſt iuris naturae.* Enim vero 1. *non* eſt *principium cognoſcendi*; nam Ethnici illud ignorant; 2. *non eſt euidens*; nam ipſi quidem generatim nouimus, hominem creatum eſſe ad imaginem Dei, nouimus etiam imaginem conſtitiſſe in iuſtitia et ſanctitate, ſed ſpecialia ignoramus; 3. *non adaequatum*, quia hodie de multis officiis quaeritur, quibus ne locus quidem futurus in ſtatu integritatis; e. g. de officiis erga pauperes, belligerantium, magiſtratuum, ſubditorum, cet.

V. SELDENVS, vel Hebraei, quorum hypotheſes proponit, pro principio adſumunt *ſeptem praecepta Noachica*; ſed 1. haec non ſunt *principium cognoſcendi*; Ethnici enim Noachum et praecepta illa data ignorant; 2. *non* eſt *verum*; deſunt enim teſtimonia hiſtoricorum; 3. *non adaequatum*, non enim ſine coactione omnes concluſiones iuris naturae inde deriuari poſſunt.

VI. GROTIVS duplex habet principium, *ſocialitatem*, de qua quid ſentiendum, iam ſupra ſub Pufendorffiano vidimus, et *conſenſum omnium gentium*; ſed hoc 1. *non* eſt *verum*; nam gentes etiam in

actibus turpibus conſenſerunt, nec conſenſus gentium eſt lex; e. g. in idololatria πολυθεότητι; 2. *non euidens*; eſt enim ille conſenſus gentium ex innumeris auctoribus petendus, quod quis ab Indis, Iaponenſibus, Americanis, aliiſque barbaris deſideret? 3. *non adaequatum*; nam non in omnibus concluſionibus iuris naturae gentes conſenſere; e. g. Lacedaemonii furtum pro licito habuere; Germani latrocinia, duella; aliae gentes ſcortationem negarunt eſſe peccatum.

VII. HOBBESIVS quidem etiam ſtatuit, *ſocialiter eſſe viuendum*; ſed eius principium reſoluitur in *bellum omnium in omnes*; id vero 1. *non eſt verum*; eſt hypotheſis ex hiſtoria non demonſtrabilis; 2. *non* principium *cognoſcendi*; nam ſic ante ciuitates et res publicas nullum plane fuiſſet ius naturae; 3. *non adaequatum*; inde enim non fluunt officia erga Deum et me ipſum.

VIII. LAMB. VELTHVYSEN *pudorem naturalem*; ſed 1. *non* eſt *euidens*; multarum enim rerum pudet hominem, quae ſunt iuſta; multorum non pudet, quae ſunt turpia; 2. *non adaequatum*; inde quidem deriuari poſſunt officia honeſti et decori, ſed non iuſti; 3. *nec abſolute verum* eſt; pudor quidem eſt naturalis, ſed non omnium turpium naturam pudet.

VIIII. BODINVS, *ordo naturae*; ſed id 1. *nec euidens* eſt, 2. *nec* principium *cognoſcendi*.

X. THOMASIVS; *homo a Deo accepit eſſe, ergo et Deus vult, vt conſeruemur*; inde regula: *omnia agenda, quae durationem et conſeruationem noſtram promouent*; *omnia* contra *fugienda*, *quae conſeruationem noſtram deſtruunt*. Ad hominis conſeruationem pertinent 1. exiſtimatio bona; 2. indolentia; 3. ſufficientia. Primum adſequimur honeſte viuendo; alterum, iuſte; tertium, decore.

Principium iuſti: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Principium honeſti: *fac tibi, quae vis vt alii tibi faciant.*

Principium decori: *quae tibi fieri vis, aliis fac.*

Iam quidem principalis propoſitio eſt principium cognoſcendi; eſt vera, euidens, ſed ſunt tamen quae deſideres: 1. ſi ad ſolam noſtram conſeruationem reſpicimus, nulla eſt ratio, cur ius naturae violare non poſſimus, ſi aliter conſeruari non poſſemus; e. g. tyrannus mihi minatur ſupplicium, niſi Deum abnegem; 2. decorum non recte videtur definitum, nam vere et regula iuſti eſt: *quod tibi vis fieri, alteri feceris*; 3. inde non fluunt officia erga Deum. THOMASIVS quidem putat, ex principio honeſti illa fluere; ſed non colendus eſt Deus ob ſolam conſeruationem noſtram.

XI. Itaque facilius principium inueſtigabimus ita, ſi ad finem Dei in

in condendis hominibus reſpiciamus; ſcilicet ſupponimus,

a) Nos exiſtentiae noſtrae cauſſam non eſſe; antequam eramus, eramus nihil, nihil aliquid producere non poteſt.

b) Si nos exiſtentiae noſtrae cauſſae non ſumus, oportet ſane nos conditos ab ente alio, et perfectiſſimo quidem; quin omnipotentiae eſt, ex nihilo ſubſtantiam viuam, ſuique conſciam producere; ſapientiae, eam ita condere, vt nihil in nobis ſine ſumma ratione factum ſit, id eſt, a Deo.

c) Qui a Deo conditus eſt, ab eo pendet in eſſe ſuo, ergo ei obligatus eſt, id eſt, eius voluntati vel fini, quem in creatione noſtra habuit, ſatisfacere debet; itaque propoſitio primaria:

Fac ea omnia, quae fini Dei in creatione hominis conueniunt, et contraria omitte.

d) Iam ſi finem Dei inueſtigare velimus, reſpiciendum erit ad media, quae nobis dedit, vel facultates; quum ergo dederit nobis *α*) corpus mobile; vult, vt illo varias actiones agamus; *β*) voluntatem, quae bonum adpetit, et malum auerſatur; vult, vt bona tantum ſectemur, mala fugiamus; *γ*) intellectum, vult vt bona vera, non apparentia ſectemur. Ergo vult, vt actiones edamus, quae ex veri boni adpetentia proficiſcuntur. Veri boni adpetentia eſt *amor*; vult ergo, vt *amemus*; omneſque actiones noſtrae ex vero amore proficiſcantur.

e) Amor tendit vel in Deum, vel in nos, vel in proximum, vel in alias creaturas; quae obiecta quum non ſint eiuſdem dignitatis perfectioniſque, amorem quoque non eiuſdem generis eſſe oportet.

f) Amor, ſi tendit in obiectum perfectius, vocatur *reuerentia*; ſi in tale, a quo pendemus, *obſequium*, quod eſt amor, quo obiectum aliquod ob perfectionem maximi facimus, eique libentiſſime obſequimur; ergo prima propoſitio ſpecialis:

Deus tamquam ens perfectiſſimum ſubmiſſa veneratione colendus; eique per omnia parendum eſt.

g) Si tendit in nos ipſos, *philautia*, eaque eſt amor, quo quis veram ſui perfectionem conſeruationemque intendit. Ne tamen illa philautia ſit praua, ordo ſeruandus, ne noſtram conſeruationem Dei voluntati praeferamus; hinc altera propoſitio ſpecialis:

Homo ad ſuam perfectionem et conſeruationem promouendam tenetur, quatenus illa ſine violatione maieſtatis diuinae obtineri poteſt.

h) Si tendit in obiectum extra nos, illud nobis vel aequale

eſt, vt proximus, vel inferius ac imperfectius; vt reliquae creaturae; ſi prius, amorem quoque oportet eſſe aequalem amori, quo nos ipſos proſequimur; ergo regula ſpecialis tertia:

Homo hominem tenetur eodem proſequi amore, quo ſe ipſum proſequitur.

Sin poſterius, amor eſt *beneuolentiae*, eaque eſt amor, quo ſubſtantia nobis imperfectiore non abutimur; ergo regula quarta:

Non abutendum eſt creaturis nobis imperfectioribus.

Ex his totum ius naturae prono alueo fluit; conſentit etiam Scriptura pulcherrime. *Matth. XXII.* 37. *Dominum Deum tuum toto corde, toto animo, tota mente amato: hoc eſt primum et maximum praeceptum. Alterum autem eſt huic ſimile: alterum, vt te ipſum amato. Luc. X.* 27. *Epiſt. ad Roman. XIII.* 9. 1. *Tim. I.* 5. *Matth. VII.* 12. *quidquid vultis, vt vobis faciant alii, idem vos etiam eis facite.* Eſt hoc principium 1. *verum*; fluit enim ex veris definitionibus, 2. *adaequatum*; quia omnia officia erga Deum, nos, et proximum, quin et erga creaturas inde fluunt; 3. *euidens*; omnia enim prius definiuimus; 4. *cognoſcendi*; hoc enim et Ethnicus quilibet cognoſcit.

§. 10.

Quaeritur iam, *quis ſit, iuris naturae auctor*? Reſp. Deus.

Auctor *a*) oſtendit, ſupponendam eſſe Dei exiſtentiam §. 10. *b*) demonſtrat, Deum eſſe auctorem iuris naturae. Prius monet contra ſcholaſticos, quos ſtatuiſſe diximus, ius naturae fore, etiamſi ponamus, non eſſe Deum; ſed hoc falſum: nam 1. ius eſt complexus legum; lex ponit legiſlatorem, legiſlatore non exiſtente, non exiſtit lex; 2. obligatio externa et ius ſunt correlata; obligatio externa oritur ex poenis et praemiis, talia non ſunt, vbi non eſt legiſlator, ergo et ius naturae non erit. Ad obiectionem, atheos etiam, quae iuris naturae ſunt, facere poſſe, iam ſupra reſpondimus, atheos tum his legibus non parere tamquam iuri, ſed tamquam dictatis rationi conſentaneis, quemadmodum princeps paret medico.

Itaque facile intelligendum eſt, quid reſpondendum ſit ad quaeſtionem, *an atheiſmus hominem neceſſario impellat ad impietatem?* Negat Baelius, quem poſtea alii ſequuti, his vſi argumentis: 1. quod homines viuant ſecundum paſſiones voluntatis, non ſecundum principia intellectus; e. g. ideo homo non ſtatim eſt pius, quia accuratiore Dei rerumque diuinarum cognitione imbutus eſt; ergo non ideo quis impius, quia ea cognitione deſtituitur; 2 quod homo ad ſuam vtilitatem reſpiciat, ideoque et atheus ius naturae

turae obſeruaturus ſit, quia id ſibi vtile fore animaduertat. Sed reſp. α) homo quidem viuit ſecundum paſſiones voluntatis; at hae ſemper malae; deinde paſſiones voluntatis non excitantur ad bonum, niſi boni ideam intellectu comprehenderint; β) negatur, hominem ſemper agere, quae vtilia ſunt; aliud videmus in voluptuoſis. Nos diſtinguimus atheos practicos, et theoreticos; illi ſemper improbi, quia vel ideo notitiam Dei in ſe exſtinguunt, vt tanto minus a peccatis abhorreant; hi, ſi rationem ſequuntur, abſtinebunt a ſceleribus, ſed quamdiu ſua intereſſe putant; alias enim nihil eſt, quod eos a peccato coërcere poſſit; non metus numinis, cuius quippe exiſtentiam negant; non poenae et praemia, quae negant cet. CICERO *de nat. Deor. I. 2. atque haud ſcio, an pietate aduerſus Deos ſublata, fides etiam, et ſocietas humani generis et vna excellentiſſima virtutum iuſtitia tollatur.* Conf. BARBEYRAC. *ad* PVFENDORF. *II.* 4. 2.

§. 11.

Iam ergo auctor demonſtrat, ius naturae auctorem habere Deum: ſupponit nimirum, 1. Deum hominem creaſſe; 2. Deum non cura ſua creaturas deſtituere, ſed prouidentia ſua omnia complecti; 3. qui creauerit hominem, et omnia prouideat, eum intendere eius conſeruationem; 4. qui hominis conſeruationem intendat, eum et media conſeruationis velle; 5. atqui ſupra probatum eſſe, hominem conſeruari non poſſe ſine lege naturae; 6. Deum ergo legem naturae dediſſe.

Sed non opus eſt tot ambagibus; Nos paucis rem demonſtramus ita:

Qui auctor eſt iuris naturae, is debet potentia pollere, talia principia cordi inſcribendi;
Atqui tali potentia principia iuris naturae cordi inſcribendi pollet Deus;
Ergo ſolus Deus eſt auctor iuris naturae.

Maior clara eſt ex definitione iuris naturae; minor vero ita probatur: qui cordi quid inſcribit, debet auctor fuiſſe mentis humanae; auctor mentis humanae ſolus eſt Deus; ergo Deus ſolus principia iuris naturae cordi inſcribere poteſt.

§. 12.

§. 12.

Sequitur tertia pars capitis, *de modo promulgandi ius naturae.* Ad id facile reſpondetur: 1. ius naturae eſt ius vniuerſale totius humani generis; ergo talis debet eſſe modus promulgandi, vt omnibus hominibus innoteſcat; 2. ius naturae eſt immutabile, ergo modus promulgandi debet eſſe talis, qui ſit immutabilis, et apud omnes homines ſemper idem: atqui nullum eſt principium commune toti generi humano, et ſemper idem, quam RATIO; itaque ius naturae promulgatum eſſe debet per rationem. Et hoc ipſum ſibi vult phraſis: *ius naturae inſcriptum eſt cordibus*, qua non modo vtitur Apoſtolus *Rom. II*, 14. 15. ſed et CICERO *pro Milon. cap.* 4.

Quaeritur tantum, *an actu nobis inſit, an vero potentia?* Reſp. potentia; nam quid iuſtum ſit, ratiocinando demum adſequimur; illud non iam actu ineſt cordibus hominum. Demonſtratur id etiam 1. exemplo infantum, qui neſciunt, quid iuſtum iniuſtumue ſit, *Ion. IIII*, 11. 2. experientia, hominem obbruteſcere poſſe, ſi non diligenter ratiocinetur, e. g. barbaros, inter feras educatos. Demonſtrant hoc ex inſtituto LOCKIVS, *de intellect. human. I*, 2. et 3. BVDDEVS *Inſtit. theol. moral. pag.* 544. CVMBERLAND, *de legib. natur. prolegom.* §. 5.

§. 13.

Vltima pars capitis agit de obiecto iuris naturae, vel quotuplicia ſint officia? Conſideranda ſunt entia, quae nos circumſtant; ſupra nos eſt DEVS, proximi ſumus NOS IPSI, et aequalis nobis PROXIMVS. Hinc et nemo vmquam dubitauit, officia alia deberi Deo, alia nobis ipſis, alia proximo. Atque ita etiam auctor diſtribuit libellum; agit enim 1. *de officiis erga Deum, cap.* 4. 2. *de officiis erga nos ipſos, cap.* 5. 3. *de officiis erga proximum, cap.* 6. *ſeqq.*

Sed praeter haec tria obiecta et alia nobis obſeruantur in hoc mundi theatro: 1. Angeli; 2. Bruta, et creaturae inanimatae. Quaer. *an non his quoque certa officia debeamus?* (*) Reſp. α) agimus de iure naturae, quod per rationem innoteſcit; Angelorum autem exiſtentia nobis per rectam rationem non innoteſcit. Habuerunt quidem Chaldaei, Pythagoraei, et Platonici, quamuis gentiles, notitiam Angelorum, Archangelorum, Daemonum, cet. Vid. *oracula* ZOROASTRIS

(*) PORPHYRIVS περὶ ἀποχῆς de abſtinentia ab animalibus.

ROASTRIS: ſed id hi per traditiones acceperunt ab Hebraeis. Itaque officia erga Angelos ceſſant iure naturae. β) Bruta et creaturae inanimatae ratione deſtituuntur, adeoque nobis nulla officia praeſtare poſſunt, ergo nec ipſis vlla debemus. Bruta nobis neque ſuperiora ſunt, neque aequalia, ſed inferiora, haec autem maiora nobis debent, quam nos ipſis, nec vlla tamen praeſtare poſſunt. Deus in ſumma legis poſitiuae omittit bruta.

Sed obiiciunt, 1. brutis etiam fieri poſſe iniuriam, e. g. torquendo ſine ratione; hinc *Prouerb. XII, 10. habet rationem iuſtus vel iumenti ſui.* 2. *Rom. VIII,* 21. dicitur *omnem rerum naturam congemiſcere ac condolere*? Reſp. poſterior locus dubiae eſt interpretationis; quocumque vero modo intelligatur, gemitus iſte improprie talis; itaque inde officia erga bruta non inferuntur. Prius negamus, iniuriam fieri brutis et creaturis inanimatis; qui enim nullum ius habent, certa officia a nobis exigendi, illis nulla fit iniuria.

At non tamen recte agunt, qui bruta excruciantur ſine ratione, fateor, ſed tunc iniuriam non faciunt brutis et creaturis inanimatis, verum Deo, eorum conditori. Res declaratur exemplo eius, qui artificis officinam inuadens, eius horologia deſtruit; is ſane horologiis non facit iniuriam, ſed artifici. Hinc nos ſupra, vbi principium iuris naturae inueſtigauimus, meditatione inuenimus regulam ſpecialem: *non abutendum eſt creaturis*; cuius concluſiones ſuo loco videbimus.

CAPVT IIII.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEVM, SEV DE RELIGIONE NATVRALI.

§. 1.

IAm de primo OBIECTO iuris naturae, puta DEO. Quum per *Deum* nihil aliud intelligere poſſimus, quam ens perfectiſſimum; de eo ſupra inuenimus regulam ſpecialem.

Deus tamquam ens perfectiſſimum ſubmiſſa veneratione colendus, eique per omnia parendum eſt.

Cultus ille et obſequium, quod Deo debetur, dicitur RELIGIO;

Heineccii Prael. Pufendorff. G ergo

ergo de hac agendum, et quidem quatenus ex recta ratione poteſt cognoſci.

Haec officia non poſſunt deduci ex principio ſocialitatis; nam cultum Deo debemus et extra ſocietatem; nec ex ſolis principiis THOMASII, quia ſic Deum colemus propter nos, non propter ſe. Sed ex noſtro fluunt aperte: Si enim *Deus tamquam ens perfectiſſimum ſubmiſſa veneratione colendus, recte de eo ſentire debemus; ſi ei obſequium praeſtare velimus, actiones noſtras ad eius praeſcriptum adtemperare debemus.*

Eam auctor duabus partibus conſtare ait: 1. in eo, vt de Deo recte ſentiamus; 2. vt actiones noſtras ad eius voluntatem componamus. Prius vocatur RELIGIO ſtricte; poſterius PIETAS. Prius conſiſtit in intellectu, poſterius in voluntate: prius eſt theoreticum, poſterius practicum. EPICTET. *Enchir. cap. 38. religionis erga Deum immortalem praecipuum illud eſſe ſcito, rectas de eo habere opiniones, et parendum ei eſſe vltro.*

Sunt, qui prius putant ſuperuacuum, et ſufficere exiſtimant, ſi quis pie viuat, et Dei praeceptis pareat; ſed hunc indifferentiſſimum falſum eſſe demonſtrabimus duplici argumento.

1. Si in me exigitur obſequium erga Deum, debeo ens iſtud reuereri, id eſt, metuere, amare; atqui reuereri, metuere, amare nihil poſſum, niſi cuius perfectionem et praeſtantiam perſpectam habeo; ergo debeo Dei perfectionem et praeſtantiam perſpectam habere. Ignotum hominem reuereri non poſſum: ſi quis vero mihi eius perfectiones et praeſtantiam oſtendit, ſtatim in me orietur reuerentia.

2. A fine. Deus nobis dedit intellectum, vt cognoſcamus eius perfectiones; hoc ſane non fecit fruſtra. Itaque oſtendit auctor, 1. quid de Deo ſentiendum §. 2-5. 2. quomodo ille colendus, §. 6. *ad finem.* In qua poſteriore parte omnia ex principiis noſtris demonſtrabimus.

§. 2.

Prima propoſitio theoretica eſt:

DEVM EXSISTERE.

Fruſtra enim a nobis exigeretur pietas, niſi certi eſſemus de exiſtentia Dei. Iam multae demonſtrationes huius theſeos neceſſariae, ſed quaedam nimis ſubtiles ſunt, aliae non ſatisfaciunt atheis; hinc ita procedimus:

A) Omne

A) Omne ens vel neceſſarium eſt, vel contingens.

Neceſſarium eſt, quod a ſe ipſo eſt; et hinc non poteſt non eſſe.

Contingens, quod cauſſam exiſtentiae extra ſe habet, adeoque poteſt eſſe et non eſſe; tertium non datur.

B) Quum neceſſarium ſit a ſe ipſo, et non poſſit non eſſe: conſequens eſt, vt ſit

1. aeternum, et nec principium, nec finem habet:
2. immutabile; ſi enim mutaretur, non eſſet neceſſarium:
3. ſimplex; quia mutabilia ſunt compoſita:
4. incorporeum.

C) Quumque ens contingens poſſit eſſe et non eſſe: ſequitur,

a) vt principium et finem habeat,
b) vt variis mutationibus ſit obnoxium,
c) compoſitum, ac proinde diſſolubile, et
d) corporeum.

D) Iam non modo nos, ſed totus mundus eſt contingens; videmus enim varias eius mutationes; videmus eſſe ens compoſitum; videmus denique, nihil aeternum: ergo nos et mundus non ſumus a nobis ipſis, ſed ab alia cauſſa extra nos.

E) Quum progreſſus cauſſarum in infinitum ſit impoſſibilis, ſubſiſtere debemus in cauſſa prima, quae ſit ens neceſſarium a ſe ſubſiſtens, aeternum, immutabile, ſimplex.

F) Atqui ens a ſe ſubſiſtens, aeternum, immutabile, ſimplex, incorporeum vocamus Deum; Deus ergo exiſtit.

Itaque ſtultum eſt dogma Spinozae, mundum confundentis cum Deo; ſic enim mundus eſſet ens neceſſarium; ergo incorporeum: ſimplex, immutabile, quae omnia experientiae repugnant.

Stultum quoque dogma Epicureorum, qui mundum ſine cauſſa ab aeterno exiſtere ſtatuerunt; ita enim nihil in mundo corporeum, nihil mutabile eſſet, quod abſurdum.

Stultum eſt, ſtatuere progreſſum cauſſarum in infinitum, quia hic rationi repugnat; vbi enim omnes cauſſae ponuntur, neceſſario etiam ponitur prima.

Stultum denique eſt obiicere progreſſum numerorum in infinitum: nam hic eſt imaginarius quantitatum; nos loquimur de progreſſu vero cauſſarum.

Ex eo colligit auctor, atheos eſſe deteſtandos, et grauiſſimis

 poenis

poenis coërcendos. Prius concedo, deteſtandus eſt atheiſmus, 1. quia eſt doctrina peſtilentiſſima, quae omnem tollit fidem et iuſtitiam; 2. quia eſt indemonſtrabilis, quippe propoſitio negatiua; 3. quia mentem turbat. PLVTARCHVS librum ſcripſit, quod non ſuauiter viui poſſet ſecundum Epicurum. Sed non ideo concedendum poſterius: nam 1. atheus poteſt aliquis eſſe inuitus ob varias tentationes; hic commiſeratione potius dignus, et hinc iuuandus potius; 2. atheiſmus eſt defectus intellectus, ac hinc ignorantia vel error, non delictum; diſtinguendum ergo inter atheum, qui ciuiliter quiete viuit, et qui turbat rem publicam, alios corrumpendo, ſecundum atheiſmum ſuum viuendo, fidem et iuſtitiam violando; hic puniendus, non vero ille. Conf. PETR. FRID. ARPE *Apologia pro Iul. Caeſar. Vanino.* HOBBESIVS, *de ciu. XIIII, 19. et XV*, 2. ſtulte admodum ſtatuebat, atheum comparandum cum eo, qui quadraturam circuli reperire nequeat.

§. 3.

Secunda propoſitio theoretica haec eſt:

DEVM ESSE MVNDI CREATOREM.

Demonſtratio. Mundus eſt ens contingens, quia corporeus, mutabilis, compoſitus, ceu demonſtratum §. 2. Omne contingens exiſtentiae ſuae cauſſam habet extra ſe; ergo et mundus.

Cauſſa illa non poteſt alia eſſe, quam ens perfectiſſimum; nempe Deus; ergo Deus eſt cauſſa huius vniuerſi.

Obiiciunt, 1. *Naturam omnia feciſſe*; at per hanc intelligunt vel aliquid extra mundum, vel ipſius mundi ordinem ac diſpoſitionem. Si poſterius: mundus eſſet cauſſa mundi, quod abſurdum; ſin prius, natura eſt Deus;

2. *Sidera eſſe mundi cauſſam*; ARISTOTELES: *ſol et rana creant ranam.* Reſp. mundus eſt totum, ſidera ſunt pars; abſurdum; partem eſſe cauſſam totius;

3. *Animam mundi eſſe cauſſam mundi*; ſed per eam quoque intelligunt vel aliquid extra mundum, tunc erit Deus; vel mundi partem, tunc pars condit totum, quod abſurdum.

4. *Mundum eſſe aeternum.* Reſp. quidquid eſt aeternum, illud eſt immutabile; mundus eſt mutabilis; ergo non aeternus. Docet hoc ipſum quoque mundi natura, vrbium hiſtoriae; elegans argumentum LEIBNITII a montibus deſumtum.

Ceterum et haec theſis eſt magni momenti, ſcituque maxime neceſſaria; inde enim ſequitur dependentia noſtra a Deo, quam eſſe fundamentum omnis obligationis, iam ſupra vidimus *cap. II.* §. 5.

§. 4.

Tertia propoſitio theoretica eſt:

Dei providentiam ad omnia sese extendere.

Per *prouidentiam* intelligimus actum Dei, quo omnia creata conſeruat, ac dirigit. Hanc ita demonſtramus:

1. *Quidquid durationis ſuae cauſſam in ſe non habet, id non a ſe, ſed ab alio conſeruatur; creaturae durationis ſuae cauſſam non habent in ſe, ſed extra ſe*; nam concludere non poſſum: ſum modo, ergo et ſequenti momento ero; *ergo conſeruantur ab alio.*

A quonam vero? Qui nos conſeruat, is exiſtentiam futuram dat; ergo conſeruatio eſt continuata creatio: qui nos creauit, et conſeruat; Deus creauit nos (per §. 3.) ergo et nos conſeruat. Sic demonſtratur conſeruatio noſtri. Elegans obſeruatio Erh. Weigelii, nos ſingulis momentis de nouo creari; ipſa namque noſtra materia per tranſpirationem mutatur.

2. Directio omnium ita probatur: *Omnia, quae fiunt, habent ſuas cauſſas, cur fiant; earum cauſſarum is eſt nexus, vt vna deficiente res non fieret; nexus iſte cauſſarum requirit ens omniſcium, omnipotens, ſapientiſſimum; ergo eſt a Deo; directio ergo omnium rerum eſt a Deo.*

Ceterum magni momenti eſt haec propoſitio; quiſquis enim Dei prouidentiam negat, veluti Epicvrvs, vel eamdem in fatum mutat, vti Stoici, is non minus tollit omnem moralitatem, ac ſi Deum plane negaret. Quomodo enim timere, amare, confidere poſſem ens, quod nullam mei curam gerit? ex inſtituto huius doctrinae neceſſitatem demonſtrat Arrianvs, *Diſſ. Epict. l.* 12.

§. 5.

Quarta propoſitio theoretica eſt:

Nihil in Devm cadere imperfectionis:

Eſt enim ens perfectiſſimum, adeoque non eſſet Deus, ſi quidquam imperfectionis ineſſet; cui enim non competit definitio, ei nec competit definitum.

Eſt ergo Deus

1. Infinitvs; cui enim addi detrahique poteſt, ille eſt ens imper-

fectum ; ſi ergo finitus eſſet Deus, ei aliquid addi detrahique poſſet ; eſſet ergo tunc ens imperfectum, adeoque non eſſet Deus.

2. INCOMPREHENSIBILIS ; nullum enim finitum comprehendit infinitum ; intellectus noſter eſt finitus, (alias eſſemus omniſcii) ; ergo non comprehendit infinitum ; ergo Deus nobis eſt incomprehenſibilis.

3. AETERNVS ; eſt enim cauſſa prima omnium rerum ; ſi vero principium habuiſſet, non eſſet cauſſa prima, ſed ipſe aliam cauſſam haberet ; eſt ergo aeternus, adeoque et

4. A SE IPSO, nec non

5. SIMPLEX ; ſi enim eſſet compoſitum, haberet partes, adeoque eſſet diſſolubile in partes, ergo non aeternum : at aeternum eſſe ante probauimus ;

6. OMNIPRAESENS ; qui enim fines non habet ſubſtantiae ſuae, ille vbique eſt ; Deus non habet fines ſubſtantiae ſuae, (eſt enim ens infinitum, vt paullo ante demonſtratum) ; itaque vbique eſt, et ſic omnipraeſens ;

7. OMNISCIVS ; qui enim eſt omnipraeſens, is omnia intuetur ac videt ; Deus eſt omnipraeſens, (vt paulo ante vidimus) ; ergo eſt omniſcius ;

8. OMNIPOTENS ; qui enim omnia produxit, quae poſſibilia ſunt, is poteſt omnia producere ; Deus omnia produxit (§. 3.) ; ergo et poteſt omnia producere. Facultatem omnia producendi vocamus *omnipotentiam* ; ergo Deus eſt omnipotens ;

9. IVSTISSIMVS, CLEMENTISSIMVS, SAPIENTISSIMVS ; hae ſimilesque adfectiones ſunt perfectiones ; nulla vero perfectio deeſſe poteſt enti perfectiſſimo ;

10. VNVS ; quia eſt infinitus ; duo vero infinita concipi non poſſunt.

Haec omnia fluunt ex naturali lumine, rectaque ratione, ac proinde non mirum, pleraque et gentiles agnouiſſe, in primis Pythagoraeos et Platonicos.

§. 6.

Iam progredimur ad alteram partem, DE CVLTV DEI, vel PIETATE, quae conſtat propoſitionibus practicis.

Deum eſſe colendum, patet ex principiis noſtris ; quod eſt bonum, id eſt adpetendum, adeoque amandum ; ergo Deus eſt amandus ; quod

bonum

bonum eſt nobis perfectius, id amandum amore reuerentiae et obedientiae; ergo Deus amandus amore reuerentiae et obedientiae. Amorem reuerentiae et obedientiae vocamus CVLTVM; ergo Deus eſt colendus.

Cultus ergo eſt complexus omnium officiorum, quae ex amore reuerentiae et obedientiae erga Deum proficiſcuntur.

Eſtque vel INTERNVS, qui in mente eſt, vel EXTERNVS, qui actibus externis ſe exſerit; e. g. amare Deum, timere, ei confidere, ſunt actus cultus interni; orare, eum laudare, praeceptis eius parere, cultus externus; de interno agitur §. 6. de externo §. 7.

In quo vero conſiſtat *cultus internus*, facile poteſt oſtendi ex conſideratione attributorum paullo ante demonſtratorum: 1. vidimus Deum eſſe bonum, ergo amandus, et quidem in gradu eminentiſſimo; ſcriptura ait: *toto corde*; 2. vidimus eſſe ens perfectiſſimum, ergo honorandus; 3. vidimus eſſe iuſtiſſimum, ſimulque omnipotentem, ergo eſt timendus; 4. vidimus eſſe omniſcium, clementem, potentem, ergo in eo ſperandum et fiducia collocanda; 5. vidimus eſſe vnum, ergo abſtinendum a cultu plurium deorum, et idololatria; 6. vidimus eſſe clementem et ſapientem, ergo adquieſcendum in eius voluntate; 7. vidimus eſſe omniſcium, ergo integra mente colendus, deteſtanda hypocriſis.

§. 7.

Quod ad cultum *externum* attinet, primum nonnulli quaeſiuerunt, *an ſit neceſſarius?* Statum controuerſiae ſatis adcurate firmarunt, non quaeri de caſu, quando Deus talem cultum exigit, vt exegit a Iudaeis; ſecundo, nec an Deus eius modi cultu dignus ſit? nec tertio, an non laudabilis ſit? ſed quarto, an ita neceſſarius, vt omitti ſine crimine nequeat? Negarunt hoc nonnulli, 1. quia Deus eius modi cultu non indiget. Sic Demonax apud LVCIANVM in *Demonact. tom. I. Opp. pag.* 861. excuſauit omiſſum Mineruae cultum eo argumento, quod non putarit, Mineruam ſuo ſacrificio indigere. Deus eſt mens, ergo mente colendus: cogitationes noſtras perſpicit, ergo non indiget precibus, hymnis, gratiarum actione, cet. 2. quia Devs ipſe ſaepiſſime eius modi cultum in ipſa Sacra Scriptura reiiciat, v. gr. *Pſalm.* LI. 17. *non delectaris ſacrificio, vt id exhibeam; non tibi acceptae ſunt victimae. Diuina ſacrificia ſunt fractus ſpiritus; fractam adflictamque mentem tu, Deus, non deſpicis*; 3. quia omiſſio tranquillitatem non turbet; eam enim niti adquieſcentia mentis in Dei voluntate, non in externis ritibus ac caerimoniis.

Sed

Sed reſp. 1. diſtinguendum inter neceſſitatem cultus ex parte Dei, et ex parte hominum; priorem omnino negamus, at poſteriorem defendimus. Notum eſt, Deum etiam non indigere cultu interno, et eius tamen neceſſitatem ab ipſis diſſentientibus admitti; 2. Deus ipſe inſtituit cultum externum, ergo eum non reiicit, ſed abuſum; non placet Deo cultus externus ſine interno; non placent ſacrificia ſine fide, amore, obſequio; inde vero non ſequitur, vt non placeant ſacrificia cum eo cultu coniuncta; exemplum Abelis, Eliae, Salomonis, contrarium euincunt; 3. tranquillitas conſiſtit in conſcientia, quae ſemper adeſt, quoties conſcii nobis ſumus, quod officiis noſtris ſatisfecerimus. Non ſatisfecimus autem, ſi cultum Dei externum omittamus.

Obſtrictos enim nos eſſe ad illum, demonſtramus ſequentibus rationibus: 1. omnes interni adfectus erumpunt in actum externum: 2. cultus internus eſt internus adfectus; erumpit ergo cultus internus in actum; 3. cultus externus conſiſtit in obſequio; (per propoſitionem noſtram ſpecialem primam,) obſequium ſe exſerit actionibus externis; ergo cultus Dei ſe exſerit actionibus externis.

In quonam vero conſiſtit? Fluit hoc ex cultu interno: diximus §. 6.

a) Deum eſſe amandum; quod amamus, de eo libenter et cum teſtificatione adfectus loquimur, et aliorum quoque adfectum excitare ſtudemus; ergo *de Deo honorifice loquendum, ad eiuſque amorem alii excitandi.*

b) Diximus, Deum eſſe honorandum; ergo *Dei nomen honorandum; is hymnis celebrandus, non peierandum*; commendatur locus inſignis ARRIANI *Diſſ. Epict. I, 16.*

c) Vidimus Deum timendum, ergo *eius praeceptis obediendum*, SOCRATES apud XENOPH. *non ſanctius et caſtius coles Deum, quam ea, quae iuſſerit, faciendo.* MARC. ANTONIN. *ad ſe ipſum, X, 7. quomodo ſeruus colis Deum.*

d) Vidimus, in Deo collocandam fiduciam; ergo *calamitates patienter et ſine obmurmuratione ferendae, ergo precibus et ſupplicationibus inſiſtendum.*

e) Vidimus, eſſe vnum; ergo *cauenda omnis idololatria, atque plurium deorum cultus.*

f) Vidimus, eſſe adquieſcendum in eius voluntate; ergo *cultum non ad noſtram, ſed Dei voluntatem componere debemus.*

g) Vidimus, cauendam eſſe hypocriſin; ergo *cauendus eſt cultus externus ſine pietate.*

§. 8.

§. 8.

Sub finem quaerit auctor, *quem vſum haec naturalis religio habeat?* idque oſtendit, 1. tum *negatiue*, §. 8. 2. tum *poſitiue* §. 9. *Negatiue:* demonſtrat enim, religionem hanc naturalem non ſufficere ad ſalutem aeternam conſequendam; quod obſeruandum contra Herb. Cherbvry, alioſque, qui Naturaliſtae vocantur, de quibus Tribbechovivs ſingulari ſchediaſmate agit.

Argumenta ſunt: 1. religio naturalis nobis non oſtendit medium propitiandi Deum; ratio enim ſatis nos conuincit, nec ſacrificia, nec preces, nec ieiunia ad id ſufficere, vt iuſtitiae Dei infinitae ſatisfiat; 2. ea quidem praecipit, quid agendum ſit, ſed non ſupeditat vires ad agendum neceſſarias; perinde eſt, ac ſi aegroto diceres, ambulandum eſſe, cum appetitu coenam capiendam, modice laborandum; 3. ipſam ſalutem aeternam non poteſt promittere; an Deus velit probos aeternum beatos reddere, ignoramus ſine promiſſione Dei; ratio enim nos non conuincit, Deum pro breuis temporis obſequio nobis dare velle felicitatem ſempiternam.

Hinc ſequitur, 1. neceſſariam eſſe aliquam reuelationem, quod omnes religiones agnouerunt. Habuerunt enim Ethnici ſua oracula; Iudaei ſuum Talmudem; Mahomedani ſuum Alcoranum; Chriſtiani ſua Biblia; 2. eam diligenter indagandam eſſe, et ex characteribus ſuis iudicandam; 3. characteres eius non alios eſſe, quam vt ſuppleant, quod rationi deeſt, modo Deo digno, adeoque oſtendat medium proportionatum Deum placandi, vires ad ſanctificationem neceſſarias, et certitudinem ſalutis aeternae. Hinc apud Platonem in *Phoedon. tom. II. pag.* 604. Socrates: *alterutrum horum fieri debet ab homine ſapiente; aut enim diſcere debebant inuenire, quemadmodum ita ſe habeant, aut, ſi hoc fieri nequeat, optimum ac tutiſſimum humanam rationem eligere.* Et haec poſterior via omnino eligenda, niſi liceat forte iſtas procellas firmiore quodam vehiculo ἢ λόγου θείου τινὸς verbo quodam diuino tutius ac minore cum periculo tranare.

§. 9.

Poſitiue huius naturalis religionis vtilitatem oſtendere conatur auctor, aitque, vinculum eſſe ſocietatis humanae; alias enim non potuiſſet religionem ex principio ſocialitatis deriuare. Id quidem

verum, quia ceſſaret, fides, reuerentia ſubditorum erga principes et ſummas poteſtates impotentiores, ſi ceſſaret religio: vt iam non dicam, iuſiurandum, cuius religione inprimis ſocietas humana continetur, vanum et ſine effectu futurum, niſi eſſet religio.

Sed 1. nec ſolus eſt huius religionis hic naturalis vſus, et 2. ille religioni reuelatae cum naturali, verae cum falſa communis eſt; ſane Graeci, Romani, et pleraeque gentes, quamuis a recta ratione quam maxime diſcederent, tamen religione ſua continuerunt ſocietates ciuiles.

Itaque potior vſus conſiſtit 1. in confirmatione reuelatae religionis: Deus non poteſt reuelare, quod rectae rationi repugnat; eſt enim vtriuſque luminis auctor; ergo inſignis certitudo accedit reuelationi, ſi eam nihil aduerſum rationi continere, oſtendere poſſimus. Commendari merentur PETR. DAN. HVETII *Quaeſtion. Alnet.* 2. In conuictione hominum improborum; hi abhorrent ab omni religione, ſed eam Deus iam inſcripſit cordi, vt ſint inexcuſabiles. Hinc Apoſtolus *Rom. I.* inexcuſabiles eſſe demonſtrat Romanos, quod cognouerint, Deum exiſtere, ſed eum non coluerint, vt Deum, ſed eius maieſtatem commutarint in idola, et ſpeciem hominum, animalium, quadrupedum cet. item quod eius praeceptis non paruerint, ſed ſe polluerint nefandis peccatis.

CAPVT V.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SE IPSVM.

§. 1.

HAec officia PVFENDORFFIVS denuo ex principio SOCIALITATIS deducit; ponit enim, nos non noſtri tantum, ſed et aliorum hominum cauſſa eſſe creatos, adeoque ſocietati humanae ſeruire et prodeſſe debere; ei autem ſeruire et prodeſſe nos non poſſe, niſi nos ipſos conſeruemus; ergo nos iure naturae teneri ad conſeruationem noſtri.

Sed nos contra argumentamur: quaecumque officia et ante ſocietatem, et extra eamdem, nobis incumbunt; illa non deducenda ex ſocialitate: officia erga nos ipſos; cet. Nos ex principio noſtro

ſtro facilius haec officia deriuamus : finis Dei in creando homine fuit, vt verum bonum, adpeteret, malum auerſaretur ; obligatus ergo hic eſt ad adpetitionem boni, adeoque ad AMOREM ; amor erga nos ipſos vel philautia non poteſt in alia re conſiſtere, quam in perfectione et conſeruatione noſtri ; obligati ergo ſumus ad nos perficiendos et conſeruandos : quumque amorem noſtri oporteat eſſe ordinatum, ac proinde nos non magis debeamus amare, quam Deum, ens praeſtantius et perfectius ; hinc addidimus reſtrictionem ; homo tenetur ad ſe perficiendum conſeruandumque ; quatenus id ſine violatione diuinae maieſtatis fieri poteſt. Vid. *cap.* 3. §. 9.

Ex eo ſequitur : α) *vt homo ſe perficiat*, quod quum fiat *per culturam ſui*, de ea §. 1--3. β) *vt homo ſe conſeruet* §. 4. γ) *vt ſe defendat aduerſus omnem vim iniuſtam* §. 5--17. δ) denique *vt in caſibus neceſſitatis nec ſui conſeruationem, nec Dei voluntatem violet* §. 18. *ad finem.*

a) Homo tenetur ad SVI CVLTVRAM ; id probamus 1. *ex inſtinctu naturali* ; volumus felices et perfectiores eſſe ; ergo tenemur ad culturam ; 2. *ex facultatum noſtrarum natura* ; Deus dedit nobis facultates praeſtantiſſimas, corpus ad varia aptum, intellectum perſpicacem, voluntatem ad bonum flexibilem : ſed ea omnia parum vtilia ; obbruteſceremus enim ſine cultura ; ergo eas facultates excolere, et ad maiorem perfectionem perducere tenemur ; 3. *ex breuitate vitae* ; ars longa, vita breuis, etiam longiſſima vita breuis, quia ſi ad 80. annos peruenerimus, primum detrahendum decennium pueritiae, et poſtremum decrepitae ſenectutis, quia tunc vſu rationis paene deſtituimur ; ſic remanebunt anni 60. hos pro parte dimidia vigilando, pro parte dimidia dormiendo exigimus, ſic remanebunt 30. Iam ſi ab his annis deducimus tempus, quo nihil egimus, quo edimus, bibimus, nugas egimus, quo impediti ſumus amicorum congreſſibus et ſalutationibus, vix decem anni ſupererunt. Properandum itaque erit, vt nos perficiamus. Similius, praefectus praetorio Hadriani, abdicato magiſtratu rus receſſit, ibique meditationibus vacauit per quinquennium, moriens ſibi poni iuſſit monumentum :

HIC SITVS EST SIMILIVS,

QVI QVINQVE ANNOS VIXIT,

teſte DIONE CASSIO. ELEGANTER EVRIP. in *Supplic.*

Heu mihi, quare non licet hoc hominibus
Bis fieri iuuenes, et rurſus ſenes?
Nam in aedibus quidem, ſi quid non recte ſe habet
Id poſterioribus ſententiis emendamus,
Vitam vero non licet. Si autem eſſemus iuuenes
Bis, et bis ſenes ſi quid peccatum, id nos
Duplicis vitae compotes facti corrigeremus.

BVDD. *Diſſ. de cultura ingenii*, quae exſtat in eius *Select. iur. nat. et gentium*, *pag.* 293. *ſequ.*

§. 2.

Quotuplex vero illa cultura? Id ex conſideratione facultatum noſtrarum patebit; intuitu earum *a*) omnes homines aliquatenus ſibi aequales deprehendimus, omnes enim habemus corpus, omnes animum, intellectu et voluntate inſtructum; *b*) ſed ratione gradus tamen permagnam deprehendimus differentiam; alius enim corpore robuſtiore, alius infirmiore vtitur; alii eſt intellectus perſpicacior, alii obtuſior; alii voluntas ad vitia proclivior, quam alteri.

Itaque et duplex eſt ſui cultura: ad aliam enim omnes obligati ſunt homines, hanc vocabimus *generalem*, e. g. vt homo cognoſcat Deum, mentem, immortalitatem; ad aliam quiſque pro modulo virium corporis et animi tenetur; hanc vocabimus *ſpecialem*, e. g. vt quis ſtudiis operam nauet, opificium addiſcat, ad id non omnes peraeque obligati.

Cultura generalis et *ſpecialis* partim ad mentem, partim ad corpus pertinet: *de illa* hic §. 2. *de hac* §. 3. agitur.

Ratione mentis cultura noſtra conſiſtit *α*) *in perſpicacia intellectus*; inde veterum exercitatio per aenigmata; corrigendi ſunt pueri, quoties male ratiocinantur; *β*) *in principiis neceſſariis menti infigendis*, veluti de cognitione Dei, de immortalitate mentis, de virtute et vitiis, officiis cet. ſine his enim homo non poteſt non obbruteſcere; *γ*) *in emendatione voluntatis*; ſtricta ergo opus eſt puerorum educatione, ne ad ignauiam, voluptatem, aliaque vitia adſuefiant, adeo a teneris adſueſcere multum eſt. Elegans demonſtratio LVGVRGI per duos canes eiuſdem originis diuerſimode educatos. Quibus educatio defuit, eos creſcente iam intellectu ſe ipſos

ipſos emendare decet; δ) *in decoro*; homines libertatem in eo quaerunt, vt ſint ruſticae indolis; ſed ii per omnem vitam infelices, quia nemini placent; decorum nobis aliorum hominum conciliat amorem, quia nec ſapientia ſine decori obſeruatione cuiquam prodeſt; exemplo ſunt Cynici; ε) *cuiuis incumbit honeſtae arti ſtudere, qua ſe ſuſtentet;* aut enim mendicandum, aut furandum, aut ex honeſto labore viuendum; primum et ſecundum eſt iniuſtum, ergo eligendum eſt poſtremum; honeſtum autem dico vitae genus eligendum eſſe, nam alioquin a furto parum differt; hinc officio iuris naturae non ſatisfaciunt praeſtigiatores, ludiones, ſcenici, aſtrologi.

Specialis nititur regula: α) *quiſque in tantum tenetur, vt ad perfectionem adſpiret: in quantum ipſius indoles patitur*; β) *ergo indaganda indoles*; i. e. *vires animi et corporis*, quod dum facimus, diuinae vocationi paremus. Quid diuina vocatio? Eleganter PERS. *Sat. III.* 71. 72. 73.

> *quem te Deus eſſe*
> *Iuſſit, et humana qua parte locatus es in re*
> *Diſce.*

VID. IANI HVARTI *Scrutin. ingeniorum*, TVLDEN. *de cognitione ſui*, BARCLAII *Icon animorum.* Sed hoc plerique nimium negligunt, et hinc tot homines, quibus infeliciter omnia, electo ſemel vitae genere, procedunt.

§. 3.

Corpus deſtinatum eſt *actionibus externis*, eaeque quoque duorum ſunt generum: 1. *generales*, ad quas omnes homines adſtricti, e. g. eundum, ſedendum, laborandum, 2. *ſpeciales*, ad quas tantum quidam obligati, e. g. concionandum, docendum, pugnandum.

Generalia officia ratione culturae corporis ſunt, α) ne debilitemus corpus voluptatibus, otio, vigiliis, labore; β) vt agile reddamus illud; hinc non plane reiicienda exercitia corporis, ſaltare, pugilandi artem addiſcere, equitare.

Specialia, vt in eum habitum componere ſtudeamus corpus, quo opus eſt ad profeſſionem ſuam adquirendam, e. g. miles aeſtum et frigus ferre diſcat, docens, vt linguam obtemperantem habeat, vocemque ad amoenitatem componat, vt geſtus deformes vitet; opifex, vt corpus robuſtius exercitatione et cultu duriore reddat.

§. 4.

Alterum officium erga nos ipſos eſt *noſtra conſeruatio*; conſeruatio quidem dependet a Deo, vt ſupra demonſtratum, ſed vſus mediorum nobis incumbit; itaque omnia media, quibus vita conſeruatur, adhibenda; ergo

1. Corpori noſtro debemus nutritionem.

2. Abſtinendum eſt a luxu, quo nos ante tempus deſtruimus.

3. Abſtinendum a rebus inſalubribus.

4. Quiete et labore moderate vtendum.

5. Cauendi affectus vehementiores, qui nos quam facillime deſtruunt.

6. Quum vero ſui conſeruationi quam maxime repugnet propricidium, quaeſtio eſt,

a) *Cur veteres etiam Philoſophi laude dignum putarint hoc facinus*; exemplo Arriae apud PLIN. *Epiſt. III.* 16. quia 1. exiſtimabant, corpus non eſſe partem eſſentialem hominis, ſed ergaſtulum; 2. quia illud credebant originem omnis mali; 3. quia non erat ſaepe in poteſtate, perturbationes fugere, tunc putabant portam patere. VALER. MAXIMVS, *VIII.* 9. Praeter Philoſophos et Hebraei permittebant hoc propricidium, ſed eo tantum caſu, ſi vita vergeret in Dei ignominiam, exemplo Samſonis. GROT. *de iur. bell. et pac. II.* 19. 5. Ex recentioribus exſtat *Anonymi Biothanatos*, quo libro autochiria defenditur, quod fit etiam in THOMAE MORI *Vtopia*, *libr. II.* Hodie non ita philoſophantur, qui violentas ſibi manus inferunt, ſed ex mera deſperatione id faciunt, tantoque deteriores omnino ſunt, vel ſtupidiores potius.

b) Qu. *an id iure naturae permiſſum?* Negatur: α) tenetur homo ex fine Dei ad conſeruationem ſui, non ergo ad deſtructionem, Deus non poteſt velle contraria; β) non poteſt eiuſmodi facinus committi ſine diffidentia in Deum; at ſuperiore capite demonſtrauimus, ſperandum in Deo, in eiuſque voluntate adquieſcendum eſſe, quod contra Hebraeorum doctrinam obſeruandum; γ) amare tenemur proximum, vti nos ipſos, ergo nos vt proximum; atqui proximum occidere non licet; ergo nec nos ipſos; δ) abſurdum eſt pro remedio quaerere id, quod fugimus, et perire, ne pereamus; inde MARTIALIS *Epigr. II.* 80.

Hoſtem dum fugit ſe Fannius ipſe peremit,
Nonne haec ſtultitia eſt, ne moriare, mori?

Obiiciunt: 1. *volenti non fit iniuria?* Reſp. ſupra vidimus hanc

hanc regulam fallere, ſi quis *a*) in re licita non verſetur, nec *b*) facultatem volendi habeat. 2. Obiiciunt *exemplum Samſonis, qui virtute diuina firmatus manus ſibi intulerit?* Reſp. Samſonis exemplum eſt typicum, adeoque ad exemplum non trahendum. Non Deus ipſi conceſſit virtutem ad ſe occidendum, ſed ad hoſtes Dei proſternendos; quod ſimul ipſe periit, non magis propricidium eſt, quam ſi quis in acie pereat. 3. Obiiciunt, *ſocialitati id non repugnare, ſi quis e. g. ad horrendum damnatus ſupplicium morte voluntaria iſtud anteuertat, ſocietatem enim ei iam renunciatam eſſe a reliquis?* Reſp. inde hoc tantum patet, principium iuris naturae non eſſe ſocialitatem, non autem licitam eſſe autochiriam.

§. 5. 6.

Sequitur officium tertium erga ſe ipſum, ſui defenſio, de qua quaeritur

1. *an ſit iure naturae licita?* §. 5. 6.
2. *quibus conditionibus ſit licita?* §. 7--13.
3. *pro quibus rebus licita ſit?* §. 14--17.

1. Negarunt alii primam quaeſtionem abſolute, ob dicta *Matth. V. 39. ego vero vobis dico, non eſſe reſiſtendum iniuriae: quin ſi quis tibi colaphum in dextram malam impegerit, obuerte ei et alteram. Rom. V. 18. 19. ſi fieri poteſt, (quantum in vobis eſt,) pacem cum omnibus exercete, non vos ipſos vlciſcentes, o mihi cariſſimi, ſed ſupplicio locum dantes. Exſtat enim ſcriptum: mea eſt vltio, ego remunerabor.*

2. Alii diſtinguunt inter defenſionem cum laeſione, et ſine laeſione; hanc concedunt, non illam; Sociniani et Arminiani hanc ſententiam defendunt.

3. Lacedaemonii eam non modo permiſſam, ſed et praeceptam, putabant, ac proinde puniebant eos, qui vel non propulſarunt iniuriam, vel ignauiores ea in re fuerant. Vid. PLVTARCH. in *Laconicis*, LAMB. VELTHVYSEN in *Principio iuſti et decori*, *pag.* 33.

Sed 4. licitam ſaltem eſſe defenſionem, ſiue ſine laeſione, ſiue cum ea fiat, recte ſtatuunt GROTIVS, PVFENDORFFIVS, THOMASIVS, eaque ſententia facile demonſtratur *α*) ex principio noſtro, quia tenemur ad noſtri conſeruationem, tenemur etiam ad illa amolienda, quae nos deſtruunt; id vero fit per defenſionem ſui; ergo ad eam tenemur; *β*) amare nos iubemur tamquam proximum; at proximum tenemur defendere; ergo et nos ipſos; *γ*) ab abſurdo, quod cum contraria ſententia coniunctum; ſi enim me defendere non liceret,

ceret, obligatio mihi eſſet mortem iniuſtiſſimam ſubeundi; magiſtratus ſane nobis vbique et ſemper auxilio eſſe non poteſt.

Huic ſententiae non obſtant dicta paullo ante allegata, *Matth. V.* 39. hic enim procul dubio agitur de patientia in perſequutione, alias enim et iudicia ſuſtuliſſet Chriſtus, quod abſurdum. *Rom. XII.* 19. PAVLLVS loquitur de vindicta periculo iam propulſato, non de ſui defenſione.

§. 7.

Altera de hac materia quaeſtio eſt, *quibus conditionibus haec ſui defenſio ſit licita?*

1. *deſcribitur caſus* §. 7.
2. *ſubiectum ſe defendens* §. 8. 9.
3. *ſubiectum, contra quod ſe defendere liceat* §. 10.
4. *duratio iuris ſe defendendi* §. 11. 12.
5. *modus defenſionis* §. 13.

Primus caſus in ſtatu naturali eſt, quoties alter nobis vel quamcumque facit iniuriam, vel intentat, nam tunc iudice deſtituimur: in ſtatu ciuili vero caſus licitae defenſionis, quando alterius ſcelere nos in periculo verſamur extremo, idque aliter effugere non poſſumus, quam eo modo. Hinc patet,

a) Periculum debere alicuius momenti eſſe, nec ferendos ſcholaſticos, qui ob leuem quoque iniuriam hanc defenſionem violentam concedunt; vnde mirum iis adſentiri GROTIVM, *de iur. bell. et pac. II.* 1. 10. Sane 1. reparatio tunc fieri poteſt ope iudicis; 2. non imminet deſtructio; ſed de hoc infra §. 14. *ſequ.*

b) Periculum deberet eſſe praeſentiſſimum, e. g. ſi quis me aggrediatur armis mortiferis.

c) Vt ab alterius ſcelere proficiſcatur; nam ſi ipſe me illi ſponte obieci, nullum ius defendendi eſſe poteſt.

d) Vt illud aliter, quam alterius deſtructione, euitare non poſſim.

Quaeritur, *an quis obligatus ſit ad fugam?* Reſp. diſtinguendum eſſe inter perfugium et fugam: in theſi nullum dubium eſt, quia, ſi tuto me aliquo recipere poſſim, ad id obſtrictus ſim; non enim praeſentiſſimum eſt periculum, quod euitare poſſum. At ad fugam nemo obligatus eſt, ob anceps periculum, quia tergum praebet hoſti, et ſe ipſum facultate defendendi priuat. At in hypotheſi

pothesi non omnia tam ad viuum resecanda, quia in tanta consternatione non omnia accurate circumspicere licet.

§. 8. 9.

Quod ad subiectum se defendens attinet, denuo distinguendum inter statum naturalem. et ciuilem.

1. *In statu naturali* laesus vel iniuria adfectus, etiam si ea satis leuis videatur, modo satisfactio denegetur, ius habet se in infinitum defendendi; nam qui nos laedit in statu naturali, et satisfactionem denegat, is hostili in nos animo est; hosti in hostem in statu naturali in infinitum omnia licent; ergo et defendere se in infinitum licet. Aliud *in statu ciuili*, ibi non quilibet laesus habet ius se violenter defendendi, sed in periculo constitutus.

2. *In statu naturali* recte se defendere pergit quis etiam extra periculum constitutus quamdiu alter satisfactionem denegat, quia adhuc durat hostilis animus. Id itidem non licet *in statu ciuili*, quin potius statim cessat ius sese defendendi, ac cessat periculum, Grot. *de iur. bell. et pac. III.* 4. *seqq.*

Ratio discriminis denuo est, quia in statu naturali non est iudex, quem implorare possem, quum in statu ciuili eius auxilio vti possim.

§. 10.

Iam tertia quaestio oritur, *contra quem me eo modo possim defendere?* Potest quis me laedere vel *dolo*, vel *culpa*, vel plane *casu*. Quod contra primum, e. g. adgressorem, iusta sit defensio, nullum est dubium; at magis ambigi posse videtur, an idem dicendum sit de posterioribus. Inprimis disputant de casibus, *a*) si quis alium adgressurus per errorem me adgrediatur; *b*) si furiosus me adgrediatur; *c*) si miles me hostem putet, et me adgrediatur.

Sed omnibus casibus licita est defensio: ego teneor me conseruare; ergo et impedire, quo minus quis me destruat; hoc quum sine defensione fieri non possit, defendere me teneor. Obiiciunt *a*) *adgressorem non in me irruere dolo malo, quia vel errat, vel rationis vsu destituitur?* Resp. non hic quaestio est de poena, sed de defensione; non quaeritur an alter peccet, sed an non ego ius habeam me defendendi. Eleganter Grot. *de iur. bell. et pac. II.* 1. 3. *ius defensionis non nascitur ex delicto alterius, sed ex obligatione*

ſe defendendi; β) Obiiciunt, *durum eſſe, hominem occidere, qui vel erret, vel furioſus ſit?* Reſp. at multo durius, occidi ſe pati ab homine errante et furioſo; quemadmodum ergo mihi ius eſt me defendendi contra bruta et belluas, quamuis his dolus imputari non poſſit; ita et contra errantes, furioſos, et ſimiles.

§. 11. 12.

Duratio iuris defendendi ſe conſideranda ſecundum *terminum, a quo* incipit, et terminum, *ad quem* porrigitur, et quidem iterum *ſecundum ſtatum naturalem* §. 11. *et ciuilem* §. 12.

Terminus a quo a) *in ſtatu naturali* eſt momentum, quo laeſit quis et denegauit ſatisfactionem; nam ab eo momento oſtendit hoſtilem animum; ergo mihi ab eo tempore ius eſt illum vt hoſtem tractandi. b) *In ſtatu ciuili* contra non a laeſione, ſed ab initio periculi praeſentiſſimi ius defenſionis oritur; nam anteà iudicis auxilio vti licet.

Terminus ad quem a) *in ſtatu naturali* durat tam diu, donec mihi ſatisfactio data, et de futura ſecuritate cautum eſt; b) *in ſtatu ciuili*, donec ex periculo iſto me expediui; nam tunc de ſatisfactione et ſecuritate futura iudicis eſt ſtatuere.

Quaeri hac occaſione ſolet: *an ſola ſuſpicio in ſtatu naturali ſufficiat ad defenſionem violentam, ſeu bellum?* e. g. ſi vicinus arma paret, milites conſcribat? HOBBESIVS, *de ciue V.* 1. hoc adfirmat ex ea ratione: qui et vult, et poteſt me adgredi, eius adgreſſionem praeoccupare poſſum: in ſtatu naturali viuentes et volunt, et poſſunt me adgredi; volunt, quia natura mali ſunt; poſſunt, quia arma parant; ergo poſſum adgreſſionem praeoccupare. Sed hic ſemper ius erit bellum inchoandi ſine cauſſa; quis enim princeps non armatus? ergo vult et poteſt me adgredi.

Sed diſtinguendum inter ſuſpicionem *iuſtam*, et *iniuſtam*; illa eſt, quando certa argumentandi ratione concludere poſſum, illum me petere; e. g. 1. ſi omnia comparat ad futurum bellum neceſſaria, et neminem tamen habeat vicinum, quem petere poſſit, quam me: v. c. ſi Rex Luſitaniae, non mari ſed terra arma pararet; 2. ſi non modò arma paret, ſed etiam hoſtilem animum declaret.

Obiicitur α) *ſic non fore defenſionem, ſed offenſionem?* Reſp. negando, quia in ſtatu naturali tempus defenſionis non incipit a praeſen-

ſenti periculo, ſed quam primum alter hoſtilem animum declarat; ergo nemo tenetur primum ictum exſpectare; β) *ita minus cautos eſſe, ſi non niſi ob iuſtam ſuſpicionem velimus ad defenſionem procedere?* Reſp. negando; nam quis prohibet, ſe quoque praeparare ad defenſionem.

Eadem facilitate deciditur quaeſtio, *an nimia potentia vicini iuſta cauſſa ſit defenſionis?* Ita philoſophantur HOBBESIVS *l. c.* et ALB. GENTILIS, in libro *de iniuſtitia armorum Romanorum*; ſed cauſſa defenſionis in ſtatu naturali eſt laeſio: adquiſitio potentiae non ſemper me laedit; nam qui iure ſuo vtitur, nemini facit iniuriam. At ſi quis iniuſte ſeſe reddit potentiorem, tunc id pro laeſione habendum, adeoque diſtinguendum inter potentiam *iuſte*, et *iniuſte* adquiſitam. Priore caſu ſola haec ratio non ſufficit, quia alter iure ſuo vtitur; poſteriore ſufficit, quia facile colligere poſſum, qui alios oppreſſit, me quoque oppreſſurum, ſi faueat occaſio; e. g. ſuperiore bello Hiſpanico ſucceſſionis cauſſa geſto, Hollandi breui manifeſto cauſſam dicebant, cur arma prehenderent, quia Galliae rex ad nimiam potentiam adſpirauit: recte; nam Galli monarchiam Hiſpanicam cum iniuria domus Auſtriacae occuparant. At male hac ratione iam vtitur rex Sardiniae, quia Imperator prouincias ſuas non iniuſte occupauit, ſed fauente iure, et ipſa iuuante domo Sabaudica.

§. 13.

Sequitur quinto *modus defenſionis*; hic iudicatur ex fine; *ea omnia pro defenſione ſui facienda, ſine quibus periculum euadere non licet.*

Hinc in theſi certum eſt, 1. ſi vulneratione adgreſſoris depellere periculum poſſim, eum occidere nefas eſſe; 2. ne vulnerare quidem licere, ſi pateat perfugium; 3. ſi neutrum ſufficiat, nos ad ipſam quoque mortem procedere poſſe.

Sed abſurdum eſt, in hypotheſi haec praeſcribere, quia perbreue eſt ſpatium defenſionis, tantaque animorum perturbatio, vt vix haec omnia ad libellam expendi poſſint.

Potius itaque diſquiremus, *an* et *duella ſint iuſtus defenſionis modus?* Notum eſt, omnes paene gentes veteres haec ignoraſſe; itaque 1. quaeritur, *vnde illorum origo repetenda ſit?* reperimus quidem apud veteres ſingularia certamina Dauidis et Goliathi, Horatiorum et Curiatiorum, Aeneae et Turni apud VIRGILIVM, aliaque. Sed ea fuere bella repraeſentatiua, quando duo exercitus hoſtiles, vt

ſanguini hominum parcerent, eligebant vtrimque viros fortiſſimos, qui vtrumque populum repraeſentarent, quorum victoria patriae prodeſſet, ignauia noceret. Hoc procul dubio iuſtum; populi enim viuunt in ſtatu naturali, poſſunt ergo bellum iuſtum gerere: quum ergo multa millia inter ſe pugnare poſſunt, quidni etiam pauci poſſint, ſi ita compromiſerint. Sed duella haec, de quibus loquimur, ab illis plane diuerſa ſunt, ad vindicandam quippe priuatam iniuriam comparata. Origo itaque duellorum vera eſt a Germanis; hi duellis vtebantur probationis cauſſa, quemadmodum aliis mediis, quae *ortelia* vocabant, e. g. ferro candente, aqua tum feruida, tum frigida. Vid. DV FRESNE *Gloſſar. med. et infim. Latinit.* voce *Ortel.* Quoties itaque reus ita quid negabat, deficiente alia probatione cum accuſatore manus conferere iubebatur, et vincens abſoluebatur, victus damnabatur; dicebatur *Kampf-Recht*, *Kolben-Recht*. Hoc more iam Romanorum tempore Germani vſi ſunt. Hinc VELLEI. PATERC. II. 118. obſeruat, miratos Germanos ſolita armis diſcerni, iure terminari.

Iam quidem demum legibus publicis hoc prohibebatur, ſed manebant tamen ſemper reliquiae inter nobiles et milites, quos et alii imitati ſunt.

Quid vero 2. de duellis ſentiendum? Reſp: in ſtatu naturali nihil habent iniuſti; nam deſunt iudices, adeoque ipſi ſibi ius dicere debent. Obiicitur, improbari in ſacra ſcriptura duellum Caini et Abelis? Sed reſp. α) hi non vixere in ſtatu plane naturali, quia quiſque paterfamilias, adeoque et Adam, procul dubio fuit ſimul princeps familiae ſuae; β) cauſſa huius certaminis erat iniuſta, quia nimirum Deus benigne receperat ſacrificium Abelis. In ſtatu ciuili nullo modo defendi poſſunt, 1. quia non pro defenſione ſuſcipiuntur; defenſio enim incipit a periculo, quale hic non eſt; 2. quia vi numquam iuſte vtimur, quamdiu in magiſtratu nobis eſt praeſidium; 3. quia cum maximo magiſtratus contemtu coniuncta duella; 4. quia medium admodum lubricum decidendi controuerſias; nec enim certi eſſe poſſunt ii, quibus iuſta cauſſa eſt, ſe victoria potituros, alioſque ſuccubituros.

Sed quid *ſi iubeant Imperatores, vel nec per indirectum eum negent ſe inter ſuos miniſtros ferre poſſe, qui iniuriam hoc modo non vindicet?* Reſp. tunc quidem homo veluti ad ſtatum naturalem redit, adeoque duellum in ſe non iniuſtum eſt: at in cauſſa ſua plerumque iniuſtiſſimum. Accedit, Deo placere non poſſe affectus

irae,

irae, vindictae, cupiditatis, odii, ſine quibus vix duellum intelligi poteſt.

§. 14.

Vltima quaeſtio eſt, *pro quibus rebus licita ſit defenſio eius modi violenta?* Reſp. non modo pro vita, ſed et pro integritate membrorum; nam a) nemo praeuidere poteſt, an non et hoc coniunctum cum vitae periculo; b) aliquando membra quaedam pari paſſu ambulant cum vita, e. g. oculi; c) aliquando per omnem vitam infelix eſt, qui membrum amiſit, e. g. manum, qua ſibi victum et amictum parat; d) omnis vulneratio et mutilatio coniuncta eſt cum dolore tali, a quo natura ipſa abhorret. VAL. quidem ALBERTI in *Comp. iur. nat. part. II. cap.* 3. §. 15. diſtinguit, an periculum vitae ſubſit, nec ne? ſed haec dictinctio mere ſpeculatiua; quis enim hoc praeuideat?

§. 15.

An et pro pudicitia? Adfirmat auctor, et exaggerat iniuriam; negant AVGVSTINVS, THOMASIVS, BVDDEVS. Diſtinguendum inter 1. pudicitiam moralem, quae in animo conſiſtit; haec eripi non poteſt, adeoque nullo modo defendi; 2. et inter pudicitiam phyſicam; haec eripi poteſt; ergo etiam defendi; ſed non, vt videtur, violenter, a) quia non ſubeſt vitae periculum; b) quia nec infamia ſequitur ſtuprum; c) magiſtratus ſatisfactionem poteſt procurare. Interim ſi virgo tale admiſerit facinus, procul dubio impune feret, quia eam excuſabit iuſtus dolor, ſtupratoris vis et malitia, metus infamiae, incertitudo ſatisfactionis.

Alia quaeſtio, *an femina ſtupri vel declinandi, vel vindicandi cauſſa ſe ipſam interimere poſſit?* quo nomine laudant Lucretiam; id vero negandum, 1. quia autochiriam illicitam probauimus; 2. quia punitur ita innocens pro nocente: 3. quia nullum effectum habere poteſt hoc facinus.

§. 16.

An pro rebus quoque noſtris licita defenſio violenta? Diſtinguit auctor inter ſtatum naturalem et ciuilem; 1. in ſtatu naturali licita; qui enim res meas mihi eripit, animum hoſtilem declarat; 2. in ſtatu ciuili non niſi imminente vitae periculo; alias enim ſi furem aliter amoliri, vel a iudice defendi poſſum, mihi vim adhibe-

re non licet. Hinc leges diuinae, Solonis, XII. tabb. furem nocturnum occidi patiuntur, diurnum vero non, niſi ſi ſe telo defendat.

§. 17.

Aliquando is, qui iuſte ſe defendit, iniuſtam cauſſam habet; aggreſſor iuſtam. Hoc fit potiſſimum in ſtatu naturali inter liberos populos; quoties ſe, qui laeſit, ad ſatisfactionem offert, laeſus vero illam acceptare recuſat; e. g. populus bellum iniuſtiſſimum infert, et alter victoriis variis potitur, belli priorem poenitet, offert ſatisfactionem, petit pacem, victor denegat; tunc ſane iuſtitiae cauſſa tranſit ad adgreſſorem; ratio, quia in ſtatu naturali non alia eſt iuſta defenſionis cauſſa, quam laeſio, et ſatisfactionis denegatio: hac ceſſante, ceſſat ius defenſionis.

§. 18.

Progredimur ad vltimam capitis partem *de fauore neceſſitatis*, de quo auctor noſter ad finem vſque ita agit, vt 1. *fundamentum huius doctrinae explicet* §. 18. 2. *ex eo caſus varios ſoluat* §. 19. *ad fin.*

Quaeſtio eſt: *ſi caſus incidat, vt me conſeruare non poſſim, niſi violem alium, vtrum hunc ſalua religione violare poſſim, an mihi potius pereundum ſit.*

Fundamentum auctor ponit admodum generale, quod nempe *neceſſitas non habeat legem*; idque probat, 1. quia legiſlatores ſalutem hominum intendere videantur, adeoque iis caſibus lege nos intelligantur ſoluiſſe, quibus eam ſine periculo ſeruare non poſſumus, e. g. Chriſtus ipſe ait: *homo non eſt propter ſabbathum creatus, verum ſabbatum propter hominem*; ergo ſi ſabbatho Hannibal ſit ante portas, procul dubio Deus diſpenſat, vt ſepoſitis ſabbathi officiis me aduerſus hoſtem defendam; 2. quia nemo obligatur ad impoſſibilia, impoſſibile autem videtur, quod agendum cum mea pernicie. At haec auctoris philoſophia eſt nimis generalis; nam ſane ſi haec regula vera eſſet, imprudenter egiſſent martyres, qui mori, quam ſacrificari maluerint; imprudenter Ioſephus praetuliſſet captiuitatem amoribus vxoris.

Hinc alii diſtinctius procedere ſolent, et TITIUS quidem diſtinguit inter leges diuinas et humanas; de illis habet regulam: *quoties violatio legis tendit in contumeliam vel abnegationem Dei, toties neceſſitas non parit exceptionem*; reliquis caſibus, vt et in legibus humanis hanc exceptionem admittit.

Iam

Iam quidem haec egregie congruunt cum principio noſtro, vbi ſupra praeſtruximus, teneri nos ad conſeruationem perfectionemque noſtram promouendam, quatenus ea re maieſtas diuina non laeditur; ſed tamen adhuc incertum manet ex regulis Titii, quando actio vergat in contemtum et abnegationem Dei? Ait Titivs, ſi lex ſit diuina naturalis. eam non ſine contemtu Dei violari; ſin poſitiua, aliter ſe rem habere; ſed procul dubio, *neminem occide*, Dei lex eſt naturalis, et tamen eam in caſu neceſſitatis aliquando violari poſſe adhuc vidimus exemplo moderaminis inculpatae tutelae.

Itaque rem magis perſpicue tradidit Thomasivs, *Iuris prud. diuin. II. 2. 123. ſeqq.* aut lex eſt vel diuina, vel humana; diuina vel praeſcribit

a) Officia erga Deum, vel erga proximum; illa denuo ſunt vel α) affirmatiua; haec ſemper habent exceptionem neceſſitatis, quia leges adfirmatiuae tantum obligant data occaſione; non autem occaſio eſt, vbi mihi pereundum eſt; hinc ipſe Chriſtus in lege de ſabbatho excipit neceſſitatem; β) vel negatiua; haec non admittunt exceptionem neceſſitatis, quia dum prohibuit Deus, maieſtatem ſuam exercuit, ea vero violatur, quoties contra eius prohibitionem agimus, e. g. martyres recte egerunt, dum mori maluerunt, quam idolis ſupplicare;

b) Officia erga hominem itidem vel *affirmatiua*, vel negatiua; illa itidem admittunt exceptionem neceſſitatis 1. ob eamdem regulam, quia leges affirmatiuae obligant data occaſione; 2. et ſic ob neceſſitatem licet violare officia affirmatiua erga Deum, multo magis erga proximum; *negatiua*; in his diſtinguendum, an neceſſitas ſit α) a Deo; tunc quaelibet honeſta ratio expediendi ſalutem; e. g. in naufragio ſuae quiſque ſaluti conſulere poteſt, quamuis alii pereundum ſit; nam ex duobus malis phyſicis minus eſt eligendum; β) a malitia hominum; tunc, ſi homines intendant, idque agant, 1. vt peccem, neceſſitas non excuſat, e. g. ſi quis carcere adigatur ad Peccatum, veluti Ioſeph; nam ita laederetur maieſtas diuina; 2. vt peream; tunc quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem. Ita Iudaei obſeſſi ab hoſte merito comedere potuiſſent carnem ſuillam.

§. 19.

Iam varii caſus ſoluuntur, 1. *an enſe reſecari poſſit membrum, ne pars ſincera trahatur?* a) Affirmat auctor recte; lex eſt: *conſerua mem-*

membra tua; ea eſt adfirmatiua; ergo admittit exceptionem neceſſitatis; ſin negatiue legem concipias: *ne corrumpas membra tua*; iam neceſſitas eſt a Deo; ergo quaelibet honeſta ratio expediendi ſalutem; b) ex duobus malis phyſicis minus eſt eligendum.

§. 20.

Alter caſus: *in caſu naufragii ſi plures inſideant cymbae, quam ferre poſſit, an aliqui repelli queant?* Affirmat auctor; ſecundum principia noſtra haec lex, *ne occide*, eſt officium erga proximum; neceſſitas eſt a Deo; ergo quaelibet honeſta ratio expediendi ſalutem; amare praeterea non magis teneor proximum, quam me ipſum, ſed tamquam me ipſum.

Illud modo dubium, *quinam cedere debeant?* Reſp. in eius modi caſibus quidem non locum fore diuturnae deliberationi; in theſi tamen, ſi dominus cymbae in cymba eſt, ad eius arbitrium rem redire volunt. Sed in caſu neceſſitatis ceſſare dominium, ipſe auctor paullo poſt adfirmabit; hinc ſiue dominus adſit, ſiue non, iis, qui vltimi inſilierunt, cedendum erit, quia prioribus iam ius quaeſitum fuit per occupationem.

Dubitat TITIVS, *Obſeru.* 144. *n.* 2. an talis caſus exiſtere poſſit, putat homines potius vna perituros, quam alios perdituros; ſed quam neceſſitas omnem miſericordiam excludat, ſtupendo exemplo ſeptem Anglorum oſtendit GROT. *de iur. bell. et pac. II.* 13. quod defendit PVFENDORF. in *opere maiore II.* 6. 3.

§. 21.

Caſus tertius: *an, ſi duo in praeſenti periculo ſint, vni liceat ſibi conſulere alterius interitu?* Contingere hoc poteſt 1. in naufragio, ſi alter nantem complectatur, vel ſi alter mecum tabulam adprehendat, quae duos ferre non poſſit; 2. in fuga, ſi quoſdam excludamus, ne hoſtis ſimul in vrbem penetret? Reſp. in vtroque caſu quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem; priori enim caſu neceſſitas eſt a Deo; poſteriori a malitia hominum, iique me occidere intendunt. Sed poſteriore caſu probe conſiderandum, an non et hoſtes quidam admitti ſine periculo poſſent. Apud CVRT. *IIII.* 16. Darius fugiens conſilio miniſtrorum pontes diſſoluere noluit, dicens: ſe malle inſequentibus iter dare, quam auferre fugientibus.

§. 22.

§. 22.

An in fuga proterere poſſim obſtantem? Reſp. quaeſtionem non eſſe de fuga turpi, e. g. malefici, quem lictores perſequuntur, ſed de fuga neceſſaria; e. g. ſi armatus inermem adgrediatur; tunc qui obſtat, 1. aut id facit ex malitia; tunc intendit mortem meam, ergo neceſſitas excuſat; 2. aut obſtat mihi ex impotentia, e. g. infans, claudus; tunc neceſſitas eſt a Deo, ergo et hoc caſu locus eſt exceptioni neceſſitatis.

Exceptio eſt, ſi talis obſtet, pro quo ipſe vitam ponere teneor; limitatio quoque addenda, vt, ſi damnum dederim, illud pro virili reſarciam.

§. 23.

An in caſu neceſſitatis liceat alterius bonis inuito domino vti? Negat ALBERTI in *Compend. iur. nat. part. II. cap.* 2. §. 20-24. quia ſit furtum; ſed haec petitio principii; furtum eſt contrectatio frauduloſa rei alienae, hic non eſt fraus; furtum ſit lucrifaciendi cauſſa, hic famis cauſſa et ex neceſſitate.

Caſus eſt, ſi 1. ſine culpa quis 2. in eum ſtatum deuenerit, 3. vt pereundum ſit, 4. nec aliud ſuperſit medium expellendi famem, nec vllus miſereatur famelici, an 5. tantum ſumere poſſit, quantum neceſſitas praeſens adſit, 6. ſub propoſito reſtituendi, ſi ita ferat occaſio? e. g. ſi naufragi in terram peruenerint nudi et famelici, et nemo velit fruſtum panis dare.

Hoc caſu quaeſtio affirmanda; 1. neceſſitas eſt a malitia hominum, ii volunt meum interitum; 2. ſi in caſu neceſſitatis ne vitae quidem alterius parcere poſſum, multo minus ergo bonis.

Non ergo hac doctrina ſe excuſare poſſunt fures, qui 1. ſua culpa, 2. etiam ſine neceſſitate, 3. aliis reiectis remediis, quibus famem expellere poſſent, 4. lucri faciendi cauſſa, 5. ſine propoſito reſtituendi aliorum bona contrectant. GROT. *II.* 11. 6. SELDENVS, *VI.* 7. THOMAS. *II.* 2.

§. 24.

Vltimus caſus: *an ad me conſeruandum aliorum res corrumpere poſſim?* e. g. proiicio aliorum merces ex naui, vt leuetur nauis; diruo alterius aedes ob incendium, vt mea intacta ſeruentur? Reſp. neceſſitas vtrobique a Deo eſt, adeoque illa non habet legem: ſed 1. periculum aliter effugi non poſſe, ſupponendum; 2. obſtri-

ctus. ſum ad damnum reſarciendum aequiſſima lege Rhodia de iactu. Ea in incendiis ſemper ſeruari nequit, quia incertum eſt, an illa domo non diruta, et illa fuiſſet incendio haud liberata.

CAPVT VI.

DE OFFICIO QVORVMLIBET ERGA QVOSLIBET, ET DE NON LAEDENDIS ALIIS.

§. I.

PRoxima ſunt *officia erga alios*, ſeu proximum, *de quibus ab hoc ſexto capite ad finem* huius libelli agitur.

Vt vero de ordine conſtet, obſeruandum, alia *officia* eſſe ABSOLVTA, quae cuilibet a quolibet debentur, ſine reſpectu ad certum ſtatum, vel inſtitutum humanum; e. g. neminem occide; alia *hypothetica*, ad quae non obſtringitur homo, niſi ſupponatur certus ſtatus, vel certum inſtitutum humanum; e. g. Ne furare; haec enim lex non obligaret, niſi homines inſtituiſſent dominium; eo vero ſemel introducto, ius naturae vult, nos a furtis adſtinere. Obſeruandum hoc contra SALMASIVM, qui negat, furtum eſſe contra ius naturae, *de vſur. libr. II. cap. 9.* et hinc ridet doctrinam ICtorum §. I. *Inſt. de oblig. quae ex delict. naſc. L. I. §. 3. D. de furt.*

Eius modi inſtituta humana potiſſimum ſunt quatuor:

SERMO; verba enim non ſignificant naturaliter, vt ſibi perſuaſerat PLATO, ſed ex impoſitione hominum; ſi enim naturaliter ſignificarent, non poſſet vnum vocabulum in diuerſis linguis res diuerſas notare, quod tamen ſaepiſſime contingit: e. g. *Gibbel* Arab. ſignificat *montem*, Germanice *culmen*. *Geber* Hebraice ſignificat *fortis*, Germanice *donatorem*.

DOMINIVM; nam antea omnia erant communia, et dominium introductum eſt per occupationem tum demum, quum res humano generi vniuerſo non amplius ſufficere viderentur.

RERVM PRETIVM; initio homines ignorabant nummi vſum; ſed omnia permutatione ſibi adquirebant, quod apud antiquiſſimas gentes diu valuit. Sic Eſauus primogeniturae ius Iacobo pro pulte turpiter vendidit, *Geneſ. XXV, 29. ſequ.* Apud HOMER. *Iliad.* η.

Inde

Inde capillati ſibi vina parare Pelaſgi
Aere micante alii, nitido pars altera ferro,
Pars bubulis tergis, ipſis plerique iuuencis,
Pars quoque mancipiis.

Similia de veteribus Germanis refert TACITVS, *de moribus German.* et obſeruatio ſane elegans eſt MVRETI, *Lect. var. X.* 3. omnia vocabula, quae Graece ſignificant emere vendere, eſſe ab animalibus deriuata; e. g. ἀγοράζειν ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ; ὠνεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ὤνου; πωλεῖν ἀπὸ τοῦ πώλου.

CIVITAS vel RES PVBLICA: omnes enim homines natura aequales et liberi; hinc inualuit imperium domeſticum; denique integrae inſtitutae ſunt res publicae.

Omnia ergo officia, quae ex quatuor his inſtitutis humanis fluunt, vocantur HYPOTHETICA; hinc agitur 1. *de officiis abſolutis, cap.* 7. et 8. 2. *de officiis hypotheticis, cap.* 9. *ſeqq.* et quidem *de iis, quae fluunt* α) *ex ſermone, cap.* 9-11. β) *dominio, cap.* 12-13. γ) *rerum pretio, cap.* 14. *ad finem libri I.* δ) *ex ſtatu tum familiae, tum ciuitatis, toto libro II.*

Primo ergo *de* ABSOLVTIS, quae denuo duorum generum ſunt; alia vocamus PERFECTA, quae admittunt *coactionem, in ſtatu naturali* per bellum, *in ſtatu ciuili* per iudicem, e. g. pacta ſeruare, debita ſoluere; IMPERFECTA, quae talem coactionem non admittunt, quamuis et ipſa omnino iure debeantur, e. g. eleemoſynas dare, erranti viam monſtrare.

Ratio, cur haec coactionem non admittant, illa admittant, haec eſt, 1. quia haec ex virtute proficiſcuntur, illa ex lege; lex gaudet facultate cogendi, virtus ſi coacta praeſtatur, virtus eſſe deſinit; 2. quia illa ab vno tantum ſubiecto debentur, quo non praeſtante iure meo excido; haec ab omnibus promiſcue recte petuntur.

Iam agitur ergo primum 1. *de officiis* ABSOLVTIS, *a*) *de non laedendis aliis, cap.* 6. *b*) *de agnoſcenda hominum aequalitate, cap.* 7. *c*) *de promiſcuis officiis humanitatis exercendis, cap.* 8. 2. *de officiis* HYPOTHETICIS, *cap.* 9. *ſeqq.*

§. 2.

Abſolutorum officiorum ergo *primum* omnium auctor ſtatuit illud *de* NON LAEDENDIS ALIIS, quod denuo reſoluitur in duo alia:

Neminem laede, §. 2. 3.
Si laeſiſti, damnum reſarci, §. 4-13.

Neminem eſſe laedendum, Auctor 1. ex ſuo principio ſocialitatis probat: quod eam deſtruit, eſt contra ius naturae: atqui ſocietas non poteſt non deſtrui, ſi impune alter alterum laeſerit; ergo eſt contra ius naturae; 2. ex facilitate huius officii; pleraque alia officia praeſtantur cum aliquo detrimento, hoc ſine detrimento; 3. a communi hominum affectione; pauci a nobis quid praetendunt; at ne laedantur, a nobis omnes exigunt.

Sed debentur haec officia illis quoque, quibuſcum non viuimus in ſocietate. Itaque ex noſtro principio ratiocinamur: homo hominem eodem proſequi tenetur amore, quo ſe ipſum proſequitur; inde fluit illud CHRISTI: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; laedi ergo quum nolis, neminem laede.

§. 3.

Sed iam porro hoc officium explicandum: *Homo non eſt laedendus.* Laeditur homo vel

1. In ſubſtantia, et quidem α) corpore, per occiſionem, vulnerationem; ergo inde fluunt leges: *Neminem occidito, mutilato, vulnerato.* Apud veteres extorres habebantur, qui homicidium admiſerant, tamquam indigni ſocietate humana. Cain *vnſtætig, flüchtig:* idem apud Graecos; β) quoad animum; hinc leges: *Neminem corrumpito, nemini ſcandalum praebeto.*

2. In pudicitia; hinc leges: *Ne adulterium, ne ſtuprum, ne aliud huius modi probrum committito.*

3. In honore; hinc leges: *Nemini honorem, quo dignus eſt, denegato, neminem iniuriis proſcindito.*

4. In rebus et iuribus; hinc regulae: *Furtum ne admittito, neminis iura intercipito, ſuum cuique tribuito, falſo teſtimonio neminem opprimito*; at ita tota tabula poſterior decalogi eſt iuris naturae. Hinc Alexander Seuerus imp. apud LAMPRIDIVM ſupplicia infligebat cum elogio: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

§. 4.

Iam alterum officium: *ſi laeſeris, damnum reſarci*; hoc auctor probat §. 4. explicat §. 5. *ſeqq.* Probatio facilis eſt. 1. Eo amore

proſe-

proſequi tenemur proximum, quo nos ipſos; nos volumus nobis damnum ab alio datum reſarciri; ergo et aliis reſarcire debemus. 2. Sine quo aliud officium iam demonſtratum eſſet fruſtraneum, illud omnino eſt neceſſarium: atqui ſine reſtitutione damni officium, *neminem laede*, eſt fruſtraneum; neceſſaria ergo eſt reſtitutio.

§. 5.

Quam ergo regulam de reſarciendo damno antea probauimus, ea iam quoque explicanda erit, quod ſit, dum auctor oſtendit, *quid ſit damnum*, §. 5-7. *quo modo illud reſarciendum*, §. 8. *ſeqq.*

DAMNVM in iure Romano accipitur pro deminutione patrimonii; hinc quidquid non recipit certam aeſtimationem, non vindicatur lege Aquillia. Poſſum quidem agere ſerui vel ancillae occiſae nomine, itemque ob pecudem, quadrupedem, omniaque quae in patrimonio ſunt corrupta, ſed agere non poſſum ex ea lege ob damnum inaeſtimabile; ergo *damnum* ex iure Romano eſt quaelibet deminutio patrimonii noſtri ab altero iniuria facta.

At in iure naturae latius accipitur vocabulum, comprehenditque omnem rei perfecto iure ad nos pertinentis corruptionem, deminutionemque nullo iure factam. Dicimus,

Rei perfecto iure ad nos pertinentis.) Nam ſi quis intercipit, vel interuertit, quod nobis iure perfecto non debetur, non videtur damnum feciſſe; e. g. ſi quis nobiſcum ambit officium idem publicum, et illud accipit, nos vero repulſam ferimus:

Nullo iure facta.) Nam qui ſuo iure vtitur, nemini facit iniuriam; hinc damnum nobis datum vindicare non poſſumus, ſi quis hortum ſuum in horreum conuertit, atque ita indirecte ſubtrahit flores apibus vicini; iure enim ſuo vſus eſt.

Ceterum hoc damnum *varii generis* eſt, tum *ratione* NOCENTIS; dum enim vel datur *dolo malo*, i. e. ex propoſito nocendi, e. g. ſi quis lapidem in praetereuntem proiecerit; *culpa*, id eſt, ex negligentia et ſupina inaduertentia, e. g. ſi propoſitum quidem non habet, lapide aliquem feriendi, at lapidem tamen e feneſtra mittit interdiu in locum, vbi vulgo iter fit, et aliquem percutit; *caſu*, ſi nec propoſitum, nec culpa concurrit, ſed ſola prouidentia diuina, cui reſiſti non poteſt, e. g. ſi tegula ex tecto noſtro defluit.

Deinde damnum conſiſtit *ratione obiecti* 1. partim in negatione eius, quod nobis iure perfecto debetur, e. g. ſi quis cui dene-

gat alimenta debita, fructus rerum ſuarum, vſuras, ſortem; 2. partim in illatione detrimenti poſitiua, de qua §. *ſequ.*

§. 6.

Damnum nobis *poſitiue* datur, quoties quidquam, quod iure perfecto noſtrum eſt, laeditur, ſiue aeſtimabile ſit, ſiue inaeſtimabile, v. c. ſi laeditur *animus*; e. g. ſcandalum; ita diabolus maximum damnum intulit protoplaſtis, dum iis perſuaſit eſum fructus vetiti; *corpus*, e. g. vulnerando, mutilando; *libertas*, e. g. dum Ioſephus a fratribus venditus; *res noſtrae*, e. g. dum incenduntur aedes, fruges, arbores furtim caeduntur, ſiue fructus iam percepti, ſiue percipiendi ſint, e. g. ſi quis fructus immaturos deſecet, vel arboribus excutiat; *fama*, per calumnias, iniuriam; et quidem hic non modo ad factum reſpicitur, ſed ad effectum ſeu conſequentiam, e. g. Ariarathes a Romanis 30. talentis multatus, quod obſtructo Euphrate occaſionem dederat, vt Cappadocia inundaretur. STRABO, *libr. XII.*

§. 7.

Denique *damnum* quis dat vel

1. *Per ſe*, ſi ipſe actu phyſico ad id facinus concurrit, e. g. ſi quis ipſe fruges noſtras deſecet;

2. *Per alios*, quoties actu phyſico quidem non concurrit, ſed tamen ſimul cauſſa moralis eſt a) *per iuſſum*, *conſenſum*, *patientiam*, e. g. ſi paterfamilias filium quid iubet facere, vel id facturo permittit, vel praeſens id fieri patitur; b) *per participationem*, ſi partem lucri ſibi capit, e. g. aliquis occaſionem alteri furandi oſtendit, ſibique dimidium furti ſtipulatur.

Quaeritur, *an et iſte ad reſarciendum damnum obligatus ſit, qui ex poſt facto demum conſentit*; e. g. laudando facinus, vel illud ratum habendo? Reſp. negando; obligatio enim reſarciendi damnum, ex duplici fundamento eſt, 1. quia aliquis eſt cauſſa damni, 2. quia particeps eſt lucri; nemo enim debet cum alterius damno locupletior fieri. Aſt qui ex poſt facto demum conſentit, is nec cauſſa eſt, nec lucri factus particeps; ergo nec obligatus eſt ad reſarciendum damnum.

Alia quaeſtio eſt, *an non hoc peccatum ſit, et poena dignum?* id vero nemo negauerit; nemo enim ſine peccato approbabit alterius peccatum; et nouimus, quam grauiter Deus animaduerterit in Eli, pon-

pontificem maximum Iudaeorum, qui ſane nec auctor fuerat filiis, vt ſpoliarent ſacrificantes, nec eius lucri factus fuerat particeps, ſed tamen eos non caſtigarat, quum fama eorum ſcelera annunciaret.

Et ita facile intelligimus locum CICERONIS ex *Philipp. II. quid intereſt inter ſuaſorem facti, et probatorem? aut quid refert, vti voluerim fieri, an gaudeam factum?* id enim verum eſt, ſi de peccato quaeritur, non ſi de damni reſtitutione.

§. 8.

Hactenus de damno, quod reſarciendum, iam regulae ipſae de damno reſarciendo:

I. Qui eſt cauſſa principalis, primo loco tenetur.

Ad poenam omnes tenentur, etiam, qui cauſſa minus principalis fuit; ſed ad reſtitutionem damni cauſſa principalis, altera non niſi in ſubſidium; e. g. ſi pater iuſſit arbores caedere, filius paruit.

II. Plures vna damnum dantes tenentur in ſolidum, vno vero ſoluente reliqui liberantur.

Ratio, quia laeſo nihil debetur, quam quod amiſit, hoc ſi ſemel recepit, plura fruſtra petit. Quod aliter ſe habet in poena, quam ſinguli debent, qui peccarunt, adeoque vno ſoluente, reliqui non liberantur. Diſtinguit auctor, an plures per conſpirationem, an citra conſpirationem vnum idemque facinus perpetrarent, additque, priore caſu omnes ſoluere debere pro ſingulis, et ſingulos pro omnibus. Sed ad id et illi obſtricti ſunt, qui citra conſpirationem damnum dederunt, adeoque hactenus nihil eſt differentiae; alia vero obſeruanda regula:

III. Si plures citra conſpirationem damnum dederunt, tunc aut diuiduum eſt factum, aut indiuiduum.

Si prius, quiſque damnum a ſe datum penſat, e. g. Titius fores perfregit, Maeuius feneſtras, Sempronius fornacem, ſpeculum, menſas, cet. ſin poſterius, ſinguli tenentur in ſolidum, ita tamen, vt vno ſoluente, reliqui liberentur, e. g. ſi quatuor fregerint noctu feneſtras, adcurate diſtingui non poteſt, quot orbes vel rhombos quiſque perfregerit, adeoque actus eſt indiuiduus. Idem obſeruandum, ſi plures citra conſpirationem hominem vulnerauerint, vnus gladio, alter fuſte, tertius ſclopeto vſus; tunc vulnera facile diſtinguuntur; ſecus, ſi ſinguli iiſdem armis vſi ſint.

§. 9. 10.

§. 9. 10.

Sed quum ſupra oſtenderimus, non ſolum dolo, ſed et culpa, et caſu damnum dari poſſe, de his quoque obſeruandae regulae:

IIII. Qui culpa ſua, ſiue lata, ſiue leui, ſiue leuiſſima damnum dedit, ad reſtitutionem tenetur.

Eſt enim et is cauſſa damni.

Quaeritur, *an haec diſtinctio culpae ſolida ſit?* reiecerunt eam aliqui, tamquam ſomnium ICtorum, et quidem vel ideo maxime, quod culpa menſuram non capiat. Sed reſp. vel ideo tres fiunt gradus, quia menſuram non recipit. Vid. Titii *Obſeru.* 164. Omnes res morales habent duo extrema, et medium inter extrema; e. g. vnum extremum eſt primo negligentia nimis ſupina, qualis diſſolutorum hominum; alterum eſt nimia et miſera diligentia, qualis eſt Eucliq-num; tertium media inter haec extrema eſt diligentia, qualis eſt patrumfamilias frugalium; ergo eſt triplex culpa.

Ceterum & culpa ſua datum damnum reſarcire debet, 1. ſi lex prohibet eiuſmodi damnum; 2. ſi obſtrictus ſit ad diligentiam; ergo non tenetur, qui in vicinia audiens ſtrepitum lecto non ſurrexit, adeoque furtum non prohibuit; 3. ſi laeſus vel directe, vel indirecte non conſenſerit; indirecte conſentit, qui ipſe tale quid agit, ex quo damnum conſequi neceſſe eſt, e. g. pugnam moues, et plagam accipis. Huc pertinet caſus Henrici II. Galliae regis, qui ad pugnam equeſtrem prouocans Comitem de Montgomery periit in illo haſtiludio. Thvanvs, *libr. XXII. ad annum* 1559. 4. Si damnum culpa datur in magna animi perturbatione, quae omnem diligentiam excludit, reſtitutio peti non poteſt, niſi culpa praeceſſerit; e. g. iniuſte quis alterum adgreditur in alieno cubiculo, hic ſe defendit, et inter pugnandum frangit ſpeculum aliquod pretioſum; hic nulla praecedente culpa ad reſarciendum damnum non tenetur; ſin ipſe, qui ſpeculum confregit, pugnam mouerit, ob culpam antecedentem tenetur; ſupra enim diximus, obligationem ad reſarciendum damnum oriri vel ex eo, quod quis cauſſa fuerit, vel particeps factus ſit lucri; neutrum adeſt priore caſu. Elegans exemplum apud Aelianvm, *Hiſtor. var. III.* 44. adoleſcentis, qui ſocium defenſurus in ipſum ſocium enſem impulit; conſultum ea de re oraculum reſpondit:

Defendens ſocium, verſo mucrone, necaſti:
Adiutans ſocium perimis; nil polluit iſta.

Purior,

Purior es, manibus nunc, quam prius eſſe ſolebas.
Te caedes, manibus mage purum, ac ante ſolebas.

V. Damnum caſu datum nemo reparat, quia cauſſa non eſt. Addunt quidem nonnulli limitationem, *niſi culpa accedat*; ſed haec ridicula; culpa enim accedente non amplius eſt caſus.

§. 11.

Paragraphis inſequentibus auctor agit tum *de noxali actione §. 11.* tum *de actione, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur §. 12.* Quum enim ſupra monuiſſet, damnum dare quem poſſe vel per ſe, vel per alium; ad hunc pertinet quaeſtio: *quid iuris ſit, ſi ſeruus animalue noſtrum alterum laeſerit.*

Hoc caſu iure Romano agere poſſumus aduerſus dominum, vt damnum reſarciat, aut ſeruum noxae det, quod etiam eo caſu obtinebat, ſi filius familias nocuiſſet, §. *vlt. Inſt. de noxal. act.*

Iam quaerit auctor, *an hoc iuris naturae ſit?* idque affirmat, quia ſeruus naturaliter debeat damnum reſarcire, et tamen nihil habeat proprii; hinc dominum aut pro eo ſoluere debere, aut corpus noxae dare.

Titius, *Obſ.* 169. aliter rem explicat; ſeruus, inquit, ſi dominum non haberet, a me poſſet occupari pro damno, quod reſarcire non poteſt; at dominus non potuit conſtitui in praeiudicium noſtrum; ergo etiam occupari poteſt; aut, ſi dominus id nolit: pro eo ſoluat oportet.

Sed fruſtraneae ſunt illae ratiocinationes; ſi enim quaeritur, *an noxales actiones ſint iuris naturae praeceptiui?* id quiſque negauerit; hinc et apud multas gentes non in vſu fuerunt actiones noxales: ſin de iure naturae permiſſiuo dicitur, et quaeritur, concedimus id permittere, vt ſerui delinquentes noxae dentur, ſed non ob rationes adhuc allatas; verum ideo, quia dominus omnem vtilitatem ex ſeruo capit, adeoque merito et incommodum fert, ac proinde aut pro eo ſoluat, aut eum noxae det.

Ceterum diſtinguendi caſus, 1. ſi dominus inſtigauit, ipſe directe tenetur; 2. ſi tertius inſtigauit, hic itidem directe tenetur; 3. ſi ipſe laeſus ſeruum incitauit, ſatisfactio plane ceſſat; ideoque vnus ſupermanet caſus, 4. ſi ſeruus proprio motu alicui nocuerit.

§. 12.

Iam ergo facillime etiam deciditur quaeſtio *de animalium pauperie*; totam hanc quaeſtionem ex iure Romano eſſe, argumento eſt, 1. quod diſtinguatur iure illo, ſitne quadrupes pecus, nec ne? 2. quod quaeratur, an contra naturam ſui generis nocuerit? 3. quod non omnes gentes id ius receperint. Hebraei eius modi animal lapidibus obruebant; Saxones expelli iubent a domino, aut noxam ſarciri, GROT. *de iur. bell. et pac. II.* 17. 21. Interim facile largimur, non repugnare hanc diſpoſitionem iuri naturae, ob eamdem rationem, quam paragrapho ſuperiore oſtendimus, adeoque eſſe iuris naturae permiſſiui.

Ceterum iidem caſus diſtinguendi, quos ſuperiore paragrapho recenſuimus; nec hoc ius pertinet ad caſus, ſi 1. vel dominus, 2. tertius, vel 3. ipſe laeſus animal irritarit, ſed 4. eo tantum caſu datur actio de pauperie, ſi animal motu proprio damnum dederit, e. g. ſi bos cornu petierit, equus calce quem percuſſerit, cet.

§. 13.

Denique diſquirit auctor, *quouſque quis ad damnum reſarciendum teneatur?* Reſp. 1. ſi damnum eſt aeſtimabile, tantum praeſtandum, quantum nocitum; e. g. ſi quis abſtulit centum, centum reſtituit: 2. ſi damnum eſt inaeſtimabile, tantum reſtituit, quantum poteſt; e. g. ſi quis vulnerauit hominem, vel manu mutilauit, non poteſt quidem manum reddere, ſed tamen ſoluet ſoſtrum, operas ceſſantes. In Germania etiam pro dolore aliquid adiudicatur. 3. Damnum non reſarciendum cum propoſito nocendi; e. g. Nicephorus Imperator abduxerat Zoen, alienam vxorem, pro eaque offerebat marito praedia pinguiſſima; id abſurdum; ita enim continuatur damnum; ergo omni momento noua debetur ſatisfactio; 4. laedentem ergo debet poenitere, et facti veniam petere, ſi ex malitia damnum datum; contra 5. laeſum ad id promtum eſſe ac paratum; alias enim damnum reſarciretur cum propoſito peccandi contra regulam tertiam. TITIVS quidem putat, hoc generoſitatis tantum eſſe, ſed non iuris praeceptiui, ac proinde in foro humano non obſeruari: ſed erroris is fons eſt, quod putat, ius naturae tantum dirigere actiones externas, ad interiora non pertinere; quod et PVFENDORFFIVS ſtatuit in *praefat.*

Sed id falſiſſimum ſequentes ob rationes. 1. Auctor iuris naturae

turae eſt Deus, qui non reſpicit ad externa tantum, ſed ad animum praecipue; 2. principium eſt amor, qui in corde reſidet, non ſolum verbis, ſed et actionibus ſeſe exſerit; 3. quia ipſi gentiles agnouerunt, per ſolas actiones externas iuri naturae non ſatisfieri, ſed Deo eſſe offerendum:

Compoſitum ius, faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, et incoctum generoſo pectus honeſto.

Hoc nomine libellum Pufendorffianum reprehendit inprimis LEIBNITIVS in *Epiſt. ad virum* quemdam *doctum*, edita a BOEHMER. in *Programmat. III. diſputat. Pufendorff. praemiſſ. pag.* 44.

CAPVT VII.

DE AGNOSCENDA NATVRALI HOMINVM AEQVALITATE.

§. 1.

QVemadmodum infimus gradus amoris erga proximum eſt, *neminem laedere*: ita proximus eſt, ſi alios homines nobis aequales agnoſcamus.

Eſſe hoc praeceptum iuris naturae, facile probatur; eius principium ſi ſtatuamus 1. ſocietatem humanam; inter ſocios ſane eſt aequalitas, habent enim communem finem; 2. ſin amorem pro fundamento ponimus, is aut venerationis eſt, aut beneuolentiae, aut amicitiae: non venerationis, quia homo ab homine non pendet; nec beneuolentiae, ob eamdem rationem; ergo amicitiae; is vero ſemper ponit aequalitatem; 3. hoc etiam ita cordi inſcriptum obſeruat auctor, vt ſtatim homo laeſus conqueratur: vtique non canis ſum, ſed aeque homo, ac tu.

Iam diſpiciendum, 1. *qua in re conſiſtat ea aequalitas?* §. 2. 2. *quae officia inde conſequantur* §. 3. ad fin.

§. 2.

Sed iam explicanda vlterius haec aequalitas: videmus, *ſtatum hominis* duplicem eſſe; alterum 1. *naturalem*, in quo natura viui-

mus, quemque non primum elegimus; 2. *aduentitium*, quem ipſi adoptauimus, vel qui per legem, aut per pactum nobis eſt impoſitus; e. g. coniugalem, herilem, ciuilem. In poſteriore maxima eſt inaequalitas; maritus e. g. ſuperior eſt vxore, herus ſeruo, imperans ciue: quin inter ciues magna differentia et inaequalitas, e. g. alii nobiles, alii plebeii.

Iam facile patet, nos de poſteriore non loqui, ſed de priore; vnde et in rubrica additum: *de naturali hominum aequalitate agnoſcenda*. Probandum ergo, talem aequalitatem inter homines eſſe; auctor ſubleſta habet argumenta, 1. *ob aequalitatem virium*; ſed hoc non eſt aequalitatis fundamentum; alias et bruta quaedam pro aequalibus agnoſcere tenerer, quae eſt philoſophia HOBBESII, *de ciue, I. 3.* 2. *ab inaequalitate dotium naturae et fortunae*; ſed non ſequitur, homines intuitu harum ſunt inaequales, ergo quoad reliqua aequales; 3. *ab obligationis aequalitate*; ego volo viuere ſocialiter, alii id etiam volunt; ergo ſumus aequales; nam a) eſt circulus; obligationis enim illius et fundamentum, et effectum ſtatuit aequalitatem; b) probat hoc quidem aequalitatem voluntatis, non vero naturae.

Hinc praecipua argumenta ſunt; 1. quia eaedem omnium hominum partes eſſentiales; 2. eadem omnium origo; 3. eaedem infirmitates; 4. eadem fata; omnes orimur, morimur; 5. ſi iungimus hiſtoriam, etiam ex eadem nos omnes maſſa eſſe cognoſcimus, adeoque cognatos, quod et Stoici, et ICti pagani agnouerunt. *L. 4. D. de iuſtit. et iur.*

§. 3.

Iam 2. de officiis, quae ex hac naturali aequalitate fluunt:

I. Qui alios ſibi vtiles fieri cupiunt, et iis viciſſim vtiles eſſe ſtudeant.

Aequalium enim aequalis obligatio eſt, agimus enim hic de officiis perfectis; eorum haec natura eſt, vt retributionem exigant, quum imperfecta non perfecte obligent ad retributionem, ſed ad gratitudinem; e. g. non ideo ab altero exigo eleemoſynam, quia ipſe dedi, ſed gratitudinem tantum: attamen et retributio non ſemper exigit identitatem, ſed aequalitatem; e. g. ſi faber aedificat aedes meas, non ideo teneor aedificare aedes fabri.

II. Nemo in pari cauſſa ſibi debet praecipuum vindicare.

Aequalium enim aequalis eſt dignitas, aequale ius; hinc e. g.

ex

ex duobus fratribus neuter poteſt plus ex hereditate paterna petere. Interim hoc mutari poteſt per leges ciuiles, quae ſaepe rei publicae cauſſa inaequalitatem inter homines introducunt, qui alias natura aequales ſunt ; aliquando et ipſi homines pacto aequalitatem tollunt; e. g. legibus Danicis cautum, vt fratres prae ſororibus accipiant duplicem portionem hereditatis; in familiis Principum introductum ius primogeniturae.

§. 4.

Maxime in rebus indiuiduis alicui quaedam praerogatiua concedi ſolet; quamuis enim certiſſima ſit regula:

III. Inter aequales res aequaliter diſtribuenda eſt, propter regulam 2.

Haec tamen regula patitur exceptionem in rebus indiuiduis, quae vel α) communes ſunt et manent; ſic inter Duces Brunſuicenſes communes ſunt aliquot metallifodinae, ſyluae, academia Iulia; in domo Saxonica, archiuum; in linea Erneſtina, academia Ienenſis; β) alternatiue conceduntur, apud Heluetios *die Bevoigtigung der Italieniſchen vnd anderer conquetirten Lænder*; γ) res ſorte diuidendae.

§. 5.

Haec officiorum praeſtatio conſtituit certam virtutem, *generoſitatem*; eorumque omiſſio incidit in vitium, quod *ſuperbia* vocatur. Auctor prius agit de vitio, tum de virtute, contra naturam bonae methodi; virtutem enim prius cognoſcere debemus, quam cognoſcamus vitium, quippe quod in declinatione a virtute conſiſtit. Sequor tamen ordinem auctoris; quia Deus vult, vt vera bona ſectemur ac amemus, omnes res iuſto pretio aeſtimandae ſunt; quumque et nos amare teneamur, ſequitur, vt et nos iuſto pretio aeſtimemus, id ſi facimus, generoſi vocamur; eſt ergo *generoſitas* iuſta ſui aeſtimatio; huic opponitur *ſuperbia*, quae eſt iniuſta et immodica ſui aeſtimatio; haec ſeſe exſerit, α) in arrogantia, ſi quis ſe ſine ratione aliis praefert, et de facultatibus ſuis amplius, quam in iis eſt, ſperat; β) ſi imperium in aequales affectat; γ) ſi ex hac imperandi cupiditate ſeſe immiſcet rebus alienis. Caeſareo-papatus; δ) ſi omnes alios contemnit, eorum dotes ac merita deprimit, ſolum ſe ſapere putans, ceteros volitare velut vmbras. Characteres ſuperborum ſunt, 1. quod omnium odium in-

currant; 2. quod ſemper ſtultitiam prodant; omnis enim ſuperbus eſt ſtultus, et omnis ſtultus eſt ſuperbus; 3. quod litigioſi et iniurii in alios.

§. 6.

Hinc facile intelligitur, qualem ſe gerat; quales characteres prae ſe ferat *generoſus*; 1. nullam enim praerogatiuam iniuſte prae aliis affectat; 2. veram praerogatiuam in virtute ponit, et hac ſola prae aequalibus excellere ſtudet. Hinc notanda Athenienſium inſania, qui ne eos quidem in ciuitate ferebant, qui virtute excellebant, eoſque oſtraciſmo vrbe expellebant; 3. fortuna ac ſorte ſua contentus, ſpartam, quam nactus eſt, ornare laborat. Hinc elegans Epaminondae dictum, qui quum Demarchus fieret, idque officium parum aeſtimaretur, ſeſe operam daturum dixit, vt hoc in poſterum honorabilius habeatur; 4. vt nihil agat, ſtatu ſuo indignum, neminem contemnat, neminem iniuria adficiat, nemini aduletur: at omnes beneficiis ſibi deuincire ſtudeat; 5. vt aliorum iniquitatem generoſo contemtu vindicet. Exemplum generoſi principis oſtendere voluit XENOPHON in *Cyropaedia*, cuius auctoris finis et ſcopus oſtenditur.

CAPVT VIII.

DE PROMISCVIS OFFICIIS HVMANITATIS.

§. 1.

DIximus adhuc de officiis abſolutis perfectis; ſequuntur IMPERFECTA, quae quidem etiam, vt ſupra diximus, debentur, ſed coactionem tamen minime admittunt.

Ea differunt a perfectis multifariam: nam 1. perfecta poſſunt eſſe vel affirmatiua, vel negatiua; e. g. neminem laede, alios aequales agnoſce. Imperfecta omnia adfirmatiua ſunt; 2. perfecta ſunt ex lege proprie ſic dicta; imperfecta ex virtute; 3. ad illa quis poteſt cogi, ad haec non poteſt; 4. qui illa non praeſtat, eſt iniuſtus, qui haec denegat, inhumanus vocatur; 5. illa ſemper ſunt mutua et reciproca; haec non ſunt ſemper; ſic princeps dat beneficia, ſed talia non exſpectat.

Fluere

Fluere haec officia ex principio iuris naturae, ita demonſtramus; ex fine Dei tenemur ad amorem proximi; quem amamus, eius commoda pro virili promouere ſtudemus; in commodis alienis promouendis conſiſtunt officia humanitatis; ſumus ergo ad ea ex fine Dei obligati.

Vnum addimus: ex officiis imperfectis aliquando fieri poſſe perfecta; 1. ſi caſus neceſſitatis incidat; 2. ſi in ſtatu ciuili Imperantes talia officia legibus praecipiant.

Ceterum ea vel a) INDEFINITA ſunt, quae reſpectu ad certam perſonam promiſcue omnibus praeſtantur, aut offeruntur ſaltim, §. 2. 3. b) DEFINITA, quae tantum certis perſonis, earumque intuitu praeſtamus, eaque 1. vel *ſine detrimento*, quae vocantur officia innoxiae vtilitatis, §. 4. 2. vel *cum detrimento* quodam exhibentur, §. 5. *ad fin.*

§. 2.

Officia humanitatis in eo conſiſtunt, quod *quilibet teneatur operam dare, vt publico proſit.* Quum enim 1. alios amare debeamus tamquam nos ipſos, nos vero nobis modis omnibus prodeſſe ſtudeamus, noſtrum quoque eſt, aliis prodeſſe. 2. In philoſophia morali demonſtratur, bonum communionis praeferendum eſſe bono proprio: bonum communionis eſt, quod toti humano generi, vel multis prodeſt; ergo id bono proprio praeferendum, ad illudque ſumus obligati.

Peccant ergo contra hoc officium 1. qui data opera obbruteſcunt, et nec corpus, nec animam excolunt, qua de re ſupra *cap.* 4. diximus; 2. qui nullum vitae genus eligunt, aut 3. ſi elegerunt, otio torpent, genioque indulgent. Hos recte SALLVST. *Bell. Catilin. cap.* 1. *vitam tranſigere*, ait, *veluti pecora.* Obiiciunt, *ſe opibus ſatis inſtructos eſſe, vt non neceſſe ſit aliquo officio vel opificio victum parare?* Reſp. non nobis ſolis nati ſumus, ſed et proximo; non ſolos nos amare tenemur, ſed et proximum tamquam nos ipſos; 4. qui vitae genus quidem eligunt, ſed turpe, et humano generi noxium, veluti fures, raptores, ludiones, cet. Hinc recte Aegyptii quotannis explorabant, vnde quiſque viueret, eumque mulctabant, qui hoc indicare non poſſet. DIOD. SICVL. I. 77.

§. 3.

§. 3.

Iam ad officia *indefinita*: haec auctor ex ſuperioribus elicit; ſi enim publico prodeſſe teneamur, alii quoque tenentur nos profuturos non impedire, hinc regula:

Nemo alios humano generi profuturos impediat.

At obſeruandum tamen, vere vtile eſſe debere inſtitutum, ad quod pertinet regula hactenus explicata, adeoque praetendere neminem poſſe, 1. vt promoueamus inſtituta manifeſto noxia, e. g. furta, ſeditiones; 2. vt inſtituta dubii vſus promoueamus; e. g. alchymiam. Vid. BVDDEI *Diſſ. an alchymiſtae in re-publica ſint tolerandi.*

Peccant homines contra hanc regulam ſaepius: α) *ex ſuperſtitione*; ſi multi alios vtiliſſimas doctrinas propoſituros impediunt, quia eas putant religioni contrarias; id priusquam liquido demonſtrari poſſit, neminem mouere decet. Exemplum PVFENDORFFII; eadem obiecta ſunt ipſi Seruatori; β) *ex ignorantia*; damnant doctrinam, quia non intelligunt, ac proinde anguem in herba latitare putant; ſic Profeſſor quidam refutare volebat Galilaeum a Galilaeis, cuius ipſe librum numquam viderat; 3. *ex inuidia*; nihil enim ferre poſſunt, quo alii prae ſe excellant; ita inuidia ſophiſtarum Socratem oppreſſit; 4. *ex auaritia*, quae cum inuidia coniuncta; elegans exemplum Demetrii.

§. 4.

Haec officia indefinita; ſequuntur DEFINITA, et primo ea quidem, quae ſine detrimento praeſtantur, vocanturque ideo officia innoxiae vtilitatis; de his auctor tradit regulam:

Ille ſumme inhumanus eſt, qui alteri denegat officia, quae ſine vllo detrimento praeſtantur.

Quum enim aliis prodeſſe teneamur, etiam cum detrimento ex lege amoris, quanto magis ſine detrimento? Vnde etiam Doctores inculcare ſolent axioma: *Quod tibi non nocet, et alteri prodeſt, ad id es obligatus*; e. g. lumen a tuo lumine accendere pati; erranti monſtrare viam; ſalutantem comiter reſalutare.

Ex eo ſequitur, 1. inutilia rei publicae membra eſſe, qui haec denegant officia; quid enim ſperare poſſum ab iis, qui mihi ne quidem ſine detrimento prodeſſe volunt? 2. non eſſe perdenda, quibus ipſi non indigemus; e. g. ſi quis proiiceret in flumen, quod

quod prodeſſe adhuc pauperibus poſſet; 3. non eſſe occultanda, quae nobis non proſunt, et aliis prodeſſe poſſint; abſurditas heredum Ariſtotelis, qui defodiebant eius bibliothecam, ne Attalus eam peteret; tales ſunt ſimiles cani incumbenti paleae, et alios eius vſu prohibenti.

Sed addendum, hanc regulam tantum valere 1. in ſtatu ordinario, et in pace; nam hoſtis ab hoſte eius modi officia poſcere non poteſt, quia ita nobis non forent innoxia, e. g. hoſtis potius flammis abſumet commeatum, et tormenta perdet, quam vt ea relinquat hoſti; 2. ſi ipſe eius modi rebus non indigeam; e. g. alios aquam patior ex puteo meo haurire; at ſi ea eſſet aquae penuria, vt ipſe indigeam, merito alios putei vſu excluderem; teneor enim alios amare tamquam me ipſum, non magis quam me ipſum.

Hinc facile iudicari poteſt de officiis humanitatis inter gentes, quae nimis extendit GROTIVS.

Sic *libr. I. cap.* 2. *§.* 13. quaerit, *an gens genti teneatur tranſitum per territorium ſuum concedere?* idque affirmat, ſi iuſta cauſſa adſit, quarum tres recenſet: a) ſi populus expulſus regione ſedes nouas quaerit; b) ſi gens cum gente extera commercia velit inſtituere; c) ſi iuſtam bellandi cauſſam habeat, et aliter ad hoſtem peruenire non poſſit, quam terras noſtras tranſeundo. Sed raro eius modi tranſitus eſt innoxius, non modo ob periculum a tranſeuntibus imminens, ſed et ob tertium, qui hoc ipſo laeditur. Hinc primo et ſecundo caſu diſtinguendum, vtrum imbelles tranſire vellent, 1. an armati, e. g. olim Cimbri; 2. an ius quaeſitum habeamus, nec ne. Tertio caſu vero numquam fere innoxius eſt tranſitus, quia eumdem etiam hoſti denegare non poſſumus, et proſtratis tranſeuntibus hoſtis vltionem capiet; quid Holſatiae contigerit, adhuc in recenti memoria eſt.

Tales etiam ſunt reliquae quaeſtiones a GROTIO motae, *an merces extraneas per territorium noſtrum duci pati debeamus? an teneamur ſuſcipere aduenas? an mercibus tranſituris vectigalia imponere poſſimus?* ſemper enim diſpiciendum, an eius modi officia vere ſint innoxia.

§. 5.

Haec de officiis, quae ſine noſtro detrimento praeſtantur: proxima ſunt, quae ſine detrimento aliquo praeſtari nequeunt; talia ſunt *Beneficentia* §. 5. *Gratitudo* §. 6-8.

Beneficentia eſt virtus, qua opis noſtrae indigis beneficia cum ratione adhibemus.

Per *beneficia* autem intelligimus quaeuis commoda, quae alteri ſine ſpe reſtitutionis praeſtantur. Itaque

1. Beneficia debent ex virtute proficiſci; ergo beneficia ex prodigalitate, ambitione, aliiſque eius modi cauſſis exhibita, id nomen non merentur.

2. Beneficia debent praeſtari indigis; ergo hamata ſunt, quae opulentis exhibentur. Alexandro Corinthii ius ciuitatis donabant; ridebat Alexander beneficium; tunc legati: atqui hoc nemini dedimus, praeterquam Herculi, et tibi. SENEC. *de benef. I.* 13.

3. Non ergo ſunt beneficia, quae cum alterius indigentia non conueniunt; ita beneficium non foret, ſi quis ad furcam damnato nobilitatem, famelico gemmam, ſiti exareſcenti veſtem pretioſam offerret. Hinc ex hoc quoque capite abſurdum erat, Corinthios offerre Regi ius ciuitatis; beneficia praeſtanda cum ratione. Itaque

4. Inter pariter indigos parentes cognatis, hi extraneis, inter hos amici aliis praeferendi. Ita Aeneas patrem ex Troia exportabat humeris, quamuis plures procul dubio ea ope indiguiſſent.

5. Si indigni petant beneficium, ii quidem non praeferendi dignioribus: at nec ſic plane deſerendi, modo noſtris beneficiis eos non reddamus deteriores. Abſurdum eſſet, homini bibaci donare cupam vini. Eleganter philoſophus apud DIOG. LAERTIVM, *libr. V.* reprehenſus, quod homini improbo ſtipem dederit; *non mores*, inquit, *ſed hominem miſeratus ſum.*

6. Beneficia debent alteri commodum praebere; quidam ſeruatus a Caeſaris amico inter proſcriptos, at deinde perpetuo circumductus oſtentationis cauſſa: *nihil tibi*, inquit, *debeo*, *ſi ſeruaſti, vt haberes, quem oſtenderes.* SENEC. *de benefic. II.* 3.

7. Non debent beneficia, quae proximo praeſtantur, facultates noſtras ſuperare. PLIN. *Panegyr. cap.* 38. *profuſio, et quidquid potius, quam liberalitas eſt, cui ratio non conſtat.*

8. Quum beneficia ſine ſpe reſtitutionis praeſtanda ſint; pro beneficiis non habentur hamata, captationes. THOMAS. *de iniuſto iure heredipedarum.*

9. Beneficia praeſtanda animo hilari, beneuolo, celeri; bis dat, qui cito dat, nec beneficium reputabitur aureus in oculum proiectus.

§. 6.

§. 6.

Alterum officium, quod cum detrimento aliquo coniunctum, eſt ex mente auctoris GRATITVDO. Sed id non ſemper verum.

Gratitudo eſt virtus, qua is, qui beneficia accepit, benefactori fauet, eique quauis occaſione paria reddere ſtudet. Ergo 1. praeſtatur *animo*; quando benefactorem amamus, eique paria reddere ſtudemus, quamuis non ſemper ſit occaſio; et hoc fit ſine detrimento noſtro; 2. *verbis*; quando benefactorem laudamus, eius beneficia celebramus, gratias agimus; id quoque ſine detrimento praeſtamus; 3. *re ipſa*; quando gratias referimus, quin cum foenore; et de hoc dici poteſt, quod ſine detrimento aliquo praeſtari non poſſit. Sic gratus erat Ariſtoteles, quando Nicomachi, a quo educatus erat, filium iterum inſtituit.

Ex definitione vero patet, 1. gratitudinem praeſupponere beneficia, adeoque illum fruſtra praetendere gratitudinem, qui quid facit, vt aegre alicui faceret; e. g. fratres Ioſephi non poterant poſtulare, vt Ioſephus ſibi gratiam referret, quia cauſſa fuerint, cur factus ſit pro-rex Aegypti. PHAEDR. *Fabul. I.* 23. 2. gratitudinem non requirere identitatem beneficiorum, ſed qualiacumque praeſtari poſſunt, alias non eſſet beneficium, ſed creditum; non gratitudo, ſed retributio.

§. 7.

Iam facile demonſtratur, obſtrictum eſſe vnumquemque ad hoc officium: nam 1. amantem debemus redamare; ille eſt hominum inhumaniſſimus, qui ne beneficiis quidem conciliari poteſt; 2. is, qui nobis bene facit, intentionem habet, ſibi nos conciliandi; ego; dum accipio, conſentio in hanc intentionem benefactoris; teneor ergo re ipſa oſtendere, me illi conciliatum eſſe; 3. ab abſurdo; ſi nulla ad gratitudinem obligatio eſt, ius naturae me iuberet proiicere et temere iactare meum, quod abſurdum; 4. quin et effectus admodum triſtis futurus eſſet, ſi nulla eſſet ad gratitudinem obligatio; quis enim tam ſtolidus eſſet, vt alicui benefaceret? ceſſaret itaque beneficentia inter homines.

§. 8.

Gratitudo opponitur INGRATITVDINI, quae eſt vitium, quo quis beneficia male rependit; id fit dupliciter: *negatiue*, quando bene-

factori non benefacimus; ea vocatur SIMPLEX; 2. *poſitiue*, quando ei quaſuis iniurias exhibemus, et haec dicitur ATROX, vel PRAEGNANS: Ciceronem occidebat miles, quem in cauſſa criminali defenderat. Prior ingratitudo repugnat virtuti, poſterior ipſis legibus. Quum enim nemini ſit aegre faciendum, nemo laedendus: dupliciter procul dubio peccat, qui benefactorem laedit.

Hinc facile ſoluuntur quaeſtiones: 1. *An ingratitudo ſit iniuſtitia?* Reſpondet auctor, in animo ingrato in ſe nulla eſt iniuria; ratio eius eſt, quia ad eam nemo perfecte obligatur; praeſtantur enim beneficia ſine ſpe retributionis; ſed tamen diſtingue inter ſimplicem et atrocem vel praegnantem; haec omnino iuſtitiae repugnat, quia repugnaret, ſi etiam alii, qui nobis nihil boni praeſtitit, aegre faceremus. Accedit, quod erga quaſdam perſonas etiam leges gratitudinem praecipiant, e. g. erga parentes, patronos; iniuſtus vero eſt, qui legibus non paret.

2. *An detur actio ingrati?* Multis hanc quaſtionem tractant SENEC. *de benef. VII.* BOECLER. *de actione ingrati.* Idque plerique negant; ergo diſtingue denuo ingratitudinem ſimplicem, et atrocem: illa non dabit actionem, quia eſt officium imperfectum, gratum eſſe; haec dabit, maxime ſi legibus praecepta. Sic e. g. leges ciuiles dant actionem aduerſus liberos alimenta denegantes; ea eſt ex ingratitudine; eaedem dant actionem aduerſus libertum ingratum, vt reuocetur in ſeruitutem. Quin et ſimplex, ſi legibus praecepta, dat actionem, e. g. ſi quis patrem ſenem et indigum domum ſuam recipere nolit. Conf. THOMAS. *Iuris prudent. diuin. II.* 6. 23.

CAPVT VIIII.

DE OFFICIO PACISCENTIVM.

§. 1.

VT de connexione conſtet, ſciendum eſt, pertractatis adhuc officiis abſolutis, tam perfectis, quam imperfectis, ſequi debere officia HYPOTHETICA. Sed intermiſcuit auctor doctrinam *de pactis*, quia

quia officia hypothetica ſupponunt inſtituta humana, ſermonem, dominium, rerum pretium, et rem publicam. Haec auctor omnia pactis introducta cenſet. Negat equidem Titivs, verum id eſſe, quia numquam homines conuenerint, vt ſermonem, dominium, cet. introducerent, ſed haec omnia ex conſuetudine eſſe contendit. Verum haec non repugnant; primi, qui haec inuexerant, mortales non aliter id facere potuerunt, quam per pacta, e. g. conuenire debuit inter protoplaſtas, quod velint hoc animal bouem, illud felem, iſtud camelum appellare; conuenire debuit inter familiam, quod quiſque occupaturus ſit, id in eius dominio fore, cet. id vero poſtea alii probarunt et imitati ſunt, itaque ita res abiit in conſuetudinem.

Quidquid ſit de connexione, vtiliſſimum ſane eſt hoc caput, quia pactis fere totum humanum genus conſeruatur, quibus ſublatis et fides, et iuſtitia collabaſceret; de iis itaque diſpiciendum. 1. *quam obligationem producant?* §. 2-4. 2. *quotuplicia ſint?* §. 5-7. 3. *quodnam requiſitum eorum primarium?* §. 8-19. 4. *quomodo paciſci poſſimus?* §. 20-22.

§. 2.

Quaeritur, *quam obligationem pacta producant?* ad id vero reſpondere non licet, niſi pactorum praemittamus definitionem.

Pactum igitur *eſt duorum pluriumue in idem placitum conſenſus, obligationis vel introducendae, vel ſoluendae, vel vtriuſque cauſſa initus.*

Eſt conſenſus.) Quidquid agimus, agimus vel imperio legis, vel ſponte, ſeu libere; ſponte quod agimus, agimus volentes; ergo ſi vult alter, vt agamus aliquid, ad id non tenemur, niſi et nos velimus; quod duo volunt, eſt conſenſus; ergo pactum eſt conſenſus.

Duorum vel plurium.) Poſſunt enim innumeri paciſci; e. g. tota res publica pacto continetur.

Obligationis vel introducendae.) Omne enim pactum aut eſt *obligatorium*, e. g. ſi quis alteri promittit certum; aut *liberatorium*, ſi debitum remittit; aut *mixtum*, ſi tranſigit, adeoque pro vetere obligatione nouam introducit.

Iam facile intelligitur, 1. *cur pacta inter homines neceſſaria ſint*; 2. *quam obligationem producant.*

1. Neceſſaria fuerunt; quia a) officia humanitatis nullam admittunt coactionem, adeoque certus eſſe non poſſum, alterum mihi ea

praeſtiturum; opus ergo eſt pactis, quibus alter ad ea mihi praeſtanda deuincitur, e. g. indiget aliquis pecunia, eam pauci praeſtituri eſſent ex ſola humanitate, itaque eam mihi ſtipulari cogor; b) ſaepe indigeo rebus alienis; eas nec lex, nec princeps domino eripere poteſt; ſi ergo mihi praeſtandae ſunt, opus mihi eſt domini conſenſu, adeoque pacto; c) ſaepe amicitia et pax inter homines interrumpitur; in bello nihil hoſtis hoſti humanitatis exhibet; opus ergo eſt pactis, quibus pax et amicitia reparetur.

Eleganter Isocrates aduerſus Callimachum: *in foederibus et pactis tanta vis eſt, vt pleraeque res tum Graecorum, tum barbarorum ex pactis et conuentis tranſigantur. His enim freti conuenimus, et commercia agitamus, per haec inter nos contrahimus, per haec cum priuatas inimicitas, tum communia bella deponimus, hoc vno tamquam communi bono homines vti non deſiſtimus.*

§. 34.

Nec difficile iam erit demonſtrare,

II. Pacta obligationem perfectam producere, vel neceſſario ſeruanda eſſe.

1. Exigit id ſocialitas, quam auctor pro principio adſumit, nam illa pactis coaleſcit, et tam diu durat, quamdiu pacta ſeruantur; diſſoluitur vero, ſimulac a pactis diſceditur: hinc Cicero oſtendit, etiam latronum ſocietatem conſiſtere non poſſe, niſi pacta ſeruentur; 2. ſin principium amoris ſupponamus, illud exigit, vt alios amemus tamquam nos ipſos; ergo, quod nobis fieri volumus, et alteri facere debemus: iam nihil magis dolemus, quam vbi pacta nobis non ſeruantur; ergo nec nos ea violare debemus.

Notum eſt, Romanos pactis non tribuere obligationem ciuilem, indeque prouenientem actionem: vnde quaeri poteſt, *an idem ius naturae ſtatuat?* Connanus *Commentar. iur. ciuil. libr. V. cap.* 1. id demonſtrare conatur, ſequentibus vſus argumentis, a) culpam eſſe, credere promittenti ſine cauſſa; promittere cum cauſſa, eſſe contrahere; culpam ergo eſſe, non contrahere, ſed ſolo pacto confidere; b) pacta ſaepe ex oſtentatione proficiſci:

Regia, crede mihi, res eſt, promittere multa;

Fortunis ergo hominum imminere periculum, ſi pactis obligatio perfecta tribuatur; c) nihil relinqui liberalitati, ſi pacta omnia neceſſario ſeruanda.

Sed

Sed reſpondetur, 1. CONNANVM vlterius progredi, quam ICtos Romanos; hi enim pactis tantum obligationem ciuilem negabant, et concedebant, pacta obligare naturaliter; at hic ne naturalem quidem obligationem relinquit; 2. omnia CONNANI argumenta eſſe friuola: a) culpa eſt, fidere homini ſine cauſſa pollicenti, ſed multo maior culpa, immo dolus, promittere, quae praeſtare nolis; illa eſt imprudentia, haec perfidia. An ius naturae dolo adſiſtat? hoc contradictionem in adiecto inuolueret; b) oſtentationis cauſſa promittere, quae praeſtare nolis, eſt dolus, adeoque et hic reſpondendum, quod ad argumentum primum. Nec obſtat, periculum inde imminere fortunis; hoc enim non eſt ab eo, cui promiſſum, ſed ab ipſo promittente; damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſentire non videtur; c) liberalitati tantumdem relinquitur, quantum relinquendum eſt ex mente CONNANI, ſi pacta non obligarent. Nam 1. etiamſi valida ſunt pacta, tamen et ſine pacto poſſum donare, beneficia praeſtare, et alteri quaeuis officia humanitatis exhibere, 2. potius dicendum, liberalitati nihil relictum iri, ſi pacta non obligarent; nam qui ne ea quidem praeſtanda praeſtat, quae promiſit, quomodo praeſtiturus eſt, ad quae ex promiſſo non tenetur; 3. hanc doctrinam vere tollere omnem fidem humanam; nam *fides eſt*, inquit CICERO, *quum ſit id, quod dicitur*. Iam illa fides nititur aut pacto, aut contractu, quia diſcrimen inter pacta et contractus ius naturae ignorat, illudque ex mente CONNANI iure naturae non obligat; nec contractus, quia diſcrimen inter pactum et contractus ius naturae ignorat, illudque ex ſolo iure ciuili eſt, ergo iure naturae plane nulla erit fides.

§. 5.

Quotuplicia ſint pacta, oſtenditur paragraphis ſequentibus. Supra vidimus diuiſionem in pacta obligatoria, liberatoria, et mixta; ſed eam auctor omiſit.

Hinc prima diuiſio eſt, quod pacta ſint vel VNILATERALIA, quae non ſunt, quando fidem damus per actum ſolitarium; (id enim numquam poteſt fieri) ſed quando vnus tantum obligatur, alter nullam obligationem in ſe ſuſcipit, e. g. donatio, promiſſio, mutuum; vel BILATERALIA, quando duo pluresue ſe ſibi inuicem reciproce obligant, e. g. ſponſalia, permutatio, tranſactio. Simile quid contingit in foederibus: nam ea iniri ſolent cum oppreſſo, ita vt potentior promittat ſubſidia, oppreſſus nulla promittat; e. g. Impe-

Imperator cum Republica Raguſenſi ſeu Epidaurica. Aliquando foederati ſibi reciproce mutua auxilia promittunt; veluti hodie Galli, Sabaudi, Hiſpani.

§. 6. 7.

Deinde auctor pacta vel promiſſiones diuidit in *perfectas*, quibus non ſolum obligari volumus, ſed et alteri ius damus, illud, quod promiſimus, a nobis exigendi, e. g. debitor promittit ſe ſoluturum; et *imperfectas*, quibus quidem obligari volumus, ſed alteri tamen non ideo ſtatim ius eſt, id, quod promiſſum, exigendi; e. g. ſincerationes amicorum, promiſſa potentum, patronorum. Sed haec doctrina minus eſt adcurata; nam imperfecta vocantur, aut quia eius modi promiſſiones non obligant ciuiliter, aut quia exſecutio difficilis eſt, e. g. in promiſſis potentum; ſi poſterius, obligatio tamen eſt perfecta. Quamuis enim inter homines deſit exſequutio, quia iudicem non habent: Deus tamen, tamquam auctor iuris naturae, poenas exiget a legem violantibus.

Priore ſenſu omnes promiſſiones producunt ius perfectum; eſt enim officii abſoluti perfecti: *pacta ſunt ſeruanda*, iubet hoc lex, iubet regula iuſti, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Itaque dicendum potius: *Omnia pacta pure, ſerio, ex deliberato animo inita, perfectam producunt obligationem, quamuis per accidens fieri poſſit, vt exitum non habeant.* Dicimus:

Pacta pure inita.) Nam ſi tacitam in ſe continent conditionem, non exſiſtente conditione non obligare poſſent; tales ſunt promiſſiones amicorum et patronorum, ego te promotum ibo, ego te ex his turbis expediam, ſcilicet, ſi Princeps poteſt perſuaderi, ſi aptus eris officio publico, ſi potero.

Serio inita.) Alias enim deeſt conſenſus: hinc facile patet, ſi ioco quis polliceatur nuptias, diuitias, cet. nullam inde naſci obligationem.

Deliberato animo.) Ergo ſupra oſtendimus, non obligare promiſſa ebriorum, quia conſenſus deeſt; imputantur quidem ebriis actiones neceſſariae, non voluntariae; crimina, non pacta et promiſſiones, *cap.* I. §. 15.

Per accidens.) E. g. ſi conueniri promittens non poſſit, quia non habet ſuperiorem, e. g. ſi Rex quid promiſit; ſi prudentia eum conuenire diſſuadeat, e. g. ſi potentes, miniſtri aulici promiſerint, ſi quis ante praeſtitum promiſſum non habeat heredem vel

ſucceſſorem, a quo peti poſſit. Si rem ita concipimus, plane non opus eſt diuiſione illa in promiſſa, et pacta perfecta et imperfecta.

§. 8.

Tertia pars capitis agit *de primariis pacti requiſitis*, quae ſunt 1. *conſenſus*, §. 8--16. 2. *rei poſſibilitas*, §. 17. 18. 3. *libera de re diſpoſitio*, §. 19.

Requiritur *Conſenſus*; ob definitionem, quia eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus.

Rei poſſibilitas; quia obligationem de dando vel faciendo vel introduco, vel tollo, vel vtrumque facio; dare vero vel facere non poſſum, quod mihi poſſibile non eſt, immo et de quo libere diſponere non poſſum, vnde et tertium requiſitum eſt euidens.

Per *conſenſum* intelligimus duorum vel plurium voluntatum conuenientiam in re, de qua agitur: e. g. rem volo emere, alter vult mihi emendam dare, ego pretium conſtituo 10. aureorum, ille mihi dare vult pro 10. aureis.

Ex ea definitione patet, *conſenſum debere eſſe* 1. *declaratum*, §. 9. 2. *verum*, §. 10--15. 3. *mutuum*, §. 16.

§. 9.

Conſenſum oportet eſſe *declaratum*; quum enim conſiſtat in conuenientia voluntatum, alter autem alterius voluntatem perſpicere non poſſit, conſequens eſt, vt ſignis quibuſdam alteri innoteſcere, adeoque declarari debeat: iam quum declaratio illa fiat ſignis, ea vel in verbis, ſiue ſcriptis, ſiue ore prolatis, ſiue in factis conſiſtunt. Si prius, conſenſus vocatur *expreſſus*, e. g. ſi quis ore interrogat, dabis, alter reſpondeat, dabo; vel ſi mercator ad alterum Lipſienſem ſcribit, rogatque, vt ſibi tot pondo optimi cinamomi pro tanto pretio mittere velit, et alter reſcribit, ſe miſſurum; ſin poſterius, conſenſus erit *tacitus*, ergo hic ſemper praeſupponit factum, ex quibus immediate et apodictice colligi poſſit, alterum conſentire.

Talia ſunt 1. ex more et conſuetudine nutus, quemadmodum conuerſio capitis pro declaratione diſſenſus habetur; itemque conſenſum indicare dicitur dextra, fidei pignus, nec non ſilentium; plerumque enim qui tacet, conſentit, quia non contradicit; plerumque, inquam; nam ſaepe quis ex indignatione et contemtu tacet.

tacet. In aulis Principes tacent, vbi nec concedere, nec indulgere volunt: vnde frequens in aula prouerbium: nulla reſponſio reſponſionis loco eſt; 2. ex conuentione contrahentium, e. g. qui hoc ſentitis in hanc, qui alia omnia in illam partem diſcedite, qua ſentitis; talis Athenis et inter Chriſtianos veteres recepta χειϱοτονία, apud Coſacos proiectio pileorum; 3. ex praeſumtione, e. g. ex redditione chirographi colligitur remiſſio debiti, *L.* 2. *D. de pact.* ex redditione pignoris remiſſio pignoris, ex continuata habitatione et vſu rei tacita reconductio.

Adiiciendae tamen quaedam obſeruationes; *a*) ſigna debere eſſe voluntaria; hinc ſtolide quis colligeret, ſenem hunc noluiſſe accipere ſolutionem, quia caput quaſſarit, quum caput ſenio tremuerit. Ludimagiſter moribundum interrogabat, an filium heredem inſtituat? addebat, illum annuiſſe, quum moriens caput ſubmitteret; *b*) facta non debere habere aliam rationem; nam ſi conſtat de alia ratione, fruſtra inde elicitur conſenſus tacitus, e. g. ſi redderem debitori meo chirographum, vt defectus ſuppleatur, fruſtra hic diceret, ſibi remiſſum eſſe debitum; ſi debitori pignus commodarem, vt eo die nuptiali vtatur, fruſtra hic inde probaret, ſibi a me remiſſum eſſe ius pignoris; denique ſi quis migrare volentis inquilini vtenſilia retineret, fruſtra diceres, inquilinum relocaſſe aedes; *c*) non confundendum eſſe conſenſum tacitum et praeſumtum, ille eſt verus, hic contra fictus; ille ſupponit ſubiectum habile; qui enim non poteſt conſentire expreſſe, is nec tacite poteſt; at praeſumtus poteſt et locum habere in furioſo, infante, abſente, ignorante, qui nec expreſſe, nec tacite conſentire poteſt. Errauit hunc errorem PVFENDORFF. *de iur. nat. et gent. libr. III. cap.* 6. vbi tutelam ex conſenſu tacito pupilli repetit; illum agnoſcit ius naturae, hunc ciuile tantum, et quidem in omnibus quaſi contractibus.

§. 10.

Conſenſum oportet eſſe VERVM; ex definitione autem ſupra §. 8. data patet, verum illum eſſe non poſſe, niſi quis 1. intelligat, qua de re agatur; eiuſque diſtinctam ideam habeat; hinc non conſenſit Iacobus et Labanus, quin ille de Rahele, hic de Lea ſentiret; 2. liberam voluntatem habeat, vt in idem, quod alteri placet, adpetitus ferri poſſit, adeoque non conſentiebat Carolus V. Imperator, et Franciſcus I. Rex Galliae, quum hic petens Mediolanum

lanum a Carolo per Galliam iter facienti reſponderet, quod vult frater meus et ego volo.

Ex hoc principio patet, conſenſum verum impedire 1. *furorem*, *amentiam*, *infantiam*, *ebrietatem*, §. 10. 11. 2. *errorem*, §. 12. 3. *dolum*, §. 13. 4. *metum*, §. 14. 15.

De furore, amentia, infantia nullum eſt dubium, quum vſu rationis deſtituantur; *quomodo vero conſentiant in id, quod non intelligunt? at de ebriis res altioris indaginis videri poſſet.* Quamuis enim et hi rem non intelligant, adeoque conſentire non poſſint, tamen haec ignorantia eſt in ſe quidem, ſed non in ſua cauſſa inuoluntaria; culpa plerumque ſua in hunc ſtatum inciderunt. Sed 1. diſtinguendum inter ebrietatem inuoluntariam et voluntariam: in illa non obligatur quiſquam, quia ſine culpa contracta; in hac obligatur. Diſtinguendum denuo 2. an ſit modica, an ſumma: illa non impedit, quo minus quis ſciat, quid agat, adeoque obligatur, ſi pactus eſt, quia conſenſit. Hinc gentium mos de publicis priuatiſque negotiis inter pocula agendi; fuit hic mos Germanis quoque, TACIT. *de morib. Germ.* Perſis, Athenienſibus, CVRT. *VII*, 4. Contra ſi ſumma ſit ebrietas, diſtinguendum, 3. an actio ſit neceſſaria, legibus prohibita, vel praecepta, an arbitraria: priore caſu obligatur conſentiens e. g. delinquens, poſteriore non obligatur. Ratio diſcriminis eſt, *a*) quia poſteriore caſu agere et non agere potui ſalua lege, priore non potui; *b*) priore caſu actus fuit ſolitarius, poſteriore alter mecum contraxit. Id vero dum egit; aut ipſe ſobrius ſciuit me ebrium eſſe, vel ipſe quoque ebrius fuit; ſi prius, ipſe in dolo fuit, adeoque fructum ex ſua malitia capere non debebit; ſin poſterius, neuter conſenſit, adeoque nullum initum eſt pactum. Elegantem Flandrorum conſuetudinem refert NIC. BVRGVNDVS in *praefat. conſuetudinum Flandrorum* de contractibus in taberna vinaria contractis, recedere nempe iis licere ante meridiem inſequentis diei.

§. 11.

Quum oſtenſum ſit, *infantiam* impedire conſenſum §. 10. quaerit auctor. *quo vſque ea duret, et quando pubes fiat homo?* recte reſpondet, hoc definiri in iure naturali non poſſe, hoc enim requirit propoſitiones mere vniuerſales, et quae toti generi humano applicari poſſint. Talis autem propoſitio hic inueniri non poteſt; 1. quia alii citius, alii tardius propter temperamentum corporis adoleſcunt:

leſcunt: 2. quia in quibuſdam ingenium praecocius, in quibuſdam tardius; 3. quia et climata hic diſcrimen aliquod faciunt, ac potiſſimum 4. educatio efficit, vt quidam reliquis ſapiant citius.

Antiqui philoſophi et mathematici, inprimis genethliaci, ab Aegyptiis didicerunt, ſingulis ſeptenis annis corpora, octonis mentes quaſdam mutationes ſubire; hinc pleraeque gentes hos annos climactericos pro principio ſumſerunt.

Hinc Romani annum pubertatis 14. plenam pubertatem anno 18. infantiam anno 7. finiri ſtatuerunt. Saxones quoque anno 21. finiunt minorennitatem, i. e. anno climacterico tertio.

Sed hoc principium quoque, quod latius deduxit CENSORINVS *de die natali*, et indemonſtrabile eſt, et ſuas patitur in hominibus exceptiones. Itaque nihil ſupereſt, quam 1. vt vel ex animo, vel ex mentis acumine ipſoque corporis habitu iudicetur, an quis ad conſentiendum habilis ſit; (Haec olim ſententia Caſſianorum. *Vlp. Fragm. XI.* 28.) vel 2. imperantes in ſtatu ciuili annos definiant, quod et vbique fieri, factumque eſſe nouimus.

Ceterum et hoc fundamentum eſt, ex quo 1. *tutelam* eſſe iuris naturalis colligimus; quum enim pleraque expediantur in vita pactis, iiſque carere non poſſimus (§. 2.), ad pacta requiratur conſenſus verus (§. 10.), is vero ab impuberibus exſpectari non poſſit, conſequens eſt, vt alii conſenſum ſuppleant, ac ſic fiant pupillorum tutores; 2. ex eodem fundamento colligimus, aequiſſimam eſſe ſiue tutelam, ſiue curatelam furioſorum, amentium, ſimiliumque perſonarum miſerabilium ob eamdem rationem; 3. vtroque caſu praerogatiuam merito concedendam eſſe propinquis, amicis, cognatis. Quum enim aliorum conſulere commodis ſupponat amorem, amor autem quam maxime cadat in propinquos, his praerogatiua ceteris paribus merito conceditur; 4. tutores hos merito ea omnia agere, quae ipſe pupillus agere nequit, adeoque eorum nomine paciſci, adminiſtrare, cet. 5. eoſdem adminiſtrare tamdiu, quamdiu durat cauſſa; ceſſante vero ea, ceſſare quoque tutelam; 6. finita tutela merito poſci rationem; ad eam enim obſtrictus eſt, quicumque res alienas adminiſtrat.

§. 12.

Conſenſui quoque obſtat *error*, quem ſupra definiuimus diſcrepantiam idearum ab obiecto: ſi diſcrepant ideae ab obiecto, de alio obiecto cogito, quam quod reuera adeſt; ergo non conſentio; e. g. Iacobus, dum Leam duxit pro Rahele, non conſenſiſſe dici poteſt.

At

At facile tamen patet, non omnem errorem pactum vitiare: primo enim ſupra vidimus, errorem eſſe vel vincibilem, vel inuincibilem; *inuincibilem* errorem omnem impedire conſenſum, dubio caret, ergo eiuſmodi pactum non valet, e. g. ſi quis morboſum animal pro ſano emerit; *vincibilis* vel *difficilius* deprehenditur, adeoque merito conſenſum impedit, e. g. ſi quis rei gemmariae imperitus adamantem occidentalem pro orientali emerit, vel *facile* deprehendi aut euitari potuiſſet, et tunc conſenſum non impedit. Reuera enim conſentit, qui, dum errorem euitare potuiſſet, rem diligentius explorare noluit, itaque hic regula eſt:

Error in dubio nocere debet erranti.

Germani eleganter: *wer die Augen nicht aufthut, thue den Beutel auf.*

Sed quum dicimus in dubio, ex natura erroris et conſenſus iudicandum de exceptionibus; tales auctor tres tradit, quum regulas tradere debuiſſet: a) quoties aliquid tamquam conditionem ſupponimus, ea deficiente conſenſiſſe non videmur, e. g. promitto matrimonium, ſi doctor fueris; (fama nunciarat militem in praelio occubuiſſe. Pater mutarat teſtamentum. *Valer. Max. VII.* 7. 1.) b) ſi in errorem fuerim impulſus ad contrahendum, re integra poenitere licet; hoc falſum, quia licet errauerim, mea tamen culpa eſt; in dubio autem error nocere debet erranti; c) vbi circa ipſam rem, eiuſque ſubſtantiam erratum, error merito conſenſum impedire videtur, non, ſi error circa accidentalia; e. g. ſi quis aureum putans horologium inauratum emat, non conſentit; ſin a Titio emerit, quum vellet emere a Caio, conſentit, pactumque ratum eſt. Ita auctor ſuo more ſine fundamento. Nos exceptiones accuratius ita concipere poſſumus: *Quoties error eſt efficax, non nocet erranti; quoties concomitans tantum, nocet.*

§. 13.

Impedit porro conſenſum *dolus*, qui eſt propoſitum alterum in errorem inducendi, qui illi detrimentum inferat. Dolus hic vel eſt a) *a paciſcente*, et tunc non obligatur deceptus, 1. quia reuera non conſentit, 2. alter verſatur in delicto, cui iura non adſiſtunt; b) *a tertio*, et tunc etiam quidem non conſentio, ſed delictum non eſt penes eum, quocum pactus ſum, ergo hic me non laeſit, adeoque nulla cauſſa eſt a pacto vel contractu diſcedendi:

at poſſum tertium illum, qui me decepit, conuenire in id, quod intereſt.

Hinc non difficile eſt iudicare de regulis auctoris. 1. Prima eſt veriſſima, dolus enim a tertio adhibitus nemini poteſt imputari, niſi doloſo; 2. ſecunda itidem rectiſſime ſe habet, nam dolo ius naturae non adſiſtit, nec quiſquam debet ex malitia ſua fructum capere: 3. diſtinctionem inter dolum cauſſam contractui dantem et incidentem ius Romanum inuenit, adeoque non eſt iuris naturae, et hinc regula haec ſuperflua eſt, et ad ſecundam poteſt referri; 4. vltima regula plane non pertinet ad dolum, ſed ad errorem potius in accidentalibus, interim vera eſt per ea, quae §. 12. diximus.

§. 14. 15.

Quarta cauſſa impediens conſenſum eſt METVS, de quo tamen auctor eodem fere modo philoſophatur, ac de dolo, id eſt, confuſe admodum. *

Primo ait, metum accipi dupliciter, vel 1. pro ſuſpicione probabili, fore, vt ab altero decipiamur, aut 2. pro vehementi animi terrore, orto ex alterius vi et intentato malo; nam e. g. qui non ſine inſigni ſuſpicione gemmas ab ignoto emit, metuit, et cui vis armis intentatur a latrone, itidem metuit. Deinde de vtroque genere metus dat regulas, de primo agit §. 14.

1. *Qui confidit alterius promiſſis, cui parum fidei eſt, pactum impugnare nequit.*
2. *Si pactum iam initum, ob ſolam ſuſpicionem meam ab eo reſilire non poſſum.*
3. *Si inito pacto emergant indicia, vt mihi, ſi ex mea parte promiſſis ſtetero, illudat, iure exigere poſſum cautionem.*

Similes regulas dat deinde §. 15. de metu, qui ex alterius vi oritur. Sed multa ſe hic et in tota hac doctrina male habent; nam 1. ſuſpicio de dolo non eſt metus, quia ſuſpicio eſt coniectura vergens in deteriorem partem; coniectura autem ad intellectum, non ad voluntatem pertinet; 2. miſcet auctor regulas prudentiae et de iuſto; ad ſolam tamen prudentiam pertinet regula 3. §. 14.

Nos

* HOBBESIVS cap. II. §. 11. cum ſtoicis plane negat metum pacta vitiare. 1. quia alias et pactum viciaretur quo respublicae coaluerunt: 2. quia ſic non teneretur captiuus ad . . . ſoluendum. Similem doctrinam defendit GROTIVS *II. 2. 7.* refutatus a PVFENDORFFIO *III. 6. 12.*

Nos itaque diſtinguimus inter metum leuiori et maiori vi extortum. Terror Panicus neminem ab obligatione liberat, quia vanus eſt, et ratio ei facile reſiſtere potuiſſet: at ſi atrocior vis, taliſque ſit metus, qui et in virum conſtantem cadit, diſtinguendum eſt, ſitne alteri ius cogendi, an non? priori caſu pactum validum eſt, poſteriore non.

Rationes ſunt a) quia obligatio et ius ſunt correlata; vbi ergo ex vna parte ius non fuit cogendi, ibi ex altera parte non eſt obligatio; b) ſi praeſtandum eſſet latroni; quod coactus promiſi, naſceretur inde abſurdum, eum praemium exigere poſſe, quod me non occiderit. Eleganter HORATIVS, *Epiſt. I. 16. 46. ſequ.*

Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Seruus: habes pretium, loris non vreris; aio.
Non hominem occidi: non paſces in cruce coruos.

Hinc facile patet, cur metus reuerentialis ſecundum *reg.* 2. §. 15. non liberet ab obligatione. At contra non minus intellectu facile eſt, non obligari quemquam ex promiſſo latroni, qui illud iniuſtiſſima vi extorſit.

Inde etiam ſolui poteſt quaeſtio, *an locus exceptioni metus ſit aduerſus pacem?* bello ſane illa extorta eſt, adeoque vi et metu; quis ignorat, quantum terrarum pace Vltraiectina et Raſtadienſi ceſſerit Imperatori? ſed bellum eſt medium iuſtum cogendi liberam gentem, adeoque idem, quod actio in re publica, ergo procul dubio valeret pactum vel transactio, ad quam aduerſarium actione iudiciali inſtituta adegerim; ita valebit etiam pax, ad quam quis bello coactus eſt.

Obiicitur, poſſe eſſe bellum iniuſtiſſimum? Reſp. at alterum id negare, idque pro iuſto habere; iam in mundo non eſt iudex, qui pro vno vel altero poſſit pronuntiare, ergo praeſumitur bellum iuſtum fuiſſe, adeoque et pacem initam valide obligare. Conf. GVNDLING. *de efficient. met.* Aliud ergo, ſi princeps a ſubditis carcere cogatur ad aliquid promittendum, e. g. Maria, regina Scotiae, in carcere ceſſerat filio 13. menſes nato regnum; id pactum poſtea Scotiae proceres irritum pronunciarunt. Vid. CAMBDEN. *ad annum* 1564. THVANVS, *Hiſtor. libr. XXXXII. ad eumd. ann.*

§. 16.

Diximus, conſenſum debere eſſe declaratum et verum: at debet

etiam

etiam eſſe mutuus, quia *pactum* eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus.

Ex eo patet, in omni pacto eſſe debere PROMISSVM et ACCEPTATIONEM: eorum vtrumque in pactis vnilateralibus eſt ſimplex, e. g. Titius mihi donat librum, ego accepto; in bilateralibus contra vtrimque et promiſſum et acceptatio occurrit; e. g. venditor promittit rei traditionem, emtor acceptat; emtor promittit pretium, venditor acceptat.

Praeterea acceptatio etiam tacita ſufficit, modo quis non contradicat; e. g. ſi quis donanti geſtu teſtatur, ſibi donationem gratam eſſe; aliquando etiam praeſumitur acceptatio ex antecedente rogatione, e. g. rogat quis centum ſibi mutuo dari, ego promitto, nulla hic opus eſt noua acceptatione, quia illa iam in anteceſſum facta eſt.

In iure ciuili et eccleſiaſtico quaedam promiſſa occurrunt, quae ſine ſubſequente acceptatione valere dicuntur, nimirum

POLLICITATIO, ſi quis rei publicae vel ciuitati aliquid ex iuſta cauſſa promittit; ad id enim promittens tenetur, quamuis nemo nomine rei publicae acceptarit; e. g. ſi quis pollicitus ſit, ſe moenia refecturum ſuis ſumtibus. Vid. *tit. D. de pollicit.*

VOTVM, quando Deo quid promiſſum, e. g. ſi quis Deo promiſerit ieiunium, legatum ad pias cauſſas.

Enim vero negatur, alterutrum ſine acceptatione eſſe; pollicitationem enim in anteceſſum pro re publica acceptauit legiſlator, dum lege cauit, pollicitationem eiuſmodi eſſe adimplendam. Et Deus procul dubio quoque acceptat promiſſum ſibi ab homine factum, adeoque perfidus eſt, qui votum violat.

Ex eo vero principio facile patet, *quaenam demum vota id nomen mereantur?* Reſp. quaecumque acceptauit Deus; acceptare autem nec vult, nec poteſt, quae ipſius legi, rectaeque rationi repugnant; acceptat ergo votum poenitentiae, precum, virtutum; non autem acceptauit procul dubio votum Iephtae de filia mactanda, nec magis acceptare videri poteſt vota monaſtica, et alia ad ἐθελοθρησκείαν pertinentia.

§. 17. 18.

Habuimus primum pactorum requiſitum: ſequitur alterum, REI POSSIBILITAS. Quum enim pactum ſit conſenſus de obligatione introducenda vel tollenda; vtroque vero caſu aliquid dandum, faciendum, remittendumue ſit, conſequens eſt, vt naſci poſſit obligatio,

gatio,

gatio, ſi quid dari, fieri, remittiue nequeat, e. g. ſi res, de qua pactus ſum, quamque promiſi, ſit impoſſibilis.

Impoſſibile eſt, quidquid fieri non poteſt: vt aliquid fieri non poſſit cauſſa ſunt impedimenta: ea vel ſunt a natura. vel a lege; ſi a natura, dicitur eſſe aliquid impoſſibile phyſice, e. g. coelum attingere; ſin a lege, impoſſibile aliquid eſt moraliter, e. g. hominem occidere.

Impedimenta porro obiiciuntur vel omnibus ſine diſcrimine; tunc aliquid impoſſibile eſt abſolute; vel quibuſdam tantum, et tunc impoſſibile quid eſt reſpectiue, reſpectu videlicet eius perſonae, quae quid praeſtare debebat, e. g. ſcriptum Sinicum interpretari mihi eſt impoſſibile, at non aliis; alterius ſcire cogitationes et mihi et aliis impoſſibile eſt.

Iam facilis quidem regula:

Impoſſibilium nulla eſt obligatio.

At quum impoſſibilitas ſit ab impedimento, diſtinguendum, utrum illud ab ipſo promittente ſit, an a tertio, an a natura vel lege. 1. Si a promittente ipſo, regula erit: *Impoſſibilitas praeſtationis a culpa ipſius promittentis orta ab obligatione non liberat*; e. g. non liberat obtenta impoſſibilitas debitorem; qui bona abalienauit. 2. Sin a tertio, tunc non quidem tenetur promittens, ſed tamen is, qui impediuit, e. g. commodatarius equi non tenetur, ſi a fure ſubtractus, at fur tenetur. 3. Si denique a natura vel lege, non tenetur promittens, e. g. promittens Salam ſe ebibiturum, vel hominem occiſurum, non tenetur.

Obiici poſſet, at in culpa eſſe, qui tale quid promiſerit? Reſp. in culpa quoque pari eſſe, qui tale promiſſum acceptauit. Accedit, quod vere non adeſt conſenſus in praeſtationem, ſed in non praeſtationem; aut inſaniuerunt, aut iocati ſunt, qui conſenſerunt in aliquid impoſſibile.

Ex eo ergo patet, ex promiſſo quoque impoſſibili moraliter nullam naſci obligationem, adeoque 1. nec promittentem rem teneri praeſtare; dupliciter enim peccaret, ſi fidem ſeruaret; 2. nec eum poſſe promiſſum praemium exigere; 3. nec non praeſtantem conueniri poſſe ad praemium repetendum; 4. nec qui promiſſum praeſtitit, petere poſſe indemnitatem, ſed 5. Deo obligatos eſſe ad poenam. Contradictio enim eſt, leges aliquid prohibere, et aliquem tamen cogere ad factum lege prohibitum.

§. 19.

Tertium denique pactorum requiſitum eſt LIBERA DE RE DISPOSITIO. Ex eo patet, 1. pupillum vel in patria, vel in dominica poteſtate conſtitutum nihil poſſe promittere; 2. circa rem alienam neminem eſſe poſſe liberalem; 3. poſſe tamen aliquem promittere circa rem alienam, a) *diligentiam*, qua adhibita et probata tunc liberatur; b) *indemnitatem*; c) *ipſam rem*, ſi perſona ſuae poteſtati ſubiecta eſt, e. g. promittit quis, filium ſuum alterius cauſſam acturum; 4. non poſſe me aliquid promittere, in quo alter iam habet ius quaeſitum, e. g. non poteſt noua ſponſalia inire, qui iam alii fidem dedit de matrimonio. Conf. HERTII *Diſſ. de obligatione alium daturum facturumue.* Et hactenus vera eſt regula, *Qui prior tempore, potior iure eſt.*

Obiici poſſet, *ſaepe tamen poſterius pactum valere et derogare priori?* Reſp. diſtinguendum, vtrum iidem, qui antea pacti ſunt, inter ſe de nouo paciſcantur, an de nouo quis paciſcatur cum tertio; priore caſu pactum poſterius eſt potius priore; poſteriore caſu qui prior eſt tempore, potior iure. Deinde diſtinguendum eſt inter ius naturae et ciuile; regulas iuris naturae iam vidimus; iure ciuili diſtinguitur inter ius in re, et ad rem, et illud praefertur, hinc e. g. ſi prior emi, alteri prius traditum, huic ius eſt potius, quia per traditionem conſequitur ius in re.

§. 20.

Supereſt vltima pars capitis, in qua diſquiritur, *quotuplici modo paciſci poſſumus?* Reſp. 1. *vel pure, vel ſub conditione*, §. 20. 2. *vel per ſe, vel per alios*, §. 21. deinde ſubnectitur *tranſitio ad caput ſequens*, §. 22.

Paciſcimur PVRE, quoties nullam circumſtantiam futuram adiicimus; EX DIE, vel IN DIEM, quoties adiicimus circumſtantiam temporis; SVB CONDITIONE, quoties aliam adiicimus circumſtantiam.

Eſt ergo CONDITIO adiectio circumſtantiae eum in finem, vt actus imperfectus ab eius euentu ſuſpendatur, perfectus eo reſoluatur, e. g. vendam tibi aedes pro 1000. ſi hac hieme nemo plus obtulerit, eſt conditio ſuſpenſiua; trado tibi aedes pro 1000. ſed reddas eas, ſi quis hac hieme plus obtulerit, eſt conditio reſolutiua.

Condi-

Conditionem vulgo diuidunt in POSSIBILEM et IMPOSSIBILEM, ſed reuera conditio impoſſibilis ne conditio quidem eſt, quia actum nec ſuſpendit, nec reſoluit.

POSSIBILES denuo ſunt vel *poteſtatiuae*, quae in naturali poteſtate ſunt, e. g. dabo 100. ſi ſtudium iuris elegeris; *caſuales*, quae a prouidentia diuina pendent, e. g. dabo 100. ſi cras nauis redierit; *mixtae*, quae a prouidentia diuina et certo reſpectu a meo arbitrio pendent, e. g. dabo 100. ſi Maeuiam vxorem duxeris. Ea vera quidem quodam modo ſunt, niſi quod vix vlla eſt poteſtatiua conditio, quum multa cadant inter calicem ſupremaque labra. At in iure naturae non habent vſum, ac ne in iure quidem ciuili habent vſum in doctrina de pactis, ſed in vltimis voluntatibus. Regulae potius obſeruandae:

I. *Promiſſa pura ſtatim obligant, ac proinde ſtatim peti poſſunt*, *leges tamen ciuiles plerumque concedunt puſillum laxamentum.*

II. *Promiſſa ex die vel in diem debentur a certo tempore, vel ad certum tempus*; ergo ius naturae ignorat ſubtilitates iuris ciuilis, quo promiſſa in diem perpetuantur, et exceptione excluduntur.

III. *Promiſſa ſub conditione poſſibili ſuſpenſiua non obligant, niſi exſiſtente conditione.*

IIII. *Pacta ſub conditione poſſibili reſolutiua inita diſſoluuntur exſiſtente conditione.*

V. *Pactum ſub conditione impoſſibili initum irritum eſt, ſiue phyſice impoſſibilis ſit res, ſiue moraliter.* Agnoſcit hanc regulam etiam ius ciuile; at in vltimis voluntatibus aliter ſe res habet, vbi conditio impoſſibilis pro non adiecta habetur. Ratio diſcriminis eſt, quia in conditionem impoſſibilem heres vel legatarius non conſentit, adeoque vel iocatus eſt, vel non ſatis ſanus fuit.

VI. *non impletur conditio impoſſibilis per cauillationem.* CORN. NEP. *Miltiad. cap.* 2.

§. 21.

Deinde paciſcimur vel *per nos ipſos*, vel *per alium*, eumque vel *nullo mandato* inſtructum, e. g. ſi amicus mihi ſtipuletur 100. hoc pactum non valet iure ciuili, §. 4. *Inſt. de inutil. ſtipul.* at iure naturae nulla eſt ratio, cur valere non debeat, quia alter vtilitatem meam promouit, idque ratum habere poſſum; vel *mandato inſtructum:* hoc porro eſt vel 1. *generale*, vbi omnia relinquo alterius arbitrio, e. g. eme mihi domum; 2. *ſpeciale*, vbi praeſcribo ipſi

omnes circumſtantias, e. g. qualem, in qua platea, quanti emere debeat. Iam regulae faciles:

I. Quod alii promiſi in vtilitatem tertii, ſeruandum eſt.

II. Quod egit, qui generale mandatum habuit, ratum habendum, modo dolus non acceſſerit, vel culpa plane enormis.

III. Quod pactus eſt is, cui ſpeciale mandatum dedi, ratum habere teneor, ſi fines mandati non exceſſerit.

Quid ſi minoris emerit? Reſp. ſi res talis, qualem emtam volui; teneor; ſi nulli mihi vſui ſit, non teneor. *Quid ſi fines exceſſerit, an non teneor ad ſummam ſaltem concurrentem?* Affirmatur, quia ſic nullum patior detrimentum, et alter damnum fert, quod ſua culpa accidit.

§. 22.

Vltima paragraphus non niſi tranſitionem ad caput ſequens continet. Egimus hactenus de officiis abſolutis, in quibus inſtitutum humanum non ſupponitur; ſequi debebant hypothetica, quae tali inſtituto nituntur. Quum vero pleraque eius modi inſtituta per pacta introducta ſint, auctori viſum eſt, praemittere doctrinam de pactis.

Hoc abſoluto iam ad ipſa officia hypothetica progredimur, quorum quum ſint quatuor, auctor agit 1. *de ſermone*, *cap.* 10. 11. 2. *de dominio*, *cap.* 12. 13. 3. *de rerum pretio*, *cap.* 14. 15. 16.

CAPVT X.

DE OFFICIO SERMOCINANTIVM.

§. 1.

PRimum inſtitutum humanum, ex quo officia hypothetica fluunt, eſt *ſermo*, circa quem auctor duo explicat officia: 1. *circa vim ſignificatiuam*, *§.* 1. 2. 2. *circa eiuſdem vſum*, *§.* 3. *ad fin.* Sed neutrum ſatis intelligitur, niſi praemittatur definitio.

SERMO eſt vox articulata ex impoſitione hominum ſignificans, quo animi ſenſa diſtincte cum altero communicamus.

Vox.) Hinc ſermo non eſt, quando inter nos aliquid ſignificamus.

mus nutu, geſtibus, ſimilibuſque ſignis. Sic MOLLERVS, Profeſſor Altdorffinus, ſcripſit *de oculiloquio et pediloquio.*

Articulata) i. e. dentibus, palato, lingua et gutture ita temperata et fracta, vt diſtincta vocabula prodeant, ergo nudus ſonus, qualem edunt vaccae, aliaque animalia, non eſt ſermo. Atqui et animalia diſtincta quaedam vocabula ſeu voces articulatas proferunt; e. g. cuculus, rana, nec is tamen ſermo dici poteſt; hinc additur.

Ex impoſitione hominem ſignificans.) Nam ranae voces articulatae nihil ſignificant, nec ex impoſitione hominum, nec ex impoſitione ranae: at notum tamen eſt, pſittacum loqui diſcere, et alias aues diſcere certas ſententias, e. g. ſalue Auguſte, credo in vnum Deum, cet. at nec is ſermo eſt, quamuis ex impoſitione hominum ſignificet; additur ergo:

Quo ſenſa animi cum altero communicamus.) Pſittacus vocat aliquam, *coquette*, ſed ſine animo iniuriandi, neſcit, quid loquatur; homines autem eius modi voces articulatas proferunt, vt alii id intelligant, et tamen nullum eſt dubium, animalia quoque ſenſa animi ſono indicare. Alium enim ſonum edit canis iratus, alium ludibundus, alium dolorem ſentiens et timidus, alium frigus ſentiens. At rem omnem conficit vnum, quod additur, aduerbium:

Diſtincte.) Canis quidem indicat, ſe dolorem ſentire, ſed non narrat, quid dolorem operetur: homo vero diſtincte per ſermonem omnes cogitationes, reique cauſſas et circumſtantias indicat.

Vnde dicere poſſumus, plane parallela eſſe rationem et ſermonem: illa eſt ſermo internus, hic ratio externa ſeu extrinſecus ſeſe exſerens.

Quamuis ergo ita recte ſeſe habeat definitio, vocis tamen iſtius articulatae loco et aliis ſignis vtimur, quae itidem valent ex impoſitione hominum, qualia ſunt 1. litterae vel ſcriptura, 2. nutus et quaſſatio capitis, 3. manus, pedes, oculi.

Quum ergo loco ſermonis ſint: regulae de ſermone et his ſignis recte applicantur.

Iam facile patet, quis finis ſit doni huius diuini plane incomparabilis: ſane enim Deus nobis ſermonem nec ſui, nec noſtri, nec animalium aliorum cauſſa dedit; *non ſui cauſſa*, quia cogitationes noſtras ſcit ſine noſtro ſermone; *non noſtri cauſſa*, quia et nos ſine ſermone intelligimus; denique *non aliorum animalium cauſſa*, quia haec nos non intelligunt; ergo *proximi cauſſa.*

Quum ergo proximum teneamur amare tamquam nos ipſos, neceſſe eſt, vt ſermone quoque non aliter vtamur, quam quemadmodum eo vti volumus erga nos proximum noſtrum.

Inde recte auctor colligit regulam: *Neminem ſermone aut aliis ſignis alium decipere debere.*

§. 2.

Iam primum ergo officium CIRCA SIGNIFICATIONEM ſermonis facile intelligitur. Verba valent ex impoſitione hominum: impoſitio illa facta primum conſenſu plurium, mox aliorum, qui imitati ſunt. Itaque

I. Quiſque obligatus eſt ad eam ſignificationem voci tribuendam, quae conſenſu hominum vocabulo data eſt; nam a) ad id tenetur ex pacto; b) exigit et hoc finis ſermonis, quippe inutilis futurus, niſi recepta ſignificatione vtar. Eleganter MARCELLVS apud SVETONIVM: *tu, Caeſar, ciuitatem potes dare hominibus, verbis non potes.*

II. Quiſquis vocabulo vtitur inter homines recepto, ei non fit iniuria, ſi eo ſenſu accipiatur, qui receptus eſt, e. g. ſi quis principem vocet tyrannum, virum in dignitate conſtitutum barbarum, fruſtra ſe excuſaret, quod per barbarum intellexerit extra Graeciam natum, per tyrannum regem.

III. Mutatam ſignificationem etiam in ſermone eſſe obſeruandam. Verba valent ſicut nummi, et in aliam plerumque ſignificationem degenerant, e. g. fur hodie non ſignificat ſeruum, ſed rapacem hominem, olim ſignificabat ſeruum:

Quid domini faciant, audent quum talia fures?

IIII. Definitiones quidem nominales eſſe arbitrarias, ſed eum tamen ſtolide agere, qui vocabulum plane aliter definit, ac alii homines ſolent. Sic e. g. Plato ideam vocat exemplar rerum omnium animo obuerſans; alii philoſophi obiectum intellectus proprium. Iam ſi quis diceret, ſe intelligere per ideam figuram quatuor lineis incluſam, nemini quidem faceret iniuriam, at parum tamen ſapere videretur.

V. Neminem alteri illudere debere vocabulis nihil ſignificantibus. Si quis diceret, ſe vidiſſe pulcherrimum blictri, illuderet alteri, blictri enim vox nihili eſt. At re vera tamen homines ſaepiſſime vtuntur eius modi vocabulis nihil ſignificantibus, e. g. fatum, fortuna, ſympathia, antipathia, vis attractiua.

VI. Si quis inuſitata voce vel phraſi vtatur, eum teneri, vt eam alteri xplicet, et, ſi explicare non poſſit, non aegre ferre debere, ſi vel ignorantiae, vel fraudis arguatur: v. g. Entelechia Ariſtotelis.

§. 3. 4.

Quod ad vſum ſermonis attinet, ille quoque ex regula ſupra llata rectiſſime intelligitur. Quum enim tenear ſermone ita vti erga lium, quemadmodum alium eo vti volo aduerſus me, ego vero noim, vt quis mihi veritatem vel bona verba deneget, ſi habeam el ius perfectum, vel imperfectum talia exigendi, ſane nec ego aec alii denegare debeo.

Ex quo patet,

1. Non ad omnia euulganda quem teneri, quae cogitat; ſic nemo tenetur dicere, quam diues ſit, cet.

2. Tacere aliquando praeſtare, quam loqui, e. g. ſi quis arcana amici non prodit; PIND. *Nem. od.* 5. non omnis veritas aperiens faciem eſt vtilis: ſed ſcire tacere eſt ſaepe ſapientiſſimum nter homines.

3. Iure perfecto nos ad veritatem dicendam adſtringi, a) quoies alter ius ex pacto habet, eam a me exigendi; ſic in ſpecula oſitus diſſimulare non poteſt hoſtis aduentum; contrahens non deet diſſimulare rei, de qua contrahitur, qualitates; b) quoties eam xigit officium, e. g. docens veritatem nec diſſimulare, nec corumpere poteſt; c) quoties tranquillitas publica ſilentio laederetur, e. g. coniurationem aduerſus principem vel rem publicam nemo acere poteſt; d) quoties imperium adeſt legitimum, vi cuius quis veritatem a me exigere poteſt, e. g. parentes, magiſtratus.

4. Iure quoque imperfecto a nobis exigi poſſe veritatem, et verba bona, quoties id mihi non nocet, et alteri prodeſt; eſt enim hoc officium humanitatis et innoxiae vtilitatis, ad quod nemo non obligatus eſt; hinc a) ſalutans eſt reſalutandus; b) triſtis ſolatio erigendus; c) proximus de imminente damno praemonendus; d) erranti monſtranda via; e) ignorans docendus.

§. 5.

Quum ergo appareat ex antecedentibus, non ſemper nos obſtrictos eſſe ad ſenſa animi alteri pandenda, quaerit auctor, 1. *An aliquid liceat diſſimulare*, §. 5. 2. *An aliquando verbis obſcuris, immo*

immo quodam modo ambiguis vti liceat, §. 6. Prius hac paragrapho adfirmare non dubitat auctor, ſed ex falſa ratione, quia ſermo non ſolum ſit inuentus propter alios, ſed et propter nos ipſos. Nam ſi id ita intelligit, quod ſermo mihi datus ſit, vt verum loquar, id falſum eſt; ſin ſenſus eſt, nobis ſermocinandi facultatem dediſſe Deum, vt vtilitatem noſtram ea promoueamus, vnuſquiſque mendax excuſare poſſet mendacium.

Nos ita procedimus: cogitationes noſtras ſignis cum altero communicamus; id fit vel per ſermonem, tunc loqui dicimur, vel per alia ſigna, inprimis facta, tunc dicimus ſcribere, innuere pro diuerſis factis, quibus ſenſa animi pandimus: ſi ſermonem omittimus, vocatur id *reticentia*; ſi facto nullo animum prodimus, erit hoc *diſſimulatio*.

Iam licet 1. a pari argumentari: reticentia non eſt illicita, ſi alter nec ius perfectum nec imperfectum habeat veritatem a me exigendi, (§ 3. 4.) ergo nec diſſimulatio illicita, ſi alter nec ius perfectum, nec imperfectum habeat, vt ſenſa animi pandam; 2. nullum eſt dubium, quin diſſimulando ſaepe alterius vtilitas promoueatur, et ita quidem, vt aliter promoueri nequeat. Sic non vteretur medicina infans, niſi Medicus diſſimularet eam amaram eſſe; non reſipuiſſent fratres Ioſephi, niſi amorem aduerſus eos diſſimulaſſet. Iam quum vtilitas proximi ſit promouenda tamquam propria, procul dubio et eam diſſimulatione promouere poſſum.

§. 6.

Paullo maioris momenti altera eſt quaeſtio; nam 1. obſcuritas et ambiguitas ipſi fini orationis repugnat, a) quia loqui, vt non intelligaris, eſt actus fruſtraneus; b) ambiguitas autem peccat contra regulam, quam ſupra de ſignificatione verborum dedimus. Oraculum Delphicum iubebat muris ligneis muniri; quis vmquam audiuit inter homines, muros ligneos vocari naues; 2. quia eius modi ambiguitas et obſcuritas plerumque alterum in errorem inducit, in errorem autem alterum inducere eſt contra amorem proximi.

Enim vero res paullo altius ordienda. Sermo ſemper ad alterius vtilitatem veram adtemperandus; id enim exigit amor: quum vero ſaepe aliter non poſſim vtilitatem proximi promouere, quam ſi ſermone obſcuro vel ambiguo vtar, prono alueo inde fluit;

Reg. I. Licitum eſt ſermone obſcuro, ambiguo, figurato, parabolico vti, quoties vere alterius vtilitatem promoueo. Sic pueris narramus

ramus fabulas, ſic iiſdem vtebatur Aesopvs. Phaedrvs, *Fab. III. prolog.* 34--37.

Seruitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit iocis.

Chriſtus ipſe vſus eſt parabolis, quia nudam veritatem ferre nondum poterant. Pythagorae ſymbola eumdem habent finem. Deinde ſi ad me reſpiciam, non ſane ſum obligatus ad proximum magis, quam me ipſum amandum, itaque prodere me innocentem numquam cogor, ſi alter nec ius perfectum, nec imperfectum habet, mihi innocenti nocendi; hinc

Reg. II. Quoties in periculo verſor innocens, et alter nec perfectum, nec imperfectum ius habet mihi nocendi, ego tamen ſine periculo tacere non poſſum, toties vitio verti non poteſt, ſi ſermone vel obſcuro, vel ambiguo vtar. Athanaſium iniuſte perſequebatur Iulianus apoſtata, fugit ergo in nauiculam, mutatis veſtibus: miſſi equites, qui eum e fuga retraherent; illi nauiculam ſtare iuſſerunt, et ex Athanaſio quaeſiuerunt, noſſetne Athanaſium? reſpondit, ſe noſſe tam bene ac ſe ipſum. An non hac via fugerit? Reſp. fugiſſe; an procul hinc abſit? immo non procul, inquit. Ambigua haec ſunt, quis vero vitio vertat viro optimo, quod non candide dixerit, ſe eſſe Athanaſium.

§. 7.

Iam facile patet, *quid ſit veritas?* §. 7. *quid mendacium?* §. 8. *quid falſiloquium?* §. 9. 10.

Veritas accipitur vel in *ſenſu* 1. *metaphyſico*, quando in re eſt eſſentia, quae rei illi competit, e. g. hoc eſt verum aurum, hic eſt verus homo; haec nec virtus eſt, nec vitium, ſed attributum intrinſecum, quod a nobis plane non pendet; 2. vel in ſenſu *logico*, et tunc eſt conuenientia ideae cum obiecto; haec eſt perfectio intellectus, adeoque nec virtus, nec vitium, quia haec ſemper in voluntate ſita; 3. in ſenſu *morali*; et tunc eſt conuenientia ſermonis, aliorumque ſignorum externorum cum animi cogitationibus; haec quoque non ſemper virtus, immo aliquando vitium eſt; e. g. ſi amici ſecreta prodo, vera loquor, at pecco tamen:

men: contra qui tacet, amici cogitationes non communicat, et tamen plerumque recte et ſapienter agit.

Itaque diſtinguenda veritas a *veracitate*: illa eſt res indifferens et iam definita; haec ſemper virtus eſt, ac ita definiri poteſt, quod ſit virtus, qua quis animi cogitationes ſine ſimulatione ac diſſimulatione communicat cum illo, qui ius vel perfectum, vel imperfectum habet, veritatem ab illo exigendi.

§. 8.

Ergo facile patet, quid ſit MENDACIVM? Hoc non opponitur veritati, ſed veracitati, adeoque *eſt vitium, quo quis animi cogitationes ſupprimit, vel aliter, ac re ipſa comparatae ſunt, enunciat ei, qui ius perfectum, vel imperfectum habet, veritatem ab eo exigendi.*

Ergo 1. mendacium ſemper eſt iniuſtum, quia alterius ius perfectum vel imperfectum laedit, adeoque 2. turpe, et 3. poena dignum. Hinc apud PHILOSTRATVM in *vita Apollonii Thyan.* legimus: Indos philoſophos eos, qui ſemel mentiti, et in mendacio deprehenſi fuerint, ab omni honorum aditu excluſiſſe, quia communem hominum ſocietatem mentiendo fraudarint; 4. in aeſtimando tamen mendacio reſpiciendum eſſe ad animum, ex quo promanarit; alii enim mentiuntur ex ſola leuitate animi, vel conſuetudine praua; hi ſe turpiter proſtituunt; alii ex dolo malo, vt alios decipiant, damnoque afficiant; hi grauiore animaduerſione digni.

§. 9.

Quid ergo eſt FALSILOQVIVM? Reſp. eſſe *ſermonem cum cogitatione animi non conuenientem, quo quis vtitur aduerſus illum, cui nec ius perfectum, nec imperfectum eſt veritatem exigendi*; e. g. ſi quis curioſo ſciſcitanti, quantum quis pecuniae habeat, reſpondet, ſe tam adcurate non ſcire, vel, ſe ſatis diuitem eſſe; falſum loquitur, nec tamen ideo mendax eſt, quia alter nec perfectum, nec imperfectum ius habet, id ex illo ſciſcitandi; contra ſi quis magiſtratui cenſum acturo ita reſpondeat, mendax erit.

Ergo 1. falſiloquium in ſe non eſt iniuſtum; vbi enim alteri non eſt ius, ibi nec eius ius laedi poteſt; 2. illud non in ſe turpe, ſed aliquando laude dignum, e. g. ſi quis liberos ſcire nolit diuitias; 3. adeoque nec poenam mereri; 4. illud nec ex dolo malo,

pro-

proficiſci, nec ex leuitate animi, ſed ex prudentia et ſagacitate animi, adeoque nec decipiendi, nec nocendi cauſſa proferri.

§. 10.

Iam ergo facile oſtendi poterit differentia inter mendacium et falſiloquium: 1. omne mendacium eſt falſiloquium, non ſed omne falſiloquium eſt mendacium; 2. mendacium opponitur veracitati, falſiloquium veritati morali; 3. quum ergo veritas ſit nec virtus, nec vitium, idem dicendum erit de falſiloquio: contra, quum veracitas ſit virtus, mendacium vitium eſſe oportet; 4. mendacium ſemper eſt contra amorem, adeoque iniuſtum, falſiloquium aliquando ipſe amor exigit, ergo iuſtum; 5. mendax amittit omnem fidem; falſiloquio tanto magis creditur, quando apparet, eum non enunciare, quidquid in buccam venit.

CAPVT XI.

DE OFFICIO IVRANTIVM.

§. 1.

Species ſermonis eſt *iusiurandum*, vnde de eo quoque agitur, et quidem conſideratur 1. *definitio*, §. 1. 2. *quid iuſtum ſit circa iuſiurandum?* §. 2--5. 3. *effectus*, §. 6--9. 4. *variae ſpecies et diuiſio*, §. 10.

Iuſiurandum, quod omnes gentes pro ſanctiſſimo fidei pignore habuerunt, recte definitur ab auctore, quod ſit 1. *aſſertio*; ergo vbi nihil aſſeritur, vel nihil ſaltem tanta aſſeueratione dignum occurrit, nec iusiurandum hoc dici poteſt, ſed leuitas, e. g. accepi litteras plenas, me Hercule, amoris et humanitatis; 2. *religioſa*; ergo leuitas denuo eſt, non iusiurandum, ſi quis iurat per res, quas religioſe non veneratur, e. g. per oculos, per animam, per coelum; 3. *qua diuinae miſericordiae renuntiamus*; id enim ſibi volunt verba: *ita me Deus adiuuet*, id eſt, Deus miſericors me non adiuuabit, ſi ſciens peierauero; 4. *et vindictam diuinam in nos depoſcimus*; hoc ex antecedente iam ſequitur, non poteſt enim non ſequi vindicta, vbi miſericordiae non eſt locus; 5. *niſi verum di-*

camus, ergo conditionalis eſt haec interpretatio, adeoque in ſe non mala, ſi quis ſalua conſcientia iurat.

Obſeruat TITIVS *ad hanc* §. *obſ.* 257. minus adcuratam hanc eſſe definitionem, quia et periurio quadret; ſed parum ſolida eſt haec obſeruatio: nam periurium etiam eſt iusiurandum, adeoque et illi quadrare debet definitio.

Qu. *an licita ſint iuraiuranda*? ſaepe dubitatum, 1. quia ſint confeſſio perfidiae humanae; ſi homines eſſent virtutis ſtudioſi, ſine iureiurando verum dicerent; iam vix vlli etiam iurato credimus; nonne ita confitemur perfidiam humani generis? 2. Chriſtus manifeſto prohibuit omne iusiurandum. MATTH. V. 34. *omnino non eſt iurandum*, quod et repetit IACOBVS Apoſtolus.

Sed reſp. ad 1. hoc argumentum tantum probat, melius ſeſe habituras res humanas, ſi iureiurando non eſſet opus, ſed inde non ſequitur, illud illicitum. Melius ſeſe haberet genus humanum, ſi non indigeremus iudiciis, poenis, bellis; ſunt haec manifeſta confeſſio iniuſtitiae, ſcelerum, prauae cupiditatis hominum, inde tamen non ſequitur, vt illicita ſint. Ad 2. ex aliis ſcripturae locis patet, iuraiuranda licita eſſe. Dicit Pſalmiſta, *Pſ. XV.* 1. *Domine, quis deget in tabernaculo tuo? quis in tuo ſacro monte habitabit?* et paucis interiectis reſpondet *v.* 4. *qui, quod iurauit alteri, non reuocat.* Videmus etiam, ipſum CHRISTVM iuraſſe: *amen, amen*, quod ſanctiſſimum apud Iudaeos erat iusiurandum. Quin et Apoſtolus dicit in *Epiſt. ad Hebr. VI.* 16. *omnium controuerſiarum finis eſt ius iurandum ad rem confirmandam.* Ergo Chriſtus non abſolute prohibuit ius iurandum, ſed vult, ne temere nullo deferente ſponte iuremus.

Nos argumentamur: quidquid nec reuerentiam erga Deum; nec amorem erga proximum, nec amorem erga nos ipſos violat, illud iure naturae eſt licitum, atqui ius iurandum, cet. ergo, cet. Minorem inde probamus, quia non violat reuerentiam numinis, quin potius illam eo ipſo teſtamur ac profitemur, dum inuocamus vindicem: nec violat amorem proximi, quin illum potius eo ipſo ex incerto certum reddimus, eique ſcrupulum eximimus; denique nec amori noſtri repugnat ius iurandum, quia non prouocamus in nos vindictam pure, ſed conditionate, adeoque ſemper in poteſtate noſtra eſt, diram hanc vindictam euitare.

Eius *finis* §. 2. *forma* §. 3. 4. *modus illud praeſtandi* §. 5.

§. 2.

§. 2.

Iam quaeritur, *quid iuſtum circa ius iurandum*: id vero iudicandum eſt ex fine iuris iurandi, qui alius eſt 1. *reſpectu eius, cui iuratur*, nempe ad eo magis obſtringendum iurantem, vt vel veritatem dicat, vel promiſſum praeſtet. Is finis eſt iudicis, dum ius iurandum defert teſti, is finis Abrahami, dum in verba ſua adegit Eleaſarum. Ratio eſt, quia vidimus, iurantem debere renuntiare diuinae miſericordiae, et in ſe prouocare vindictam diuinam, ſi ſciens fallat: at quum nemo praeſumatur immemor ſalutis aeternae, merito etiam praeſumitur, eum veritatem dictitare, fidemque ſeruaturum, quia ita iurat; 2. ex parte iurantis finis eſt, vt vel alterum certiorem reddat, vel ſuſpicionem a ſe amoliatur, vel liti finem faciat: nam quum iuſiurandum vel praeſtetur de re praeterita, vel futura; illud praeſtatur, vt alterum certiorem faciam, litemque finiam; hoc, vt ſuſpicionem perfidiae a me amoliar, qua de re plura *§. vlt. huius capitis.*

§. 3.

Deinde quaeritur, *per quid iurandum?* Reſp. hoc patet ex definitione: eſt religioſa adſeueratio; ergo non iurandum 1. per res, quas quidem admiramur, ſed non religioſe colimus; hinc abſurda iuraiuranda Iudaeorum per caelum, terram, templum, vrbem Hieroſolymae, *Matth. V.* 34. *XXXIII.* 16. *ſeqq.* 2. exemplo Socratis per caput, anſerem, canem, arbores. Excuſant aliqui haec iuraiuranda Socratica, exiſtimantque cum Porphyrio, *III. de abſtinentia ab anim.* Socratem iuraſſe per creatorem capitis, anſeris: at hoc verbis repugnat, caput enim non ſignificat creatorem capitis; 3. abſurda ergo etiam ſunt iuraiuranda per res nobis cariſſimas concepta, e. g. per animam, per oculos, cet. Ovid. *Amor. III.* 3. 13. *ſeqq.*

Perque ſuos illum nuper iuraſſe recordor,
Perque meos oculos; et doluere mei.

Et Virgilivs *Aeneid. VIIII.* 300.

Per caput hoc iuro, per quod pater ante ſolebat.

Hinc et Chriſtiani veteres iurare nolebant per genium et ſalutem principum. Vid. Tertvllian. *in Apologet.*

Defendit quidem quodam modo haec iuraiuranda Sanderson *de iuram. oblig. pract. I.* §. 4. ſed eodem modo, vt Porphyrivs

 ſenſum

ſenſum nimirum eſſe, iurari per capitis creatorem, cet. Sed ad hoc iam reſpondimus.

PVFENDORFF. in *iur. nat. et gent.* IIII. 2. 3. alio colore illa diluit, quod nempe homo inuocet Deum, vt, ſi ſciens fallat, Deus ſe puniat in parte illa alias cariſſima, anima, capite, oculis. Sed id quoque admitti nequit; quid enim tunc fiat iuriiurando per ſalutem principis? ſi ſciens fallo, puniri principem, ſenſus erit, Nugae! Eiuſmodi impietatem in Regulo cauſſidico reprehendit PLINIVS, *Epiſt.* II. 20. 21. Quomodo homo Deo praeſcribere poteſt; quam poenam a ſe exigere debeat ſupremum numen? ſuperioris eſt, poenam definire, non delinquentis; 4. per res quoque abſtractas fruſtra iuratur; tale fuit Pythagorae iuſiurandum per numerum quaternarium; iuſiurandum equitum a Carolo Gonzaga duce Mantuano creatorum per nobilitatem maiorum. GRAMMOND. *Hiſt. Gall.* V. Turpe ſane eſt, ludere in re tam ſeria; 5. vnus ergo ſupereſt, DEVS omniſcius et iuſtus, per quem iurandum, eum enim ſolum colimus, eum veneramur; quod et Ethnici non ignorarunt, quippe iurantes per Iouem, quem verum Deum putabant.

§. 4.

Praeterea quaeritur, *quomodo concipiendum ſit iusiurandum?* Denuo id diſcimus ex definitione; eſt enim religioſa aſſertio, adeoque procul dubio adtemperandum cuiuſque religioni; ſic abſonum eſſet, Iudaeos adigere, vt iurent per Chriſtum: Chriſtianos, vt iurent per Mahomedem.

Ratio eſt, quia iuraiuranda inuenta, vt homines metu numinis adigantur ad veritatem dicendam, ſeruandumque promiſſum; quomodo vero metu numinis, quod vel non exiſtere, vel falſum eſſe putant, adiguntur ad verum dicendum; potius eo audacius mentientur, quo minus ſibi ab eo metuunt.

Sed quaeritur, *an periurii reus ſit, qui per falſos Deos iurauit?* Adfirmatur, 1. quia religioſa fuit adſertio, ſcilicet ſecundum perſuaſionem iurantis; 2. quia, quantem in ſe fuit, Dei maieſtatem violauit, quamuis in perſona Dei errarit. Non ideo excuſandus erat Scaeuola, quod occiſurus Porſennam regem, eius adminiſtrum occidit. SENECA, *de beneſ.* VIII. 7. *punitur, quia tamquam Deo fecit, opinio illum noſtra ac ſua obligat poenae.*

Similiter quaeri ſolet, *an ſalua conſcientia ferre poſſimus formulam iuriſiurandi falſae religioni adtemperatam?* id quoque adfirmatur; non

non enim probamus iurantis religionem, ſed tantum ea vtimur ad veritatem eruendam. Quemadmodum enim a foeneratore improbo mutuam ſumentes pecuniam, non ideo probant improbum foenus, eo tamen vtuntur, vt neceſſitatibus ſuis conſulant: ita idem ſtatuendum de eiuſmodi iuribus iurandis. GROT. *libr. II. cap.* 13. §. 12. et ibi ZIEGLERVS.

§. 5.

Proxima eſt quaeſtio, *quomodo iuſiurandum praeſtandum?* Reſpondet auctor 1. animo deliberato, id eſt, eo animo, quod velit iurare, eſt enim adſertio religioſa, quae ſine intentione concipi nequit. Hinc facile patet, *a*) non iurare ſecretarium iudicii, qui iusiurandum praelegit, *b*) nec docentem, qui formulam iurisiurandi auditoribus recitat, nec *c*) lectorem, qui iſtam ſcriptam in libro reperit. Hinc quum Acontius inſcripſiſſet iusiurandum pomo, perituam Cydippen, ſi alium amaret, quam Acontium, et Cydippe haec verba legiſſet; primum dubitauerat, an non obſtricta ſit? ſed poſtea rectius ratiocinatur apud OVID. *Epiſt. Heroid. XXI.* 135. *ſeqq.*

Quae iurat mens, eſt; nil coniurauimus illa.
Verba, ſuis fruſtra viribus orba tenes.
Illa fidem dictis addere ſola poteſt.

Et paullo poſt.

Conſilium prudenſque animi ſententia iurat;
Et niſi iudicii vincula nulla valent.
Si tibi coniugium volui promittere noſtrum;
Exige polliciti debita iura tori:
Sed ſi nil dedimus, praeter ſine pectore vocem;
Verba ſuis fruſtra viribus orba tenes.
Non ego iuraui: legi iurantia verba. cet.

2. contra non excuſari a periurio, qui iurauit deliberato animo, poſteaque cauſatur, ſe non id intendiſſe, vt obligaretur. *a*) Contradictorium eſt, velle iurare, et nolle tamen iureiurando obligari; *b*) ita fruſtraneum foret omne iusiurandum, nec vmquam illo fretus poſſet credere, alterum ſe non decepturum. Apud RADEVICVM *in vita Friderici I. imp. II.* 25. Mediolanenſes: *iurauimus quidem, ſed iuramentum attendere non promiſimus.*

§. 6. 7.

Iam ergo de effectu iuriſiurandi ſeu de obligatione iuriſiurandi. Primo certum eſt.

1. Illud

1. Illud obligare ad veritatem dicendam, ſeruandumque promiſſum; fluit id α) ex principio noſtro, ex quo cultum diuinum deduximus, Deum eſſe amandum amore reuerentiae. Ex quo colligimus, eumdem eſſe honorandum timendumque: an dixeris vero, illum honorare ac timere Deum, qui deliberato animo peierat? β) idem fluit ex amore proximi; iubebat ille proximum amare tamquam nos ipſos; ex quo collegimus ſuperiore capite, ſermone eſſe vtendum non ad alterum decipiendum, ſed ad vtilitatem eius promouendam. Iam quum ſermonis ſpecies ſit iuſiurandum, eo quoque vtendum erit in proximi non detrimentum, ſed vtilitatem; id vero non faciunt periuri: periurium ergo repugnat iuri naturae; ergo obligationem producere iuſiurandum eſt certum; illud tantum quaeritur, qualem?

2. Obligatio iuriſiurandi eſt acceſſoria, adeoque ſemper praeſupponit, nos iam ante ad aliquid obſtrictos eſſe; quomodo enim poſſem in me vindictam diuinam prouocare, ſi hoc non praeſtem, niſi ad praeſtationem obſtrictus eſſem. Poena ſane praeſupponit delictum, e. g. ciues praeſtant homagium; tunc ſane non obligari primum incipiunt ex homagio, ſed iam antea obligati erant, eamque obligationem tantum maiorem efficiebant praeſtito illo iureiurando. Ex eo vero patet, a) iuſiurandum non tollere obligationem, acceſſorium enim non tollit principale; ſic abſurdum eſſet, debitorem ideo denegare ſolutionem, quia iurauit, ſe non ſoluturum; b) iuſiurandum dolo malo elicitum non obligare; errans enim dum iurat, ponit obligationem, quae, dum non adeſt, nec iuſiurandum poteſt obligare: acceſſorium ſequitur ſuum principale; exemplum inſigne *Ioſuae I. c*) idem etiam valere, ſi iuſiurandum vi metuue iniuſto extortum ſit, nam tunc deficiente obligatione principali, itidem ceſſabit acceſſorium, e. g. qui latroni cogenti iurauit, ſe 1000. daturum. Obiicit GROTIVS, *ius quidem non naſci latroni, ſed naſci tamen Deo*? Reſp. id falſum eſſe, quia Deus eius modi iuſiurandum non acceptat, quia nihil iniuſtum acceptare poteſt; *d*) rem illicitam non confirmari, vel licitam fieri iureiurando; ſic non obligabatur Dauides, quum per iracundiam iuraſſet, ſe Nabalis vniuerſam familiam euerſurum ob denegatum beneficium, 1. *Sam.* 25. contradictorium enim eſt, vindictam diuinam prouocare in eum caſum, ſi ab illicito facto abſtineamus. Peccat, qui hoc modo iurat; at non peccat, qui hoc iuſiurandum non ſeruat, ſed bis peccaret, ſi ſeruaret. Canoniſtae hoc concedunt de iureiuran-

do ſuper re iure diuino prohibita praeſtito ; at quae legibus humanis prohibentur, ea iureiurando praeſtito praeſtanda putant. Sed id falſum, Deus enim etiam humanas leges ſeruari vult; ergo iuſiurandum non immutare naturam pacti, cui acceſſit ; itaque priora ſponſalia praeferenda, licet vel maxime poſterioribus iuſiurandum acceſſerit.

§. 8.

Haec de obligatione iuriſiurandi : proximum eſt, vt et de eiuſdem interpretatione agamus. Primo ergo tenenda regula:

I. In adimplendo iureiurando omnes cauendae ſunt cauillationes, α) cauillationes enim in iureiurando ſunt ad decipiendum comparatae ; decipere vero iureiurando eſt peierare ; β) iuranti res eſt cum Deo omniſcio, hunc vel fallere velle abſurdum ; γ) cauillans verbis inhaeret, Deus autem mentem intuetur. Hinc turpiter egit captiuus, qui dimiſſus iurauit, ſe in caſtra rediturum, et mox aliquot paſſus progreſſus in caſtra remeauit, ac ſi aliquid oblitus eſſet, et ſic ſe defunctum iuriſiurandi religione putauit. Gell. *Noct. Attic. VII.* 18. Comes *de Fontaine* quum iuraſſet, ſe nec equitem, nec peditem aduerſus Gallos pugnaturum, lectica vectatus eſt. Addit auctor regulam :

II. Quibuſdam caſibus iuſiurandum eſſe ſtricte interpretandum, caſuſque eus modi recenſet : α) ſi iuratum in alicuius odium ex ira alioue animi impetu, quale exemplum eſt *Iud. XXI.* Ita apud Plvtarch. Antigonus Mithridatem occidere conſtituerat, remque crediderat Demetrio, eumque adegerat iureiurando, quod tacere id velit ; hic amici ſalutem metuens haſta inſcripſit arenae : *fuge Mithridates* ; β) quoties quid iureiurando promiſſum ex neceſſitate, quod non ſeruari rei publicae interſit ; e. g. Dauid, 2. *Sam. XVIIII.* 23. Simei ſibi maledicenti promiſerat impunitatem, et tamen Salomoni filio mandauit 1. *Reg. II.* 8. ne incruento fato iſte nequam defungatur ; γ) ſi tacita iuriiurando inſit conditio, aliquem honeſti quid petiturum ; hinc ſtolida religio Herodis occidentis Ioannem Baptiſtam, quia priuignae ſaltatriculae optionem iuratus fecerat quiduis petendi. Haec auctor ; ſed pleraque, quae affert, exempla ad cauillationem pertinent.

Potius ita tenendum, aut abſurdum, quod vel impoſſibile, ſiue phyſice ſiue moraliter, promiſſum, tunc peccatum quidem, ſed iuſiurandum non ſeruandum eſt. Ita recte priuignae potuiſſet Herodes nega-

re caput Ioannis; Ita et Salomo recte matri negauit, quod ipſa petebat, quamuis iuraſſet, 1. *Reg. II.* 20. Aut iureiurando quid promiſſum, quod non eſt impium, abſurdum, impoſſibile, tunc cauillatione non adimpletur, (per *reg. I.*) adeoque peccauit captiuus ille, qui in caſtra obiter remeauit: nec minus peccauit Timoleon, qui quum Milarcho iuratus promiſiſſet, ſe eum non accuſaturum; prodeunte illo in concionem dixit: *ego illum hominem non accuſabo, quia iurato pactus ſum, at interfici celerrime iubeo.* POLYAEN. *Stratagem. libr. V.*

§. 9.

Sed praecipue quaeritur, *quodnam ſit fundamentum interpretationis iuriſiurandi?* recte reſpondetur, diſpiciendum eſſe ad ſententiam et ſcopum, non iurantis, ſed deferentis; nam 1. cuius cauſſa praeſtatur iuſiurandum, ad illius mentem iurandum eſt; at praeſtatur praecipue deferentis, non iurantis cauſſa, ergo cet. 2. ſi ex mente iurantis intelligendum eſſet iuſiurandum, vnuſquiſque poſſet reſeruationibus mentalibus pro lubitu vti, et ſic fruſtraneum foret iuſiurandum, e. g. iurauit Vlyſſes, ſe pacta, quae cum Antenore iniiſſet, ſeruaturum, ac interea cum alio Antenore pactus erat proditionem Troiae; 3. omnis delatio et acceptatio iuriſiurandi eſt pactum; pacto enim vel promiſſo me obſtrinxi ad animi ſenſa de re, de qua quaerit, reuelanda; ergo contra pactum ago, ſi de alia re iuro, quam ille interrogauit. Recte hoc intellexere Romani; hinc quum Cenſores ex aliquo quaererent: *ex animi tui ſententia; habeſne vxorem?* et hic reſponderet; *non ſane ex animi ſententia*; Cenſores eum ſeuere notarunt; reſpondere enim iuratus debebat ex mente Cenſorum, qui non interrogabant, an vxorem ex animi ſententia duxerit? ſed an habeat vxorem?

Aliud 1. ſi quis proprio motu iurato quid promiſerit; tunc enim iuſiurandum eſt interpretandum ex mente iurantis, quia nemo detulit; promiſit quis iurato, ſe templo daturum calicem, et prouiſores iam exigunt aureum.

Aliud quoque obtinet, 2. ſi iurans ex mente deferentis errauit, aliudque intellexit, quam alter ſcire voluit. Sic ſi ille ciuis Romanus in ſenſu interrogationis cenſoriae erraſſet, non peieraſſet, dum reſpondit: *non ſane ex animi ſententia.*

§. 10.

§. 10.

Supereſt vltima pars huius capitis, in qua quaeritur, *quotuplex ſit iuſiurandum*? Praeſtatur 1. aut de re praeterita, et tunc dicitur *aſſertorium*, e. g. iurat reus, ſe nihil debere: aut de re futura, tunc dicitur *promiſſorium*, e. g. homagium, iuſiurandum Salomonis, Herodis, Ahaſueri; 2. aſſertorium praeſtatur vel de facto alieno, et tunc eſt *teſtimoniale*, *ein Zeugen-Eyd*; vel de proprio, et tunc eſt *litis deciſorium*, de quo PAVLLVS *Epiſt. ad Ebr. VI*, 16. *iuſiurandum terminat omnem litem*; 3. litis deciſorium vel defertur a parte parti, et vocatur neceſſarium, vbi aut iurandum, aut referendum eſt, e. g. actor defert reo iuſiurandum ſuper depoſito; vel a iudice alterutri parti, et tunc dicitur iudiciale, e. g. Caiphas adiurabat Ieſum, an ſit Chriſtus? 4. iudiciale aut defertur ſuper quaeſtione, quantum debeatur? aut ſuper quaeſtione, an aliquid factum? priore caſu vocatur iuſiurandum *in litem*; poſteriore *purgatorium*, ſi quis indicia contra ſe militantia iureiurando elidit; modo *ſuppletorium*, quoties ſemiplenam probationem ſupplere iubetur iureiurando. At poſtremum et iuri Romano, et rationi repugnare, docuimus in *Syllog. opuſc. Exerc. XVI. de lubricitate iuriſiurandi ſuppletorii.* Nam 1. ita quis fit teſtis in propria cauſa: et 2. occaſio datur innumeris periuriis ob praemium periurii paratiſſimum, nempe victoriam in cauſa.

CAPVT XII.

DE OFFICIO CIRCA ADQVIRENDVM RERVM DOMINIVM.

§. 1.

ALterum inſtitutum humanum, ex quo fluunt officia hypothetica, eſt DOMINIVM. Vnde hoc capite diſquiritur 1. *de dominii origine*, §. 1. 2. 2. *de eiuſdem natura*, §. 3. 4. 3. *de modis illud adquirendi*, §. 5. *ad fin.*

I. Quod ad dominii originem adtinet, de ea ſubtiliter philoſophati ſunt veteres et recentiores, inprimis ALBERTI, *Comp. iur.*

nat. part. II. §. 4. dominium deducit ex praecepto diuino *Geneſ. I.* 28. Sed 1. Deus ibi non diſtribuit res ſingulis futuris hominibus, adeoque nec dominium aliquod ſingulare conſtituit; 2. locus ille dat facultatem dominium conſtituendi, non ipſum conſtituit dominium; 3. verſamur hic in iure naturae, cuius origines et concluſiones non ex Sacra Scriptura, ſed ex ratione deducendae.

Ceterum recta ratio ſtatim cognoſcit, Deum ius dediſſe vtendi rebus omnibus, quae ad conſeruationem noſtram pertinent; nam 1. qui dedit exiſtentiam, voluit vt exiſteremus, qui vult nos exiſtere, vult vt mediis vtamur, ſine quibus conſeruari non poſſemus. Quumque ſine rebus naturalibus paſſim in orbe obuiis conſeruari non poſſemus, ſequitur, vt earum vſum nobis ac ius vtendi dederit; 2. idem probat finis Dei; is tamquam ens ſapientiſſimum nihil fecit fruſtra; quum vero tam multa creauit, quae aliis creaturis vſum non praeſtant, e. g. aurum, reliqua metalla, materias, ex quibus veſtes, cibi ſapidiores, aedificia, ſuppellex cet. confici poſſunt, procul dubio Deus ea creauit noſtro bono, adeoque ius nobis dedit iis vtendi.

Equidem Stoici longius procedunt, omniaque in vniuerſo mundo hominis cauſſa condita exiſtimant, quod principium etiam in iure noſtro regnat, §. 37. *Inſt, de rer. diuiſ.* CICERO *de offic. libr. I. cap. 6. de natur. Deor. II. 62. ſeqq. de finibus III.* 20. Sed multa ſane ſunt, ad quae nemo mortalium vmquam penetrauit, e. g. in meditullio terrae, in mari, vt taceamus de iis, quae fortaſſis in corporibus caeleſtibus occurrunt; hinc ſatis eſt, ſi dicamus, Deum ius nobis dediſſe vtendi fruendi omnibus, quae ad conſeruationem commoditatemque noſtram faciunt. Eleganter SENECA, *de ira, II.* 27. *nimis nos ſuſpicimus, ſi digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur.*

§. 2.

Poſito hoc iure recta ratio facile cognoſcet, *quomodo ſenſim inde natum ſit dominium*, nimirum 1. vbi ius nobis datur rebus omnibus vtendi, ibi datum eſt etiam ius illas res occupandi; occupatio eſt facti, fuiſſe ergo oportet ſtatum ante occupationem dominio contrarium; iam antequam res occuparentur, erant nullius, et omnibus tamen ius erat illas occupandi, ceu §. 1. demonſtrauimus, ergo ante occupationem erat communio negatiua. Communionem hanc negatiuam definimus eum ſtatum, quo res omnes fuere quod ad proprietatem nullius, quod ad ius vero occupandi, omnibus patebant.

Oc-

2. Occupatio porro fit dupliciter, vt recte obſeruauit Grotivs, vel per vniuerſitatem, vel per fundos ſeu rectius per ſingulos: *per vniuerſitatem*, quando tota multitudo rem occupat, eamque inter ſe diuidit, e. g. Iſraelitae terram Canaan; *per ſingulos*, quando ſinguli ſingula ſibi occupant, veluti Tartari, aliique populi Nomades. Itaque multiplicato primum genere humano neceſſe fuit integras familias, et inde natas gentes totas prouincias communi nomine occupaſſe, eaſque communes habuiſſe: inde nata altera communio, quam poſitiuam appellamus. Eſt vero *communio poſitiua* is ſtatus, quo multi ſimul rem communi nomine occupant, vt ſit ſaltim multitudinis occupantis, et alii ab eius vſu excludantur.

Vnde facile patet differentia communionis negatiuae et poſitiuae: in illa enim 1. res ſunt nullius, in hac ad multitudinem, quae eas occupauit, pertinent; 2. in illa vſus patet promiſcue omnibus, in hac tantum illis, qui ſunt de iſta multitudine; 3. ibi excluditur nemo, hic omnes praeter illam multitudinem. Rebus ſic in communione poſitiua exiſtentibus, commode vti non potuere gentes integrae, vt illae omnibus ſuffecerint; itaque non potuerunt non inter ſe conuenire, cuilibet de illa multitudine ius futurum eſſe, quaedam ſibi, quibus opus eſſet, occupandi; ac proinde ſinguli ſibi occuparunt partem agri, arbores, aliaque neceſſaria ad ſuſtentationem familiae.[a] Eo facto ſtatim natum eſt *dominium*; quaecumque enim ex communibus rebus conſenſu alterius occupo, ea fiunt occupantis, adeoque eſſe in dominio incipiunt.

Iam facile oſtendi poteſt diſcrimen inter communionem poſitiuam et dominium. Nam 1. in illa multi ſunt domini, hoc introducto vnicus; 2. in illa excluduntur omnes extra illam multitudinem, hoc introducto etiam ii, qui ſunt de multitudine illa; 3. in illa nihil eſt ſingulorum, hoc introducto ſingula habent ſuum dominum, adeoque ſunt ſingulorum, qui occuparunt. Non ſine cauſſa addimus: *qui occuparunt*; paullo poſt enim §. 4. oſtendemus, ne hodienum quidem omnia occupata eſſe, adeoque multa nondum facta eſſe ſingulorum, ſed partim in communione poſitiua, partim in negatiua permanſiſſe.

Totus ergo ordo, quo introductum dominium, hic eſt: *a*) omnia fuere in communione negatiua, *b*) multiplicatis hominibus ſingulae familiae, et natae inde gentes occuparunt totos terrae tractus, et ibi conſtituerunt communionem poſitiuam; *c*) denique ſinguli de iſta gente conſentientibus reliquis occuparunt res ſingulas ſibi neceſſarias, et ſic natum eſt dominium.

Id quod cum S. S. egregie congruit; dum enim Deus dixit: *creſcite et multiplicamini*, cet. conſtituit *communionem negatiuam*; dum homines tam poſteri Adami, quam filii et poſteri Noachi ſibi nouas ſedes quaeſiuere, nata eſt communio *poſitiua*; dum denique ſinguli loca quaedam inculta occupare, ſibique colere coeperunt, natum eſt *dominium*: quin eo modo ſeſe res habitura eſſet, ſi gens quaedam hodie immigraret in inſulam quamdam incultam.

§. 3.

Haec de dominii origine: progredimur II. ad *naturam dominii*, quae commodiſſime explicabitur per definitionem.

Eſt *dominium* ius rem corporalem ſibi ita habendi, vt ea ſoli vtamur, nec quiſquam ea ſine conſenſu noſtro vtatur.

Eſt ius.) Vbicumque enim ex parte Dei eſt conceſſio, ibi ex parte noſtra eſt ius rem conceſſam vſibus noſtris adhibendi; atqui ex parte Dei eſſe conceſſionem, probauimus §. 1. eſt ergo ex parte noſtra ius.

Rem corporalem habendi.) Res enim incorporales ſunt iura; iura rebus vel perſonis inhaerent; ſi rebus inhaerent, ſunt conſequentia dominii, non ipſa in dominio ſunt; ſin perſonae inhaerent, ſunt attributa perſonae, ergo plane non cadunt ſub dominium.

Habendi.) Ergo dominii initium eſt poſſeſſio; habere enim dicimur, quae occupauimus, at ſemel facta occupatione, poſſeſſio et animo retinetur, id eſt, maneo dominus et poſſeſſor, quamuis rei non inſiſtam, quia nemini ius eſt, rem ſemel occupatam occupandi.

Nec quiſquam ea ſine conſenſu noſtro vti poterit.) Negat hoc TITIVS, *obſeru.* 282. ſed male; nam ne intelligi quidem poteſt dominium ſine facultate alios ab eius vſu excludendi; fatetur hoc TITIVS, dum concedit, hanc alios excludendi facultatem dominium conſequi, negat tantum, eam ad dominii eſſentiam pertinere.

Sed argumentamur: Sine quocumque non intelligitur dominium, id pertinet ad eius eſſentiam; ſine facultate alios vſu rei excludendi non intelligitur dominium; ea ergo ad dominii eſſentiam pertinet. Sed fraudi fuit TITIO, quod negauit communionem negatiuam, putauitque, ſtatuendum Adamum, quamuis adhuc ſolus in hoc terrarum orbe eſſet, verum tamen ac actuale dominium habere; quod paradoxum ipſe aliter ſaluare non potuit, quam vt negaret, ad dominii eſſentiam pertinere ius excludendi alios.

Cete-

Ceterum quamuis hodie dominium varie diuidi ſoleat, veluti in *plenum* et *minus plenum*, hocque tribuatur domino et vaſallo in feudis, domino emphyteuſeos et emphyteutae in re emphyteutica, domino ſuperficiei et ſuperficiario in ſuperficie, facile tamen patet, haec omnia legibus pactiſque humanis eſſe introducta, adeoque ex iure naturae deriuari non poſſe; iure enim naturae per occupationem quiſque plenum ius conſequitur, adeoque dominium omne eſt plenum, nulliſque circumſcriptum limitibus.

§. 4.

Diximus de natura et definitione dominii: proximum eſt, vt et quaeſtionem ſoluamus, *quibuſnam in rebus dominio locus ſit?* Hoc ex ſuperioribus principiis ita eruimus, 1. quia homines a primaeua illa communione negatiua et poſitiua diſceſſerunt, quod res communes non ſufficerent omnibus; hinc conſequitur, vt non opus ſit dominio rerum inexhauſti vſus, quales ſunt aër, aqua profluens: 2. quumque ideo in dominium redactae ſint res, quia ad conſeruationem noſtram facere videbantur, ſane in dominio habere nemo cupiet res, quae nulli vſui ſunt, e. g. muſcas, mures, araneas, nec ideo quiſquam furti actione pulſatur, quod nobis aliquot mures ex aedibus clam ſubtraxit; 3. denique quum poſſeſſione opus ſit ad dominium adquirendum, eaque ſine apprehenſione ac cuſtodia non intelligitur, non poſſunt in dominio eſſe, quae cuſtodiri nequeunt, id eſt, a quorum vſu alter excludi non poteſt, itaque ex hac quoque ratione aër et aqua profluens non ſunt in dominio. Ovid. *Metam. VI*, 349. *ſeqq.*

Quid prohibetis aquis? vſus communis aquarum.
Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas.

Itaque requiſita rerum, quae dominium recipiunt, ſunt tria: 1. vt ſint exhauſti vſus, nam alias dominio non opus eſt; 2. vt ſint vtiles, nam alias dominium habere nolumus; 3. vt poſſint cuſtodiri, nam alias domini eſſe non poſſumus.

Iam facile decidi poteſt quaeſtio *de dominio maris*, de qua adhuc tanto animorum motu diſceptatum. Dominium maris ex Anglis defenderunt Io. Seldenvs, in *mari clauſo*, *ſeu de dominio maris*, Ionston, *rerum Britannic. libr. XIIII.* Gvil. Velvoodvs,

de dominio maris, iuribuſque ad dominium ſpectantibus. Ex Italis Petr. Baptist. Burgus, *de dominio Genuenſis rei publicae in mari Liguſtico.* In gratiam gentis Danicae et Noruegicae Io. Isaac. Pontanus ſcripſit libros duos *diſcuſſionum hiſtoricarum de mari libero, aduerſus Io. Seldeni mare clauſum.* Contra hoc dominium maris ſcripſerunt praecipue Belgae, Grotius *de mari libero*, Theod. Graswinckel in *Vindiciis maris liberi contra Seldenum*, Vlr. Huberus, *Digreſſ. part. I. libr. IIII. cap.* 14. 15. 16. et nouiſſime Vir ill. Corn. *van* Bynkershoeck in *Diſſert. de dominio maris*, qui modeſtiſſimus. Harum gentium intererat de ea re diſputare propter nauigationes Indicas, itemque propter capturam halecum. Sed Bataui vetera principia paullatim deſeruerunt, poſtquam de ſocietate Oſtendenſi agi coeptum. Nullo partium ſtudio hac de re ſcripſerunt Iac. Gothofred. *de dominio maris*, Io. Strauch. *de dominio maris*, Io. Henr. Boeclerus, in *Min. maris domino*; immo et auctor noſter alienus a partium ſtudio hanc quaeſtionem tractaſſe videtur in *Iur. nat. et gent. libr. IIII. cap.* 5. §. 5.

Quod ad rem ipſam attinet, 1. formandus eſt ſtatus controuerſiae, non eſſe quaeſtionem de Oceano, qui nec exhauſti vſus eſſe, nec cuſtodiri poſſet, adeoque non eſſe poteſt in dominio; ſed de mari quodam prouinciae proximo; itemque non quaeri de iis rebus, quae in mari inexhauſti ſint vſus, e. g. de nauigatione ſola, de aqua marina, cet. ſed de mari, quatenus exhauſti vſus eſt, e. g. quoad commercia, vnionum piſcaturam, capturam piſcium pretioſorum, cet.

Quaeſtio ergo eſt, *an mare particulare quoad res exhauſti vſus ita ſit in dominio, vel potius imperio, alicuius gentis, vt haec alios eius vſu excludere poſſit?* Id affirmamus, quia omnia adſunt requiſita: 1. eſt exhauſti vſus, 2. illae res ſummam praeſtant vtilitatem genti alicui, vel rei publicae, 3. poteſt claſſibus et nauibus occupari et cuſtodiri.

Agnoſcit hoc quoque ill. Bynkershoek. Id tamen ſibi perſuadet, ſic mare non diu poſſe eſſe in dominio, quia claſſibus domum reuerſis ſtatim ceſſat poſſeſſio; ſed audiuimus, poſſeſſionem ſemel adquiſitam etiam animo retineri.

Haec demonſtrant, mare eſſe poſſe in dominio, ſed idem aequum eſſe, vt dominium illud vicinis prouinciis permittatur, ita probatur: amor erga proximum exigit, vt quod nobis denegari

nolim us

nolimus; id nec aliis denegemus; nos iam iniquum putamus, ſi quis nobis negaret vtilitatem ex ea re, ex qua alias omne incommodum ſentimus, ergo nec nos iniquitatis abſolui poterimus, ſi prouinciae denegamus commodum maris, quae incommoda quotidie ſentit.

Obiicitur, 1. mare eſſe inexhauſti vſus; ad id iam reſpondimus; 2. mare non eſſe in commercio; eſt petitio principii, de eo enim quaeſtio eſt; 3. eſſe fluidum, adeoque non poſſe cuſtodiri; Reſp. poteſt omnino per claſſes, praeterea aqua marina eſt fluida, non mare; 4. mare ſic eſſe acceſſorium, terram principale, mare vero plerumque terra maius eſſe. Reſp. quid tum? America Hiſpanica acceſſorium eſt Hiſpaniae, et ea tamen Hiſpania multo maior eſt.

Ceterum effectus huius dominii ſunt; 1. prohibere nauigantes, piſcantes, vniones colligentes certis locis; 2. leges maritimas et nauticas dare; 3. piratas perſequi, ab iiſque ſupplicium ſumere; 4. vectigalia colligere a praeternauigantibus. Signum eius dominii Venetiis eſt deſponſatio cum mari; alibi demiſſio veli, cuius veſtigium in antiquitate quoque prehendit Lipsivs *Elector. I.* 23. Conf. Loccenivs, *de iure maritimo, cap.* 4. *§.* 10.

§. 5.

Progredimur *III.* ad *modos adquirendi dominium*, quos auctor recte diuidit cum Grotio, *libr. II. cap.* 3. *§.* 1. in *originarios*, quibus dominium adquirimus rei in nullius dominio conſtitutae, e. g. ſi quis adquirit examen apum; 2. *deriuatiuos*, quibus adquirimus dominium rei in alterius dominio iam conſtitutae, e. g. ſi quis praeuia emtione vel donatione aluearium a ruſtico traditum accipit.

Originarios Pvfendorffivs ſubdiuidit in eos, qui tales ſunt *a*) *in ſe*, quando ipſam rei ſubſtantiam antea in nullius dominio conſtitutam adquirimus, e. g. examen apum: *b*) *ſecundum quid*, quoties adquirimus incrementum, quod ei accedit, e. g. mel.

Obiicit Titivs, *Obſeru.* 290. hanc ſubdiuiſionem etiam ad modos deriuatiuos pertinere? ſed nego; fructus enim et acceſſiones non traditos accipimus tamquam fructus, ſed tamquam partem ſubſtantiae, nos vero loquimur de fructibus futuris.

Iam agitur 1. *de modis originariis a*) *in ſe et ſimpliciter talibus*, §. *6. b*) *ſecundum quid talibus*, *§.* 7. 8. 2. *de modis deriuatiuis*, §. 9. *ad fin.*

§. 6.

Modus *in ſe* et *ſimpliciter* talis eſt *occupatio*, quae eſt apprehenſio rerum nullius, animo ſibi habendi facta. Requiritur ergo.

1. *Vt res ſit nullius*. Quae nullius ſunt, cedunt occupanti, quia nemini eſt ius contradicendi, neque rei vſu excludendi: nullius autem poteſt eſſe res, partim quod nullum habuit dominum, e. g. piſcis mari eiectus; partim quod dominus rem pro relicta habuit, e. g. pecten, quem caluus apud PHAEDRVM inuenit; et hoc iure theſauros noſtros facimus, ſi vere tales ſint, id eſt, veteres peniae pro derelictis habitae; vtrumque ergo per occupationem cedit occupanti; contra ex hoc patet, res amiſſas, bona naufragorum, cet. non fieri occupantis, quia neutro ſenſu ſunt nullius.

2. *Animus ſibi habendi*; ſine illo enim adprehenſio eſt actio mere phyſica vel naturalis, non humana et moralis, adeoque effectum moralem producere nequit, e. g. ſi gallina vnionem vel gemmam e ſterquilinio eruat, non ideo ſit domina, adeoque nec furioſus, mente captus.

3. *Adprehenſio*, et quidem tali modo facta, quae vſitata eſt circa huius modi res; e. g. feras poſſum adprehendere manu, venabulo, retibus, cet. auiculas telo, laqueo, viſco.

Solus animus ſine adprehenſione non tribuit dominium, e. g. ſi aureum nummum Titius prior e feneſtra viderit, ſibique verbis adſeruerit, Maeuius vero eumdem prior adprehenderit, Maeuius procul dubio dominium conſequetur. Vnde ſoluenda elegans quaeſtio de Acantho inſula et vrbe deſerta, quam Chalcidenſium legatus primus introiit, Andriorum legatus prior iaculo petiit, PLVTARCH. *Quaeſt Graec.* 29.

4. Occupatio quum fiat vel per vniuerſitatem, vel per fundos, conſequens eſt, vt in prouincia per vniuerſitatem adquiſita nihil ſit nullius; cuius enim eſt tota prouincia, eius ſunt omnia, quae illa continentur, e. g. ferae, piſces, flumina, metalla, ſiluae; hinc omnia haec pertinent ad populum, vocanturque *res publicae*.

At quia commode diuidi non poſſunt, et facile per communionem plane extinguerentur, e. g. ferae nullae ſuperfuturae eſſent, ſi ſingulis promiſcue venari liceret), hinc populus ea principi relinquere maluit, ac proinde hodie referuntur ad regalia.

§. 7.

§. 7.

Hic modus adquirendi originarius in ſe et ſimpliciter talis: ſequitur alter ſecundum quid talis, puta *acceſſio*; Haec nihil aliud eſt, quam adquiſitio incrementi, quod rei noſtrae ſiue natura, ſiue opera noſtra, ſiue vtraque accedit. Ea eſt vel *naturalis*, quam naturae beneficio debemus, e. g. alluuio, foetus animalium; *induſtrialis*, quae induſtria noſtra accedit, e. g. forma annuli ex auro, ſcriptura vel pictura chartae; *mixta*, quam et naturae, et induſtriae debemus, e. g. ſatio, plantatio.

Subtiliter equidem de hac acceſſione philoſophantur ICti Romani; ſed generalis regula eſt iuris naturae: *acceſſorium ſequitur ſuum principale*, ſi vel e re noſtra eſt, vel incertae originis, vel ſeparatio commode fieri non poteſt; ſi certa eſt origo, vel rei fungibili accedit, potius reſtituendum erit priori domino, vel ei, qui induſtriam habuit.

Regulam hanc probamus: 1. quia, qui ſemel dominus eſt, illud dominium ſine conſenſu vel culpa ſua amittere nequit; ſi ergo de domino conſtat, illi res reſtituenda; hinc e. g. vi fluminis abrupta terra merito relinquenda priori domino, non eſt alluuio; 2. ſi res fungibilis eſt, cui aliquid accedit, non poteſt admittere pretium affectionis; tantumdem enim tunc eſt idem, adeoque abſurdum, et amori aduerſum eſſet, ſi retinere vellem acceſſorium, quod tale pretium admittit: hinc ſi alienae chartae inſcripſi, charta merito cedit ſcripturae, quia illa pretium adfectionis non admittit, haec admittit; 3. quod commode ſeparari poteſt, id procul dubio reddendum, quia nulla cauſſa, nullusque titulus eſt, ob quem ego mihi retinere velim, e. g. ſi quis capulum alienum enſi meo adferruminarit; 4. ſi commode ſeparari non poteſt, tunc res ſeparata domino priori vtilitatem non praeſtat, mihi praeſtat, ergo merito ſoluto pretio retineo; *ſoluto pretio*, inquam, quia nemo debet cum alterius damno locupletior fieri. Ex hac regula iam de omnibus caſibus poteſt iudicari.

Naturales: 1. Partus ſequitur ventrem, eſt enim e re mea.

2. Alluuio eſt mea, quia incertae eſt originis.

3. Vis fluminis non mutat dominium, quia origo certa.

4. Noua inſula eſt acceſſorium fluminis.

5. Alueus eſt pars fluminis, ergo eiuſdem erit, cuius flumen.

Induſtriales 1. Adferruminata plerumque commode ſeparantur; aeque ac incluſa, non vero intexta.

2. Tabula et charta procul dubio cedunt ſcripturae et picturae.

3. Species noua procul dubio pertinet ad ſpecificantem, quia materia pretium adfectionis non admittit.

Mixtae. 1. Satio me reddit dominum, ſi ager eſt meus, ſeparari enim res commode non poteſt; planta plerumque ſeparari poteſt, ergo recte vindicatur.

2. Aedificium e lapidibus conſtans non commode, nec ſine ſumtu ſeparatur, ergo manet eius, cuius eſt ſolum; at ſi e lignis, diſtinguendum, an iam perfectum ſit, an tantum ligna iuncta; priore caſu itidem ſeparari ſine incommodo nequit, poſteriore poteſt.

3. Bonae fidei poſſeſſorem fructus lucrari, vel ideo aequiſſimum, quia eius opera prouenerunt, iſque per iuſtum errorem ſe pro domino habuit.

Ita facile patet, pleraque, quae ſtatuit circa eam rem ius Romanum, ſubtilia magis eſſe, quam aequitati conſentanea.

§. 8.

Interſerit hic auctor quaeſtionem, *qui fiat, vt non ſemper dominus, ſed aliquando tertius acceſſiones vel fructus e re noſtra capiat?* Reſp. id fieri per pacta, qualibus complura iura introduci poſſunt. Nam e. g. ſi cui concedo 1. partem dominii, vt omnibus fructibus vti poſſit, id vocatur *dominium vtile*; ſin concedo creditori 2. poſſeſſionem rei meae in ſecuritatem crediti, dicitur *pignus*; et quidem ſi ſimul concedo 3. ius vtendi fructibus, *antichreſis*; ſi 4. vtilitatem concedo in meo praedio vel perſonae, vel praedio alterius id vocatur *ſeruitus*, ſiue *perſonalis*, vti vſusfructus, vſus, et habitatio; ſiue *realis*, e. g. iter, actus, via.

Sed haec omnia ſunt ex iure ciuili: ius naturae quidem haec non improbat, ſed nec introduxit; non praecipit, ſed permittit.

§. 9.

Iam ſequuntur modi adquirendi deriuatiui. Hic ante omnia obſeruandum, iure ciuili aliud eſſe *titulum*, aliud *modum adquirendi*; illum dare tantum ius ad rem, hunc ius in re. Sed hanc differentiam ius naturae ignorat; iure enim naturae, vt recte obſeruauit GROTIVS, II. 8. 25. ad transferendum dominium ſola ſufficit domini voluntas, et nec traditio, nec quidquam aliud requiritur.

Op-

Opponit Hertivs, *ad Pufend. libr. IIII. cap. 9. §. 8.* 1. dominium a naturali poſſeſſione coepiſſe; 2. eſſe ius in ipſam rei ſubſtantiam; 3. ita nullam fore differentiam inter conuentiones, et modos adquirendi; 4. repugnare vſum gentium.

Sed quum 1. ICti concedant dominium in vltimis voluntatibus transferri poſſe ſine traditione; 2. ius in rei ſubſtantia habere poſſim ſine traditione, veluti in pignore; 3. differentia inter conuentiones et modos adquirendi ſit tantum iuris ciuilis; 4. mores gentium non faciant ius naturae: merito ſententiae Grotii ſubſcribimus.

Hinc non mirum, quaedam ab auctore huc referri, quae alios ad titulos potius referri ſolent in iure ciuili.

Ceterum auctor agit de *modis adquirendi deriuatiuis*, qui deſcendunt 1. *ex diſpoſitione legis per ſucceſſionem ab inteſtato*, §. 10. 11. 2. *facto prioris domini.* Tunc vero transfertur vel a) *vniuerſitas bonorum*, §. 12. b) *portio bonorum*, idque α) vel *volente domino*, §. 13. β) vel *eo inuito*, §. 14. 15.

§. 10.

Primus adquirendi modus deriuatiuus eſt ex *diſpoſitione legis*; ex hac autem adquirimus per *ſucceſſionem ab inteſtato.*

Itaque 1. non difficile eſt contra Io. a Felde *ad* Grot. *libr. II. cap. 7. §. 3.* demonſtrare, rectae rationi conſentaneum eſſe, bona defunctorum non fieri ἀδέσποτα, ſed in iis aliquem ſuccedere: 1. aut enim ea magiſtratus vindicare deberet, aut cuiuis cederent occupanti.

Si prius fieret, plane futurum eſſet, vt nihil amplius eſſet in priuatorum dominio; ſin poſterius, naſcerentur innumerae turbae, et, ſi cum Hobbesio loqui liceret, bellum omnium in omnes.

2. Vnuſquiſque quando adquirit, eum ſibi proponit finem, vt non modo ſibi, ſed et ſuis bene ſit; quin magis quiſque pro his laborat, quam pro illis; atqui bene non futurum eſſet noſtris, niſi ſucceſſio quaedam in bona defunctorum daretur, debet ergo ſucceſſio quaedam in bona defunctorum dari.

Sed iam quaeritur, *quodnam praeſupponi oporteat ſucceſſionis huius fundamentum?* Veteres duo habuerunt huius modi fundamenta: primum eſt, conſeruatio familiarum; poſterius, praeſumpta voluntas defuncti.

Si prius recipimus fundamentum, tunc regula erit: *Quicumque pertinent ad familiam, illi ſuccedunt, reliqui excluduntur.*

 Hinc

Hinc 1. Hebraei filiis plus dabant, quam filiabus; ſi hae eſſent heredes ex aſſe, eas cogebant nubere proximo agnato; 2. Romani veteres ideo tantum admittebant liberos ſuos, non emancipatos; agnatos, non cognatos; quin ideo inter matrem et liberos nulla erat ſucceſſio vetere iure; aliquando et feminae excludebantur per legem Voconiam, de qua vid. IAC. PERIZONII *Diſſ. ad leg. Voconiam*, noſtris auſpiciis Halae recuſam.

Sin poſterius fundamentum ponimus, regula erit: *Quoſcumque defunctus ordine naturae praeſumitur quam maxime dilexiſſe, illi ſuccedunt.*

Hunc ordinem ſequutus eſt IVSTINIANVS in *Nouella CXVIII.* in qua ſtatuit, vt liberi ſeu deſcendentes ante omnes ſuccedant; his non exiſtentibus, aſcendentes; ac denique, iis deficientibus, collaterales, ſine diſcrimine ſuorum ac emancipatorum, agnatorum et cognatorum, maſculorum et feminarum.

Vtra ergo ex his ſententiis vero ſimilior? procul dubio poſterior, quod inde demonſtratur: fundamentum omnium officiorum erga proximum eſt *amor*; eius haec eſt indoles, vt quo quis mihi eſt ſanguine propior, eo magis optem ei bene eſſe; ergo proximis ſanguine bene eſſe prae ceteris volo; ergo et lubentiſſime illis relicta volo bona, quibus ipſe amplius vti nequeo.

§. II.

Iam facile patet, *quis ſuccedendi ordo inde ſequatur*? nam 1. experientia docet, neminem nobis eſſe cariorem liberis, quos ipſa nobis commendat natura; hinc Apoſtolus PAVLLVS, *Epiſt. ad Rom. VIIII.* 17. *ſi liberi, ergo et heredes.* Quemadmodum vero iure naturae nulla eſt inter maſculos et feminas, ſuos et emancipatos differentia, quos boni parentes pari modo complectuntur, maxime quum hoc diſcrimen demum ius ciuile repererit; ita et procul dubio illegitimos admittit.

Negat id auctor, quia ipſa ratio et decorum vitae legitimis pro illegitimis faueat; ſed inde non ſequitur, vt hi ſucceſſione iure naturae excludendi ſint; ipſi enim nihil aduerſus rectam rationem admiſerunt, cur priuandi ſint hoc commodo, ſed parentum culpa eſt, ob quam eo magis his liberis ſucceſſionem deberi putandum eſt.

Quid ſi filius, ſiue legitimus, ſiue illegimus, male ſe aduerſus parentem geſſerit? tunc aut declarauit parens, filium excluſum eſſe debere; et ſtan-

ſtandum omnino eius voluntati, quia praeſumtio cedit veritati; aut non declarauit, et merito creditur, patrem filio ignouiſſe.

2. Si liberi gradus prioris non ſuperſunt, merito ſequuntur nepotes, pronepotes, et quidem aequiſſimum tunc eſt ius repraeſentationis; qui ſuccedunt in locum, ſuccedunt in ius; nepotes ſuccedunt in locum liberorum, ex quibus nati ſunt, ſuccedunt ergo in eorum ius; hinc et eorum portionem merito capiunt. Dico: aequiſſimum hoc eſſe; id enim ius naturae praecipere abſolute nemo dixerit.

3. Si deſcendentes non ſint, merito ſucceſſio adſcendentibus defertur, idque quia experientia docet, poſt liberos parentes nobis eſſe cariſſimos, exigit etiam id amor et gratus animus, vt, a quibus ab incunabulis alimenta accepimus, iis, deficientibus liberis, bona relinquamus.

4. His quoque non ſuperſtitibus, fratres et ſorores ſuccedunt, nec iniquum eſt, hic germanos vnilateralibus praeferri.

5. Denique his non exſtantibus, quilibet gradu proximi.

Huc vſque ius naturae pertingere poteſt: at quum haec ſola aequitate nitantur, adeoque iuris naturae magis permiſſiui, quam praeceptiui ſint, facile largimur, ea omnia mutari poſſe legibus ciuilibus; hinc animaduertimus,

1. In Dania et Sleſwicenſi Ducatu filios duplam portionem accipere: iure feudali filias ſolis alimentis et dote contentas eſſe iuberi.

2. In Auſtria adſcendentes plane excludi.

3. Inter collaterales alibi ſucceſſionem gradualem, alibi linealem obtinere.

4. In plerisque legibus rationem etiam vel maxime haberi coniugum, quibus ſaltem portio aliqua ſtatutaria conceditur.

§. 12.

Eſt hic modus adquirendi deriuatiuus ex diſpoſitione legis; ſequitur alter *ex facto prioris domini.* Quumque hoc modo adquiratur vel vniuerſitas bonorum, vel res ſingularis, prius fit *per teſtamentum*, de quo hac paragrapho agendum.

Praecipua et vnica quaeſtio eſt, *an teſtamenta iuri naturae ſint conſentanea?* Adfirmant GROTIVS, PVFENDORFFIVS, et plerique alii: Negant MERILLIVS, *Obſeru. VIII.* 25. THOMASIVS in *Iuris prud. diuin.* aliique, idque

1. Ex ea ratione, quod nemo poſſit velle poſt mortem; argumen-

mentantur: omnis tranſlatio dominii fieri debet, quando dominus adhuc velle poteſt; teſtamento non transfertur dominium, quando dominus adhuc velle poteſt; ergo teſtamento non fit tranſlatio dominii. Minor clara eſt: non enim ad heredem tranſit dominium, viuo adhuc teſtatore, ſed demum eo mortuo; nam quoad viuit, voluntatem ſuam pro lubitu mutare poteſt.

2. Teſtamento mutantur leges de ſucceſſione ab inteſtato, abſurdum autem eſt, leges priuata alicuius voluntate mutari.

3. Plerumque teſtamenta conduntur ex odio inuidiaque erga propinquos; his prauis affectibus iura aſſiſtere nequeunt. At GROTIVS, *libr. II. cap. 6. §. 14.* vt *teſtamenta* iuris naturae et gentium eſſe probaret, teſtamentum ita definit: eſſe *alienationem vniuerſi patrimonii in mortis eventum, ante eam reuocabilem, retento interim iure poſſidendi et fruendi.* Iam colligit, domino licere alienare, licere id facere ſub conditione, vel in euentum mortis, licere alienare reuocabiliter, denique licere ſibi reſeruare poſſeſſionem et vſumfructum, ergo licitum iure naturae eſſe teſtamentum.

Sed male definiuit GROTIVS: 1. falſum enim eſt, per teſtamentum fieri alienationem, quia manet teſtator dominus; 2. falſum, alienationem factam in euentum mortis; nam ſic heres haberet ius quaeſitum, quod ei auferri non poſſet, et tamen teſtatoris voluntas eſt ambulatoria vſque ad mortem; 3. falſum ergo etiam, teſtamento factam alienationem reuocabilem, vbi enim plane facta non eſt alienatio, ibi et reuocabiliter facta eſſe dici nequit; 4. falſum denique, teſtatorem ſibi reſeruare poſſeſſionem et vſumfructum; vere enim retinet dominium, et nullum ius in heredem transfert, ſed vult, vt illud tum demum tranſeat, quando nihil amplius velle poteſt, id eſt, poſt mortem. Quum ergo GROTIVS totam deciſionem ſuam ſuperſtruat definitioni falſae, tota quoque demonſtratio, quae inde petita, falſa ſit oportet. *Teſtamentum* enim potius eſt *voluntas viuentis de bonis ſuis poſt mortem in alios transferendis.*

Manet ergo fixum et firmum, teſtamenta non eſſe ex iure naturae, quia tranſire iubent dominium in id tempus, quando amplius velle non poteſt.

Agnouit hanc difficultatem LEIBNITIVS, ſed putauit, eam difficultatem euanituram, ſi mens ſtatuatur immortalis, quaſi vero mens immortalis adhuc de bonis in terrarum orbe relictis ſit ſollicita.

Quum ergo teſtamentum non ſit ex iure naturae, fruſtranea futura

ſutura eſſet quaeſtio, quaenam ſollemnitates requirantur in teſtamento, et quae alia eius ſint requiſita; omnia enim haec ex iure ciuili ſingulorum locorum, non ex iure naturae diſcenda ſunt.

§. 13.

Ita facto prioris domini ex mente auctoris tranſmittitur dominium vniuerſorum bonorum per teſtamentum.

Iam explicaturus et *tranſlationem rerum ſingularium*, eam fieri obſeruat vel *volente domino*, vel *eo inuito*. Si volente domino, id fit vel gratis per donationem, vel titulo oneroſo per contractum. Sed de contractibus infra. Iam tantum obſeruandum, non omnes contractus rem transferre titulo oneroſo, e. g. commodatum, depoſitum.

Donatio, de qua hac paragrapho, eſt gratuita dominii in alterum acceptantem tranſlatio, vel eſt pactum de rei dominio in alterum acceptantem gratis transferendo.

Diuidunt eam ICti in eam, quae eſt *inter viuos*, et *mortis cauſſa*; ſed donatio mortis cauſſa iiſdem difficultatibus premitur, ac teſtamentum; nam et hic transfertur dominium ex eo tempore, quo id velle donator non poteſt, ergo et haec non eſt ex iure naturae, ſed ex ſolo iure ciuili; iure naturae omnis donatio inter viuos eſt.

Rectius dicere poſſimus, donationem eſſe vel vniuerſorum bonorum, vel rei ſingularis; illa vere erat veterum teſtamentum. Vide exemplum Cyri apud XENOPHONT. in *Cyropaedia*, *libr. VIII. Geneſ. XXV.* 5. 1. *Reg. I.* 35. SIRACID. *X.* 25. Conf. PVFENDORFF. *Iur. nat. et gent. libr. IIII. cap.* 10. §. 5.

Sed in donatione quae ſint officia obſeruanda facile patet: 1. donatio eſt pactum, et hinc requirit acceptationem; 2. eadem ex eadem ratione transfert in alterum ius, quod auferri non poteſt, ſcilicet dominium, ergo 3. donatio ſua natura eſt irreuocabilis, denique 4. eadem eſt gratuita, adeoque obligat tantum ad gratitudinem.

§. 14.

Quibuſdam caſibus et inuito domino in alterum tranſit dominium? 1. Per modum poenae in ciuitatibus, e. g. quando quis condemnatur in mulctam, quando bona rediguntur in fiſcum, cet. 2. per occupationem bellicam in ſtatu naturali, e. g. quoties hoſtis hoſti oppida, pecunias, tormenta, commeatum eripit.

Quod ad prius attinet, nullum dubium eſt, eius modi poenam locum habere, nam poena eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis a ſuperiore: iam iactura pecuniae et bonorum eſt malum paſſionis, quin tale malum, quod grauius ſaepe adfligit hominem, quam ipſe corporis dolor, ergo a ſuperiore per modum poenae omnino poteſt infligi.

Obiiciunt quidem, *ita poenam magis ad innocentes coniuges et liberos pertinere, quam ad delinquentem ipſum?* Sed reſp. 1. id fieri indirecte, et in nulla poena prorſus id euitari poſſe, nam et liberi indirecte patiuntur aliquam infamiam et iacturam, ſi pater ob delictum gladio percutitur, laqueo ſuffocatur, cet. 2. culpa haec eſt patris delinquentis non principis vel iudicis punientis; hic iure ſuo vtitur, adeoque nemini facit iniuriam.

Interim laudanda legiſlatorum Romanorum humanitas, qui his caſibus liberis aliquam bonorum partem relinquebant, ne alimentis deſtituerentur, *L.* 1. et 7. *D. de bon. damn.* Immanis contra eſt *L.* 5. *C. ad leg. Iul. maieſt.* quae liberos perduellium ad perpetuam paupertatem damnat.

Quod ad ſecundum ius attinet, leges Romanae id referunt ad occupationem, adeoque ſtatuunt, bona hoſtium eſſe nullius. Quamuis enim hoſtes dominium habeant ratione aliorum hominum, non tamen domini ſunt ratione hoſtium, quippe quos vſu ſuarum rerum excludere non poſſunt; hinc argumentantur: Quemcumque ab vſu rerum noſtrarum excludere non poſſumus, eius contemplatione non ſumus domini; atqui hoſtes ab vſu rerum noſtrarum excludere non poſſumus, ergo contemplatione hoſtium non ſumus domini.

Si ergo non ſumus domini ratione hoſtium, res noſtrae contemplatione eorum ſunt nullius, adeoque cedunt occupanti.

Sed haec ſubtilia magis, quam vera; nam 1. ſi non eſſemus domini contemplatione hoſtium, res noſtras aduerſus illos ne defendere quidem poſſemus; 2. reuera per bellum nulla adhuc eſt adquiſitio: quemadmodum enim hoſti ius fuit aliquid nobis eripiendi, ita nobis ius eſt recuperandi; cuius vero futura ſit, demum pacis conditionibus determinatur?

Itaque rectius dicimus, ius illud hoſti res eripiendi eſſe ex ipſo belli iure; hoſti in hoſtem in infinitum ius eſſe, donec ad pacem ſit procliuis, ergo et ipſi quaeuis eripere licet; eius autem dominium non ſtatim quis adquirit, ſed tum demum, quando pacis legibus ceditur.

§. 15.

§. 15.

Denique inuitis nobis dominium etiam transfertur per *vſucapionem*, quae eſt adquiſitio dominii per poſſeſſionem temporis lege definiti.

De ea quaeritur 1. *an ſit licita?* idque adfirmandum, *a*) quia, qui res ſuas non vindicat iuſto tempore, ipſe in culpa eſt, adeoque rem veluti pro derelicta habuit; vid. *Iudic. II*, 14. *b*) quia intereſt rei publicae et communis tranquillitatis, dominia eſſe certa.

Sed alia quaeſtio eſt, 2. *an vſucapio ſit iuris naturae?* id quod merito negamus: nam *a*) ius naturae nullum tempus definit, quamdiu quis poſſidere rem debeat, vt dominium conſequatur; illud plane ex iure ciuili eſt; *b*) tempus in ſe non poteſt vel dominium dare, vel eripere, quia eſt idea relatiua, quae nihil operari poteſt; *c*) non praeſumi poteſt pro derelicta habita, quam poſtea vindico, quando vindicandi occaſio eſt.

Ergo ita dici poteſt, non iniquum eſſe, vt admittatur vel adquiratur dominium a poſſidente, 1. ſi quis neſciat, alium dominum eſſe, adeoque bona fide et iuſto titulo poſſideat; 2. ſi dominus ſciat, alium poſſidere, et tamen rem non vindicet; 3. ſi tam diu quieſcat, vt iure inde colligi poſſit, eum pro derelicta rem habuiſſe. Sed tunc proprie non eſt praeſcriptio vel vſucapio, quia tempus certum non eſt lege definitum, ſed erit ſpecies occupationis ſecundum regulam: *Quae nullius ſunt, cedunt occupanti*, res enim pro derelictis habitas nullius eſſe nemo negauerit. Idemque obtinet inter gentes; negabant id Galli apud CAMBDENVM *ad annum* 1567. idemque ſingulari *diſſ.* egit PVTEANVS: ſed ei vindicias pro Grotio oppoſuit WERLHOFIVS.

CAPVT XIII.

DE OFFICIIS, QVAE EX DOMINIO RERVM PER SE RESVLTANT.

§. 1.

EGimus hactenus de dominio in ſe conſiderato, eiuſque tum origine, tum adquiſitione. Quum ergo dominium ſit ius, ſequitur, vt et effectum ſuum habere debeat; vbi enim ex mea parte ius, ibi ex altera eſt obligatio.

Quaeritur ergo, *in quonam conſiſtat obligatio noſtra erga dominum?* Auctor noſter varios caſus conſiderat, quaeritque *ad quid obligati ſimus* 1. *ſi res ſit penes verum dominum*, §. 1. 2. *ſi res in alterius poteſtate ſit*, §. 2. *ad fin.*

Si res eſt penes verum dominum, tenenda eſt regula: *Quilibet tenetur alterum* (non hoſtem) *pati rebus ſuis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, interuertere, aut ad ſe trahere ſuſtineat*; *a*) amandus enim proximus tamquam nos ipſi; itaque quod nobis fieri nolumus, alteri facere non debemus; at nolumus ipſi priuari dominio noſtro, ergo nec alios eo priuare debemus; *b*) fluit idem ex natura dominii, dominus enim gaudet iure alios vſu rerum ſuarum excludendi, ergo obligatus ſum, vt res alienas, a quibus iure excluſus ſum, non appetam.

Ex eo ergo fluit, 1. contra ius naturae eſſe furtum, quippe quod eſt ablatio rei alienae inuito domino facta, adeoque errare SALMASIVM, *de vſuris cap.* 9. qui furtum iuri naturae repugnare negat; 2. non minus eidem repugnare rapinam, ob eamdem rationem: differt autem rapina a furto, quia hoc fit fraudulenter, illa vero vi; 3. damnum in rebus alteri illatum, nec non 4. quamlibet defraudationem iuri naturae quam maxime aduerſari; 5. crimen termini moti.

§. 2.

Hoc primum officium, cui locus eſt, quando res penes dominum eſt. Quid vero *ſi penes alium?* tunc obtinet regula: *Quando res peruenit ad nos ſine noſtro crimine, et bona noſtra fide, eamque adhuc*

huc in noſtra poteſtate habemus, tenemur efficere, quantum in nobis eſt, vt illa in poteſtatem legitimi ſui domini redeat, id eſt, bonae fidei poſſeſſor tenetur curare, vt res in poteſtatem legitimam redeat; 1. hoc iterum exigit amor, nam et ego volo, vt qui rem meam poſſidet, eam mihi reſtituat, ergo et ego teneor.

Auctor *lib. IIII. cap.* 13. *§.* 5. id officium deducit ex communi et vniuerſali conuentione hominum, quaſi pacti ſint inter ſe homines, vt quod in dominium ſemel redactum domino reſtituatur, ſed eius modi conuentionem vmquam factam eſſe probari nequit, ideoque illa fingitur; rectius ergo hoc deducimus ex amore, ſimulque 2. ex natura dominii: quum enim illud ſit ius, et ſupra *cap. 6. §. 3.* demonſtratum, nullius ius interuertendum eſſe, conſequens eſt, vt nec dominium proximo interuertere poſſimus, adeoque operam dare teneamur, vt dominus rem ſuam recipiat.

Inde ſequitur: 1. neminem debere res ſibi comparare, quas ſcit alienas; 2. res inuentas ſtatim reddendas, ſimulac verum dominum ſciamus, *Deuter. XXII.* 1. *ſeqq.* 3. domino res ſuas requirenti eas non eſſe celandas; neque tamen impenſis noſtris; 4. aeque furem eſſe, qui res celat, quam qui ſurripit.

Quaeritur autem, an officium hoc ſuperet alterum, quod ex pacto eſt; e. g. ſi fur apud aliquem inſcium rem furtiuam depoſuerit, et dominus verus ſuperueniat, remque ſuam eſſe probet, an furi res reddenda, an domino? illi ſane ex conuentione, puta depoſito, tenetur; huic ex lege naturali? Reſp. vero domino res reſtituenda; pactum enim contra legem non valet; hic autem eſt lex naturalis, ergo per pactum tolli non potuit.

§. 3.

De eodem caſu, *quando quis bona fide poſſidet*, eſt tertia regula: *Si res bona fide adquiſita conſumta, tantum reſtituendum, in quantum ſumus facti locupletiores*; quamdiu enim in bona fide ſum, puto me dominum, dominus poteſt rem ſuam conſumere, ergo et eam rem mihi bona fide adquiſitam conſumere potui; at quum tamen locupletior fieri non debeam cum alterius damno, merito reſtituo id, quo factus ſum locupletior; e. g. emi alienum frumentum et conſumſi, tantum reſtituere teneor, quantum interea lucratus ſum, dum frumentum emere non debui.

§. 4.

Pertinet eodem regula quarta: *Poſſeſſor bonae fidei non tenetur ad vllam reſtitutionem, ſi res caſu periit;* nam 1. caſum in re aliena nemo praeſtat, qui in bona fide eſt, quia ipſi rei interitus non poteſt imputari; 2. rem reſtituere nequit, quia illa non exſtat; 3. locupletior re pereunte non factus eſt, ergo nec fructus reſtituere poteſt, ergo plane nihil reſtituit; aliud ſi quid ex re, quae periit, ſupereſt, e. g. equi demortui ſuperſunt ornamenta, haec reſtituenda, vel domus incendio deletae ſupereſt area, haec reſtituenda, ne cum alterius damno fiam locupletior.

§. 5.

Regula quinta: *Bonae fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendos fructus exſtantes;* a) cuius enim eſt res, eius et fructus; b) fieret bonae fidei poſſeſſor cum alterius damno locupletior, ſi hos fructus exſtantes ſibi retineret. At ob eamdem cauſſam, quod nemo debeat cum alterius damno locupletior fieri, recte ab auctore obſeruatum, fructus reſtitui non debere, niſi reſtitutis impenſis in illos factis.

§. 6.

Regula ſexta: *Bonae fidei poſſeſſor tenetur ex fructibus conſumtis tantum reſtituere, quantum factus eſt locupletior.*

Sed quandonam quis factus cenſetur locupletior? Reſp. ſi rem alienam conſumendo ſuis pepercit, e. g. ſi alienum frumentum conſumendo ſuum retinuit vel vendidit. Enim vero hic non eſt vnicus caſus: nam etſi ſuum conſumſit, et alienum vendidit, tantumdem lucri fecit.

Itaque magis diſpiciendum, 1. vtrum res alienas minus neceſſarias in vſus ſuos adhibuerit, alias iis non vſurus, niſi eas habuiſſet; e. g. comedit aliquis piſces, cancros, poma ex alieno fundo, quem bona fide poſſedit; 2. an vero res tam ſint neceſſariae, vt eas parata pecunia ſibi comparare debuiſſet, niſi alienis vti potuiſſet; e. g. conſumit quis alienum frumentum; priore caſu non eſt factus locupletior, at poſteriore factus eſt.

Ceterum ſine animaduerſione hic praetereundus non eſt error auctoris, quaſi bonae fidei poſſeſſor tum teneatur ad fructus hos reſtituendos, ſi rei euictae pretium poſſit recuperare; quid enim hoc ad dominum? is rem ſuam cum fructibus ſuo iure vindicat, poſſeſſoris erit videre, an pretium recuperare poſſit.

§. 7.

§. 7.

Regula ſeptima: *Bonae fidei poſſeſſor non tenetur penſare fructus, quos neglexit*, id eſt, non tenetur reſtituere fructus percipiendos, nam 1. quamdiu de vero domino mihi non conſtitit, mihi viſus ſum dominus, adeoque et ius mihi eſſe de re pro lubitu diſponendi, merito putaui; iure ergo meo vſus ſum, ac proinde nemini feci iniuriam; 2. fructibus neglectis non ſum factus locupletior, ergo nec cet.

§. 8.

Regula octaua: *Bonae fidei poſſeſſor ad nihil tenetur, ſi rem alienam ſibi donatam iterum alteri donauit*, ex iiſdem rationibus: nam 1. et iure ſuo vſus eſt, et 2. non factus eſt locupletior; aliud tamen, ſi talis ſit donatio, quam ex officio, vel vrgente exiſtimatione quis facere debuit; e. g. ſi quis pateram argenteam alienam ſibi donatam fratri obtulerit tamquam donum nuptiale; hac enim donatione ſuperſedere non potuit, adeoque ſuae rei pepercit.

§. 9.

Regula nona: *ſi bonae fidei poſſeſſor rem alienam titulo oneroſo partam alienauerit, non tenetur, niſi in quantum lucrum fecit*, nemo enim debet cum alterius damno fieri locupletior: hinc ſi quis emit equum alienum 100. florenis, eumque iterum vendiderit 150. domino, qui equum non recipit, tenetur reſtituere 50.

§. 10.

Regula decima. Sed quaeritur, *an dominus rem ſuam repetens reſtituere debeat pretium, quod bonae fidei poſſeſſor expendit?* Negatur, 1. quia neque ex conuentione, neque ex delicto obligatur; 2. quia nemo tenetur dominium ſemel adquiſitum titulo oneroſo iterum adquirere.

Aliud 1. ſi rem bonae fidei poſſeſſor recuperauit, quam ne dominus quidem ſine aliquo pretio fuiſſet recuperaturus, e. g. a piratis; 2. ſi honorarium ei promiſſum, qui rem vero domino reſtituerit; tunc enim dominus tenetur ex pacto.

§. 11.

Regula vndecima. Denique quaerit auctor, *an quis rei inuentae fiat dominus?* Reſp. aut res inuenta eſt nullius, aut habet dominum: ſi prius, cedit occupanti, quod et tunc competit, ſi res derelicta; ſin poſterius, res reddenda vero domino.

Quid ſi quis miſſilia ſpargat? Ea cedunt inuentori vel occupanti, niſi forte ebrius talia iactet, qui ſane neſcit, quid agat. Id ex perſona, qui hanc liberalitatem exercet, et ex occaſione, qua id faciat, facile diiudicabitur.

CAPVT XIIII.

DE PRETIO.

§. 1.

SEquitur tertium inſtitutum humanum, ex quo officia hypothetica fluunt; puta, *rerum* PRETIVM.

Agitur ergo 1. *de pretii origine ac definitione*, §. 1. 2. *de eiuſdem diuiſione in vulgare et eminens*, §. 2. 3. *de pretio vulgari*, §. 3--5. 4. *de pretio eminente*, §. 6--9.

Pretium rerum originem debuit dominio; Nam

1. Eo introducto homines coeperunt et carere pluribus rebus ad neceſſitatem vel vitae commoditarem pertinentibus, et aliis etiam quibuſdam abundare.

2. Itaque opus fuit commerciis, rerumque commutationibus.

3. Ad ea initio videbatur ſufficere permutatio, quam et antiquiſſimis gentibus placuiſſe nouimus, veluti Graecis apud HOMERVM, vid. §. 2. *Inſt. de emt. vendit.* veteribus Germanis, apud TACITVM *de morib. German.* et hodienum barbaris in India et America, qui aurum, gemmas, aliaſque res pretioſiſſimas cum Belgis permutant pro ſpeculis, cultellis, fiſtulis.

4. Mox tamen apparuit, hoc commerciorum genus permulta habere incommoda: nam *a*) ſaepe qui alienis rebus indigebat, plane nihil habebat, quod pro iis daret; *b*) ſaepe, quae alicui ſupererant, non placebant alteri, vt pro iis ſuas merces daret; *c*) ſaepe ſeruari non poterat aequalitas, quando res pro re dabatur; *d*) denique res permutandae non ſine incommodo in loca remotiora tunc ferri poterant.

5. Hinc

5. Hinc de materia cogitatum, quae pro menſura omnium rerum, earumque pretio haberetur, id eſt, inuenere pecuniam, qua omnia comparari poſſent ab omnibus, et ſic pro permutatione magis placuit emtio venditio, locatio conductio, ſimileſque contractus, qui interueniente pecunia ineuntur, *L. 1. D. de contrab. emt.* Eſt ergo *pretium* quantitas moralis, ad quam res et operae aeſtimantur ad commodiorem vitae vſum.

Dico, eſſe *quantitatem*) quia et augeri vel intendi, et minui vel remitti, et in quaſuis partes aequales et inaequales diuidi, et arithmetico calculo ad liquidum perduci poteſt.

Moralem.) Nec enim res habent pretium a natura, ſed ab aeſtimatione hominum: nulla eſſet ratio, cur tantillum fruſtulum auri tantum valeret, quantum multo maior portio argenti, aeris, plumbi, niſi homines illi hunc valorem impoſuiſſent; hinc et videmus incolas inſularum Heſperidum pro pecunia habere conchas conditas vel variegatas, HVGO GROT. *Hiſt. Belg. libr. I. ad annum* 1599. quin meminimus, in Gallia chartas pro pecunia valuiſſe, quibus ſane parum virtualis pretii eſt.

Ad quam res et operae aeſtimantur:) pretium enim verum videmus in emtione venditione, operarum in conductione operarum; et quamuis iure Romano artes liberales dicantur operae inaeſtimabiles, tamen et illis pretium vel maius vel minus videmus ſtatui.

Ad commodiorem vitae vſum.) Neceſſitatem enim hominibus hanc extorſiſſe inuentionem diximus.

§. 2.

Iam porro quaeritur, *quotuplex* ſit *pretium?* Auctor illud recte diuidit in *vulgare* et *eminens*: *Vulgare* illud eſt, quod attribuitur rebus et actionibus, e. g. agro, aedibus, praediis, operis fabrilibus; *eminens*, quod attribuitur pecuniae ſeu nummo, quo illae res aeſtimantur.

Differunt hae ſpecies, 1. quia vulgare ex rerum qualitate et vſu naſcitur; eminens ex impoſitione hominum; 2. quod vulgare eſt veluti normatum, eminens norma, ad quam vulgare aeſtimatur; 3. quod illud quidem ſit proprium, hoc commune omnibus rebus, quia nummo omnia comparare poſſumus; et hinc etiam vocatur eminens, quia virtualiter rerum omnium pretium complectitur. OVIDIVS, *Art. am. II.* 163.

Secum habet ingenium; qui, quum libet, accipe, dicit.

Videmus pecunia comparari res, operas, iura, honores, titulos, officia, libertatem, aliquando et iuſtitiam, maritos, et quid non?

Quiſquis habet nummos, ſecura nauigat aura.

§. 3.

Iam ergo primum agitur de pretio vulgari, et quaeritur, *cur non omnes res, omneſque operae ſint eiuſdem pretii?* Id ſane non eſt 1. ab vtilitate, quam praeſtant; nam quis neget, aërem eſſe vtiliorem gemmis; et tamen illi nullum pretium, his immenſum ſaepe pretium ſtatuitur; 2. nec a quantitate phyſica; nam magnam molem frumenti comparare poſſum pro minima gemma; 3. nec a neceſſitate; nam aqua carere non poſſumus, gemmis poſſumus, et hae tamen permagnum pretium habent, aqua nullum.

Potius ergo reſpiciendum ad alia, nimirum 1. an ſint in dominio? res enim inexhauſti vſus dominio hominum exemtae ſunt, et hinc nullum admittunt pretium, e. g. aër, aqua, lumen: at poſſunt tamen rerum pretium intendere; ſic e. g. pretioſius eſt praedium, quod habet aquam, aërem ſalubrem et liquidum, apricum lumen; 2. an ſint in commercio? hinc pretium non habent templa, aliaeque res ſacrae, officia eccleſiaſtica, adminiſtratio iuſtitiae; (ſed id de iure, de facto enim ſaepe et haec ſimiliaque fiunt venalia, quin ipſe calamus doctorum ſaepe venalis eſt); 3. an homini inſeruire poſſint ſiue ad vtilitatem, ſiue ad commoditatem, ſiue ad voluptatem, his omnibus ſtatuitur pretium, quum res inutiles vocare ſoleamus nullius pretii; ſic pretium non ſtatuitur muſcis, muribus, gliribus, at ſtatuitur leporibus, vulpibus, auiculis.

Et quidem animaduertere licet inſignem Dei prouidentiam, qua fit, vt res maxime neceſſariae et vtiles viliore pretio conſtent; ad voluptatem vero comparatae enormi ac ſaepe immenſo; illas enim Deus copioſiſſimas produxit, has rariores eſſe voluit; egit ergo Deus veluti legiſlator prudentiſſimus, qui ſubditorum luxuriam cohibiturus rebus ad luxuriam comparatis magnum imponit vectigal.

§. 4.

Hactenus de illis, ad quae reſpiciendum, ſi ſcire velimus, an res

in ſe pretium aliquod habeat? Iam porro quaeritur, *quaenam ſint cauſſae, ob quas in ſpecie huius vel illius rei pretium vel intendatur, vel minuatur?*

Hic in primis vera cauſſa eſt raritas; quo maior enim eſt mercium copia, eo vilioris pretii habentur, quo rariores ſunt, eo cariores; quo maior enim mercium copia, eo pauciores ſunt, qui eas anxie quaerant, adeoque eo viliore pretio a venditore addicuntur.

Rariora autem habentur, 1. quae non adeo copioſa proueniunt, vt gemmae, vniones, frumenta annis ſterilibus; 2. quae ex regionibus admodum remotis ad nos deferuntur, e. g. cinnamomum, et alia aromata; 3. quae non niſi magno labore et periculo adquiruntur, e. g. argentum viuum, merces ex terris longinquis aduectae, tempore belli, vel piratis maria infeſtantibus; 4. quae caſu facta ſunt rariora, e. g. Ioannis *Scriptores rerum Moguntinarum* libri a fiſco occupati, atheorum, haereticorum, hoſtium reipublicae. 5. quando ſibi quis monopolium vindicat; e. g. Bataui in cinnamomo, adeo vt ſuperfluum quotannis flammis conſumant; 6. quae proficiſcuntur ab artificibus celeberrimis, quod verum eſſe deprehendimus in tabulis pictis, ſculpturis; 7. quando res vel a natura, vel ab arte ſingulare quid accepit, e. g. lapis, in quo figura Chriſti crucifixi; 8. quae admittunt pretium affectionis; *pretium affectionis* eſt pretium, quod rei ſtatuimus non ob eius praeſtantiam, ſed quia nobis aliquid iucundum in memoriam reuocat. Fundamentum eius eſt adſociatio idearum, de qua inſignem obſeruationem habet Lockivs, *de intellectu humano*; experientia enim docet, 1. vna idea ſeſe nobis repraeſentante, plerumque reuiuiſcere reliquas omnes, quae tum cum illa erant coniunctae, quum eam primum perciperemus; ſic e. g. ſi quis ſibi repraeſentat abſentem patrem, ſimul etiam reuiuiſcent ideae veſtium eius, actionum, verborum, cet. 2. vna idea reuocata, in mentem etiam redire gratas et ingratas perceptiones et ſenſiones, quas tum habuimus; haec perceptio aliquando ſatis valida eſt, e. g. iuuenis quidam deliquium animi patiebatur, quoties in conſpectum eius veniebat Chirurgus, a quo lithotiam erat paſſus; quin ſaepe matris grauidae perceptio reuiuiſcit in liberis iam natis, quoties res, per quam mater talem perceptionem habuit, per ſenſum repraeſentatur; ſic e. g. Iacobus I. Rex Angliae deliquium animi patiebatur, quoties videbat gladium euaginatum.

Poſita hac idearum adſociatione, facile explicari poteſt, vnde ſit pretium affectionis; ſaepe enim res quaedam nobis in mentem reuo-

cat 1. amicum vel perſonam amatam; hinc pretium affectionis admittunt donaria amicorum, maiorum noſtrorum; 2. inſignem honorem; hinc pretium huius modi ſtatuitur donariis principum; 3. periculum feliciter ſuperatum; hinc pretium tale ſtatutum a Petro Imperatore Ruſſiae equo, quo vſus fuerat in praelio Pultauenſi; 4. priſtinae fortunae cataſtrophen; hinc pretium magnum Stechinelli Baro ſtatuit pileo, quo puer vſus fuerat, quum mendicaret; 5. rem admodum antiquam et memorabilem; hinc magni fiebat fictilis Epicteti lucerna, magni fiunt nummi antiqui, gemmae, ſtatuae.

Sed obſeruandum, affectionem eſſe perſonalem, ac proinde hoc pretium a poſſeſſore in alterum non transfertur: vnde et ratio patet, cur eius quidem ratio habeatur in delictis, non vero in contractibus.

§. 5. 6.

Hoc erat primarium pretii fundamentum, ſecundum quod illud intenditur vel remittitur: ſed ſunt quaedam cauſſae acceſſoriae, ob quas itidem pretium augetur vel minuitur, et quidem obſeruandum, pretium eſſe vel *conuentionale*, quando illud licitando definitur, id eſt, aliquid addendo vel remittendo, vel *legitimum*, quod a magiſtratibus definitur. Illud ergo in ſtatu naturali et ciuili locum habet, hoc in ſtatu ciuili tantum; illud latitudinem admittit, hoc conſiſtit in puncto; in illo laeſio eſt occultior, in hoc illa in oculos incurrit.

Iam in vtroque variae poſſunt eſſe cauſſae, cur vel intendatur, vel remittatur, e. g. in conuentionali ratio habetur 1. laborum et expenſarum in rem factarum, ſed ordinariarum tantum, non extraordinariarum, e. g. ſoſtri, ſi mercator in itinere in morbum grauiorem incidit; 2. fori; an merx quaedam anxie quaeratur, an non; 3. pecuniae; an proba afferatur, an ſuſpecta; parata, an fides emtoris ſequenda; totum pretium ſoluatur, an pro parte tantum; 4. temporis; ſic tempore belli praediorum pretium vileſcit, emtores rerum pretioſarum ſunt rariores; 5. a quo contractus incipiat, ab emtore, an a venditore; priore caſu res ſolet maiori pretio venire, quam poſteriore.

Ita et in *legitimo* plures eſſe poſſunt cauſſae, cur pretium vel remittendum, vel intendendum ſit, e. g. 1. ſi annona doloſe flagellatur, 2. ſi rerum peregrinarum vile pretium ciuium quaeſtui nocet; hinc tantum pretium ſtatutum cereuiſiae Martisburgenſi.

§. 7.

§. 7.

Iam ergo ad vltimam progredimur capitis partem, quae agit *de pretio eminente* ſeu *pecunia*, vbi quaeritur 1. *quae origo pecuniae?* §. 7. 2. *cur metalla eum in finem electa?* §. 8. 3. *quis valorem pecuniae definiat?* §. 9.

Pecuniae originem iam ad §. 1. expoſuimus; quum enim permutatio non ſufficeret, cogitatum de re, quae eminens eſſet rerum omnium pretium, omnibuſque peraeque grata eſſet, ac denique placuit pecunia. Auctor ſtatuit, id per pactum factum eſſe, et vniuerſale quidem generis humani. Non arridet hoc Titio, qui in *Obſeru.* 347. negat, vmquam eius pacti cauſſa in vnum conueniſſe genus humanum; Recte: poſſumus tamen et debemus pactum aliquod ſupponere, non quidem vniuerſale generis humani, ſed vnius alicuius gentis. Quae omnium prima tali vſa ſit pecunia, neſcimus. Orientem tamen ea prius vſum, quam Occidentem, ex hiſtoria Abrahami et Iacobi patet. Abrahamus enim pecunia emit agrum cum ſpelunca, in qua ſepeliuit Saaram; Ioſephus venditus 30. ſiclis; Filii Iacobi pecunia inſtructi ibant in Aegyptum; fingamus ergo primos Hebraeos, aut, ſi mauis, Phoenices gentem nauticam ita inter ſe conueniſſe; tunc nullum erit dubium, quin eorum conſuetudinem imitati ſint alii. Origo ergo prima eſt a pacto; ei autem deinde ſucceſſit conſuetudo et imitatio aliarum gentium: ab Orientalibus enim hoc didicerunt Graeci, ab his Romani, ab his Germani, aliaeque gentes.

§. 8.

Sed quaeritur, *cur metalla potiſſimum eum in finem elegerint?*

Equidem initio pecudibus vſos eſſe pro pecunia certum eſt; hinc 1. ipſa vocabula, pecunia, peculium, peculatus; 2. hinc et antiquiſſimos nummos non aliud χάραγμα prae ſe ferre videmus, quam boues, ſues, agnos, cet. 3. hinc et emere eſt πωλεῖν, ἀρνεῖσθαι, ὀνεῖσθαι et ſimilia, quae ſunt a πῶλος pullus, ἀρνὸς agnus, ὄνος aſinus.

Poſtea coeperunt aes, argentum, aurum adhibere, ſed rude ac infectum, quod ſibi inuicem non adnumerabant, ſed adpendebant. Vid. Plinivs, *Hiſtor. natur.* XXXIII, 3. Hinc et libra adhibita Romae in venditionibus et mancipationibus. Libripens: denique nummi inde habent nomina, talentum, pondo, libra, marca.

Denique res nummaria, paullatim a Graecis in eum ſtatum re-

dacta, vt nummi certa figura, pondere, et caractere donarentur; vt ſtatim pateret, quales eſſent, quidque et quantum valerent.

Nimirum eos ratio docuit, 1. pretium eminens debere habere pretium virtuale, quid enim alias potuiſſet omnium rerum pretium eſſe, ſi ipſum fuiſſet nullius pretii; 2. illud nec nimis rarum, nec nimis vulgare ac obuium eſſe debere: ſi enim eſſet nimis rarum, non ſufficeret commerciis; ſi nimis obuium, amitteret pretium virtuale; quo tamen opus eſt per requiſitum primum; 3. eſſe debere compactioris ſubſtantiae; alias enim attereretur vſu, et ſic ſemper tanto pauperior fieret venditor, quo ſaepius ille nummus per tot manus iuerit; 4. debere commode diuidi poſſe in quotcumque partes; quia enim pretium rerum omnium non eſt vnum et aequale, debent et nummi in promtu eſſe diuerſae quantitatis et valoris; 5. debere commode cuſtodiri, et de loco in locum transferri poſſe; nummus enim eſt propter commercia; haec vero etiam cum gentibus remotiſſimis inſtituuntur.

Iam quinque haec requiſita in nulla re coniunctim reperta ſunt, quam in metallis, maxime nobilioribus; itaque ex his nummos cudere coeperunt.

Iam porro quum interſit generis humani, nummos eſſe iuſtae materiae et ponderis: hinc prudentia ſuaſit gentibus omnibus cultioribus, 1. ne ius monetandi priuatis concederent, ſed imperantibus; 2. vt figuram ei darent regularem, ne facile circumcidi et abradi poſſet; hinc hodie margines adduntur; 3. vt principis χάραγμα, effigies, inſignia, nomen, annus, locus monetae, in nummo exprimeretur.

Obiici poſſet, *occurrere pecuniam chartaceam, coriaceam?* Reſp. hanc non fuiſſe pecuniam, ſed ſymbola vel teſſeras, poſtea pecunia luendas.

§. 9.

Denique quaeritur, *quis valorem pecuniae definiat?* Reſp. Imperans; nam 1. is vti rebus omnibus praeſcribit leges, ita et nummis; 2. ipſe eſt auctor nummorum: ergo et de valore curare debet.

At principis hic non eſt abſoluta poteſtas, nam *a*) imminuto nummi valore, et manente priſtino pondere mox euaneſcet, gentes vicinae eos ad ſe trahent; *b*) aucto pretio et valore, et manente eodem pondere, omnes res aucto pretio venibunt; *c*) nummi vſus

non

non modo eſt in re publica, ſed et inter exteras gentes, ergo ad aliarum gentium aeſtimationem eſt reſpiciendum.

Hinc Alphonſus alias ſapiens, inſipientiam prodebat, quum nummis duplum valorem tribuerit, iam enim omnia duplo cariora vendebantur; Quumque cogere vellet ſubditos, vt res eodem, ac antea, pretio venderent, arma hi corripiebant.

CAPVT XV.

DE CONTRACTIBVS, QVI PRETIA RERVM SVPPONVNT, ET FLVENTIBVS INDE OFFICIIS.

§. 1.

HActenus de rerum pretio. Ex eo *contractus* naſcuntur, quorum conſideratio nobis et officia, quae ex pretio rerum reſultant, ſuggerit.

De contractibus vero expedienda erunt 1. *definitio*, §. 1. 2. *diuiſio in contractus oneroſos, et beneficos*, §. 2-4. 3. *doctrina de contractibus beneficis*, §. 5-7. 4. *doctrina de contractibus oneroſis*, §. 8. *ad fin.*

Contractum definire in iure naturae non difficile eſt; vere enim hoc iure inter pacta et contractus nulla eſt differentia, et potuiſſet auctor, quae hoc capite dixit, aeque commode exſequi ſupra, vbi de pactis agit.

Nimirum diſcrimen inter pacta et contractus eſt iure Romanorum: hi, quum animaduerterent, paciſcentes plerumque tergiuerſari, et negare, ſe aliquid ſerio promiſiſſe, de medio cogitarunt, quo hanc exceptionem hominibus eriperent; id non commodius fieri poſſe putabant, quam ſi certam formam praeſcriberent, quae in paciſcendo eſſet obſeruanda; ſi quis ergo eam obſeruaſſet, inde dabant actionem; ſin minus, negabant. Vide PLAVTVM, *Aulular. act. II. ſcen. II. v.* 81. 82.

- - - *Scio, quo vos ſoleatis pacto perplexarier.*
Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.

Item GELL. *Noct. Attic. XX.* 1. Romani fidem in contractibus ſanxerunt.

Conuentionem ergo, quae ſolo conſenſu inibatur, non obſer-

uata

uata forma legibus praeſcripta; vocabant PACTVM; illam, in qua forma iſta adcurate erat obſeruata, CONTRACTVM adpellabant; e. g. ſi quis ſimpliciter promiſiſſet alteri centum, id quidem pactum erat, quod nullam producebat actionem; ſi quis vero centum promiſiſſet per ſtipulationem, actionem dabant, quia forma a lege praeſcripta erat obſeruata, idque non nudum pactum erat, ſed contractus.

Forma vero illa vel conſiſtebat in datione, vel in verbis litteriſue ſollemnibus, vel in conſenſu vtriuſque praeſentis in quinque tantum negotiis, quae contractus conſenſuales vocabant, emtione, locatione, emphyteuſi, ſocietate, et mandato.

Eam formam vocabant cauſſam, eamque in omnibus contractibus requirebant; at ex quibuſdam contractibus praeterea dabant actionem eiuſdem cum contractu nominis, e. g. ex emtione venditione actionem emti venditi, et tunc vocabant hos contractus nominatos, reliquos autem innominatos.

Iam facile patet, haec omnia eſſe Romana, et iuris poſitiui, adeoque in iure naturae nullum reperire praeſidium: hoc ſane nullam conuentionibus formam praeſcripſit; hoc neſcit, quid ſit nomen, neſcit, quid ſit cauſſa, adeoque et neſcit differentiam inter pacta et contractus.

Contractus ergo (aeque ac *pactum*) eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus de obligatione vel introducenda, vel tollenda, vel vtroque.

Equidem auctor diſcrimen aliquod commentus eſt inter pacta et contractus; illa iniri ait de rebus, quae non habent pretium, adeoque nec in commercio ſint; hos de rebus certo pretio aeſtimabilibus, et in commercio conſtitutis, e. g. ſponſalia eſſe pactum, quia ſponſa nec pretio ſit aeſtimabilis, nec in commercio; contra emtionem eſſe contractum, quia pretium interueniat, et nihil vendi poſſit, quod non ſit in commercio.

Iam poteſt quidem hoc diſcrimen admitti; cuilibet enim liberum eſt, vocabula ſuo arbitrio definire; ſed tunc diſcrimen hoc non eſt reale; ſiue enim paciſcaris, ſiue contrahas, ſiue pretium interueniat, ſiue non, idem erit effectus, puta, pacta aeque ac contractus ſeruari oportere; quae vero effectu non differunt, ea plane non differre videntur. Maneat ergo fixum atque firmum, iure naturae inter pacta et contractus nullam eſſe differentiam.

§. 2.

§. 2.

Iam porro quaeritur, *quotuplices ſint contractus vel pacta?* quippe haec in poſterum promiſcue accipiemus. Reſpondet auctor, alia eſſe BENEFICA, alia ONEROSA; BENEFICA, vbi alter alteri aliquid gratis praeſtat, e. g. commodatum, depoſitum, mandatum, donatio; ONEROSA, vbi vtraque pars ad idem vel ſimile onus obſtringitur, e. g. emtio venditio, locatio, ſocietas, pignus. Haec facilia, et tamen auctor in adplicatione errauit; ſi enim quaeramus, an mutuum ſit contractus beneficus, an oneroſus? Reſpondet eſſe oneroſum, et inter illos contractus de mutuo infra agit §. 11. Sed quis dixerit, in mutuo vtrumque ad ſimile vel idem onus obſtringi? creditor ſane ad nihil obſtringitur. Dixeris, creditorem obſtringi ad dandam pecuniam, debitorem ad eamdem reddendam; ſed ſic et commodatum, et depoſitum erunt contractus oneroſi, quos tamen auctor ad beneficos retulit; nam et in his vnus ſe obſtringit ad dandum, alter ad reddendum vel reſtituendum.

Adcuratius diſtinguas inter *mutuum ſimplex* et *vſurarium:* prius erit contractus beneficus; debitor enim pecunia aliena vtitur gratis, nec reddit, niſi quod accepit; poſterius erit contractus oneroſus, quia non gratis accipit pecuniam, ſed veluti pro certa mercede.

§. 3.

Iam quaeritur de beneficorum et oneroſorum contractuum differentia. Eam auctor recte in eo ſtatuit, quod in oneroſis vtrimque requiritur *aequalitas*, in beneficis non requiritur. *Demonſtratio.* Benefici nihil aliud intendunt, quam vt alter mihi praeſtet officium humanitatis, vt ſupra vidimus, egoque certus ſim, alterum mihi illud praeſtiturum; officia autem humanitatis, vt ſupra vidimus, non requirunt compenſationem per eadem officia, ſed gratitudinem tantum; ergo cui per contractum beneficum aliquid conceditur, tenetur tantum ad gratitudinem, non ad compenſationem.

Contra in oneroſis contractibus non id agitur, vt alter mihi praeſtet officium humanitatis, ſed aliud, quod ab eo nec iure perfecto, nec imperfecto exigere poſſum; ergo teneor ad compenſationem, adeoque ad praeſtationem aequalem; quod erat demonſtrandum.

Hinc conſequitur, 1. vt alter alteri in contractibus oneroſis indicare debeat rei qualitates et vitia, quae pretium vel minuere,

 vel

vel intendere poſſint, e. g. ſi quis aedes vendit, debet indicare onera, ſeruitutes, hypothecas, cet. hinc Athenienſes dicebant: *contractus lumen amant*; 2. id tantum intelligendum eſſe de qualitatibus ad obiectum contractus immediate pertinentibus; non de circumſtantiis acceſſoriis, vel extrinſecus aduenientibus; ſic e. g. apud CICERON. *de offic. III.* 12. diſputatur, an nauta, qui frumenta Rhodum aduexerat, indicare debuerit, alia quoque nauigia frumento onuſta Alexandria ſoluiſſe? Nec videmus reprehendi emtorem in Euangelio, qui agrum emerat, et diſſimulauerat, theſaurum in illo latere.

§. 4.

Porro ex eodem principio ſequitur, 3. vt omnis laeſio vel inaequalitas ſit emendanda, ſi in contractu oneroſo interuenerit; quod fit vel abrumpendo contractum, vel praeſtito damno, vel laeſione: 4. perinde eſſe, ſiue laeſio ſit maioris momenti, ſiue minoris, requiritur enim aequalitas; vbi vero vel minima inaequalitas eſt, ibi vni maius incumbit onus, quam alteri, adeoque onus eſt inaequale contra regulam *§. 3.* explicatam.

Haec quidem ex iure naturae certa ſunt, et in theoria facile intelliguntur, ſed in re publica et praxi non poſſunt adcurate obſeruari; Nam 1. pretium rerum definitur plerumque non lege, ſed conuentione; pretium autem conuentionale non conſiſtit in puncto, ceu ſuperiore capite oſtendimus; itaque admodum illiquida eſt illa laeſio, de qua contrahentium alteruter conqueritur; 2. intereſt rei publicae, ne lites in infinitum gliſcant; in infinitum autem eas gliſcere oporteret, ſi ob laeſionem quamlibet, etiam minimam, actio daretur.

Itaque leges ciuiles, inprimis, *L. 2. C. de reſcind. vendit.* definiunt, tunc demum actioni locum fore, ſi alter laeſus ſit enormiter, id eſt, vltra dimidiam; quamuis et haec regula multas patiatur exceptiones, inprimis vero non poteſt locum habere, ſi quis ſe laeſum quaeratur enormiter in negotio, quod aleam continet, e. g. in tranſactione; quin ne aequitate quidem niti illam reſciſſionem contractuum ob *l. 2. C. de reſcind. vendit.* ſingulari *Diſſertatione de aequitate cerebrina remedii ex l. 2. C. de reſcind. vendit.* demonſtrare voluit THOMASIVS, quamuis eius ſententiae me haud ſuffragari fatear.

§. 5.

§. 5.

Iam ſpeciatim de CONTRACTIBVS BENEFICIS, et quidem 1. *de mandato*, §. 5. 2. *de commodato*, §. 6. 3. *de depoſito*, §. 7.

MANDATVM eſt contractus, quo quis rem alienam gratis expediendam ſuſcipit.

Contractus,) ergo non poteſt mandatum eſſe obligatorium de re impoſſibili, turpi, aliaue, quae non eſt in commercio.

Rem alienam.) In *Inſtitutionibus* dicitur mandatum etiam poſſe in noſtri gratiam ſuſcipi; ſed tunc vere non eſt mandatum, verum conſilium, e. g. ſi inopi mando, vt operas locet.

Gratis.) Alias enim nihil differret a locatione conductione.

Ceterum haec definitio nobis dat concluſiones.

In hoc mandati contractu omnem fidem et diligentiam eſſe praeſtandam; nam *a*) eſt contractus beneficus, quem de officiis dumtaxat humanitatis iniri diximus; haec amore nituntur, vt ſupra demonſtratum; amor autem eandem exigit fidem ac diligentiam in rebus proximi, quam nobis praeſtari volumus; mandabant olim per manus dationem, *cedo dextram, per ego hanc dextram te oro, fidelis vt mihi ſies*; vnde mandatum quaſi manus datio; b) nemo mandat niſi amico, nec mandatum quis ſuſcipit, niſi amicus; hinc turpiſſimum amici ſpem in nobis poſitam deſtituere; facile ergo patet, cur Romani contractum hunc famoſum habuerint.

2. Normam huius contractus eſſe voluntatem mandantis, nam huius cauſſa mandatum ſuſcipitur. Quum vero illa voluntas ſit vel determinata, vel indeterminata, mandatum quoque vel *definitum*, vel *indefinitum* eſt: DEFINITVM, ſi mandans mandatario omnes circumſtantias definit: INDEFINITVM, ſi eas non definit, ſed rem omnem alterius fidei ac prudentiae relinquit. De illo tenendum

3. religioſe mandatarium ſeſe continere debere intra fines mandati, alias mandantem non teneri geſta rata habere.

Hic magnas tricas nectunt ICti Romani; quaerunt enim, a) *an mandatum poſſit exſequi mandatarius per aequipollens?* b) *item an teneatur mandans rem ratam habere ad ſummam concurrentem?* Nos reſpondemus, ſi vere res ſit aequipollens, nullum eſſe dubium, e. g. ſi mihi quis conduxerit aedes, eaſque commodas, ſpecioſas, loco opportuno ſitas, non autem eaſdem, quas mihi conduci volueram; ſed raro vere ſunt aequipollentia propter affectionis pretium, cuius fundamentum ſupra datum; altera quaeſtio abſolute affirmanda, quia mandans habeat, quod voluit.

De mandato indeſinito tenenda regula: 4. omnem fraudem abeſſe debere; hinc, ſi talis interceſſit, mandans ne ſic quidem tenetur ad ratam rem habendam.

Denique quamuis gratuitus ſit hic contractus, non tamen vlla aequitatis ſpecie exigere poteſt mandans, vt mandatarius damnum ex re ſua ferat; hinc 5. mandans tenetur mandatarium indemnem praeſtare, adeoque impenſas et damna, ſi qua ex mandato paſſus eſt, reſarcire.

§. 6.

COMMODATVM a mutuo pleraeque gentes non diſtinxerunt; hinc Germani eodem vocabulo *leihen* vtuntur de vtroque contractu; receptum tamen eſt, vt differentia ſtatuatur 1. *ratione obiecti,* quod hic eſt res non fungibilis, in mutuo fungibilis; 2. *effectu*, quia in mutuo tranſit dominium, in commodato non tranſit; 3. *ratione obligationis*; debitor enim reddere tenetur idem in genere, commodatarius eamdem ſpeciem.

Hinc definitio, *commodatum* eſt contractus, quo quis alteri rem ſuam non fungibilem gratis vtendam concedit, in eadem ſpecie reſtituendam; hinc 1. commodatarius tenetur rem alienam ſumma fide ac diligentia cuſtodire; 2. rem finito vſu reſtituere; 3. quaeuis damna ſua culpa data reſarcire; 4. commodatarius vero a commodante indemnis praeſtandus eſt, ſi ſumtus facere coactus eſt in rem commodatam. Quia tamen hoc quodammodo inhumanum videtur, promiſcue omnes ſumtus repetere, quum commodatarius re aliena gratis vtatur: hinc ius Romanum, inſuper habitis modicis, immodicos tantum vult reſtitui, id eſt, eos, qui ipſam mercedem locationis tranſcendunt.

§. 7.

DEPOSITVM eſt contractus, quo res alienas gratis cuſtodiendas ſuſcipimus. Nullus eſt contractus, quem ſanctiorem habuere veteres; hinc a PLINIO, *Epiſtolar. X.* 97. laudantur primi Chriſtiani, quod ſacramento ſe inuicem obſtrinxerint, ne depoſitum abnegent; contra Glauci vniuerſam familiam ideo periiſſe referunt, quod cogitarit ſaltem abnegare depoſitum. IVVENALIS, *Satyr. XIII.* 199. *ſeqq.*

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere, et fraudem iure tueri
Iurando.

Et

Et paullo poſt, *v.* 204. *ſeqq.*

Reddidit ergo metu, non moribus, et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probauit:
Exſtinctus tota pariter cum prole, domoque.

Id ſane ratio ipſa dictitat, 1. depoſitum eſſe ſancte cuſtodiendum; eſt enim et hoc amicitiae fiduciae datum.

2. Omnem culpam praeſtandam.

3. Deponenti ſtatim reſtituendum; quod tamen patitur exceptionem, a) ſi forte appareat, deponentem re abuſurum, e. g. ſi furioſus gladium repoſcat; b) ſi verus dominus ſuperueniat, et rem vindicet.

4. Depoſitarium quoque indemnem praeſtandum.

§. 8.

Pergit auctor ad contractus oneroſos, in quibus primum locum tenet PERMVTATIO, per quam intelligimus contractum, quo res pro re traditur, et quidem intelligenda res omnis, praeter pecuniam; nam alioquin eſſet emtio venditio.

Hinc quaeri ſolet, 1. *an in pecunia quoque locus ſit permutationi?* Affirmatur, ſi conſideretur tamquam res non fungibilis, alioquin ſi pecuniam pro pecunia do, vere eſt emtio; 2. *an permutatio ſit, ſi pars in pecunia, pars in rebus aliis conſiſtat?* Iure naturae huius quaeſtionis nullus eſt vſus: at iure ciuili aliquando magnus eſt ob ius retractus, cui in emtione venditione, non in permutatione locus eſt; deciditur ergo iure ciuili ita, vt primum reſpiciatur ad maiorem quantitatem, quae ſi in pecunia conſiſtit, pro emtione habetur contractus; ſin in alia re, pro permutatione: deinde ſi aequalis eſt quantitas, pro emtione, tamquam contractu frequentiore, maior praeſumtio eſt.

Vtilior eſt diſtinctio inter *permutationem ſimplicem* et *cum emtione venditione coniunctam*; ſimplex eſt, quando abſolute res pro re datur, ſine praeuia aeſtimatione, qualem ſupra inter Batauos et Indos fuiſſe diximus; talis etiam illa apud Homerum Glauci et Diomedis, qui inter ſe permutabant arma, apud HOMER. *Iliad.* β. *v.* 236.

χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων,
Aurea aeneis centena nouenariis.

Altera cum emtione venditione coniuncta, quando ſinguli primum res ſuo pretio aeſtimant, ac deinde loco pecuniae er-

ces commutant, quod facere ſolent mercatores Batáui, dum ex Ruſſia coria pro aromatibus domum referant.

De illa eſt regula: 1. Permutationem eius modi fieri per auerſionem, adeoque neutrum de laeſione conqueri poſſe, modo nihil dolo factum; de hac: 2. In permutatione poſterioris generis eadem eſſe iura, quae in emtione, adeoque quamcumque laeſionem eſſe reſarciendam.

Quaeri ſolet, *an locus in hoc contractu ſit poenitentiae?* Affirmatur iure Romano, ſed ratio non alia eſt, quam quod qui ex ſua parte dedit, alterum non dantem habeat obligatum ex contractu, ille vero, qui non dedit, dantem tantum ex pacto obligatum habet; ibi enim adeſt cauſſa praeſens et ciuiliter obligans, hic non adeſt: ſed quia hanc ſubtilitatem ignorat ius naturae, ſecundum quod potius omnia pacta valide obligant, conſequens eſt, vt ex eius principiis non magis ſit locus poenitentiae in contractibus innominatis, quam in aliis.

§. 9.

Alter contractus oneroſus eſt *emtio venditio.* Hic maximum denuo diſcrimen inter ius naturae et ciuile; illo procul dubio huius contractus finis eſt tranſlatio dominii, quia ea intentione emere ſolemus: at iure ciuili tantum traditio eſt finis; ſiue enim dominium transferatur, ſiue non, tamen valet contractus; hinc iure naturae verus eſt iocus MARTIALIS, *Epigramm.* II. 18.

Carmina Paullus emit, recitat ſua carmina Paullus.
Nam quod emas, poſſis dicere iure tuum.

At iure ciuili res aliter ſe habet, eſtque *emtio venditio* contractus de re pro certo pretio tradenda, quum iure naturae ſit contractus de rei dominio pro certo pretio transferendo.

Itaque 1. venditor debet eſſe dominus; 2. Non debet in mora tradendi eſſe, alias iure naturae merito fert periculum; 3. Emtor iuſto tempore ſoluere pretium tenetur; 4. Alias merito tenetur ad praeſtandam indemnitatem, hodie ad vſuras; 5. venditor tenetur ad euictionem praeſtandam, ſi res vendita a tertio euicta ſit.

Reliqua omnia ſunt iuris poſitiui, niſi quod, quia iure naturae omnia pacta obligant, inde fluit regula: 6. Quod emtioni qualiacumque pacta tum ſuſpenſiua, tum reſolutiua accedere poſſint.

Ta-

Talia vero ſunt: 1. *Addictio in diem*, vbi res pro certo pretio alteri addicenda, ſi intra certum tempus nemo plus offerat; 2. *Lex commiſſoria*, vt in caſum non ſoluti pretii res inemta ſit; 3. *de retrouendendo*, vt reſtituto pretio res iterum retradatur, cet. Omnia haec pacta ex intentione et ſermone contrahentium interpretanda.

Emtio ſpei eſt, quando res incerta emitur, quod ſit in emtionibus rerum futurarum, lotariis, olla fortunae, cet. vbi vna regula: neutrum contrahentem conqueri poſſe de laeſione.

§. 10.

Locatio conductio eſt contractus de rei vſu vel operis pro certa mercede praeſtandis: 1. mercedem hic denuo in pecunia numerata conſiſtere oportet, quia alias eſſet contractus, do vt facias, vel facio vt facias, quamuis iure naturae inter haec nihil differentiae ſit, et Romani hoc diſcrimen introduxerint ideo, vt actiones eo rectius diſcerni poſſent; 2. qui mercedem dat, vocatur conductor, qui eam accipit; locator, quamuis hoc fallat in conductione operis, ſi ſcilicet locatur totum opus, veluti pons, agger, turris; tunc enim qui mercedem dat, vocatur locator, qui mercedem accipit, conductor, vel redemtor operis; 3. mercedem oportet eſſe determinatam, alias non eſt locatio, niſi ſit merces legitima; e. g. quaeri ſolet, an locatio fuerit illa apud MATTH. XX. 4. *ite vos quoque in vineam meam, et quod aequum erit, dabo vobis*: operariorum enim merces diurna legibus iam definita eſſe ſolet in ſingulis ciuitatibus.

Officia iam facile intelliguntur: 1. locator tenetur vſum rei, vel operas praeſtare; 2. ſi impediatur, tenetur ad id, quod intereſt; 3. ſi non plene praeſtari poteſt rei vſus ob caſum fortuitum, remiſſio mercedis iure petitur; datur enim pro rei vſu; caſum etiam non alius ferre poteſt, quam dominus, niſi conductor eum in ſe ſuſceperit; 4. non poteſt locator conductorem ante finitum tempus expellere; ſi expulerit, tenetur ad id, quod intereſt; 5. conductor tenetur ad mercedem ſoluendam; nec non 6. ad diligentiam omnem praeſtandam, quam ipſe dominus in ſuo praeſtaret, nam vſum tantum rei alienae habet, remque tenetur reſtituere non deteriorem; 7. non poteſt rem deſerere ante tempus, niſi ob vrgentem neceſſitatem: non enim vult ante tempus expelli; quod ſibi fieri non vult, alii ne faciat.

An vero meliorem rem reddere poteſt conductor pro lubitu? Neg. iure naturae, niſi dominus vel locator conſentiat: aut enim non ſufficit res eius vſibus, non debuit conducere; aut ſufficit, non debuit ſumtuoſe aedificare. Non ergo probanda eſt conſuetudo Friſiorum, qui conductori praedii ruſtici liberam faciunt aedificandi facultatem, nec finito locationis tempore locatori prius reſtituitur praedium, quam ſatisfactum ſit conductori de meliorationibus; ita ſaepe contingit, vt locator excidat dominio, ſi tantum ſoluere non poſſit.

§. 11.

Mutuum eſt contractus, quo pecunia, et alia res fungibilis alteri datur, vt eius fiat, et quandoque tantumdem in eodem genere reſtituatur.

Res fungibilis.) Alias enim eſſet commodatum.

Vt eius fiat.) Natura enim huius contractus exigit, vt transferatur dominium. Negauit id SALMASIVS *de vſuris*, praecipue ideo, quod pecunia credita vocetur aes alienum. Sed reſp. vocatur aes alienum, non quatenus a debitore poſſidetur, ſed quatenus reſtituenda; ob id enim non habetur pars patrimonii, nec hoc intelligitur, niſi detracto aere alieno.

Argumentamur contra SALMASIVM: Penes quem omnes dominii ſunt effectus, is eſt dominus; penes debitorem omnes dominii ſunt effectus; ergo penes debitorem eſt dominium. Minorem inde probamus: 1. libere de pecunia diſponit debitor, adeo vt et abiicere eam poſſit; 2. omnem inde vtilitatem percipit; 3. periculum et caſum fert; ſi pecunia perit, perit debitori, et res tamen nemini perit, niſi ſuo domino; 4. vindicat exſtantes, vbicumque inuenit.

Officium ex hoc contractu reſultans facile intelligitur: *ſolue quod debes*; eſt enim hic finis huius contractus.

Obiici poſſet, at quomodo meum eſt, quod reddi debet? Reſp. 1. non reddo nummos eoſdem in ſpecie, ſed in genere; 2. poteſt et dominus ad reddendum obſtrictus eſſe, e. g. qui poſſidet cum pacto retrouenditionis; heres item fiduciarius; ita maritus eſt dotis dominus, quamuis ad reſtituendam illam finito matrimonio obſtrictus.

Praecipua quaeſtio eſt, *an vſurae peti poſſint?* Negant id nonnulli, inprimis Canoniſtae, qui excommunicatione dignos putant vſu-

vſurarios, 1. quia nummus ſit res ſterilis; Reſp. id negatur, quia contrarium mercatores quotidie ipſo facto experiuntur; 2. quia commodatum eſt gratuitum, ergo et mutuum tale eſſe debere; Reſp. non valere conſequentiam, in commodato tantum vſus rei transfertur, res non conſumitur, ſed in ſpecie eſt reddenda; non ergo tantum eſt periculum; 3. quia paſſim in lege Moſaica prohibentur vſurae, *Exod. XXII.* 25. *Leuit. XXV.* 36. ſed conf. *Deut. XXIII.* 19. Non poterant quidem vſuras capere a contribulibus, poterant autem ab aliis, qui non eſſent conſortes eiuſdem religionis. Et quis ignorat, Iudaeos eſſe foeneratores omnium improbiſſimos. Argumentamur itaque: quidquid tantum ratione Iudaeorum, non omnium hominum prohibitum eſt, id non eſt iuris naturae: vſurae, cet. 4. quia magna detrimenta inde capit res publica; Reſp. ergo inde tantum ſequitur, coërcendam eſſe vſurariam prauitatem, non autem vſuras in ſe eſſe illicitas; abuſus non tollit vſum. Immo Lvdovicvs Septalivs *de ratione ſtatus* eleganter demonſtrauit; vtilius eſſe rei publicae, vt vſurae permittantur, quam vt prohibeantur, quia alioquin nemo alteri pecuniam cum tanto periculo crediturus eſſet, ſi nulla ſpes lucri ex vſuris adfulgeret. Demonſtratio optima eſt, vſuras eſſe licitas: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; non vis, vt alter cum tuo damno locupletetur; ergo nec tu debes locupletari cum alterius damno; locupletareris autem, ſi aliena pecunia lucrum faceres, nec partem lucri communicares; cum domino ergo communicare debes, adeoque vſuras ſoluere.

Officium tamen iuris naturae eſt, 1. vt modicae ſint, nec mordaces; 2. vt ſoluantur vel ex promiſſo, vel propter moram, adeoque plane non debeantur, ſi nec promiſſae, nec debitor in mora ſit; 3. vt non exigendae ſint ab eo, qui ex pecunia nullum plane lucrum capere potuit, adeoque creditor iure ſcire debeat, ad quid debitor vſurus ſit pecunia.

§. 12.

Societas (*die Maſcopey*, fraternitas) eſt contractus de re vel operis communicandis ob commune lucrum.

Eſt vel *vniuerſalis* omnium bonorum, veluti multis in locis inter coniuges, vel *particularis*, ſi communicatum certum bonorum genus, e. g. adquaeſtus; vel *ſingularis*, ſi certa ſumma pecuniae.

Vniuerſalis omnium bonorum non requirit aequalitatem, neque in adquaeſtu, nec operis, nec impenſis.

Particularis itidem non requirit aeqnalitatem; ſic adquaeſtus inter coniuges quibuſdam locis diuiditur aequa lance, quamuis nec opes ſint pares, et vnus plus lucretur, quam alter.

In *ſingulari* ſocietate ſinguli ſocii participant de lucro et damno pro rata, id quod arithmetice per regulam ſocietatis computatur;

Titius in ſocietatem infert - - - - - - - -	10000
Maeuius - - - - - - - - - - - - - - - -	5000
Iauolenus - - - - - - - - - - - - - -	3000

Iſtis 18000 lucrati ſunt 12000: quaeritur quomodo hoc lucrum diſtribuendum? Dico per regulam de tribus,

18000 - - -	12000 - - -	10000	$6666\frac{2}{3}$
18000 - - -	12000 - - -	5000	$3333\frac{1}{3}$
18000 - - -	12000 - - -	3000	2000.
		Sors 18000.	12000 lucrum.

4. Societas *leonina* plane prohibita; nota eſt fabula AESOPI de leone ſocietatem venatoriam inſtituente.

5. Societas tam diu durat, quamdiu voluerunt contrahentes: iure Romano, quamdiu volunt; diſcedere enim poſſunt pro lubitu ſocii.

6. Soluta ſocietate res quoque communes pro rata diuidendae inter ſocios.

§. 13.

Ad oneroſos contractus auctor etiam refert *contractus aleam continentes*, per quos intelligimus tales contractus, vbi quis neſcit, quid, quale, quantum, immo an aliquid accepturus ſit; huc pertinent

1. *Sponſiones*, per quas intelligimus mutuam promiſſionem in incertum euentum factam; nihil hic iniuſti; poſſum donare pure, ergo et in certum euentum; poſſum ſolus, ergo multo magis poterunt plures reciproce donare.

2. Ludi omnes, vbi vel ars, vel fortuna, vel vtraque dominatur; hic quoque nihil, quod in ſe iniuſtum ſit, ludus enim etiam eſt donatio reciproca ſub ea conditione facta, ſi quis ex legibus ludi alterum vicerit. At iniuſtiſſimi fieri poſſunt ob temporis iacturam, auaritiam, et cupiditatem, iras, contentiones, fraudes, caedes, cet.

3. Olla,

3. Olla fortunae vel lotaria, quando pretio emitur teſſera, per quam ſortitio fit de lucris admodum inaequalibus; hic quoque nihil iniuſti, modo omnis fraus abſit, vnde pleriſque locis inſtitutum, vt nulli liceat ollam fortunae habere, niſi antea a magiſtratu fuerit probata, quotidieque obſignata. Vtiliſſimus vero eius generis eſt

Adſecuratio, quando quis promittit, ſe alterum indemnem praeſtiturum, ſi forte nauis vel merces perierint, pro certo praemio; 1. promittens vocatur *adſecurator*; 2. is, cui indemnitas promittitur, *adſecuratus*; 3. praemium; 4. contractus ſcriptus *die Polizza*.

Praemium ſtatim ſoluitur, eoque facto hic contractus hunc habet effectum: 1. ſi non ſoluit portu nauis, aſſecuratus de praemio partem recipit, quae vocatur *reſtorno*; 2. ſi feliciter in portu adpellit, adſecurator praemium lucratur; 3. ſi periit, adſecurator indemnitatem praeſtare debet. In omnibus his contractibus obſeruanda officia: *a*) fraudem abeſſe debere; non prodeſt autem, ſi quis de euentu iam certus eſt; *b*) neminem in his contractibus de inaequalitate et laeſione conqueri poſſe, quia quiſque debet ſibi imputare, quod aleae rem commiſerit.

§. 14.

Sunt etiam quidam contractus oneroſi acceſſorii, qui numquam per ſe ſubſiſtunt, ſed aliis contractibus accedunt: tales ſunt *fideiuſſio*, et *pignus*.

Fideiuſſio eſt contractus, quo quis alienae obligationi in ſubſidium accedit.

Dico *in ſubſidium*; nam vel alienam obligationem plane in ſe ſuſcipit, vti Apoſtolum PAVLLVM feciſſe nouimus, vocatur expromiſſio ſeu delegatio: differentia eſt, quod per fideiuſſionem debitor principalis non liberetur, per expromiſſionem liberatur.

Dicimus: *alienae obligationi*; ergo talis intelligitur, quae vicariam admittit praeſtationem; ergo ſponſalia non admittunt fideiuſſorem, multo minus in criminalibus cauſſis, quae capitales ſunt, vades dari poſſunt. Admittebantur vero apud Graecos, ceu docent exempla Damonis et Pythiae, ſed abſurda erat illa conſuetudo, 1. quia nemo eſt dominus vitae ſuae, vt ſe obligare poſſit pro alio ad ſupplicium ſubeundum; 2. quia, ſi id fieret, re vera illa

 non

non foret poena, quia non adeſt malum actionis, ob quod aliquid mali patiendum.

Dicimus denique fideiuſſorem alienae obligationi *accedere*. Ius Romanum addit: *per ſtipulationem*, vt diſcernatur fideiuſſio a conſtituta pecunia; ſed iure naturae nihil inter pacta et contractus intereſſe, ſaepe diximus.

Iam ex his facile intelliguntur officia: 1. fideiuſſor tenetur in ſubſidium; ergo quamdiu ſoluendo eſt debitor principalis, non eſt deueniendum ad fideiuſſorem; hinc ipſe IVSTINIANVS aequum putauit introducere *beneficium ordinis*, quum antea principaliter tenerentur fideiuſſores; 2. debitor principalis fideiuſſori tenetur ad indemnitatem, 3. plures fideiuſſores tenentur pro rata, niſi expreſſe ſe obligarint in ſolidum. 4. non tenentur in maius, quamuis arctius teneri poſſint; quae omnia ex natura precarii ſatis luculenter fluunt.

§. 15.

Pignus eſt contractus acceſſorius, quo creditori ius in aliqua re conſtituitur ad ſecuritatem crediti.

Haec res ſi traditur, *pignoris* nomen retinet; ſi non traditur, *hypotheca* vocatur.

Sic aliquando ſola res traditur, aliquando et fructus creditori relinquuntur in vicem vſurarum, et tunc eſt pignus cum pacto antichretico.

Quum ergo pignus detur in ſecuritatem crediti: ſequitur, 1. vt eo non ſit vtendum, niſi pactum antichreticum acceſſerit; 2. potius ſumma fide et diligentia cuſtodiendum; 3. ſi tamen periit, non ideo exſtinguitur debitum, quia res periit ſuo domino; 4. ſoluto debito pignus eſt reſtituendum; 5. debitor non debet vel rem alienam, vel alii potiore iure obnoxiam pignori dare; non enim poteſt ius ei in re dare, in quam iam alteri ius eſt.

Quaeritur, *an in pignore locus ſit pacto commiſſorio*, id eſt, tali pacto, vt pignus commiſſum ſit, ſimulac iuſto tempore non reluatur? Negatur; debitor enim nihil debet, niſi vt tantumdem in eodem genere reſtituat, non autem reſtitueret tantumdem, ſed plus, quam deberet, ſi pignus in commiſſum caderet, quippe quod plerumque maioris pretii eſt, quam debitum; ergo pactum commiſſorium non habet locum.

§. 16.

§. 16.

Quum ipſe auctor, quod ad officia contrahentium attinet, ſe ad ſuperiora referat, nos vero officia ad ſingulos contractus adcuratiſſime expoſuerimus: actum agere, eaque hic omnia repetere nolumus, ſed potius ad caput ſequens progredimur.

CAPVT XVI.

QVIBVS MODIS SOLVANTVR OBLIGATIONES, QVAE EX PACTIS ORIVNTVR.

§. 1.

QVum adhuc de contractibus, natiſque inde obligationibus, actum ſit: merito iam porro diſquiritur, *quomodo obligationes diſſoluantur?* modi autem ſunt tot, quot ſunt paragraphi, vt nulla opus ſit huius capitis partitione.

Primus modus eſt *expletio contractus* ſeu *ſolutio,* per quam intelligimus praeſtationem eius, quod eſt in obligatione, e. g. ſi redditur creditum, ſi pretium ab emtore ſoluitur, cet.

Solui tunc obligationem, inde probatur: finis eſt primum in intentione, at vltimum in exſecutione; in contractibus expletio ſeu ſolutio eſt primum in intentione, et vltimum in exſecutione, contractus ergo, ſolutione praeſtita, finitus eſt.

Inde patet, 1. non intereſſe, quis ſoluat promiſſum vel praeſtet, niſi promiſſum ita comparatum ſit, vt non admittat vicariam praeſtationem; hinc ſi Titius ſoluit centum, quos *Maeuius* debet, mihi perinde ſatis factum eſt, ac ſi Maeuius ſoluiſſet. At ſi Titius ducere velit Caiam, cui Maeuius promiſit matrimonium, non perinde eſt, quia perſonae qualitas electa.

2. Soluendum eſt, quod in obligatione eſt; ergo non aliud pro alio, nec particularis ſolutio vlli obtrudi poteſt, ſi ſumma integra promiſſa; ſoluendum etiam eadem moneta, de qua conuenit, aut tantumdem addendum, quanto moneta eſt deterior, id quod vocant *agio.*

3. Soluendum iuſto tempore, alioquin minus ſoluitur; hinc non

iniuſtum eſt intereſſe morae; videmus ergo, cur veteres vſi ſint termino metaphorico SOLVERE, quemadmodum et OBLIGARE eſt metaphoricum. Sicuti contrahendo aliquis veluti obſtringitur et ligatur: ita praeſtando, quod debet, ſoluitur et liberatur.

§. 2.

Alter modus eſt *compenſatio*, quod vocabulum eſt ſtathmicum, vſurpaturque, quoties duo pondera ſunt in aequilibrio; quemadmodum ergo tunc neutrum praeponderat, ita et neuter melioris vel deterioris conditionis eſſe dicitur, vbi fit compenſatio.

Definimus itaque *compenſationem*, quod ſit mutui debiti et crediti contributio.

Tolli ea obligationem inde eſt, quod quae per pauca fieri poſſunt, per plura fieri non debeant: ſi enim ordine eſſet procedendum, primo debitor meus ſoluere mihi deberet centum, deinde eidem ſoluere deberem centum, quos ego debeo, breuius id fieri poteſt, ſi vterque ſuos centum retinet.

Iam facile patet, 1. compenſationi tantum locum eſſe, vbi vtrimque eſt debitum certae aeſtimationis; hinc fruſtra compenſarentur res et facta, niſi haec iam aeſtimata ſint, e. g. „Titius Caiae debet centum, haec Titio promiſit matrimonium, compenſationi non eſt locus, niſi forte a conſiſtorio pronuntiatum ſit, Titium Caiae centum ſoluere teneri.

2. Compenſari non poſſe, niſi quod vtrimque liquidum eſt; liquidum enim ſtatim debetur, illiquidum tum demum, quando cauſſae cognitio finita; at iniuria fieret creditori, cui ſtatim ſoluendum, ſi iuberetur tamdiu exſpectare, donec alter altercari deſierit.

3. Compenſatio fit ad ſummam concurrentem, id eſt, ſi Titius mihi debet centum, ego viginti, ſoluere mihi tenetur octoginta.

4. Ab eo momento, quo mutuum eſſe coepit debitum et creditum, vterque debere ſtatim deſiit, ergo ceſſant vſurae, pignora, obligationes fideiuſſorum.

§. 3.

Tertius modus eſt *remiſſio* ſeu *condonatio*, quae eſt pactum, quo obligatio vnius alterius liberalitate tollitur.

Eſt vel *expreſſa*, quae fit verbis, vel *tacita*, quae ex facto colligitur, e. g. ex redditione vel laceratione chirographi.

Ad

Ad expreſſam Romani requirebant verba ſollemnia: *tune, quod tibi debeo, acceptum habes? acceptum habeo*; id quod vocabant acceptilationem.

Neceſſarium id videbatur; 1. quia pactum nudum non obligabat ciuiliter; 2. quia nihil tam naturale videbatur, quam eodem modo quidque diſſolui, quo colligatum eſt: ſed quum hae rationes iure naturae ceſſent, perinde quoque eſt, ſiue condonatio per pactum facta, ſiue per verba ſollemnia.

Officia ſunt: 1. qui condonat, debet liberam de rebus ſuis diſpoſitionem habere; ſcelerata ergo erat remiſſio iſtius nequam apud LVC. XVI. 6. *accipe tuum ſcriptum, et ſede continuo, et ſcribe quinquaginta*; ſic de alieno ludebat corio; 2. debitor debet hanc remiſſionem acceptare; ſunt, qui eam acceptationem praeſumi aiunt, ſed ego id negauerim; diſtinguendae perſonae, ſi perſona ſit egena, et quae honeſte id beneficium acceptare poſſit, praeſumitur acceptaſſe, e. g. ſi quis pauperi condonet: at ſi iudex debeat litigatori centum, et hic ad corrumpendum iudicem ei debitum remittat, acceptaſſe hoc iudex non praeſumitur, niſi conſenſum expreſſe declararit.

§. 4.

Quartus modus eſt MVTVVS DISSENSVS: quemadmodum enim contractus et conuentiones mutuo conſenſu ineuntur: ita iidem mutuo diſſenſu procul dubio diſſoluuntur; eſt enim mutua remiſſio iuris ex contractu quaeſiti.

Sed addit auctor limitationes duas: 1. ſi res ſit integra, id eſt, ſi contractus non ſit adimpletus, non quod poſtea recedere a contractu non liceat, ſed quod, ſi recedatur, non tam diſſolutio contractus adſit, quam nouus contractus, e. g. ſi quis mihi vendidit equum, et tradidit, egoque ſolui pretium, et poſtea vtrique noſtrum placeat, vt venditor equum, ego pecuniam recipiam, re vera haec noua emtio venditio eſt.

2. Si lex poſitiua non obſtet; haec enim procul dubio prohibere poteſt, quo minus contrahentes mutuo diſſenſu a contractu reſiliant, quia hoc non eſt iuris naturalis praeceptiui, ſed permiſſiui. Exemplum habemus in ſponſalibus et nuptiis, quae quidem mutuo conſenſu ineuntur, at mutuo diſſenſu tam ſimpliciter diſſolui non poſſunt, quamuis hoc iuri naturae in ſe non repugnet.

§. 5.

§. 5.

Quintus modus eſt *alterutrius perfidia*, qui modus potiſſimum in contractibus bilateralibus locum habet: in his eſt mutua obligatio, adeoque vnus alteri promittit ſub conditione tacita: praeſtabo, ſi tu ex tua parte praeſtiteris; ergo vno non praeſtante alterius obligatio procul dubio ceſſat. PHILOSTRATVS laudat Regem, qui foedus cum vicino percuſſum ſancte ſe cuſtoditurum profeſſus eſt, quamuis vicinus contra leges foederis arma moueret; abſurda laus, quum magis ſimplicitatem ſuam prodiderit bonus ille Rex, quam inſignem fidem. Hoc ergo cum grano ſalis intelligendum; perfidia neminem poteſt obligatione ſoluere, quia eſt factum illicitum; ergo contractus quidem ſoluitur ex parte eius, qui bona fide illum ſeruare conſtituerat, non ex parte perfidi. Reddi hinc poteſt ratio, cur conſiſtoria diuortio decreto parti innocenti ſoleant indulgere nouas nuptias, non autem nocenti.

§. 6.

Sextus modus eſt *ſtatus*; ſed hic modus non eſt generalis; immo mutatio ſtatus iure naturae neminem obligatione ſoluit. Ad ſubtilitates iuris ciuilis hoc pertinet, quod capitis deminutio minima obligationem perimebat, ceu ex *tit. D. de capit. minut.* nouimus. Subeſt fictio, eum in imaginariam ſeruitutem eſſe deductum, qui emancipatus fuerit; at fictiones eius modi ius naturae plane ignorat, itaque hoc reſtringendum ad obligationes, quae intuitu alicuius ſtatus inducuntur; hae demum mutato ſtatu ceſſant, quia ceſſante cauſſa effectus ceſſat, e. g. obligauit ſe quis tamquam miles ad leges militares; ceſſat eius obligatio, ſi miles eſſe iuſto modo deſiit, ſed non ideo ceſſat obligatio militis debitoris, ſi miles eſſe deſiit.

Hoc ergo intelligendum de mutatione ſtatus promittentis, non alterius, niſi incapax factus ſit rem adquirendi; hinc quaeritur, *an Latini recte ſe liberatos putarint obligatione foederis cum Romanis initi, quum adhuc eſſent ſub Tarquinio, quia ſtatus Romanae rei publicae mutatus*? Negatur, quia ideo non incapax facta foederatum habendi.

§. 7.

Septimus modus eſt *tempus*; ſed nec hic modus eſt generalis, pertinet enim ad illas tantum obligationes, quae ad certum tempus initae, e. g. ſoluam tibi quotannis 100 per 10. annos; exacto decennio ceſſat obligatio.

Aliter ius Romanum, §. 3. *Inſt. de verb. oblig.* ad tempus non poſſe deberi, itaque promiſſionem in certum tempus conceptam perpetuari, at ſtipulatorem, ſi poſt decennium petere velit, exceptione pacti vel doli mali ſubmoueri. Sed hae tricae iuri naturae incognitae. Tempus Romani conſiderabant tamquam pactum contractui ſtricti iuris adiectum; pacta adiecta contractui ſtricti iuris non valebant, niſi per modum exceptionis, ergo producebat tantum exceptionem.

§. 8.

Octauus modus eſt *mors*, quae omnia ſoluit, adeoque et obligationem: at id generaliter non eſt verum; nam e. g. obligatio debitoris ad ſoluendum debitum nec debitore nec creditore mortuo ſoluitur.

Diſtingue ergo, aut obligatio eſt ſolius perſonae intuitu inita, aut reſpectu rei praeſtandae: priore caſu ceſſat morte obligatio, e. g. promiſſio matrimonii, obligatio officialis, miniſtri, magiſtratus; poſteriori caſu non ceſſat ſemper, ſed tunc denuo diſpiciendum, an quis teneatur ad rem, an ad poenam praeſtandam; prior enim obligatio ad heredes tranſit, poſterior morte debitoris exſpirat.

§. 9.

Vltimus modus eſt *delegatio*; ſed auctor hanc confudit cum *ceſſione*, nam ait: delegari alicui debitorem, quum et non debitor delegari poſſit; at ceſſio requirit debitorem. Tu ita dixeris: *delegatio* eſt actus, quo debitor conſentiente creditore alium pro ſe ſoluturum ſubſtituit; hic tunc vocatur *expromiſſor*, e. g. Paullus. *Ceſſio* eſt actus, quo, quod quis mihi debet, in alterum transfero; ergo 1. in delegatione mutatur perſona debitoris, in ceſſione perſona creditoris; 2. delegatio requirit conſenſum et creditoris et noui debitoris, ceſſio tantum creditoris; 3. delegatio prioris debitoris obligationem tollit, ceſſio non tollit.

Soluitur ergo delegatione non in vniuerſum obligatio, ſed tantum obligatio prioris debitoris; Paucis: obligatio delegatione non finitur, nec ſoluitur, ſed transfertur tantum.

CAPVT XVII.

DE INTERPRETATIONE.

§. 1.

SEquutus exemplum GROTII auctor in *Iure nat. et gent.* egit de interpretatione, eamque doctrinam et in hoc compendio repetiit; imitatus poſtea Puffendorffium THOMASIVS in *Iuris prud. diuin.* At is primus animaduertit, nihil huic doctrinae cum iure naturae commercii eſſe.

Alii quidem interpretandi artem referunt ad criticam, veluti IO. CLERICVS in *Arte critica*; ſed critica magis in emendando et illuſtrando, quam in interpretando verſatur, et ſi interpretatur, quaerit tantum ſenſum grammaticum. Alii eam artem vindicarunt theologiae, alii iuris prudentiae, quia eam his diſciplinis permultum vtilitatis praeſtare animaduertebant, ſed eodem iure etiam ad omnes alias diſciplinas referri poſſet.

GROTIVS primus retulit ad ius naturae, quia eius regulae aeque ex recta ratione fluunt, ac ipſum ius naturae; ſed ita et tota philoſophia tractanda eſſet in iure naturae. Vt paucis dicamus: interpretatio non pertinet ad ius naturae, ſed ad logicam; haec autem intellectum praeparat ad cognitionem veri; verum autem vel meditando reperire volumus, vel ex aliorum ſcriptis eruere, vtrumque docere debet ſanior logica: vnde et THOMASIVS, aliique adcuratiores hanc doctrinam in logicis tradiderunt.

Vtut ſit, tam vtilis eſt haec doctrina, vt numquam ſatis inculcari poſſit: operae pretium ergo fuerit, hoc caput euoluere paullo adcuratius; agit in eo auctor 1. *de vtilitate regularum interpretandi*, §. 1. 2. *de interpretatione verborum*, §. 2--4. 3. *de interpretatione ipſius ſenſus et voluntatis*, §. 5. *ad fin.*

I. Quaeritur, *quam vtilitatem interpretatio habeat in iure naturae?* Vt adcurate reſpondeamus, diſtinguendum inter ius naturae ipſum,

ſum, et eiuſdem applicationem; illud eſt theoria, haec praxis. Quod ad ius naturae ipſum attinet, regularum interpretandi nulla eſt vtilitas; Hoc ita probamus: regulis interpretandi opus eſt, quoties adſunt ſigna, quibus quis ſenſa animi paullo obſcurius expreſſit; id eſt, quoties adſunt verba et loquutiones paullo obſcuriores; atqui in iure naturae non adſunt ſigna vel verba obſcuriora; ergo in iure naturae non opus eſt interpretatione. Minorem inde probo: ius naturae nobis non verbis reuelatum eſt, ſed inſcriptum in cordibus, non verbis, ſed ipſo ſenſu, e. g. ſic ſcio, neminem occidendum, quamuis ipſa verba in corde meo non reperiantur, ipſam rem enim ſcio, cogitationes vero meae nulla indigent interpretatione.

Aliud, ſi de applicatione loquamur; ius naturae et gentium quaerit, quid iuris ſit circa leges, pacta, contractus, foedera, tractatus pacis; haec omnia verbis exprimi, et litteris conſignari ſolent, ergo indigent interpretatione; nec prius de iure reſpondere poſſum, quam intelligam ſenſum loquentium, e. g. foedera eſſe ſeruanda probe ſcio, etiam ſine verborum interpretatione.

Occurrit caſus, Romani et Carthaginenſes finito bello Punico primo pacti erant, neutram gentem alterius ſocios laedere debere; paullo poſt ad Romanorum ſocietatem acceſſerat Saguntus, Hannibal Carthaginenſis, eam obſidebat, quaerebatur, an hoc contra foedus ſit? Romani affirmabant, quia Saguntus ſit ſocia ciuitas; negabant Carthaginenſes, quia Saguntus ſocia ciuitas non fuerit eo tempore, quo foedus factum; interpretatione ergo huius foederis opus erit, prius quam, quid circa illud iuſtum ſit, pronunciare ex iure naturae et gentium poſſis.

Ita et Latini populi foedus fecerant cum Romanis, eorumque Rege Tarquinio Superbo: Tarquinium Romani vrbe expulerant, liberamque conſtituebant rem publicam; Latini deficiebant a Romanis, cauſſati, ſe hoc foedus cum regno Romano feciſſe, iam vero tale nullum ſupereſſe. Prius quam ex iure naturae et gentium oſtendi poſſit, rectene, an male et iniuſte egerint Latini, foedus illud recte erit interpretandum. Ergo ipſum quidem ius naturae non indiget interpretatione, at in applicatione eiuſdem ad pacta, foedera, cet. vſus eius eſt incredibilis.

§. 2.

II. *Interpretatio* eſt actus intellectus, quo verum loquentium aut ſcribentium ſenſum ex certis ſignis, nempe verbis et litteris, eruo;

 ergo

ergo diſtincte hic conſideranda verba et ſenſus loquentis vel ſcribentis.

Quod ad verba, ea vel ſunt *popularia*, quibus quiſque etiam ex populo vtitur, de quibus §. 2. vel *technica*, ſeu verba artis, §. 3.

De *popularibus* auctor commendat *regulam* hermeneuticam I.

Verba tamdiu accipienda ſunt in ſignificatu famoſo, donec neceſſitas nos ab eo diuellat.

Ratio huius regulae eſt; qui loquitur, vult intelligi, ergo debet vti ſignis ad indicanda animi ſenſa ſemel receptis; non autem vteretur ſignis ſemel receptis, ſi ſignificationem verbis plane aliam ſubiiceret; ergo praeſumitur merito, eum verba in ſenſu natiuo et recepto recepiſſe, iiſque proinde merito inhaerendum, quoad licet; e. g. promiſerant Turcae militibus praeſidiariis capita ſalua fore, et putabant deinde, ſatisfactum eſſe promiſſo, ſi eos pedibus manibusque truncarent; abſurde; hic enim verba in ſenſu vulgari recipienda, vulgus vero intelligit per haec verba, vitam retinere.

Addimus vero, *donec nos neceſſitas* inde *depellat*, id eſt, quamdiu nihil abſurdi inde ſequitur; abſurdi autem quid ſequitur, quoties vel contradictorium quid, vel fini loquentium contrarium inde fluat; hinc ad litteram non poterat intelligi reſponſum oraculi Delphici Athenienſibus datum, vt moenibus ligneis ſe munirent.

Sed quaeritur, *quaenam ſit ſignificatio natiua ac recepta vocum?* Recte reſpondet auctor, non eſſe hic reſpiciendum

1. ad etymologiam, ea enim *a*) ſaepe a ſignificatione maxime diſcrepat, e. g. ſchola, a σχολῇ otio dicitur; montem a mouendo dictum volunt; *b*) maxime ſaepe incerta, et plerumque ignota, e. g. aediles curules aliqui dictos putant a curru, alii a cura, alii a ſella curuli; *c*) aliquando nugas agunt viri docti in ſtudio etymologico; MENAGIVS deducit vocabulum *Laquais* a verna; *mutuum* IVSTINIANVS a meum et tuum: *teſtamentum* a teſtatione mentis; *locuſtam* Scholaſtici dictam putabant ab haſta et longus.

2. Nec ad proprietatem, id eſt, primaeuam ſignificationem; nam ea ſaepius degenerat cum tempore, e. g. tyrannus olim rex; ſophiſta olim ſapiens; fur olim ſeruus; idemque Germanicum *Schalck*, olim *Knecht*; *Magd* olim virgo.

3. Nec ad analogiam ſeu ſimilitudinem formationis, nam et haec ſaepe fallit, e. g. conuicium, vbi plures ſimul clamant, quaſi conuocium eſt, ergo conuiuium κατ᾽ ἀναλογίαν erit, vbi homines plures ſimul viuunt; comitium, vbi plures ſimul eunt, et tamen

con-

conuiuium ſignificat epulum, comitium locum in foro.

4. Nec ad ſimilitudinem linguarum vicinarum, e. g. *Seigneur* manifeſto eſt a ſenior, vti Italicum *Signore*, et tamen nihil minus, quam ſeniorem ſignificat.

5. Ergo ad ſolum vſum eſt reſpiciendum; verba valent ſicut nummi; ad vſum, inquam, quem penes arbitrium, et vis, et norma loquendi, vt ait Horatius; ergo caput ſeruare ſignificat vitam retinere ob vſum, fur ſignificat *einen Dieb* ex vſu; ita et tyrannus, gymnaſium, cet. ſignificationes habent ex vſu, quum quoad originem plane aliud quid ſignificent.

§. 3.

Iam ad terminos vel vocabula technica: ſinguli artifices habent ſua vocabula propria, vel ſaltem ſuas ſignificationes proprias. ICti e. g. plane alia ſignificatione vtuntur in verbis innumeris, e. g. flumen, tignum, telum, pauperies, noxa, pecus, quadrupes; Mathematicis plane aliud eſt corpus, quam phyſicis, quin et venatores, pictores, fabri, ſutores, cet. eius modi vocabula habent.

Hinc *regula II.*

Verba artium ex artificum ſenſu interpretanda.

Hinc vocabula gemmarum a mercatore gemmarum diſcenda.

Vſum inſignem habet haec regula in interpretandis foederibus, legibus, cet. e. g. Alſatia, quae ſit, diſcendum erit a Geographis, quum Galli cum Germanis poſt pacem Weſtphalicam contenderent, de prouinciae iſtius regionibus; quid ſit *die Land-Voigtey*; ex iure publico; feudum maſculinum, feudum ligium, feudum ſoldatae, camerae cet. ex iure feudali diſcendum; quid claſſis ſit? diſcendum a collegiis nauticis, quae vocant *Admiralitæts-Collegia.*

Patitur tamen regula exceptionem, ſi praeſumtio ſit, loquentem tales terminos technicos non potuiſſe intelligere; ſic ſutor filio praelegauerat quatuor elementa; hic fruſtra quaeſiuiſſes a phyſico, quid legatum hoc contineat; intelligebat enim ſutor ille libellum ſcholaſticum.

§. 4.

Aliquando verba ſiue ſimplicia, ſiue complexa tam obſcura ſunt, vt coniecturis ſit opus, de quibus *regula III.*

Coniecturae debent eſſe conſentaneae circumſtantiis orationis.

Tales circumſtantiae potiſſimum ſunt 1. *perſona ſcribentis vel loquentis*, e. g. in *L.* 1. *§.* 3. *D. de extraord. cognit.* „agitur de Medicis, negaturque eos eſſe Medicos, qui incantauerint, vel imprecati ſint, vel qui vulgari impoſtorum verbo exorciſauerint; non „eſſe haec medicinae genera, tametſi ſint, qui has ſibi profuiſſe „cum praedicatione adfirment. Verba haec ſunt obſcura, nec expreſſit VLPIANVS, quos ita perſtringat; ſed non vlla probabilior eſt coniectura, quam notari hac lege Chriſtianos, qui tunc temporis adhuc miraculoſe curabant homines, vti teſtatur ſcriptor eorumdem temporum TERTVLLIANVS. Conuenit ſane haec coniectura perſonae ſcribenti, VLPIANO, hoſti Chriſtianorum acerrimo, vti teſtatur LACTANTIVS, *Inſtit. diuin. V*, 15.

2. *Verba ipſa*; nam et iſta coniecturae non repugnare debent; in ſuperiore exemplo vocabula *impoſtorum* occurrunt; eo vero nomine vel praecipue notabant Chriſtianos pagani, ceu id demonſtrauit KORTHOLDVS, in *Pagano obtrectatore*; *exorciſare*, eo quoque vocabulo tum vel maxime ac pene ſoli vtebantur Chriſtiani, vti GVIL. CAVE in *Chriſtianiſmo primitiuo* docuit; conuenit ergo et his verbis coniectura noſtra.

3. *Tempus*; vixit VLPIANVS ſeculo tertio, quo feruebat, odium aduerſus Chriſtianos, quo hi miraculoſe curabant, adeo vt in ipſo Seueri Imperatoris palatio Chriſtianus Euodii procuratorem curaret, TERTVLL. *Apologet. cap.* 4. Eo procul dubio pertinent verba vltima huius *L.* 1. *tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe cum praedicatione adfirment.*

4. *Locus*; VLPIANVS ſcripſit Romae, vbi magna Chriſtianorum multitudo, eaque exoſa, adeo vt Seuerus Chriſtianos fieri vetaret, SPARTIAN. *vit. Seuer. cap.* 17.

5. *Cauſſa*; ſcripſit haec VLPIANVS in libro *de omnibus tribunalibus*, vti legis inſcriptio indicat; omnia vero tribunalia tum potiſſimum Chriſtianorum cauſſis occupabantur.

6. *Modus*: ſtilus eſt magis ſatyricus, quam alias ſolet. Ita omnes circumſtantiae noſtrae, nec ideo dubitare poſſumus, quin illa ſolida ſit.

§. 5.

Hactenus de verbis: iam III. de ſenſu totius orationis eruendo. Hic quoque coniecturis nonnumquam eſt opus, maxime vero

1. in aenigmatibus, parabolis, hieroglyphicis, ſimilibuſque orationibus; e. g. Exſtat vetus epitaphium Bononiae;

D. M. S.

D. M. S.
AELIA. LAELIA. CRISPIS.
NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA.
NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS.
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA.
SED OMNIA.
SVBLATA NEQVE FAME NEQVE FERRO.
NEQVE VENENO SED OMNIBVS.
NEC COELO NEC AQVIS NEC TERRIS.
SED VBIQVE IACET.
LVCIVS AGATHO PRISCVS.
NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS.
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS.
HANC NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCHRVM.
SED OMNIA SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.
HOC EST SEPVLCHRVM INTVS CADAVER NON HABENS
HOC EST CADAVER SEPVLCHRVM EXTRA NON HABENS
CADAVER IDEM EST ET SEPVLCHRVM SIBI

Hoc tam aenigmaticum eſt, vt erui non poſſit ſenſus, niſi per coniecturas.

2. Obſcuris propter abbreuiaturas, verba antiqua, noua, peregrina, inuſitata, non plene ſcripta vel truncata, e. g. Fridericus III. Imp. ſymbolo gaudebat. A. E. I. O. V. *Legare ſyntheſin*, *L. 38. §. 1. D. de aur. argent. mund. leg.*

Sic vos non vobis.

3. Antiquis; *morari inter homines deſiit*; omnibus his ſimilibuſque caſibus coniecturarum tres fontes oſtendit auctor, 1. ſubſtratam materiam, id eſt, obiectum, de quo auctor loquitur; 2. effectus; 3. coniuncta; de ſingulis ſeorſim.

De *materia* commendat regulam *IIII.*

Verba regulariter ſunt accipienda ſecundum ſubſtratam materiam. Talia enim ſunt ſubiecta, qualia permittuntur eſſe a ſuis praedicatis, et vice verſa.

Hinc e. g. epitaphium Aeliae Laeliae Criſpidis neceſſario explicandum videretur de abortu, ſi vltima quadrent, eſt enim epitaphium alicuius, quae *nec vir, nec mulier, nec androgyna*; nondum enim ille perfectus fuit homo, *ſed omnia*; fieri enim haec omnia; hinc *nec caſta, nec pudica*, cet. *ſed omnia*, ſcilicet potentia; *ſub-*

lata neque fame, cet. periit enim nullo horum, et tamen incertum; an non mater aliquid venenati adſumſerit, an nutrimentum ſuffecerit, adeoque an non fame perierit, an non vis adhibita; *nec coelo, nec aquis, nec terris, ſed vbique iacet*; videtur vrnae inditus cinis, qui ſic nec coelo, nec terra, nec aquis, ſed in aëre, qui vbique eſt, tenebatur. *Agatho* ille omnino *nec maritus, nec amator, nec neceſſarius* erat, ſed omnia eſſe potuiſſet, cet.

Legare ſyntheſin ſignificat alicui veſtes, quae neceſſario coniunctae ſunt, legare; addo ego vero regulam *V.*

Coniectura manet incerta, niſi accedat probatio, quae eam reddat probabilem,

e. g. in epitaphio Aeliae Laeliae Criſpidis nihil probaui, ergo coniectura incerta. Contra ſymbolum iſtud Friderici III. imp. probabiliter interpretantur;

Auſtriae Eſt Imperare Orbi Vniuerſo.

Probari enim poteſt, Imperatorem illum ſine prophetia aliqua, ſiue ſomnio monitum certo ſibi perſuaſiſſe, Auſtriam vniuerſo orbi imperaturam; Hinc in ſigillo maiori expreſſit verſiculos:

Aquila Ezechielis
Sponſae miſſa eſt de coelis
Volat ipſa ſine meta
Quo nec ales nec propheta
Euolauit altius.

§. 6.

2. De *effectu* notanda regula *VI.*

Verba ita interpretanda, vt effectum habeant;

nemo enim ideo loquitur, vt nihil ſignificet, vel verbis ſuis nihil euincat, ſi ſanus eſt; hinc 1. omnia pacta ita interpretanda, vt effectum habeant; hinc cauillator fuit Braſidas, qui magna accepta pecuniae ſumma Thebanis obſeſſis promiſit, ſe eorum terra exceſſurum, ac deinde cauſſatus eſt, ſuam eſſe terram, quam exercitu ſuo inſederit.

2. Omnia teſtamenta; Titius et Sempronius heredes ſunto; quod Titius habebit, Sempronius accipito; quod Sempronius habebit, Titius accipito. Hic nullum effectum haberet heredis inſtitutio, ſi *quod* non accipias pro quantum.

3. Foedera; hinc abſurda erat interpretatio Romanorum, qui ſtipulati ab Antiocho Syriae Rege dimidiam claſſem, naues ſingu-

las

las ſecabant; ſic enim nullum effectum habebat ſtipulatio Antiochi, qui pro defenſione regni alteram dimidiam ſibi reſeruarat.

§. 7.

3. Coniecturae etiam deſumuntur ex coniunctis. *Coniuncta* ſunt vel *loco*, illa vocantur loca parallela; vel tantum *origine*, et vocantur antecedentia et conſequentia.

De *coniunctis loco* obſeruanda regula *VII*.

Locus obſcurior explicandus ex loco clariore.

Sic ſaepe ſcriptura explicanda ex ſcriptura; ſic ſaepe teſtamentum ex codicillo; phraſis apud MATTH. *III*. 11. *igne baptizari*, alibi effertur, *ſacro baptizari ſpiritu*.

De *coniunctis origine* regula *VIII*.

Attendendum eſt ad antecedentia et conſequentia.

Extra contextum enim ſaepe nullum idoneum ſenſum fundit oratio, e. g. *ſic te diua potens Cypri*; nullum ſenſum fundit, iunge ſequentia, et ſtatim de ſenſu patebit.

Sic in §. 2. *Inſt. de act.* caſus memoratur, quo poſſeſſor in rem agat: diſputant, quis ille ſit? ſed antecedentia id planum faciunt; ſi quis nempe intendat ius non eſſe aduerſario vtendi, fruendi, eundi, agendi, aquam ducendi; eſt ergo actio negatoria, non interdictum, *vti poſſidetis*, ob *L.* 3. §. 3. *D. de interdict.*

In *L.* 5. §. 2. *D. qui et a quib. manumiſſ.* libertas in fraudem creditorum data dicitur *reſcindi*; in *L.* 45. §. 3. *D. de iur. fiſc.* dicitur *retrahi*; in *L.* 1. *C. qui manumitt. non poſſ.* dicitur *reuocari*; ſed confer locum parallelum *pr. Inſtit. qui et ex quib. cauſſ. manumiſſ.* ibi manumiſſio talis nulla eſſe dicitur.

Ita *L.* 10. *D. de inſtit. act.* ita ſe habet: *eatenus tamen dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior eſt*; hic non exprimitur perſona rei, nec qualis ſit actio, quiſque caſus ſit, de quo agatur. Sed antecedentia haec omnia illuſtrant: agitur de pupillo, qui tabernae praepoſuit inſtitorem; agitur de actione inſtitoria, et quaeritur, an illa aduerſus pupillum locum habeat? idque adfirmatur eatenus, quatenus factus ſit locupletior.

In *L.* 12. §. 42. *D. de inſtruct. et inſtrum. legat.* mentio fit oſtiariorum, topiariorum, diaetariorum, aquariorum, et dicitur, eos omnes ad legatum fundi inſtructi pertinere: hic antecedentia ſtatim docent, eos eſſe ſeruos, et oſtiarios quidem ianitores, qui in

catenis ad fores excubabant in cellula; topiarios hortulanos; diaetarios, qui diaetis ſeu cubiculis praeerant; aquarios, qui aquam portabant.

§. 8.

4. Ad interpretationem legum praecipue multum facit ratio legis, quae eiuſdem veluti anima eſt.

Equidem PAGANINVS GAVDENTIVS, *Expoſit. iurid. libr. I. cap. 3.* negat, hanc regulam veram eſſe, quin ne poſſe quidem omnium, quae a maioribus conſtituta ſunt, rationem reddi, *L. 20. D. de legib.* Sed ſatis haec argumenta refutauimus in *praefatione* noſtra *Elem. iur. ciuil. ſecund. ordin. Digeſtor. adornat.* praefixa. Id quidem verum eſt, ſi de obligatione legis quaeratur, nihil ad rem facere rationem legis; at in interpretatione legis ea eſt quam maxime neceſſaria; hinc auctor ponit regulam VIIII.

Illa interpretatio eſt ſequenda, quae rationi congruit: illa reiicienda, quae ei repugnat.

Ratio in promtu eſt: legiſlatori cuiuis certus finis ob oculos verſatur, ei fini accommodat media, id eſt, leges ſuas. Ergo legem non intelligo, niſi intelligam finem, e. g. de domo ſua nemo in ius vocandus, *L. 18. D. de in ius vocan.* ſed e vinea, balneo, theatro in ius vocari poteſt, *L. 20. D. eod.* Rationem reddere nemo poterit, niſi rationem legis ſciat, quae eſt religio deorum Penatium.

In *L. 15. §. 27. D. de iureiur.* pro iniuria habetur, ad alterius inuidiam veſte lugubri vti, barbam demittere, capillum ſubmittere; lex haec clara, ſi ſcio rationem, puta, quia cognati talem habitum ſumebant, ſi cognatorum aliquis capitis damnaretur, vel de capite periclitaretur.

L. 20. C. de poen. Si Imperator ſupplicium grauius, quam alias ſoleret, decceuerit, exſequutionem 30. dies differendam iubet. Legem non intelligimus, niſi rationem ex hiſtoria Theodoſii ſciamus. Vid. IAC. GOTHOFRED, *ad Cod. Theod. tom. III. tit. de poen. pag. 305.*

§. 9.

5. Sequens regula X. notiſſima quidem, et vetus admodum eſt; ſed parum adcurata:

Favorabilia late, odioſa ſtricte interpretanda ſunt.

Orta

Orta ſuper ea controuerſia inter THOMASIVM et VINC. PLACCIVM; ille hanc regulam reiecit, hic defendere voluit: ſcripta inſerta THOMASII *Iuris prudentiae diuinae.*

Poſtulauit THOMASIVS ſuo iure, vt PLACCIVS fauorabilia et odioſa definiret; ſed hic haeſit aqua.

Supplere hunc defectum voluit PVFENDORFFIVS, ſed 1. res ipſa docet, eum non definitiones dediſſe, ſed exempla; 2. ne exempla quidem omnia adduxiſſe, quia ſubiecit, cet. 3. experiundo quis diſcet, impoſſibile eſſe genuinas definitiones fauorabilium et odioſorum reperire.

Nimirum intellectu quidem et abſtrahendo poſſum diſtinguere fauorabilia et odioſa, ſed re ipſa eaedem res diuerſo reſpectu ſimul odioſae et fauorabiles ſunt; quod enim vni accedit, alteri decedit, quod vni prodeſt, alteri incommodum eſt. Hinc auctor addidit res mixtas, ſed reuera omnes mixtae ſunt, e. g. dos eſt fauorabilis genero, odioſa ratione ſoceri; priuilegium beneficum fauorabile eſt priuilegiato, odioſum ratione conciuium; legatum, fideicommiſſum, donatio ſunt fauorabilia ratione legatarii, ſed odioſa reſpectu heredis; tributa ſunt fauorabilia ratione fiſci et rei publicae, odioſa ratione ſubditorum.

Iam facile patet falſitas regulae, argumentamur enim: ſi fauorabilia late, odioſa ſtricte interpretanda ſunt, ſequitur, vt eadem res et late, et ſtricte interpretanda ſit; at poſterius eſt abſurdum; ergo et prius. Conſequentia vera eſt, quia eaſdem res et odioſas, et fauorabiles eſſe demonſtrauimus. Poſterius abſurdum eſſe inde probamus, quia ne exitum quidem reperire poteſt eius modi interpretatio, e. g. ſi litigarent de dote gener, et ſocer, ille vſuras peteret, hic negaret, ſe vſuras debere, abſurdiſſime iudex pronuntiaret, reum et dotem, et vſuras debere, actori vero vſuras accipere ius non eſſe, et tamen ita pronuntiandum eſſet, ſi vera eſſet regula, fauorabilia late, odioſa ſtricte eſſe interpretanda.

Potius ergo dicimus, humanitatem et miſericordiam potius in omni interpretatione merito praeualere debere, quam rigorem et ius ſtrictum: item maiorem ſemper rationem habendam eius, qui de damno certat, quam eius, qui lucrum captat.

§. 10.

6. Progreditur auctor ad ſpecies interpretationis, quae in legibus potiſſimum et in pactis locum habent. Alia eſt EXTENSIVA, vbi

ratio legis vel pacti latius patet quam verba; alia RESTRICTIVA; vbi verba latius patent, quam ratio; alia DECLARATIVA, vbi verba et ratio pari paſſu ambulant, adeoque illa tantum conſideranda ſunt.

Haec poſtrema non requirit ſingulares regulas. De *extenſiua* vero tenenda regula XI.

Quoties ratio legis latius patet, quam verba, toties opus eſt interpretatione extenſiua.

Ita quamuis XII. tabulae tantum agnatis et gentilibus iniunxiſſent tutelam legitimam: tamen ICti et patronos eſſe voluerunt tutores legitimos libertorum, liberorumque ab iis relictorum, non quod nominatim in lege de hac tutela caueatur, ſed quia perinde accepta eſt per interpretationem, ac ſi verbis legis introducta eſſet, §. *vn. Inſt. de legit. patron. tutel.* Ratio enim legis erat, vbi ſucceſſionis emolumentum eſt, ibi et onus tutelae eſſe debet.

Regula XII. *Quoties aliquid fit in fraudem legis, toties extenſiua interpretatione opus eſt.*

Quid ſit *in fraudem legis* et *aduerſus leges agere*, docet *L.* 29. *D. de legib.* Ratio huius regulae manifeſta eſt: Legiſlator vult leges ſuas valere, ergo vult etiam, vt omnia prohibita ſint, quae impediunt, quo minus lex valere poſſit; at impediunt valorem legum, quae fiunt in fraudem earum; ergo ea omnia ſimul prohibita voluit.

Exemplum elegans eſt in §. *vn. Inſt. de leg. Fuſ. Canin. toll.* itemque in *L.* 1. *pr. L.* 13. §. 1. *L.* 40. *D. de iur. fiſc.* vbi quod per tacitum fideicommiſſum relictum eſt, omne a fiſco vindicatur, quia tacita fideicommiſſa plerumque inhabilibus in fraudem legum relinquebantur.

§. 11.

Interpretationi reſtrictiuae locus eſt, quoties ratio legis non tam late patet, quam verba. Id colligi poſſe putat auctor, vel 1. ex defectu voluntatis originario, ſi ſtatim ab initio hunc caſum lege comprehendi noluit, vel 2. ex caſus emergentis cum voluntate repugnantia, ſi poſtea pateat, hunc caſum in mente non habuiſſe legiſlatorem. Sed reuera haec eadem ſunt et coincidunt; vti recte obſeruauit TITIVS, *Obſeru.* 433.

Sufficit regula XIII.

Quoties latius patent verba, quam ratio legis, toties opus eſt interpretatione reſtrictiua.

Sane

Sane enim non verba legis obligant, ſed voluntas legiſlatoris, haec vero ex ratione legis elucet.

Id colligitur, 1. ſi abſurdum ſequeretur ex interpretatione latiore; ſic peccabant in interpretatione tertii praecepti Iudaei; dum negabant, defenſionem ſabbatho eſſe licitam, ſic enim ſequebatur abſurdum, Deum ſabbathum inſtituiſſe in perniciem hominis; 2. ex defectu rationis, quae legiſlatorem mouit, e. g. prohibuerant leges, aperiri teſtamentum, ſi teſtator eſſet domi occiſus, *L.* 1. *D. de SC. Syllan.* Ratio erat, ne forte ſerui manumiſſi teſtamento liberarentur, et ſic immunes eſſent a tortura. Quid ſi ſeruos non habuiſſet domi occiſus? deficit ratio, ergo et prohibitio; 3. ex defectu materiae, id eſt, ſi non adſit obiectum, de quo cogitatum, e. g. ſuſcepit in ſe quis caſum in contractu locationis conductionis, dubium non eſt, quin ferre teneatur ſterilitatem. At quid, ſi vermes plane ignoti omnia depaſcantur? de eo non videtur cogitatum; hinc regula: *Ad non cogitata et non cognita renuntiatio non porrigitur.* Vid. EV. OTTONIS *Diſſ. de caſibus inſolitis, inſolentioribus, et inſolentiſſimis.*

§. 12.

At alia quoque ſigna recenſet auctor; ex quibus colligi poſſit, legem et pactum reſtringi debere.

1. Si ab aequitate eſſet diſcedendum, ſi litterae inhaerere vellemus, e. g. qui feram occiderit intra bannum ferinum, capitis plectitur; iniquiſſimum eſſet, ſi hoc ſupplicio afficeretur, qui feram ſuae defenſionis cauſſa occidiſſet.

2. Si humanitati repugnaret interpretatio latior; huc pertinet lex Saulis: qui quidquam guſtauerit, moriatur; Ionathan vero legis ignarus et eſuriens quidquam mellis guſtauerat.

3. Si effectus non ſit ſperandus tanti momenti, quantum eſſet damnum ex obſeruatione legis ſtricta proueniens, e. g. lex eſt: transfugae capite plectantur; ex Ageſilai exercitu 10000. occupauerant cliuum ad hoſtem tranſituri; Ageſilaus callido conſilio id vertebat in vſum, et victoriam reportabat; iam 10000. eſſent mactandi maximo patriae detrimento; exclamauit itaque: dormiant hodie leges, teſte PLVTARCHO in *Vita Ageſilai.*

§. 13.

Vltimo loco auctor agit de conflictu vel colliſione legum: Haec duplex; oritur enim

1. Vel ex diuerſitate legum in diuerſis territoriis latarum, e.g. in Saxonia recepta eſt gerada, alibi non eſt recepta; alibi prohibita ſunt teſtamenta, apud nos permiſſa. Itaque ſi quis in Ruſſia teſtetur moribus Ruſſicis de bonis in Germania ſitis, quaeritur, an teſtamentum in Germania valeat?

2. Vel ex legibus vnius legiſlatoris, ſi caſus occurrat, vt alterutra legum violanda ſit, e. g. lex eſt: *conſerua te*; ſed lex quoque eſt; *ſanctifica ſabbathum*; vtraque eſt a Deo, et contingere tamen poteſt, vt vtraque ſeruari nequeat; de illa hic non eſt quaeſtio, de qua ſcripſerunt RODENBVRGIVS, SANDIVS, HVBERVS, et alii; nos de poſteriori tantum loquimur, de qua auctor ſequentes dedit regulas.

Reg. I. *Lex permiſſiua cedit praeceptiuae.*

Illa indulget enim quid in mei fauorem, cui poſſum renuntiare; huic renuntiare nequeo; e. g. Permittit lex alienare noſtra, at prohibet eadem, ne pupillus alienet; poſterior procul dubio praeferenda.

Reg. II. *Quae lex tempori certo alligata, ea praeferenda illi, quae nullum praeſcribit tempus.*

Tunc enim vtrique legi ſatis fieri poteſt, e. g. iubet lex, amicum conſilio iuuare; hoc quouis tempore fieri poteſt; iubet lex etiam officio certis diebus et horis fungi, hoc ergo officium alteri praeferendum.

Reg. III. *Lex negatiua praeferenda affirmatiuae.*

Negatiua enim ſemper obligat, affirmatiua data dumtaxat occaſione; e. g. Negatiua lex eſt: *Neminem in extrema neceſſitate deſere*; affirmatiua: *Sabbathum ſanctifica*; illud potius faciendum, quam hoc.

Reg. IIII. *Lex ſpecialis praefertur generali.*

Illa enim quaſi exceptio eſt a regula, adeoque regulam tollit, e. g. *Nemo noctu armatus prodeambulet*, eſt lex generalis; ſpecialis: *Quoties Hannibal eſt ante portas, ciues armati ſe in foro ſiſtant*; haec, tamquam exceptio, regulam tollit.

Reg. V. *Inter duas leges concurrentes, quae vtraeque ſeruari non poſſunt, eligenda eſt, quae cauſſam habet honeſtiorem.*

E. g.

E. g. lex eſt, ſuccurrere periclitantibus; duo in aqua periclitantur, alter frater, alter extraneus, honeſtius erit procul dubio fratri ſuccurrere.

Regula VI. falſa eſt; nam iuratum pactum, ſi iniuſtum in ſe ſit, non ideo fit iuſtum; iusiurandum non prodit nouam obligationem, ſed obligationem confirmat.

Reg. VII. *Obligationi perfectae cedit imperfecta;* Quia illa habet praeſtationem neceſſariam, haec magis voluntaria eſt, e. g. lex eſt: *date pauperibus*; lex etiam ait: *ſolue, quod debes*; ſi vtrumque non poſſum, rationi magis conſentaneum eſt, vt exſoluam, quae debeo, quam vt beneficia praeſtem pauperibus.

Reg. VIII. *Lex beneficentiae cedit legi gratitudinis.* Beneficentia eſt, extraneo dare alimenta; officium gratitudinis eſt, parentes alere, ceteris paribus; ergo et ſi vtrique ſatis facere nequeo, vltimum officium merito praeualet.

LIBER II.

CAPVT I.

DE STATV HOMINVM NATVRALI.

§. 1.

Connexio libri II. cum priore in eo conſiſtit, 1. quod in priore egimus de officiis hominis conſiderati tamquam hominis. Omnia enim officia, quae hactenus deſcripſimus, omnibus hominibus incumbunt ſine diſcrimine, in quocumque ſtatu viuant: iam vero agemus de officio ciuis, in certo aliquo ſtatu viuentis, adeoque iam ſequentur officia, ad quae non unuſquiſque obſtrictus eſt.

2. Quod hactenus vidimus tria inſtituta humana, ex quibus certa officia hypothetica fluebant, ſermonem, dominium, et rerum pretium: iam ergo ſequitur quartum, *imperium*, vel *ciuitas*, vel *res publica*, de qua toto libro II. agitur.

Et placuit quidem auctori is ordo, vt agat 1. de ſtatu ante rem publicam ſeu naturali, *cap.* 1. 2. *de ſtatibus ſeu ſocietatibus ſimplicioribus*, ex quibus res publica coaluit, veluti *coniugali*, *paterna*, *herili*, de quibus agitur *cap.* 2-4. 3. *de ipſa re publica, et officiis imperantium et ſubditorum*, *cap.* 5. *ad finem.*

Hoc ergo caput deſcribit ſtatum naturalem, vbi quaeritur 1. *quid ſit ſtatus in genere?* §. 1. 2. *quid ſtatus naturalis?* §. 2-7. 3. *eius ſtatus quaenam iura?* §. 8. 4. *quaenam incommoda?* §. 9-11.

1. *Statum in genere* ipſe definit auctor, ſed parum accurate; nos dicimus, eſſe *qualitatem moralem, ſecundum quam homo ad certa officia obſtringitur, certiſque iuribus fruitur.* Ita pater, filius, maritus, vxor, imperans, ſubditus, dominus, ſeruus viuunt in certo ſtatu, quia et ad certa officia obſtringuntur, ad quae non obſtringerentur, niſi eo in ſtatu viuerent, et certis iuribus fruuntur: quibus itidem non fruerentur, ſi extra hunc ſtatum viuerent.

Dicimus autem 1. *qualitatem moralem*, quia eum ſtatum homo non

non habet phyſice, ita vt eius natura mutetur, ſed vel per impoſitionem hominum, vel per ſpontaneam electionem.

2. quumque in iure ad effectum rerum potiſſimum reſpiciamus; addidimus duplicem effectum, ex quo natura ſtatuum perſpicitur, 1. *certa officia*, quemadmodum patris eſt filios alere, educare, ad diſciplinam perducere, cet. 2. *certa iura*, e. g. quod pater poteſtate in liberos vtatur; quod per eos adquirat.

Ceterum hic ſtatus eſt vel *naturalis*, in quo omnes a natura conſtituti, e. g. quod homines ſumus ratione praediti, quod libere nati, natura omnes pares, cet: vel *aduentitius*, quem ex poſt facto adoptamus, e. g. coniugalis, herilis, cet.

§. 2.

II. Iam de *naturali* quaeritur, *quid ſit?* Obſeruat auctor, vocabulum eſſe quam maxime aequiuocum, tres tamen eſſe potiſſimum eius acceptiones: aut enim ſtatum naturalem conſiderari 1. *in ordine ad Deum creatorem*, 2. *in ordine ad ſe ipſos*, 3. *in ordine ad alios homines.*

Sed haec quidem numeris Platonicis obſcuriora. Senſus auctoris eſt, conſiderari hominem, vel qualis a Deo creatus, vel qualiter erga ſe ipſum affectus ſit, vel prout ad alios homines ſe ſe habeat. Si primo ſenſu accipiamus, tunc ſtatus noſter naturalis diuerſus eſt a ſtatu brutorum; ſi ſecundo ſenſu, ſtatus noſter naturalis opponitur ſtatui ſociali; ſi tertio, opponitur rei publicae, vel imperio et ſubiectioni.

§. 3.

In primo ſenſu ſtatus naturalis opponitur ſtatui brutorum, et tunc in eo conſiſtit, quod a Deo recta ratione, eiuſque vſu ſumus inſtructi.

Experimur enim, nobis prae brutis ineſſe eximium quid, facultatem nempe intelligentem, quid verum, falſum bonum, malum ſit, et volentem bonum, auerſantem malum; itaque non modo corporeum, ſed et incorporeum; Id vocamus *rationem*; nec ſolum eam facultatem in nobis latitare deprehendimus, ſed quidquid cognoſcimus, ſcimus, volumus, auerſamur, cum aliis per vocem communicare diſtincte poſſumus, id quod vocamus *orationem*; his ſolis rebus a brutis diſtinguimur, quae et ratione, et oratione deſtituuntur.

Iam hic ſtatus nobis dat certa iura; nam praerogatiua gaude-

mus prae aliis creaturis, adeo vt eas noſtris vſibus adhibere poſſimus, ceu ſupra demonſtrauimus, ſed etiam certas nobis imponit obligationes, nempe 1. quia rationem habemus, quae etiam res incorporeas cognoſcere poteſt, vt ergo et inuiſibilia ſcrutemur; Deum cognoſcamus, in eius voluntatem et leges inquiramus.

2. Quia ratione ea praediti ſumus, quae diſcernere poteſt bonum et malum, vt inquiramus in verum, immo in ſummum et perfectiſſimum bonum, operamque demus, vt illo fruamur.

3. Quia ratione pollemus, vt non viuamus ſecundum impetum paſſionum, multo minus ſecundum brutum adpetitum, ſed ſecundum rationem, noſque virtute diſtinguamus ab aliis creaturis.

4. Quia ſermonis facultate inſtructi ſumus, vt eo vtamur ad Deum celebrandum, alios ad virtutem inflammandos, conſilia aliis danda, inſtruendos denique alios. Videmus itaque hunc ſtatum vere ſuas obligationes, ſuaque iura habere, adeoque vere ſtatum dici poſſe per definitionem §. 1. datam.

§. 4.

Secundo modo conſideratus *ſtatus naturalis* eſt oppoſitus ſtatui ſociali, adeoque tunc eſt ille ſtatus, quo homo extra ſocietatem aliorum hominum viuit; Hunc in maiori opere auctor deſcribit per fictionem; fingit enim, hominem ſolum, egenum, nudum in hoc orbis theatrum proiectum, atque colligit, tunc futurum fuiſſe animal miſerrimum. Quum vero plures ea fictione offenderentur, hic illud mutauit, et ad miſeriam huius ſtatus demonſtrandam deſcribit hominem, qualis naſcatur nudus, egenus, omnium rerum indigus, qui nec edere per ſe poſſit, nec frigus pellere, nec vitam conſeruare, intra paucas horas periturus, ſi aliorum ope deſtitueretur.

Enimuero quamuis haec vera ſint, poteſt tamen hic ſtatus extra ſocialis melius cognoſci, ſi ſiſtamus nobis

1. Adamum, dum ſolus in hoc mundo vixit; erat is conditus ad imaginem Dei, et tamen Deus eius ſtatum ſolitarium non perfectum eſſe fatetur, dum *Geneſ. II.* 18. dicit, *non conuenit, Adamum eſſe ſolum.*

2. Hominem naufragio in inſulam incultam, vel locum deſertum proiectum, qui tunc miſerrimus futurus eſſet in ea ſolitudine, indigus, ad omnia expaueſcens, tuta omnia timens.

Ius

Ius huius ſtatus conſiſteret in libertate plena; neminem enim haberet ſuperiorem, praeter Deum, et neminem quoque ſubditum praeter creaturas.

Obligationes futurae eſſent, 1. vt, quia ſolum Deum ſuperiorem agnoſceret, etiam ad Dei voluntatem ſe totum componeret, 2. vt, quia extra ſocietatem aliorum hominum viuit, ſuam conſeruationem vnice intendat, adeoque ſe conſeruet pro virili, ſe alat, ſe non occidat, cet.

§. 5.

Tertia acceptio eſt, quando *ſtatus naturalis* opponitur rei publicae, imperio, ciuitati.

Si homines in hoc ſtatu viuunt, omnes inter ſe ſunt aequales, vnde a quibuſdam vocatur ſtatus aequalitatis; ac definiri poteſt, quod ſit ſtatus, quo homines non habent vel proprium vel communem imperantem, adeoque inter ſe per omnia aequales ſunt. Auctor tantum poſuit communem imperantem, ſed id falſum; ita enim Hiſpaniae et Galliae ciues viuerent inter ſe in ſtatu naturali, quum tamen vterque viuat in re publica: potius ergo dicendum, nec ſuum proprium, nec communem imperantem eos habere debere, qui in ſtatu naturali viuunt; ſic e. g. rex Hiſpaniae et Galliae inter ſe viuunt in ſtatu naturali, quia neuter vel proprium, vel communem imperantem habet.

§. 6.

Iam quaerit auctor, *quotuplici modo concipi poſſit hic ſtatus*? Reſp. vel per fictionem, vel prout vere exiſtit. Per fictionem ſi concipiamus, multitudinem inſignem exiſtere ſimul ſine vlla dependentia et connexione; haec eſt vera fictio; fingunt tale quid poëtae de centauris, Lapithis, Thracibus, cet: ſed numquam tales gentes extra omnem ſtatum ciuilem vixerunt.

Prout vere exiſtit, ſi conſideremus 1. diuerſos imperantes; hi enim in mundo nullum ſuperiorem agnoſcunt, adeoque viuunt in ſtatu naturali, 2. diuerſos populos liberos; hi inter ſe non habent communem dominum, adeoque in ſtatu naturali viuunt; dico: *populos liberos*, id eſt, independentes; nam in Germania plures quidem ſunt populi, veluti Saxones, Sueui, et Francones, ſed non viuunt in ſtatu naturali, quia habent communem imperantem, puta Imperatorem et Imperium.

§. 7.

At quaeritur, *an vmquam genus humanum in ſtatu naturali vixerit*? vel, vt dilucidius quaeſtionem proponamus, an vmquam fuerit ſeculum, quo extra rem publicam vixerint homines? Id recte negatur; Nam

1. Non potuiſſet eius modi multitudo ſubſiſtere; vbi enim eſt ſtatus naturalis, ibi nihil impedit, quo minus vita piſcium viuatur, vbi maior deuorat minorem. Hinc et ſtupidiſſimas gentes tamen videmus ſuperiores ſuos habere, e. g. Samogetae, Americani, Afri.

2. Multitudo hominum concipi non poteſt ſine ſtatu coniugali, et paterno; vbi ſtatus coniugalis et paternus, ibi ſuperior, adeoque ceſſat ſtatus naturalis. Hinc recte animaduertit auctor, primum inter homines imperium fuiſſe domeſticum; paterfamilias ſimul erat princeps et imperans familiae ſuae; quin eam independentiam ſibi antiquiſſimis temporibus ſaepe reſeruabant per foedera, etiamſi tamquam hoſpites in aliena re publica viuebant; e. g. Abrahamus viuebat inter Cananaeos, et tamen omnia iura principis exercebat, foedera pangebat, bellum gerebat, filium erat mactaturus; hereditatem diuidebat ſuo lubitu; reſeruabat enim ſibi independentiam, quamuis in re publica viueret.

Simile quid de familia Otanis refert HERODOTVS III. 83. Quum enim omnes Perſae regi parerent, ipſeque Otanes ſubiectus eſſet, is tamen in electione Darii ſibi et poſteris ſtipulatus eſt independentiam; hinc haec familia ſub capite ſuo viuebat, nulla in re regi Perſarum ſubiecta, quamuis in media Perſia viueret.

3. Hiſtoria docet, in ipſis ſtatim mundi primordiis natas eſſe res publicas, ſimul ac magna eſſe coepit hominum multitudo; Cain enim Adami filius Hanochum gignebat, qui primam aedificauit vrbem, cui nomen ſuum indidit: vrbs vero concipi nequit ſine aliquo quocumque regimine; fuit ergo ſtatim initio mundi ciuile aliquod regimen; ita et inter cauſſas diluuii referuntur homines potentes et tyranni, quos ſine ſubiectis concipere non poſſumus.

§. 8.

III. Iam quaeritur, *in quo* IVRA *huius ſtatus naturalis in tertio ſenſu accepti conſiſtant?* Reſp.

1. In libertate; vbi enim nemo eſt imperans, ibi nemo cogit ad aliquid

aliquid faciendum vel omittendum; vbi nemo cogit, ibi ſumus liberi. Sed poſſet quis obiicere, nos tamen nobis etiam videri homines liberos, quamuis viuamus in ciuitate vel re publica? Reſp. recte; ſed tunc alia eſt libertas illa, quam de qua loquimur.

Libertas eſt vel *naturalis*, quae idem ac ſpontaneitas, qua a natura inſtructi ſumus, vt non agamus ex neceſſitate mechanica, ſed libere; hac omnes homines gaudent; vel *iuris gentium*, qua quis nullius domeſtico dominio ſubiectus eſt, et huic opponitur ſeruitus; hac quoque nos omnes gaudemus, quia in nullius domeſtico dominio ſumus, nullius mancipia; denique tertio datur etiam libertas *ciuilis* vel *politica*, qua quis nullum ſuperiorem vel imperantem agnoſcit. Hac libertate nemo noſtrum gaudet; gaudent vero ea, qui in ſtatu naturali viuunt, veluti ſummi Imperantes, adeoque ſtatui naturali hoc ius eſt proprium.

2. In aequalitate; vbi enim non eſt imperans, nec ſubditus, nec ſuperior, nec inferior, ibi eſt aequalitas inter omnes: in ſtatu naturali non eſt quis imperans et ſubditus, ſuperior, et inferior, ſecundum definitionem; in ſtatu ergo naturali eſt aequalitas.

3. In iure belli gerendi; vbi enim non eſt ſuperior, ibi ceſſat ius definiendi controuerſias et lites per modum iudicii; vbi ceſſant iudicia, ibi quiſque ſibi ipſi dicit ius gladio; in ſtatu ergo naturali eſt ius gladii vel belli.

Attamen obiicitur, in ſtatu etiam naturali locum habere poſſe iudicia; hiſtoriam enim docere, Romanos inter Maſiniſſam Numidiae Regem, et Carthaginienſes ius dixiſſe, quum tamen vterque populus fuerit liber, adeoque inter ſe vixerint in ſtatu naturali? Reſp. 1. id factum per modum compromiſſi vel arbitrii; 2. Carthaginienſes et Maſiniſſa foedere inaequali iuncti erant Romanis, adeoque Romanam maieſtatem comiter venerari, eorumque arbitrio ſtare tenebantur.

§. 9.

IIII. Iam de incommodis ſtatus naturalis: diximus quidem ſupra, iura huius ſtatus conſiſtere in libertate, aequalitate, iure belli, quae mirifice hominibus blandiuntur. Sed non maiora ſunt incommoda, vt ſi ea compares cum illis, quae in ſtatu imperii vel ciuitatis homines premunt, illa haec multum ſuperant. Videbimus argumenta auctoris, quae omnino non omnia eiuſdem ponderis ſunt.

1. Miſeriam huius ſtatus oſtendit per ſolitudinem, quae omnino

magna miſeria a) infantibus, quippe quibus pereundum eſſet; b) adultis, qui in ſolitudine perpetua triſtitia affligerentur, nullius ope ſubleuarentur, nullis vitae commodis, quibus iam fruimur, fruerentur. Quid opus eſt verbis, ſi homo ad perpetuos carceres damnatus miſerrimum ſe putat, quamuis vel maxime honeſte habeatur; et ex ſcientiis nullam voluptatem caperemus, ſi ſoli eſſemus. Archimedes dicebat, ſi in caelum raperetur, aſtraque omnia coram ſpectare poſſet, nullam ſe inde voluptatem percepturum, niſi eſſet in terra, cui reuerſus haec, quae viderit, narrare poſſet.

Ita auctor; ſed ſi dicendum, quod res eſt, primum hoc argumentum miſeriam ſtatus naturalis vix probat; confundit enim ſtatum extra ciuitatem cum ſtatu extra ſocietatem: at homines in libertate naturali viuere poſſunt, vt ideo non viuant in ſolitudine. Noachus poſt diluuium viuebat in ſtatu extra ciuitatem, neminem habebat imperantem, ſed quis dixerit, eum ideo in ſolitudine vixiſſe; quin Adamus et Eua, quando in Paradiſo viuebant, nullam conſtituebant rem publicam, et tamen neuter viuebat in ſolitudine.

Deinde non omnis ſolitudo eſt miſeria; quidam eam optant, et quouis modo affectant; carceri mancipatos non ſolitudo angit, ſed defectus libertatis; quin aliquando praeſtaret in ſolitudine viuere, quam in ciuitate, vbi homo homini lupus, homo homini diabolus.

2. Auctor miſeriam ſtatus naturalis probat ex ruditate vitae extra ſocietatem tranſigendae; in ſolitudine omnis vitae elegantia, omne ſcientiarum incrementum exularet, cet. Enimuero hic denuo auctor confudit ſtatum extra ciuitatem cum ſolitudine; non ideo homo ſolus eſſet, ſi in re publica non viueret. Deinde nullum eſt dubium, quin ſtatus ciuilis in ſe nihil conferat ad vitae elegantiam et ſtudiorum incrementum; multae ſunt nationes barbarae, quae in re publica et ſtatu ciuili viuunt, nec tamen ideo vel doctiores, vel elegantiores fiunt, e. g. Calmucci, Tartari, Iberi. Aeque eleganter homines viuere poſſunt extra ciuilem ſtatum, quam in illo; aeque facile potuiſſent incrementa capere artes et ſcientiae, ſi in ſtatu naturali manſiſſent.

3. Optimum auctoris argumentum, quo miſeriam et incommoda huius ſtatus probat, eſt a defectu ſecuritatis deſumtum. In ſtatu naturali nemo eſſet ab altero ſecurus; hoc probamus *a*)

a voluntate et facultate laedendi in omnibus hominibus ſeſe exſerente ; *b*) a defectu virium, ſi quiſque per ſe ſe defendere deberet ; *c*) a minore ad maius ; quum enim ne iam quidem ab aliorum iniuriis, furtis, rapinis, quin periculis plane immunes ſimus, quum vbique terrorem incutiant patibula, rotae, gladii, ferales flammae, ſimiliaque ſupplicia ; quid futurum credis, ſi extra ſocietatem viueremus, nullaque ſupplicii meta cohiberetur improbitas.

Oſtendere hoc voluere Perſae, dum mortuo Rege aliquot horas cuiuis permiſerant furta et rapinas facere, id quod et aliae gentes imitatae ſunt ; oſtendere enim ciuibus illam rerum confuſionem voluere, quae futura eſſet, ſi nullus eſſet imperans, hominesque in ſtatu naturali extra ſocietatem ciuilem viuerent.

§. 10.

4. Quartum argumentum auctor ducit a defectu iudiciorum; extra rem publicam nulla ſunt iudicia; quam hoc miſerum! Nam

1. Laeſus per neminem adiuuatur; quid ſi laedens me potentior ſit? in re publica ius contra quemuis, etiam potentiorem, perſequi poſſum; Recte, ſi de iure quaeritur, nam aliquando de facto res aliter ſe habet;

2. Si arbitrum eligam, cogere non poſſum, vt alter etiam eligat, in eumque compromittat; qui alteri placet, forte non mihi placebit; qui mihi arridet, forte alteri diſplicebit.

3. Si etiam placeret arbiter, qui certus eſſe poſſum, alterne ſtaturus ſit arbitrio? Arbiter ſane iuriſdictione non gaudet, adeoque nec iure exſequendi.

4. Res ergo redibit ad vim; ſed a) hoc in ſe miſerum vulnerare et vulnerari, caedibus, rapinis graſſari, vel talia incommoda pati, perpetuis inſidiis et inſultibus hoſtium expoſitum eſſe ; b) quantumuis iuſtam cauſſam habeam, non tamen certo perſuaſus eſſe poſſum, me victoria potiturum; quum in ciuitate iuſtitia cauſſae magnam ſpem et fiduciam iniiciat victoriae.

§. 11.

5. Denique vltimum incommodum eſt, quod in ſtatu naturali nulla firma amicitia.

1. In ſtatu ciuili ſi ſemel pro me pronuntiatum eſt, tuetur me rei iudicatae, tranſactionis, et iuriſiurandi auctoritas; tuetur iudex, qui compeſcet alterum, qui ſe turbas daturum vel laeſurum minatur.

tur. Haec omnia in ſtatu naturali deficiunt; ſi alter pacem rumpere audet, nihil eſt, quod illum impedire poſſit, praeter gladium meum, quem ſi non timet aduerſarius, fortaſſis potentior, fruſtra aliorum opem imploro.

2. Poſſet quis exiſtimare, foederibus et pactis homines ſibi proſpicere poſſe in ſtatu naturali; ſed ne id quidem nos ſecuros praeſtat, nam a) in ſtatu naturali infida amicitia eſt; b) nemo eſt, qui perfidiam puniat, ſi alter foedera violet; c) ſi etiam nihil contra fidem agat, non tamen certus ſum, eum nihil auſurum; hinc dici poteſt: in ſtatu naturali aut bellum, aut belli praeparatio, aut infida pax eſt.

Omnia haec ſe aliter habent in ſtatu ciuili, 1. pax fida eſt, quia vis prohibita eſt; 2. ſi quis pacem violat, iudex ſe interponit; 3. ille me etiam de futuro ſecurum praeſtat per poenae comminationem, cautiones, cet.

CAPVT II.

DE STATV CONIVGALI VEL OFFICIIS CONIVGALIBVS.

§. 1.

SVpra vidimus, hominis ſtatum eſſe vel naturalem, vel aduentitium. Hactenus de naturali; iam de aduentitio, quorum primus omnium ſimpliciſſimus eſt *coniugum*, de cuius quaeritur 1. *definitione*, §. 1. 2. *contrariis*, §. 2. 3. *obligatione*, §. 3. 4. *officiis*, §. 4-10.

I. *Coniugium* iure naturae eſt pactum perſonarum diuerſi ſexus procreandae educandaeque ſobolis cauſſa initum.

Pactum initur per conſenſum, adeoque vt et Romani, quamuis multos ritus nuptiales haberent, veluti confarreationem, coëmtionem, vſum, domum deductionem, cet. ſeruarint principium; Conſenſum facere nuptias.

Perſonarum diuerſi ſexus.) Quia id finis requirit, is vero finis eſt.

Procreatio et educatio ſobolis.) Non procreatio ſola; 1. quid enim intereſſet humani generis, multos procreari liberos, ſed hos poſtea

poſtea negligi et male educari, vt non ſint commoda generis humani membra? 2. Hunc etiam finem oſtendit inſitus parentibus amor erga liberos, qui etiam in brutis ſeſe exſerit, adeo vt haec foetum non prius deſerant, quam poſtquam educatione non amplius indigent. Vbi curioſa eſt obſeruatio, in animalibus, quae debilia naſcuntur, vtrumque parentem concurrere ad educationem, in reliquis matrem tantum.

Equidem Sacra Scriptura et alterum finem indicat, nempe mutuum adiutorium; ſed hic finis tamen eſt ſecundarius, quod vel ex eo patet, quod ille etiam alio modo, quam coniugio, poſſet obtineri, e. g. ſocietate domeſtica. Itaque ad illum quidem reſpicitur, quoties de conſeruando matrimonio agitur, non quoties de ineundo; e. g. quando quaeritur, an puer et puella poſſint eſſe coniuges? reſpicitur ad finem primarium, idque negatur, quia non ſunt habiles procreandae educandaeque ſoboli. Sin quaeſtio eſt, an matrimonium ſubſiſtere poſſit inter iuuenes contractum, ſi poſtea vterque conſenuerit? id affirmatur, quia adhuc finis ſecundarius poteſt obtineri.

Haec definitio eſt iuris naturae; nam iura poſitiua tum diuina, tum humana multa alia addunt et determinant, e. g. vt perſonae initurae matrimonium ſint binae tantum, vt non ſint nimis propinquae, vt matrimonium ſit indiſſolubile: quae quidem omnia ius naturae adprobat tamquam rationi conſentanea, ſed non praecipit, non iubet; adprobat, non praecipit, quia ratio nos obligat ad id, quod optimum eſt; meliorem enim eſſe monogamiam polygamia, melius matrimonium indiſſolubile quam diſſolubile, ſuo loco demonſtrabimus. Quo ipſo facile reſponderi poteſt ad tot quaeſtiones, quas de origine polygamiae, ſimiliumque iurium, ex iure naturae mouent.

§. 2.

II. Ex ea itaque definitione conſequitur, vt omnes impudici complexus iuri naturae repugnent, adeoque adulteria, ſtupra, inceſtus etiam iure naturae prohibita ſint.

1. Quod enim fini, quem Deus circa coniunctionem maris et feminae intendit, repugnat, id repugnat iuri naturae: impurae coniunctiones illi fini repugnant; ergo repugnant iuri naturae. Minor clara, nam finis eſt propagatio et educatio ſobolis; eam vero non intendunt adulteri et ſtupratores, immo vero eam impedire ſtudent; nam a) nolunt procreare liberos, ſed libidinem ſuam

explere, b) procreatos educare nolunt; ſed negligunt; c) ita mundus impletur hominibus inutilibus, male moratis, et ad quaeuis vitia procliuibus, quales plerumque ſunt vulgo quaeſiti.

2. Deinde repugnat haec vaga Venus principio amoris; cui magis debemus amorem quam proximo? quinam vero nobis propiores, quam a nobis procreati? amare ergo eos debemus, tamquam nos ipſos; at nobis bene eſſe volumus, nos ad perfectionem adſpiramus, ergo et liberis noſtris bene eſſe velle debemus; liberorum quoque promouenda eſt felicitas. Hoc non faciunt, qui extra matrimonium liberos procreant; nam ne liberos quidem illos pro ſuis agnoſcunt, tantum abeſt, vt felices eſſe velint; non educant, ſed negligunt, nec hereditatis eos plerumque participes faciunt, ſed in paupertate relinquunt, ex quo incredibilis naſcitur generis humani confuſio. Vid. PLVTARCH. *de inſtit. puer.*

§. 3.

Iam quaeritur III. de *obligatione ad ineundum matrimonium*; quae duplici ſenſu poteſt conſiderari, vel ratione totius generis humani, vel ratione ſingulorum.

Ratione totius generis humani obligatio haec eſt abſoluta, id eſt, tenetur genus humanum matrimonium conſeruare, liberos per illud procreare, procreatos educare, nam 1. alias non ſubſiſteret genus humanum, 2. vaga vero Venus, vt antecedente paragrapho demonſtrauimus, iuri naturae repugnat.

Hinc Romani, licet gentiles, hunc tamen finem matrimonii perfecte agnoſcebant, et hinc iuratos apud cenſores profiteri cogebant ciues, habeantne vxores *liberorum quaeſundorum*, id eſt, quaerendorum cauſſa.

Quod vero ad ſingulos attinet, non eadem eſt omnium ſententia; 1. quidam et horum ratione abſolutam ſtatuunt obligationem, adeo, vt omnes teneantur ad coniugium, et peccare eos dicant, qui id praeceptum negligant. Ita Iudaei, teſte SELDENO, *de iure nat. et gent. ſecund. diſcipl. Hebr. libr. V. cap.* 3. *pag.* 566. cui ſententiae et BVDDEVS in *Theologia morali* ſuffragatur; rationes vrgent a) Deum non vni, ſed omnibus hominibus hunc ordinem praeſcripſiſſe: *creſcite et multiplicamini*, b) neminem ſe ſubtrahere debere oneri communi; commune autem eſſe onus ſupplendi humani generis numeros.

2. Alii, et in his PVFENDORFFIVS, et alii plerique putant, obliga-

obligationem hanc tantum eſſe reſpectiuam, adeoque Deum permittere omnibus matrimonium, qui illius fini obtinendo ſunt habiles, non autem praecipere ſingulis, vt iis caelibatum praeferre non liceat.

Et id quidem recte, nam 1. procreatio et educatio ſobolis eſt finis; ei proportionata debent eſſe media; ſi ergo haec deſint, e. g. ſi vel natura, vel vitio hominum ineptus ſit ad procreandam ſobolem, ſi nec vxorem, nec liberos alere poſſit, ſi plane ineptus ſit ad eos educandos, facile patet, Deum nolle, vt matrimonium ineat, 2. lex eſt: *matrimonium contrahe*, eſt officium affirmatiuum, officia affirmatiua obligant tantum data occaſione, ergo ſi nulla adſit occaſio, ſi quis non poſſit ſalua felicitate, tranquillitate, innocentia ſua vxorem ducere, procul dubio non tenetur.

Ad rationes contrarias facile reſpondetur: 1. quod omnibus dixit Deus, non ſtatim ſingulis dixit, e. g. dixit Deus omnibus hominibus, vt opificia. mercaturam, et quaſuis artes honeſtas conſeruent inter ſe; at ideo non ſingulos iuſſit opifices, mercatores, artifices eſſe; 2. onus commune ſubire ſinguli debent, ſi alioquin detrimentum exiſteret; at detrimentum inde fruſtra metuitur, ſi vnus aut alter caelebs manet.

§. 4.

IIII. Proxima ſunt *officia* ex ſtatu coniugali reſultantia, quae vel *generalia*, ad quae vterque coniugum obſtringitur, §. 4. *vſque ad* 9. *ſpecialia*, ad quae alteruter tantum.

Generalium primum eſt 1. mutua caſtitas; haec quoque fluit ex fine matrimonii, procreare et educare volunt liberos; non vero alia de cauſſa parentes hoc educandi onus ſuſcipiunt, quam quia ſuos credunt; de eo vero certi eſſe non poſſent, niſi de caſtitate vxoris certus eſſet maritus; vxor ergo debet caſta eſſe. Quum vero quod tibi vis fieri, alteri quoque facere debeas, mariti quoque eſt, caſtitati ſtudere, mutua ergo requiritur caſtitas.

Aliter quidem philoſophati ſunt Romani; adulterium enim admitti putarunt cum aliena vxore, non vero cum ſoluta, quia priore caſu incerta fiat proles, non poſteriore. Sed nullus excogitari poteſt caſus, vbi maritus id faciat ſine iniuria; nam ſi et cum ſoluta rem habet maritus, fidem coniugalem violat, adeoque peccat contra vxorem, praeterea liberos procreatos tamquam ſuos non agnoſcit, ergo peccat in liberos.

 2. Alte-

2. Alterum officium generale eſt, mutua cohabitatio, hanc quoque requirit *a*) finis, educatio liberorum communium: ſi non cohabitarent coniuges, liberi aut penes patrem eſſent, tunc officio non fungeretur mater, aut penes matrem, tunc pater officium negligere cogeretur; *b*) idem requirit officium generale primum, mutua caſtitas, de qua neuter coniugum certus eſſet, ſi diuerſis locis habitarent. Agnouerunt hoc veteres; hinc in matrimonium deſiderarunt domum deductionem; hinc formula: vbi tu Caius, ibi ego Caia. Vid. BRISSONIVS, ANTONIVS et FRANCISCVS HOTTOMANI, *de ritu nuptiarum.*

Hinc fluit a) coniuges ſine neceſſitate vel conſenſu non poſſe ſe ratione habitationis ſeparare; b) perfidum eſſe coniugem, qui coniugem deſerit, c) vxorem mariti domicilium merito ſequi.

3. Tertium officium generale eſt mutua relatio inter maritum et vxorem; vt ille hanc cum ratione regat, haec illi omnem obſeruantiam praeſtet.

Quaeritur hic, *an imperium mariti in vxorem ſit iuris naturae?* Affirmant plerique 1. ob ſexus praeſtantiam; 2. ob viri onera in alenda familia; 3. ob ſocietatis, quae directione deſtituitur, imperfectionem. Sed hae rationes non omni exceptione maiores.

Nam quoad primum ſaepe vxor viro ſtolido, Abigail Nabale, prudentior; quoad ſecundum, vxor non minora fert onera, immo aliquando maritum alit; quoad tertium, ſocietas etiam perfecta eſt inter duos. Itaque rectius dixerimus, a) imperium maritale eſſe iuris diuini poſitiui, b) ratione hic non plus videri, quam decorum eiuſmodi imperium exigere, c) ſexum maſculinum plerumque conſtantiorem prudentioremque eſſe, nec leges reſpicere ad id, quod rarum eſt, ſed quod vt plurimum fit; d) imperium hoc non eſſe deſpoticum, quale dominium in ſeruos, ſed amicum, quale eſt foederati in foederatum inaequalem. Exceſſu ergo peccarunt veteres Romani, dum vxorem in manu et poteſtate mariti eſſe voluerunt, marito ius vitae et necis conceſſerunt.

§. 5.

Sequitur 4. quartum officium coniugale, vt vnus vni coniungatur; quo ipſo prolabimur ad quaeſtionem, *an polygamia ſit iure naturae prohibita?*

Eam vt adcurate ſoluamus, ante omnia formandus eſt ſtatus controuerſiae.

1. *Poly-*

1. *Polygamia* eſt vel *ſucceſſiua*, quando viduus vel vidua ſoluto matrimonio, ſecundo, tertio, vel pluribus vicibus nuptias facit; vel *ſimultanea*, quando plures, quam duae perſonae eodem tempore ſimul in matrimonio viuunt. De priore nulla eſt dubitatio, quin licita ſit iure naturae: quum enim morte ſoluatur obligatio erga coniugem, nihil eſt, quod ſuperſtitem poſſit impedire, quo minus ad alia vota tranſeat, quod argumentum et Sacra Scriptura probat. Quaeſtio ergo eſt de ſimultanea, quae

2. Vel *polyandria*, vel *polygynia*; Polyandriam vocamus, quando vna mulier pluribus viris nubit; polygyniam, quando vnus vir plures vxores ducit. Illam eſſe contra ius naturae nemo negat; vbicumque enim eſt polyandria licita, ibi proles eſt incerta; vbi incerta proles, ibi ceſſabit educandi ſtudium; atqui hic eſt finis primarius coniugii ſecundum ius naturae, ergo ius naturae polyandriam indulgere non poteſt. Hinc et gentiles caſtitatis parum ſtudioſi, quamuis viris multa indulſerint, tamen polyandriam pro illicita, immo et pro adulterio habuerunt: immo et Iudaei, apud quos tamen plane licita erat polygamia. Quaeſtio ergo eſt de ſola polygynia ſimultanea, de ea porro non quaeritur

1. An iure diuino poſitiuo prohibita ſit? quamuis et ea quaeſtio non plane nobis negligenda ſit; nec

2. An iure ciuili prohibita? nam et id nemo negat, ſed

3. An iure naturae prohibita?

Fuere poſtremis temporibus, qui et primam et tertiam quaeſtionem negarunt, et notum eſt, quanta animorum contentione agitata ſit haec controuerſia.

1. Tempore reformationis ob Philippi, Landgrauii Haſſiae polygamiam; eo tempore prodibat Hvlderici Neobvli *de digamia* liber, qui id factum defendebat, vnde plura ſcripta.

2. Tempore eodem polygamiam, quin communionem vxorum defendebant Anabaptiſtae Monaſterienſes, ſed contra hos ferro diſputabatur.

3. Paullo poſt Bernardinvs Ochinvs Italus defendebat polygamiam, cui ſeſe oppoſuit Theodorvs Beza; de quo priore videndus Petr. Baelivs, *Diction. hiſtor. et critit.* voc. *Ochinus.*

4. Poſt bellum tricennale recruduit bellum hoc occaſione facti Caroli Ludouici, Electoris Palatini; tunc enim prodibat Daphnaei Arcvarii (vero nomine Lavr. Begeri) libellus Germanice ſcriptus, *Betrachtung vom heil. Eheſtand, Ehebruch, Eheſcheidung, und*

Vielweibernehmung ; vid. VINC. PLACCIVS *Theatrum Anonym. et Pſeudonymor. n.* 227-277.

5. Poſtremo quidem IO. LYSERVS, qui ſe modo *Theophilum Alethaeum*, modo *Vincent. Athanaſium*, modo *Gottl. Wahrmundum* nominabat, varia pro polygamia edidit ſcripta, veluti *Polygamiam triumphatricem, ſeu diſcurſum politicum de polygamia*, it. *das kœnigliche Marck aller Lande*; ſed hic non modo defendere ſtudebat, polygamiam eſſe licitam, verum etiam eſſe praeceptam; qui vero zelus male ipſi ceſſit: nam non modo calamos expediuerunt IO. MVSAEVS, IO. BRVNSMANNVS in *Monogamia victrice*, DICMANNVS, FELTMANNVS *de polygamia*, IO. MEYERVS in *vxore Chriſtiana*, ſed et auctor cum ictu fuſtium relegabatur ex Suecia.

Obiter notamus, ſcripta huius hominis magnam inuidiam conflaſſe Pufendorffio, cui ea imputabantur, ac ſi auctor eſſet.

Iam argumenta, quae adferunt, ſunt ſequentia; 1. finem matrimonii eſſe procreationem ſobolis; hunc autem aeque per polygamiam, ac per monogamiam obtineri, immo per illam facilius; Reſp. at falſum eſt, ſolam procreationem eſſe finem matrimonii; nam et qui infantes necant, procreant, quis vero dixerit, eos fini matrimonii ſatisfeciſſe? addenda ergo eſt educatio; ea vero non aeque facile obtinebitur in polygamia, quam in monogamia; turbabit illam multitudo liberorum, feminarum aemulatio et odium aduerſus priuignos.

2. Polygamiam a Deo conceſſam; Deum autem nihil concedere contra ius naturae; Abrahamum, Iacobum, Dauidem, Salomonem fuiſſe polygamos; reſp. conceſſio fit dupliciter a) per modum permiſſionis, et tunc non peccat, qui iure ſuo vtitur; b) per modum conniuentiae, tunc peccat quidem, qui, quid tale agit, ſed Deus hoc poenitentibus remittit; priore ſenſu Deus numquam permiſit, ſed poſteriore ob peruicaciam Iudaeorum, *Matth. XVIIII.* 8.

3. Nullam exſtare prohibitionem nec in Vetere, nec in Nouo Teſtamento; non in Vetere, quia alias permitti non potuiſſet polygamia Iudaeis; nec in Nouo, quia Chriſtus non ſit nouus legiſlator? Reſp. negando vtrumque; exſtat enim primaeua inſtitutio coniugii, inter cuius leges erat, vt duo ſint in carnem vnam. Iam quum Chriſtus *Matth. XVIIII.* in cauſſa diuortii argumentetur a primaeua inſtitutione, ſane eodem modo argumentari licebit in cauſſa polygamiae; negamus etiam, in Nouo Teſtamento non eſſe prohibitionem, *a*) Chriſtus ipſe enim nos remittit ad primaeuam inſtitu-

ſtitutionem, et *b*) 1. *Corinth. VII.* 2. Apoſtolus vrget: *quaeque vxor ſuum virum habeat*; in polygamia vero vir non eſt proprius, ſed communis.

4. Magnum ſaepe damnum naſci ex monogamia, ſi vxor ſterilis, ſi incommodis moribus, obſtinata, tunc vnam poſſe ſolatio eſſe? Reſp. a) non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; b) non poteſt quis certo ſperare, ſe eum finem obtenturum, quid ſi duas vel plures ſteriles, peruicaces, obſtinatas ducat.

Itaque nos ponimus hominem obſtrictum eſſe, vt eligat optimum; obſtrictus enim eſt ad amorem, amoris obiectum eſt bonum; quo maius ergo bonum eſt, eo magis ad illud amandum tenemur; ergo optimum maxime amare, id eſt, eligere tenemur; atqui in comparatione monogamiae et polygamiae optima eſt prior, ergo iure naturae ad illam eligendam ſumus obſtricti.

Optimam vero eſſe monogamiam, peſſimam contra polygamiam, probamus, 1. quia monogamiae ſatis proportionata multitudo hominum naſcitur, minus ergo proportionata futura eſſet, ſi polygamia concederetur, 2. impedit educationem, vt ſupra vidimus; 3. impedit amorem coniugalem; aemulationem, lites domeſticas, inſidias producit; experiundo hoc didicit Iacobus, qui tamen duas ſorores habebat in matrimonio; adeoque impedit etiam mutuum adiutorium; 4. oneri eſt familiis; obiiciunt Turcas; ſed ibi vxores plerumque parum ab ancillis differunt; 5. quum monogamia finem matrimonii conſequamur, non poteſt polygamiae alius finis eſſe, quam libido; 6. moratae gentes eam ſemper fugiunt, elegerunt tantum gentes libidinoſae, inprimis orientales.

Quamuis ergo directe probari nequeat, polygamiam iuri naturae repugnare, repugnat tamen rectae rationi, quae optimum eligere iubet, adeoque et indirecte repugnat iuri naturae.

§. 6.

5. Quintum officium coniugum generale eſt, vt indiſſolubile ſit inter coniuges vinculum vſque ad mortem; hic denuo incidit quaeſtio, *an diuortium iure naturae licitum ſit?*

Hic diſtinguendum 1. inter nullitatem matrimonii, quando inter certas perſonas connubium eſſe non poteſt; e. g. ſi, quae iam maritum habet, alii nubat; 2. diuortium, ſi matrimonium iuſtum eſt, ſed propter incidentem cauſſam ſoluatur, e. g.

propter

propter adulterium ; 3. ſeparationem quoad thorum et menſam, quando non coniugium ſoluitur, ſed coniuges ſeparantur ob cauſſam temporariam, e. g. ob ſaeuitiam mariti.

De prima nulla eſt quaeſtio, quod enim nullum eſt coniugium, ne reſciſſione quidem indiget: tertia eſt inuentum iuris canonici, adeoque huc non pertinet; ſupereſt ergo ſolum diuortium.

Notum eſt, illud permiſſum fuiſſe Iudaeis Veteris Teſtamenti, et Graecos quoque ac Romanos pro lubitu a coniugibus diuortiſſe, modo bona gratia, modo alterius voluntate; non opus quoque erat cauſſa ſontica, ſed apud Romanos ſufficiebat qualiſcumque ante legem Papiam; pertinent huc exempla Aemilii Paulli, Iul. Caeſaris, Ciceronis; hinc IVVENAL. *Sat. VI. v.* 147. 148.

Collige ſarcinulas, dicit libertus, et exi,
Iam grauis es nobis, et ſaepe emungeris, exi
Ocyus, et propera, ſicco venit altera naſo.

An tale quid iure naturae? Affirmant plerique: 1. pacto ineuntur nuptiae, ergo et pacto ſoluuntur; ergo ſaltim bona gratia diſcedere licet; 2. omne pactum reciprocum inuoluit tacitam conditionem: ſi tu praeſtiteris, quod debes, et ego praeſtabo; ergo vno non praeſtante alteri diſcedere licebit; 3. vrgent perpetuam eorum coniugum miſeriam, qui inuiti in illa ſocietate manere tenentur.

Sed limitanda haec ſunt: 1. matrimonium habet finem perpetuum, educationem et mutuum adiutorium, ergo et ipſum quoque ſua natura perpetuum eſt; 2. nemo altero inuito a pacto diſcedere poteſt, niſi ob iuſtam et grauem cauſſam, ergo et diuortium fieri nequit ſine graui et iuſta cauſſa; 3. grauis vero et iuſta cauſſa eſt omnis, quae fini matrimonii repugnat, ergo ob eam quoque fieri poteſt diuortium, non ob aliam. Multo magis reſtringere videtur Chriſtus diuortium *Matth. XVIIII.* 9. vbi ait, id ſolum permittere ob πορνείαν, id eſt, vt vulgo interpretantur, ob adulterium.

Sed egregie conſpirat ſeruatoris ſententia cum iure naturae, quod accurate docuere SELDENVS, tum in *Iur. nat. et gent. ſecund. diſcipl. Hebr.* tum in libro *de vxore Romana*, itemque LIGHTFOOT in *Horis Hebraicis et Talmudicis ad hunc locum Matthaei.*

Res ita ſe habet: 1. duae erant ſectae vel ſcholae inter doctores Iudaicos tempore Chriſti; ſchola Hillelis, et ſchola Schammai

mai, quae in multis doctrinis et interpretationibus legis diſcrepabant; 2. quod ad diuortia attinet: Hilleliani ea licita putabant ex quacumque cauſſa, etiam leuiſſima, eaque ſententia mirifice placebat plebi: Schammai ea contra admittebat tantum ob grauiores cauſſas, quas vocabat res turpitudinis, quo vocabulo Moſes vſus eſt; 3. fama circumferebatur inter Iudaeos, Hillelis ſententiam confirmatam eſſe per filiam vocis, ſeu vocem caeleſtem; 4. quum ergo tentare Phariſaei vellent Chriſtum, ipſi hanc ipſam quaeſtionem controuerſam inter duas has ſcholas proponebant: *Iuſtumne eſt diuelli ab vxore ob quamcumque cauſſam?* (vti Hillel putat); ſperabant, ſi affirmaret, eum apud viros bonos in odium incidere poſſe; ſin negaret, apud plebem; 5. reſpondet Chriſtus *v. 8: Moſes vobis permiſit libellos repudii ob σκληροκαρδίαν; at initio non fuit ſic. Atque hoc ſcitote, quiſquis vxorem ſuam repudiauerit, praeterquam ob πορνείαν, eum adulterare, et qui repudiatam duxerit, itidem adulterare*; 6. manifeſto ergo Chriſtus approbat ſententiam Schammai, adeoque πορνεία non poteſt ſignificare adulterium, ſed generatim rem turpitudinis; talis eſt omnis, quae repugnat fini matrimonii. Poſſum id etiam alio modo probare: ſi ſolum adulterium eſſet cauſſa diuortii, Apoſtolus non potuiſſet diuortium permittere ob malitioſam deſertionem: at permiſit Apoſtolus; ergo non poteſt tantum adulterium diuortii cauſſa eſſe.

Hinc multae incidunt quaeſtiones grauiſſimae, e. g. annon diuortium permittendum ob inſidias vitae coniugis ſtructas, quod defendit STRYKIVS. An propter abortum procuratum? An ob morbum contagioſum?

Similes permultae ſunt in HIERONYMI BRVCKNERI *Deciſionibus matrimonialibus*, ad quas facile reſpondebimus, ſi SELDENI principia admiſerimus.

Ceterum recte monent viri docti, 1. reſtringendam, quoad fieri poteſt, diuortiorum licentiam, alioquin enim iniuria fieret multis; 2. decreto diuortio non perfido dandam eſſe nouarum nuptiarum facultatem, ſed parti tantum innocenti; rationem ſupra reddidimus *libr. I. cap.* 16. §. 5.

§. 7.

6. Sextum officium eſt, ne vllum inter coniuges ſit impedimentum morale; tale vero eſt inter illos, qui vel alteri matrimonio iuncti, vel ſaltem deſponſati ſunt.

In quo enim iam alia ius quaeſitum habet ex pacto, ille non alii ſe ſimili pacto obſtringere poteſt; eſt hoc vniuerſale et commune omnibus pactis et contractibus, e. g. qui Titio vendidit praedium, idem non poteſt vendere Maeuio, idemque dicendum de locatione, aliiſque contractibus. Hinc leges non modo polygamiam prohibent, ſed et digamiam grauiter puniunt. Ius Romanum infames eſſe iubet, qui ipſi vel liberorum nomine bina ſponſalia, binaſue nuptias conſtituunt.

Haec regula recte ſe habet, ſi nobiſcum ſupponas, polygamiam eſſe illicitam; nam ſi vulgaria ſequaris principia, nihil omnino vitii inerit huic pacto; nam quod ſupra diximus de contractibus, id locum tantum habet, ſi conuentio talis cum pluribus iniri nequit; in aliis enim ea regula ceſſat; ſic e. g. in vna re ſi ſufficiat, pluribus poſſum hypothecam conſtituere, itemque plures ſocios adſciſcere, quamuis iam vnum vel alterum habeam.

§. 8.

Progreditur 7. ad officium ſeptimum, vel potius prioris extenſionem. Inter impedimenta enim moralia etiam eſt propinquitas ſanguinis et affinitas; ob quam non modo diuinae litterae prohibent nuptias, verum etiam ipſi gentiles, veluti Romani. Quaeritur ergo, *vnde ſit ea prohibitio?* et *an ex iure naturae?*

Fuere, qui hanc prohibitionem deriuarunt 1. ex pudore naturali, veluti LAMB. VELLTHVYSEN, *pag.* 59. *ſequ.* ex principiis honeſti et decori, HERTIVS *ad Puſend. VI.* 1. 28. Sed is pudor naturalis non fuit Perſis, qui inter filium et matrem permiſere matrimonium; nec Athenienſibus, apud quos Cimon germanam ſororem habuit in matrimonio; 2. ex vtilitate politica, vt plures familiae coniungantur? id quod AVGVSTINO, *de ciuitate Dei, XV.* 16. et PLVTARCHO, *Qu. Rom.* 108. placuit et RICH. CVMBERLANDO, *cap.* 8. §. 9. Poteſt vtilitas contrarium ſuadere, *Numeror. XXXVI.* 3. ex ſola reuelatione; quo vero caſu videre poteris rationem, cur et gentiles quoſdam habuerint gradus prohibitos; 4. ex vnitate carnis, SELDENVS V. 1. Alii nec iure naturae, nec reuelatione eius modi nuptias prohiberi cenſent; non iure naturae, quia hoc ignorat hanc prohibitionem; nec iure diuino, quia illud ad ſolos Iudaeos pertinuerit.

Nos dicimus, ius naturae hanc prohibitionem ignorare, niſi inter parentes et liberos; vtrumque oſtendo ſic: 1. Si ius naturae pro inceſtis habet nuptias inter cognatos proximos, ſequitur vt to-

tum genus humanum ex inceſtu natum ſit et naſci debuerit; nam Adami liberi neceſſario inter ſe inire debuerunt matrimonium; at poſterius eſt abſonum, ergo et prius; 2. Si pater et filia, filius et mater iungi poſſunt, ſequeretur, vt ius naturae probaret contradictionem; at hoc abſurdum, quia nititur ratione, et ratio ab omni contradictione abhorret, ergo et prius. Conſequentiam probamus: ſi pater ducit filiam, ex eaque procreat filium, is erit patris ſui nepos et filius, matris vero filius et ſimul frater; ſi mater nubat filio, eorum liberi erunt patris ſui fratres et ſorores, matris vero filii et nepotes; quod et Poeta OVIDIVS abſurdum eſſe vidit, *Metamorph. X. 346. ſeqqu.* vbi Myrrha:

Nec, quod confundas et iura et nomina, ſentis?
Tune eris et matris pellex, et adultera patris?
Tune ſoror gnati, genitrixque vocabere fratris?

Vetus epitaphium:

Herſilus hic iaceo, mecum Marulla quieſcit:
Quae ſoror, et genitrix, quae mihi ſponſa fuit.
Me pater e nata genuit: mihi iungitur illa:
Sic ſoror et coniux, ſic fuit illa parens.

Obiiciunt, ſed *hanc eſſe tantum contradictionem in nominibus, nec rationi repugnare, vnum hominem diuerſo reſpectu fratrem, patrem, filium vocari?* Reſp. 1. diuerſo reſpectu, id eſt, poſſum Caiae filius eſſe, Semproniae frater, Titiae maritus, ſed vnius perſonae fratrem, patrem, maritum eſſe, id vero abſurdum; 2. non ſola nomina confunduntur, ſed et iura, vt recte vidit OVIDIVS:

Nec quod confundas et iura et nomina ſentis?

Nam aliud ius, alia obligatio eſt inter filium et matrem, filius enim matri debet obſequium; aliud ius maritum inter et vxorem, nam huic vxor debet obſequium; ſi ergo filius vxorem duxerit matrem, tunc filius matris eſt ſuperior et inferior, imperat et paret; quae abſurda.

At moratiores gentes hoc latius extenderunt: nam quamuis inter fratrem et ſororem coniuges non ſit contradictio tanta, quanta in linea recta; eſt tamen aliqua; ſi enim frater ducit ſororem, haec tamquam ſoror fratri erit aequalis, qua vxor, inferior; qua ſoror, nullum debet obſequium, qua vxor, debet; vltra hunc gradum non proceſſere gentiles, niſi quod addiderunt perſonas, quae ſibi inui-

cem parentum et liberorum loco eſſent; vbi tamen arbitrariam adſumſere definitionem reſpectus parentelae, vt iuris non naturalis, ſed poſitiui eſſe hanc prohibitionem facile appareat.

§. 9.

8. Octauum officium auctor putat, vt ſeruentur ſollemnitates quaedam, 1. eas enim veteres in omni contractu negotioque ciuili obſeruaſſe, 2. nullam fuiſſe gentem, quae non potiſſimum in nuptiis quoſdam ſollemnes ritus obſeruarit; de ritu nuptiarum apud Romanos prolixe Barn. Briſſonivs, Antonivs et Franciscvs Hotomanni, egerunt.

Enimuero omnes ritus ſunt ex lege poſitiua, eoſque adeo ius naturae ignorat: ſi ignorat, non poteſt nos directe obligare ad illos obſeruandos.

At per indirectum obligati ſumus iuſſibus magiſtratuum aequis; haec lex vero de nuptiis ſollemniter ineundis eſt aequiſſima, 1. vt coniuges diſtinguantur a concubinariis; 2. vt publicum habeant teſtimonium, ſe eſſe coniuges, 3. ne promiſcue ſe coniungant homines, quibus impedimentum morale obſtat.

Ergo omnino recte punitur, qui ſine praeuia proclamatione et copulatione ad concubitum ruunt, non quod contra ius naturae omiſerint ſollemnia, ſed quod contra ius naturae violarint leges aequiſſimas magiſtratuum.

§. 10.

Iam ad officia coniugum specialia, et quidem maritorvm: 1. diligere vxorem; hoc enim requirit arcta et perpetua ſocietas; 2. nutrire eamdem; eſt enim caput familiae, nec ſexus imbecillitas patitur, vt ipſa ſe exhibeat; 3. regere ac defendere; hoc ponit ſuperioritatem; non autem intelligitur regimen deſpoticum, ſed amicum, quale eſſe diximus in foederatum inaequalem.

Vxorvm haec ſunt: 1. amare maritum; id exigit ſocietas arctiſſima; 2. honorare; amor enim erga ſuperiorem eſt ſemper amor venerationis; 3. adiutorio eſſe marito in educatione liberorum, (ſunt enim liberi communes), itemque in re familiari, quia inde cum liberis elementa capit; 4. vt concedat marito regimen, tamquam ſuperiori.

Vtrivsqve: 1. vt vtramque fortunam communem aequo fe-

rant animo, tamquam ſocii omnis vitae; 2. vt mores ad concordiam attemperent, tamquam amici. TACITVS in *Agricola*: *vixerunt mira concordia per mutuam caritatem, et inuicem ſe anteponendo.*

Haec ſunt, quae ius naturae praecipit; cetera, quae de capitibus nuptialibus traduntur, veluti de dote, de pactis dotalibus, donatione propter nuptias, communione bonorum, cet. omnia ſunt iuris poſitiui, adeoque de his omnibus nihil plane definit ius naturae.

CAPVT III.

DE OFFICIIS PARENTVM ET LIBERORVM.

§. 1.

ALtera ſocietas vel alter *ſtatus* aduentitius eſt *paternus*, vbi mutua relatio inter parentes et liberos PATRIA POTESTAS ab auctore vocatur, vocabulo ſatis inconcinno; eſt enim illud ex iure Romano, ſecundum quod pater ſolus, non mater, ius in liberos exercebat: at iure naturae poteſtas illa communis eſt vtrique parenti, vti mox demonſtrabitur; rectius vocatur POTESTAS PARENTVM in liberos; de ea quaeritur 1. *vnde oriatur?* §. 2. 2. *cui competat?* §. 3. 3. *in quo conſiſtat?* §. 4--9. 4. *quomodo finiatur?* §. 10. 5. *quae producat officia?* §. 11. 12.

§. 2.

Quaeritur ergo, I. *vnde id ius parentum in liberos oriatur?*

1. GROTIVS, *libr. II. cap.* 5. §. 1. putat oriri ex generatione; ſed eum refellit HOBBESIVS, *de ciue, cap.* 9. §. 1. quia nulla ſit connexio inter generare et dominium adquirere; refellit etiam PVFENDORFF. *VI.* 2. 4. ſed ex alio fundamento, quia liberi naſcantur in libertate naturali, adeoque ſint parentibus aequales; ſed haec fruſtra obuerti mox videbimus. Non hic quaeritur de dominio in liberos, ſed de poteſtate actiones dirigendi; nec aequalitas naturalis impedit directionem actionum, adeoque haec GROTII ſententiam non infringunt.

 2. HOB-

2. HOBBESIVS ſuo more hic prouocat ad occupationem ; quae nullius ſunt, inquit *dicto capite* 9. cedunt occupanti, infans natus eſt nullius, cedit ergo occupanti, adeoque matri, ius ergo in liberos eſt penes matrem, penes patrem non aliter; quam quia mater dominium cum illo vltro communicat. At haec abſona ; nam *a*) negamus, infantem eſſe nullius, ſi de poteſtate quaeritur, eſt enim parentum ; *b*) ille confundit dominium et poteſtatem.

3. PVFENDORFFIVS ſimplicem cauſſam aſſignat, *a*) quia ſocialitas id requirat, *b*) quia tenerrimum amorem implantarit natura parentibus, qui illos cogat, liberorum curam habere ; addit etiam *c*) conſenſum parentum et liberorum praeſumtum.

Nos his ſubtilitatibus vti nolumus, ſed rem ita concipimus : 1. Procreatio et educatio ſobolis eſt finis matrimonii ; ſi fini generationis reſpondet euentus, ex nobis naſcuntur liberi ; 2. Liberos non poſſumus aliter conſiderare, quam tamquam bonum aliquod, quorum procreatione genus humanum conſeruatur, nobiſque paratur ſenectutis praeſidium ac ornamentum ; hinc ſterilitatem aegre ferunt homines ; 3. Bonum tenemur amare, ergo et liberos ; vnde et natura nobis incredibilem amorem erga liberos implantauit ; 4. Iam quum liberos videamus naſci in ſe inopes, rerum indigos, et qui ſibi ipſis conſulere nequeant ; conſequens eſt, vt nobis ſint imperfectiores, adeoque amandi amore beneuolentiae ; 5. Amor beneuolentiae in eo conſiſtit, vt alterius felicitatem et ſalutem quouis modo promoueamus, ergo felicitatem et ſalutem liberorum quouis modo promouere tenemur ; 6. Non poſſumus autem eam promouere rectius, quam ſi eos cum cura educemus ; educare ergo tenemur ; 7. Educare non poſſumus, niſi actiones eorum dirigere poſſimus ; ergo eorum actiones dirigere tenemur ; 8. Haec directio intelligi non poteſt, ſine poteſtate, ergo opus eſt poteſtate in liberos, adeoque illa vere naſcitur ex amore ; amor autem inde, quia liberi vere bonum ſunt.

§. 3.

II. *Quis vero hanc poteſtatem exerceat?* Diſtinguit auctor inter ſtatum extraconiugalem, et ſtatum coniugalem.

1. Extra coniugium, inquit, poteſtas procul dubio eſt penes matrem, quia pater incertus ; ſed id cum grano ſalis accipiendum ; incertus tantum eſt iuridice, quia ICti tenent regulam : *pater eſt,*

quem

quem iuſtae nuptiae demonſtrant; at moraliter ſaepe parens eſt certiſſimus etiam extra coniugium; quid enim ſi fateatur ſe patrem? tunc ſane iure naturae omnino aeque poteſtate in liberos vtetur, ac mater; immo argumentamur: Qui tenentur ad educationem, iis etiam competere debet poteſtas in liberos: pater etiam extra coniugium tenetur ad educationem; ergo ei etiam competere debet poteſtas in liberos.

2. In ſtatu coniugali vtrique parenti poteſtas ſine dubio competit; nam 1. vtriuſque eſt proles, ergo idem vtriuſque amor naturalis; 2. vterque ergo concurrere debet ad educationem; 3. poteſtas patria ſoli patri competens eſt tantum commentum iuris Romani. Sed addendum tamen, a) in ſtatu naturali pactis aliter conueniri poſſe; e. g. ſi Regina nubit principi non regi, ea plus poteſtatis exercebit in liberos, quam maritus; tale quid in Anna Regina Angliae contigit; b) patris partes in pari cauſſa eſſe potiores; itaque ſi diſſenſus eſt, patris voluntas merito praefertur; in ſocietate enim matrimoniali ipſa vxor quodam modo ſubiecta eſt marito; c) alterutro parente mortuo, eius poteſtatem adcreſcere ſuperſtiti, immo et vitrico vel nouercae, ſi hi curam eamdem educationis ſuſcipiant; d) neutro ſuperſtite, eam poteſtatem deuolui in auos et auias, vel in reliquos cognatos, qui munere parentum funguntur.

§. 4.

III. Iam *in quo conſiſtat patria poteſtas* quaeritur? Hic diſtinguendum inter ſtatum naturalem, et ciuilem; nam in ſtatu naturali pater ſimul eſt imperans, ſiue ſit caput familiae, ſiue caput rei publicae. Quum ergo in hoc ſtatu concurrat poteſtas domeſtica et ciuilis ſeu imperium, non dubium eſt, quin horum parentum poteſtas maior ſit, quam illorum.

Hinc auctor conſiderat patriam poteſtatem 1. *in ſtatu ciuili*, ſeu quam quis exercet tantum tamquam pater, §. 4. 6. 2. *in ſtatu naturali.*

Poteſtas parentum qua talium fluit, vt diximus, ex educatione, ergo regula tenenda: *Tanta eſt parentum poteſtas, quantum requirit officium educationis*; Iam educatio requirit 1. directionem actionum; ergo parentum eſt dirigere actiones, liberis praeſcribere, quid agendum, quid omittendum ſit; 2. eos immorigeros pro re nata caſtigare et coërcere; 3. non eſſe ex iure naturae ius abortum procu-

randi; multo minus, 4. ius vitae et necis in liberos, vel 5. ius liberos venumdandi; aut 6. omnia adquirendi per liberos; ſine his omnibus enim educari poſſunt liberi, non ergo haec requirit educatio.

§. 5.

Immo quum tanta ſit poteſtas, quantum requirit educatio, neceſſario ſequitur, vt ea diuerſa ſit pro diuerſa liberorum aetate: ergo in prima aetate omnis directio abſolute eſt penes parentes: itaque hi 1. inuitos etiam cogere poſſunt, vt aliquid addiſcant; 2. inuitis etiam iniungere poſſunt certum vitae genus; 3. nihil liberi ſine eorum conſilio et voluntate ſuſcipere poſſunt, 4. parentes recte vtuntur poenis corporis afflictiuis, aliiſque, quibus liberi coërceantur; addit auctor, 5. liberos hac aetate parentibus relinquere debere vſumfructum rerum ſuarum, proprietate contenti; ſed a) id non tantum obtinet in prima aetate, ſed et in adultioribus; b) id manifeſto eſt ex iure Romano, non ex iure naturae.

§. 6.

In adulta aetate quodam modo paullatim decreſcit haec poteſtas; quia paullatim decreſcit onus educationis, dum iam liberi ipſi ratione vtuntur: itaque tunc 1. ſine parentum conſilio nihil quidem ſuſcipere debent liberi, ſed parentum quoque eſt, ipſis inuitis nihil obtrudere, e. g. vitae genus, matrimonium; 2. liberorum eſt, honorare et venerari parentes, ſed parentum quoque, non proſtituere liberos; 3. parentes non amplius iiſdem modis coërcendi vti poſſunt, quibus vtebantur aduerſus infantes; 4. iubere non ſolum debent parentes, ſed et rationibus conuincere liberos, vt ſponte obſequantur.

Vt paucis dicamus, quo magis liberi ad perfectionem adſpirant, eo magis parentibus fiunt aquales; quo magis aequales fiunt, eo magis induit amor beneuolentiae naturam amoris amicitiae.

§. 7.

Iam ad ſtatum naturalem progreditur auctor, in quo neceſſario maior eſſe debet patrum familias ſegregum poteſtas, quia quiſque pater ſimul eſt imperans et caput familiae.

Itaque tunc 1. vterque quidem parens exercet eam poteſtatem in liberos, quam exigit educatio, ſed pater ſolus ea, quae ſunt imperii;

perii; quale eſt 2. ius ipſum vitae et necis in liberos, quo gauiſi ſunt patres iure antiquiſſimo.

Sed quaeritur, cur, quum Romani id ius ciuibus ſuis conceſſerint, reliquae res publicae id ſenſim abrogarint? Sane non iniuſtum in ſe videri potuit, quia per illud non promiſcua occidendi licentia, ſed iuriſdictio quaedam domeſtica intelligitur, et tamen illud abrogare placuit; a) quia non adeo concinnum eſt imperium in imperio admittere, rem publicam in re publica; b) quia amor parentum ita comparatus eſt, vt raro praeſumi poſſit, eos iuſtitiam adminiſtraturos; in plerisque conniuebant etiam ad maxima liberorum delicta, quod omnino cum rei publicae detrimento coniunctum foret; c) ſi iuſtitiam etiam adminiſtrare vellent, nil triſtius ac intolerabilius eſſet illis futurum, quam feralem ſententiam aduerſus liberos ferre. Nota eſt legislatoris hiſtoria, qui quum legem feciſſet, vt adulteri oculis priuarentur, vnum ſibi ipſi erui iuſſit, alterum filio adultero; d) vt amor parentum immodicus eſt, ita aliquando et odium, et hinc facile contingere poſſet vt patres eo iure abuterentur, maxime nouercalibus blanditiis et perſuaſionibus inſtincti, cuius rei exempla ſatis triſtia in hiſtoriis occurrunt, maxime inter Reges.

§. 8.

Qualis porro eſt parentum poteſtas, vbi plane familia paterna exceſſerunt? Reſp. Poteſtas proprie ſic dicta ceſſat, quia ceſſat cauſſa, puta onus educationis; at manet tamen 1. reuerentia, quam parentibus, tamquam auctoribus vitae, ſi a Deo diſceſſeris, debent; manet etiam 2. grati animi memoria pro tot beneficiis, quae per educationem liberis praeſtita; 3. ſpes hereditatis: ex quo ſequitur, a) vt tunc quoque parentibus honorem et obſeruantiam debeant; b) vt nihil ſuſcipere debeant, quod alicuius momenti ſit, ſine eorum conſenſu ac voluntate; e. g. vxorem ducere: c) vt ſi indigi ſint parentes, eos alere de ſuo teneantur; d) vt recte contradicant parentes, ſi quid agere velint eius modi liberi in familiae detrimentum et dedecus, e) vt ipſi deſtituti liberis hereditatem parentibus merito relinquant.

§. 9.

Sed quaeritur, *an poteſtatem ſuam et officium parentes aliis cedere*

dere poſſint? Reſp. affirmando; quia finis huius poteſtatis eſt educatio; aliquando autem fit, vt alius et poſſit et velit educandi onus pro parentibus ſubire; immo aliquando ipſi parentes non ſatis apti ſunt ad id onus ferendum, ſiue ob ſimplicitatem, ſiue ob paupertatem; ſatius ergo tunc eſt, alios hoc onus ſubire, quod ipſi parentes facere nequeunt.

Poteſt ergo 1. pater liberos alii in adoptionem dare; quod paene omnes gentes permiſiſſe nouimus, Hebraeos, Graecos, Aegyptios, Romanos; 2. alterius diſciplinae et informationi credere; et tunc liberi obligati ſunt ad reuerentiam et obſequium eius modi paedagogo et educatori; ſola enim informatio hoc non exigit, niſi ſimul in alicuius diſciplinam dati ſint liberi; 3. poteſt et moriens liberos aliorum tutelae vel curae committere; quae origo eſt tutelae teſtamentariae; quin hoc tam neceſſarium viſum eſt, vt legis latores et legitimam, et datiuam tutelam inuenerint, ſi parens liberis de tutela non proſpexiſſet.

Quaeritur, *an et vendere parentes poſſint prolem?* Id merito negamus, nam 1. venditio praeſupponit dominium; tale quidem Romani habebant; ius vero naturae id ignorat; ſecundum illud patria poteſtas non conſiſtit in dominio, ſed in iure dirigendi actiones ad commodam educationem; inde vero ius venumdandi nullo modo nulliſque fidiculis elici poteſt; 2. patria poteſtas pro fine habet felicitatem liberorum, non eorum perniciem; at haec venditio cum manifeſta liberorum pernicie coniuncta eſt; nam venditi in ſeruitutem detruduntur; 3. numquam iuſta cauſſa ſupponi poteſt cur liberi vendendi: ſi enim infantes ſunt, et parentes vendunt liberos, peccant, quia detrectant officium educandi, quod ipſis incumbit; ſin liberi iam adulti ſunt, tanto magis peccant, quia tunc locari eorum operae poſſent; aut aliis modis iis quaerere liceret victum.

§. 10.

IIII. Quaeritur *quomodo finiatur parentum poteſtas?* Nullum eſt dubium, quin id fiat 1. morte tum parentum, quia tunc poteſtatem exercere non poſſunt; tum liberorum, quia hi educatione non indigent; 2. ceſſante cauſſa, ſcilicet educatione, ea autem ceſſat, ſimulac ſe ipſos exhibere poſſunt liberi, ac proinde excedunt familia paterna; filii, inſtituta ſeparata oeconomia; filiae, vbi nupſerunt.

Quaeritur, *an et emancipatione?* Reſp. emancipatio eſt actus, qui prae-

praeſupponit dominium, quale non habent parentes iure naturae in liberos: ſin quaeras, *an non ſaltem liberos e poteſtate dimittere poſſint, ita vt abſtrahamus a conceptu iuris Romani?* Reſp. ſi educatione non amplius indigent, nullum eſt dubium; alias id merito negatur: itaque abſurda eſſet iure naturae emancipatio infantis vel pueri, quae ſaepe fiebat iure Romano; regula potius tenenda: *Parentes tenentur liberos tam diu retinere in poteſtate, quamdiu durat educatio.* Ex eo vero porro ſequitur, nec liberos ſaluo officio excedere poſſe poteſtate parentum, his inuitis, quamdiu adhuc indigent educatione; nam ſi iuſtae aetatis ſint, abſurde agunt parentes, qui inuitos retinere volunt; e. g. ſi pater nolit filiam nubere, quae paullatim conſeneſcit, vel ſi filium impediat, quo minus vel officio fungatur, vel alio modo fortunam periclitetur.

§. 11.

V. Superſunt officia tum parentum, tum liberorum, quae ex fine ſemper fluunt. Et quidem parentum eſt

1. Alere liberos. Quum enim liberi naſcantur rerum omnium indigi, alii eos alere tenentur; at quinam? niſi quibus natura ipſa hanc voluntatem indidit? Indidit autem parentibus; parentes ergo liberos alere tenentur. Hoc officium adeo certum eſt, vt ideo leges ciuiles concedant etiam ad alendos liberos actionem.

2. Educare eoſdem; educatio autem pertinet non modo a) ad corpus, vt parentes curam valetudinis habeant, vt de integritate membrorum et corporis ſolliciti ſint; ſed et b) vt intellectum liberorum reddant perfectiorem, adeoque dent operam, vt liberi aliquid addiſcant, quod publico vtile ſit, et quo aliquando vitam tolerare poſſint; itemque c) vt voluntatem eorum adſuefaciant ad virtutem, probitatem, honeſtatem, decorum.

Qui quum finis ſit, non negligenda etiam ſunt media, veluti a) vt parentes non temere ex oculo dimittant liberos; b) ne familiaritatem cum iis contrahant; quum illa pareat contemtum; c) ne exempla liberos offendant, vt ipſe IVVENALIS monet, *Sat. XIIII. 44. ſeqq.*

Nil dictu foedum viſuque haec limina tangat;
Intra quae puer eſt, procul hinc, procul inde puellae
Lenonum, et cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid

Turpe paras, nec tu pueri contemſeris annos:
Sed peccaturo obſtet tibi filius infans.

d) vt rationibus conuincant liberos, et ipſo exemplo, virtuti ſtudendum eſſe. Eleganter PLIN. *Paneg. cap.* 45. ait, efficaciora praeceptis eſſe exempla, quippe quae conuincant omnes, ea quae praecipimus, fieri poſſe; commendandus hic libellus quantiuis pretii PLVTARCHI *de inſtitutione liberorum.*

3. Ad honeſtum vitae genus perducere; vbi in primis indoles exploranda; an nimirum praeualeat iudicium, tunc enim ſtudiis aptiores ſunt; an ingenium, tunc ad artes magis videntur nati; an memoria, tunc ad opificia ſunt facti. Sunt etiam ipſius indolis ſubdiuiſiones: nam ſi proxima iudicio ſit memoria, aptiores ſunt liberi ad ſtudium theologicum vel iuridicum; ſin proximum iudicio ingenium, ſatius eſt, vt operam dent medicinae, matheſi, litteris humanioribus. Haec ſcire deberent parentes: at ſciunt tamen pauciſſimi; interim omnis liberorum felicitas ab hoc pendet; ſi enim inuita Minerua genus aliquod vitae eligunt, vocationi diuinae refragantur, adeoque omnia male cedunt.

4. Fortunae futurae liberorum proſpicere, quod fit a) aliquid honeſtum docendo; b) opum quid, quantum occaſio fert, colligendo; c) amicos parando, quia aliquando plus proſunt, quam opes; et quod praeſtat omnibus aliis, d) famam et exiſtimationem illaeſam illis relinquendo.

§. 12.

Ex eo ergo facile intelliguntur liberorum officia; qualia ſunt; 1. honorare parentes; nam non poſſunt eos aliter conſiderare, quam tamquam perfectiores; qui honor ſe exſerit factis, verbis, geſtibus; 2. obſequi; correlata enim ſunt directio actionum et obſequium; 3. gratitudo pro tot beneficiis; 4. patientia, ſi forte paullo moroſiores ſunt parentes.

CAPVT IIII.

DE OFFICIIS DOMINORVM ET SERVORVM.

§. I.

Tertius ſtatus aduentitius, ſeu ſocietas tertia eaque magis compoſita prioribus, eſt, *herilis*, de quo hoc capite diſquiritur: 1. *quae ſit ſeruitutis origo*, §. 1. 2. *qualis dominorum in ſeruos poteſtas*, §. 2. *ad finem*.

I. Ad originem quod attinet, a) Aristoteles quoſdam homines natura ſeruos putat, idque defendit Dan. Heinsivs in *epiſtola ad Georgium Richterum* edita a Iac. Rvtgersio in *Lect. var.* quoſdam enim eſſe homines tam ineptos ad omnia, vt ad ſeruitutem videantur deſtinati. Sed confundit Ariſtoteles actum et potentiam; haec omnino adeſt, vbi tanta ſtupiditas; non tamen ideo actu ipſo ſerui ſunt, nec ſequitur, natura producit aliqua ingenia ſtupida, ergo ſeruitutem introduxit.

b) Io. Georg. Horn. *de ciue*, *libr. I. cap.* 3. ad Deum ſeruorum originem refert, Deum enim moderari victorias, victores victos rapere in ſeruitutem: ergo ſeruitutem eſſe a Deo.

c) Ratio et hiſtoria docent, ſeruitutem natam e rerum dominio: nam 1. hoc introducto alii fuere diuites, alii pauperes; hique vel idonei ad alimenta ſibi adquirenda, vel minus idonei; vti ergo illi ſuis laboribus ſibi victum quaeſiuere, ita hi alienis, ac proinde ſeſe addixerunt in ſeruitutem aliis. Ita in Aegypto integram gentem ob inopiam Pharaoni ſe addixiſſe nouimus; 2. deprehenſa ſemel hac commoditate, et de aliis adquirendis ſeruis homines cogitarunt, ac proinde factae leges, vt bello capti ſerui fiant; nec non 3. vt de ſeruis nati ſerui ſint, quia vbi principale ſit in dominio, ibi et acceſſorium in dominio eſſe aequum ſit.

Quaeritur ergo, *an ſeruitus ſit conſtitutio iuris gentium*, vti dicitur §. 2. *Inſt. de iur. perſon. L.* 4. *D. de iuſt, et iur.* Reſp. ſi quis putet, iure naturae et gentium ſeruitutes introductas eſſe, id negamus; potius hoc iure omnes homines ſunt aequales: at ſi quaerat quis, an conſentanea ſit ſeruitus iuri gentium, id facile largimur; quiſque enim poteſt iuribus ſuis renunciare, ergo et libertati; renunciant

autem tum, qui ſe ſponte addicunt aliis, tum qui bello capti ſe dedunt. Victor eos poterat occidere, poteſt ergo et ſeruare ea lege, vt ſeruiant; eſt ergo *ſeruitus* in genere ſtatus hominum, quo quis alterius arbitrio ſubiicitur, vt illi, non ſibi, adquirat. Ceterum ſeruitus eſt duplex, vel *pactitia*, vel *legalis*: illa ex pacto eſt, qualem ſeruiunt, qui ſe vltro addicunt; haec ex lege, qualis ſeruitus captiuorum.

§. 2.

II. Iam de poteſtate dominorum in ſeruos: haec quia vel ex pacto, vel ex captiuitate eſt, neceſſario ſequitur, vt fundamenti loco ſubſternenda ſint axiomata: 1. *Poteſtas domini in ſeruum pactitium tanta eſt, quantam inter ſe fore pacti ſunt*: 2. *Poteſtas domini in ſeruum bello captum illimitata eſt, niſi quod legibus humanitatis et miſericordiae non debet aduerſari.*

Primum ergo de ſeruis pactitiis, qui vel mercenarii, vel perpetui ſeu obnoxii. 1. *Mercenario dominus debet alimenta*; vult enim ſibi operas adquiri: ſi ergo per ſeruorum operas adquiritur dominis, non ſeruis, huic fame pereundum eſſet, niſi eum aleret dominus; 2. *dare mercedem debitam*; ad id enim obligatur ex pacto, praeterea quum ſeruo praeter alimenta et alia neceſſaria ſint, maxime in ſenectute, aliquid dandum eſt; 3. *ſeruus debet operas conuentas*; dico *conuentas*, ſic non tenetur coquere, quem tamquam aurigam conduxi; 4. *item honorem et obſequium debet domino*; agnoſcere enim debet tamquam ſuperiorem; 5. quaeritur, *an et coërcere dominus huius modi ſeruum poſſit?* Negatur, a) quia liber homo eſt; b) quia id pacto non expreſſum; c) quia ſi non ſatisfaciat officio, alio modo poteſt damnum ſarcire, vel ex mercede, vel ex diuulſa locatione conductione.

§. 3.

De ſeruis pactitiis obnoxiis vel perpetuis tenendae regulae.

1. *Alimenta dominus debet perpetua*, quia ſe ipſum in perpetuum addixit; ergo nec ceſſant alimenta aegrotante ſeruo, quod ſecus ſe habet in mercenario, qui operas tantum locauit, quibus ceſſantibus et merces, et, quae eius pars ſunt, alimenta ceſſant. Hinc quum ſub Claudio domini auari ſeruos aegrotos in inſula Aeſculapii expoſuiſſent, Claudius Imperator, teſte SVETONIO, ſtatuit, vt, ſi conualeſcerent, liberi haberentur.

2. *Labores*

2. *Labores imponere, ſed viribus proportionatos*; hinc ſumma crudelitas, ſeruos ſine ratione exhaurire laboribus, quod imputatur Hiſpanis, qui Americanos ancheras et tormenta portare coëgerunt per montes, tantum vt oculos paſcerent victores.

3. *Seruum caſtigare*, quia a) in dominio eſt quoad perſonam, b) quia plerumque ſtupidus; (quis enim alius in ſeruitutem ſeſe addiceret), homines ſtupidi ſine coercitione non faciunt officium; ius tamen vitae et necis non exigit natura huius ſeruitutis.

4. Qu. *num vendere poſſit*? ſane vtrimque ſunt rationes non minimi momenti. Non poſſe vendere, inde colligi poſſet, quod ſeruus domini perſonam et virtutem elegit, adeoque illi non perinde eſt, quem dominum habeat, et cui ſeruiat? Poſſe vero, vel ex eo colligeres, 1. quod, qui ſe addixit, eſt in dominio; ius vero vendendi cum dominio coniunctum eſt. Reſponderi etiam poteſt ad argumentum ſuperius, exinde etiam conſequuturum, ſeruum eius modi non tranſmiſſum iri ad heredes; accedit 2. quod omnes gentes hoc ſeruorum commercium probarunt, Iudaei, Graeci, Romani, Barbari.

Nos itaque diſtinguimus, vtrum pactus ſit ſeruus, ne vendatur, tunc pacto ſtandum; an nihil conuentum, tunc vendere licet, modo non in duriorem cauſſam.

Serui huius modi eſt: 1. *domino operas quaſcumque praeſtare*; 2. *honorem et obſequium exhibere*, 3. *non fugere*; *domini caſtigationes patienter ferre*.

Nec dubium denique ſeruum huius modi ad libertatem prouocare iure poſſe, ſi dominus eum contra leges conuentionis tractet, e. g. alimenta denegando, intolerabiles labores imponendo, cet. nam dominus nullum in eum aliud ius habet, quam ex pacto; ſi ergo huius leges ipſe violat, eius ius exſpirat, per ea, quae diximus ſupra, *libr. I. cap. 16. §. 5.*

§. 4.

Sequuntur ſerui bello capti, quorum duriorem eſſe debere conditionem facile patet: 1. Hoſtili enim animo aduerſus nos fuerunt, mortemque intentarunt,

2. Inuiti ſeruiunt, dominoſque odio habent, ac proinde nihil faciunt in eorum vtilitatem vltro et lubentes.

3. Fugam ſemper moliuntur; quo obſtinatius vero ingenium, eo ſeueriore opus eſt coercitione. Hinc apud veteres catenati ſeruiebant,

bant, donec venderentur, vel leuiter peccantes in ergaſtula et piſtrina ibant.

At ſupra tamen diximus, humanitati et miſericordiae hic locum eſſe, idque

1. Ex promiſſo; dum enim dedidit ſe ſeruus, ſtipulatus eſt ſibi remiſſionem iniuriae et ſalutem; dominuſque dum eum in deditionem recepit, in hanc conditionem conſenſit.

2. Etiamſi nihil promiſſum, ipſa tamen humanarum rerum conditio, fortunae lubricum, et naturae communio ſuadent humanitatem et miſericordiam. Hinc duriſſima ac inhumana regula iuris Romani: ſeruo non fieri iniuriam; quam philoſophiam et Aristoteles, et Hobbesivs ſequuti ſunt; ſed hoc ex principio, quod ius naturae non agnoſcit, ſeruos perſonas eſſe deſinere, et in claſſem rerum redigi. Sed homo tamen manet, adeoque et de eo praecipit ius naturae neminem eſſe laedendum; ſi vero laedi poteſt, affici etiam poteſt iniuria.

Hinc iniuria ipſi fieri poteſt 1. a domino; ſi contra pactum deditionis, contra humanitatem, contra miſericordiam tractatur; iniuria etiam fieri poteſt 2. a tertio; is enim quum nihil iuris habeat in ſeruum alienum, iniuriam omnino facit, ſi laedit; abſurda ergo eſt illa quaeſtio apud Ivvenalem, *Satir. VI. v. 219. ſeqq.*

Pone crucem ſeruo: meruit quo crimine ſeruus
Supplicium? quis teſtis adeſt? quis detulit? audi,
Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.
O demens! ita ſeruus homo eſt! nil fecerit, eſto.
Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

§. 5.

Iam facile iudicari poterit de officiis eius modi dominorum et ſeruorum mutuis: 1. domini eſt alere et ſeruare eius modi ſeruum; promiſit enim, illum ſe ſeruaturum; 2. licet domino huius modi ſeruum vendere; hic enim nullum obſtat pactum, quale §. 3. vidimus in ſeruo pactitio; 3. licet etiam caſtigare ſeruum huius modi pro delicti magnitudine.

Qu. *an ius vitae et necis habeat dominus?* Affirmant plerique, a) quia ius occidendi quum habuerit, antequam ſe dederit, ergo et poſtquam ſe dedidit; b) quia plane ſit in eius dominio; dominus autem rem ſuam libere corrumpere et deſtruere poſſit.

Nos

Nos diſtinguimus inter ſtatum naturalem et ciuilem: in ſtatu naturali nullum eſt dubium, quia hoc ius habet paterfamilias, quia ſimul eſt imperans et caput familiae; at in ſtatu ciuili illud vix indulgendum domino, niſi leges ciuiles id indulgeant, quod a Romanis factum: aut enim peccarunt aduerſus dominum priuatim, aut aduerſus rem publicam, id eſt, aut admiſere delictum priuatum, aut publicum: ſi priuatum, mortem non meruerunt; ſin poſterius, vindicabit res publica.

Alia ac diuerſa quaeſtio eſt, *an hoc ius vitae et necis, quale Romani permiſerunt dominis, ſit abſurdum et iuri naturae contrarium?* quod negamus, 1. quia non permiſerunt promiſcuam occidendi licentiam, ſed iuris dictionem domeſticam; 2. quia ab hominibus ſanae mentis non facile metui potuit, fore vt eo iure abuterentur; magnum fuit ſeruorum pretium, conſtituebant illi maximam partem patrimonii; eius modi autem res nemo ſanus animi tantum ac voluptatis cauſſa deſtruere ſolet.

§. 6.

Vltima quaeſtio eſt, *an et proles ſerui cedant domino?* Nos diſtincte reſpondemus: aut ſeruus eſt pactitius, aut bello captus; pactitius eſt vel mercenarius, vel proprius, perpetuus, obnoxius.

1. Mercenarii prolem eſſe liberam, nemo dubitauerit, quia eius modi ſeruus tantum operas locat, non perſonam ipſam addicit.

2. Quod ad proprium pactitium, is aut iam liberos habet, dum ſe addicit, aut poſtea demum aliquos procreat; quos iam ante addictionem procreauit, ii procul dubio ſunt liberi homines, ſi vel pater eos addixiſſet, nam patrem liberos vendere non poſſe ſupra vidimus; ſi, poſtea procreati ſunt, procul dubio cedunt domino, niſi ſpecialim excepti ſint.

3. Denique id multo magis dicendum eſt de bello capto, idque ex natura a) dominii, cuius eſt principale, eius acceſſorium; b) quia dominus alit, et ſeruus huius modi nihil habet proprii, vnde alat. Fatendum tamen 1. id paullo durius eſſe, quia liberi naſcuntur in libertate naturali, et nihil admiſerunt, ob quod libertate priuandi ſint; 2. moderatiorem merito eſſe debere horum vernarum conditionem, ac eos tantum ad operas obligari; 3. merito ipſis indulgendum eſſe, vt redimere ſe poſſint, dominuſque accepto pretio eos manumittere teneatur.

Sed vna gens altera his in rebus fuit humanior: vnde tanta ſeruorum differentia, vt ſi in diuerſis gentibus eos conſideres, vix ſibi ſimiles ſint; quod adeo verum eſt, vt ICti ſuperiorum ſeculorum dubitarint, an Germania habeat ſeruos. Vid STRYK. *Vſ. hod. Pand. tit. de ſtat. homin.* Praecipua ratio dubitandi fuit, quod ea, quae iure Romano de ſeruis, eorumque ſtatu et conditione traduntur, ſeruis vel hominibus propriis Germanorum adplicari nequeant: ſed ſi ita ratiocinari velis, dicere poteris, eodem iure Germanos nec parentes, nec liberos, nec coniuges habere, nam et horum ſtatus a ſtatu parentum, liberorum, coniugum Romanorum in Germania maxime differt; argumentum, quod iuſto plus probat, nihil probare, ſatis notum eſt ac tralatitium.

CAPVT V.

DE CAVSSA IMPVLSIVA CONSTITVENDAE CIVITATIS.

§. I.

IAm demum auctor ad CIVITATEM ſeu REM PVBLICAM, tamquam ſocietatem maxime compoſitam progreditur, quae ſimul quartum inſtitutum humanum eſt, ex quo fluunt officia hypothetica: et quidem quum omnia reliqua capita de ciuitate agant, is obſeruandus eſt ordo, vt agatur 1. *de ciuitatis natura*, *cap.* 5-9. 2. *de officiis ſummorum imperantium, cap.* 10-17. 3. *de officiis ciuium vel ſubditorum, cap.* 18.

Ad naturam ciuitatis vel maxime pertinet cauſſa impulſiua conſtituendae ciuitatis; differit enim ius naturae de officiis imperantium et ſubditorum; officia fluunt ex fine; finis ex cauſſa impulſiua iudicandus, e. g. ſi ſcire velim, quae ſint officia doctoris ſcholaſtici, ob oculos verſari debet finis ſcholarum; ſi hunc ſcire velim, diſquirendum, quid homines impulerit ad conſtituendas ſcholas.

Iam de ciuitate ea quaeſtio vel maxime eſt momentoſa, *quid homines mouerit ad ciuitates vel res publicas conſtituendas.* Nam

1. Prae-

1. Praeſtantiſſima fuere iura ſtatus ante ciuitates; a) libertas ab omni ſubiectione; b) aequalitas hominum, c) ius belli et pacis. Quiſque ergo paterfamilias eiuſdem iuris erat, ac hodie Reges et ſupremi principes. Quin

2. Deus quum homines primos crearet in ſtatu perfectiore, eos non creauit in ſtatu ciuili, ſed naturali, adeoque ſatis docuit, ſtatum naturalem eſſe perfectiorem ciuili. Diximus quidem ſupra, infelicem eſſe ſtatum naturalem, ſed diximus etiam, intelligendum praecipue eſſe de ſtatu naturali in ſecunda ſignificatione, quatenus nempe ſtatui ſociali opponitur.

3. Ciuilis ſtatus cum multis incommodis eſt coniunctus; a) ciues oportet libertati et aequalitati renuntiare, et ſe aliorum voluntati ſubiicere; b) ſuſcipere tenentur multa onera, a quibus maxime abhorrent, e. g. tributa, vectigalia, militiam; c) periculum eſt a tyrannide ſupremarum poteſtatum, poenis, ſuppliciis.

Quum ergo haec omnia ita comparata ſint, vt non poſſint non homines illa auerſari: grauem ſane et ſonticam fuiſſe oportet cauſſam, quae eos impulit ad ſtatum naturalem cum ſtatu ciuili, ſtatum libertatis cum ſtatu ſubiectionis, ſtatum imperii cum ſeruitute quadam politica permutandum; haec vero quae fuerit, iam quaeritur.

§. 2.

Tales cauſſae tres praecipue recenſentur ab auctoribus.

I. Hornivs, *de ciuitate I.* 4. 6. hic iterum ad Deum prouocat, eumque cauſſam ciuitatum vel rerum publicarum putat, quia magiſtratus in *Scriptura ſacra* vocetur *diuina ordinatio*.

Sed haec ſententia nullo modo obtinere poteſt: nam 1. non quaerimus hic de cauſſa efficiente; quis ſtatum ciuilem primum inſtituerit? ſed de impulſiua; quid mouerit homines ad hunc ſtatum eligendum? Id non poteſt eſſe Deus; non viuimus in ſtatu ciuili propter Deum, ſed propter nos ipſos.

2. Ne cauſſa quidem efficiens dici poteſt Deus immediate; nam a) Deus primam rem publicam non inſtituit, ſed homines, et quidem non probi, ſed Caini poſteri; b) potius Deus homines creauit in ſtatu naturali; c) nuſquam etiam exſtat praeceptum, vt homines res publicas inſtituerent: at d) diuina ordinatio dicitur hic ſtatus, quia inſtitutum illud approbat, conſeruat, et officia mutua imperantium et ciuium confirmat; at eadem ſcriptura hunc ſtatum

etiam vocat *ordinationem humanam*, quia eius origo ab hominibus eſt.

II. Altera ſententia eſt ARISTOTELIS, qui ciuilem ſtatum a natura eſſe contendit, 1. quia homo natura ſit animal ſociabile; ſed aliud eſt, ſociabilem eſſe, aliud ad ciuitatem vel rem publicam procliuem eſſe: prius verum eſt, ſed multae ſunt ſocietates praeter ciuilem, coniugalis, paterna, herilis, quibus contentus eſſe potuiſſet homo; itaque inde non fluit poſterius, hominem praeciſe natura ferri ad ſocietatem ciuilem.

2. Quia homo extra ſocietatem eſſet miſerrimus, ceu ſupra docuimus, adducto in exemplum homine, qui ſolus viuat in locis deſertis, et ab omni auxilio humano deſtitutus ſit. Reſp. denuo confunditur ſtatus extra ſocietatem et extra ciuitatem; in illo eſſet miſerrimus, in hoc aliquando homines vixerunt ſuauiſſime, e. g. temporibus conditi mundi protoplaſti cum familia; poſt diluuium Noachus cum familia.

III. PLATO ſcripſit libros *de re publica*, quibus ideam rei publicae perfectiſſimae, et ad votum felicis dare voluit; finxit ideo rem publicam, qualis nec fuit vmquam, nec futura eſt, vt in prouerbium abierit: RES PVBLICA PLATONICA pro re chimaerica. *Libro II.* huius libri quaerit, quid homines mouerit ad ciuitates inſtituendas? putatque, veram cauſſam quaerendam eſſe in indigentia hominum; ad eam ſuperandam opus fuiſſe ciuitatibus; ſed et id falſum, nam 1. maxima indigentia eſſe coepit introducto ſtatu ciuili; tunc enim introducta hominum inaequalitate gliſcere coepit luxuria, adeoque multo pluribus rebus opus fuit ad ſplendorem, quam extra rem publicam; 2. indigentia ſatis commode caueri potuiſſet in ſtatu naturali a) ſocietate domeſtica, b) commerciis; quippe quae etiam extra ſocietatem locum habere poſſunt.

§. 3.

Itaque iam auctor 1. refutat ſententiam ARISTOTELIS §. 3-6. et 2. veram cauſſam impulſiuam oſtendit §. 7. *ad finem.*

Argumentum auctoris generale, quod opponit Ariſtotelicis, hoc eſt: ſi natura homines impulit ad inſtituendas ciuitates, ſequitur, 1. vt ſtatus hic multa habere debeat hominis naturae grata; 2. vt homini inſint ea requiſita, quae in bono ciue adeſſe debent; et 3. vt nihil ei inſit, quod ſtatui ciuili repugnet; at poſterius falſum; ergo et prius.

Conſe-

Conſequentia maioris rectiſſime ſe habet, cur dico, quaeſo, natura hominem adpetere vitam, quietem? cet. a) quia hae res in ſe ſunt gratae naturae hominis; b) quia ipſe in ſe habet requiſita, quae ad vitam et quietem pertinent; c) quia natura eius vitae et quieti non repugnat; idem ergo adeſſe debet, ſi natura hominem impelleret ad ſtatum ciuilem; at minorem falſam eſſe, iam per partes probat auctor.

§. 4.

I. Status ciuilis multa habet parum grata hominibus: nam a) ciuis renuntiare tenetur libertati naturali, quid libertate vero iucundius? b) ſubiicit ſe ſummo periculo; Imperantes non ſemper boni, quam triſtis vero tunc ciuium conditio? conſideret quis ſtatum Romanorum ſub Nerone, Domitiano, Commodo, Caracalla, ſimilibuſque monſtris, an non feliciores dixeris, qui in quauis ſolitudine vixerunt; c) multa ciui imcumbunt, a quibus natura abhorret; tributa dare, res ſuas conferre ad publicam vtilitatem, arma capere, legibus parere, etiam aliquando iniquiſſimis; d) quia non datur regreſſus ad libertatem priorem; ſi ſubditi libertatem priſtinam affectant, rebelles ſunt; ex rebellione naſcuntur bella ciuila, ſupplicia, et tanto intolerabilior tyrannis.

Itaque argumentum primum ſpeciale nectere licet contra Ariſtotelicos: Quicumque ſtatus multa habet naturae humanae admodum ingrata, ille non eſt a natura: ſtatus ciuilis multa habet homini admodum ingrata, ceu hactenus demonſtratum; ergo ſtatus ciuilis non eſt a natura.

§. 5.

II. Requiſita illa non ſunt in hominis natura, quibus ad ſtatum ciuilem tamen opus eſt: In bono ciue requiritur a) ſtrictum obſequium, homo vero natura nititur in vetitum; b) vt omnia referat ad bonum publicum; Cur Perſae omnes preces conceperint in numero plurali? homo vero φιλαυτος omnia refert ad proprium commodum; c) vt procliuis ſit ad commode cum conciuibus viuendum; at homo homini lupus, homo homini natura diabolus, videmus, ne in ſtatu quidem ciuili homines cohiberi poſſe ſuppliciis grauiſſimis a furtis, rapinis, homicidiis, aliiſque delictis atrocibus.

Hinc ſecundum argumentum aduerſus Ariſtotelem: quicumque

natura non habet requiſita boni ciuis, is natura non fertur ad ſtatum ciuilem: homo natura non habet illa requiſita boni ciuis, ceu hactenus demonſtratum; ergo non fertur natura ad ſtatum ciuilem.

§. 6.

III. Multa homini inſunt, quae ſtatui ciuili quam maxime aduerſantur; a) homo eſt animal indomitum; b) ad omnia ſcelera, quae rem publicam turbant, natura procliuis; ea in re deterior beſtiis; c) vindictae cupidus; d) ſui diſſimillimus; quae maxime repugnant ſtatui ciuili; nam tunc aliis ſubiectos nos eſſe decet, ad leges viuere oportet, vindicta omnis relinquenda magiſtratui, actiones oportet eſſe aequales et ad legem compoſitas.

Inde ergo tertium argumentum ſpeciale: Cuicumque permulta inſunt, quae plane repugnant ſtatui ciuili, is non fertur natura in ſtatum ciuilem: homini multa talia inſunt, vti hactenus demonſtratum; ergo homo non fertur natura ad ſtatum ciuilem, quod erat demonſtrandum aduerſus Ariſtotelem.

§. 7.

Iam ergo de vera cauſſa, ob quam homines in ciuitates ſeceſſerunt, quae non alia fuit, quam metus hominum ab hominibus, vel ſecuritas, quam ſibi parare volebant homines: nam 1. natura hominis praua eſt; 2. ergo alter alterius intendit laeſionem; 3. ergo opus praeſidio aduerſus aliorum iniurias; 4. idque praeſidium adaequatum et proportionatum eſſe debuit periculo; 5. non aliud vero adaequatum reperierunt, ac rem publicam vel ciuitatem, itaque impulſi ſunt ad ciuitates conſtituendas.

Periculum vero duplex imminebat gentibus ſe ab inuicem ſeparantibus: 1. externum ab aliis gentibus, ne hae eas opprimerent, ſedibus expellerent, ſpoliarent. Quum enim plane inaequalis fertilitatis ac amoenitatis eſſent prouinciae, in quas gentes ſeceſſerunt, fieri non potuit, quin ſibi inuicem inuiderent, et qui prouincias ſteriliores fuerant ſortitae, alias e pinguioribus expellere ſtuderent, inde bella; 2. internum ab ipſis eiuſdem gentis hominibus, inter quos, ceſſante ſuperioris alicuius poteſtate, non poterant non lites, iurgia, ac internecinae digladiationes oriri.

Opus ergo erat adaequato ac proportionato remedio. Periculo externo opponenda erant arma communia, interno iudicia et poenae; itaque ſtatu opus erat, in quo et vnio virium, et poteſtas iudi-

iudicialis, et facultas puniendi eſſet. Quae quum in nullo alio ſtatu reperirentur, quam in ciuili: de ciuitatibus condendis cogitare debuerunt; probari ergo haec theſis poteſt,

a) A natura remedii; ex remedio ſemper iudicare poſſum; quid mali homines impulerit ad illud inueniendum; e. g. ex natura veſtium iudicare poſſum, eas inuentas propter frigora et pudorem, quia hunc finem veſtibus obtinemus, non autem famem et ſitim expellunt; medicinam repererunt homines propter morbos; ergo ciuitates propter metum ab aliis hominibus, nam hoc malum auertunt ciuitates, non vero famem, ſitim, aliaque mala.

b) Ex hiſtoria ſacra; nam non aliam ob cauſſam poſt diluuium nata imperia, quam quia Nimrodus erat potens venator coram Deo. Ita HERODOTVS, *libr. I.* memorat, Medos ob metum ſibi Regem conſtituiſſe Deiocem, quum antea vicatim habitarent, et nullo ſuperiore indigerent ob virtutem; addit, Deiocem circumiiſſe terras cum ſecuri, vt homines, qui iniurii in alios eſſent, ſtatim ſupplicio afficeret.

c) Ex eo quod creſcente periculo ſtatim etiam creuerunt imperia; antiquiſſimis temporibus minora fuere imperia, e. g. Palaeſtinam Reges ad triginta fere occuparant; Graecia quot ciuitates, tot regna et res publicas habebat; creſcente vicinorum potentia, plures minores res publicae in vnam maiorem coaluerunt. Sic ob Perſarum et poſtea Macedonum potentiam nata eſt res publica Achaica; Germania ipſa, quae olim tot regna et res publicas habebat, quot prouincias, ob Romanorum potentiam paullatim in maiores populos, ac denique in vnum regnum coaluit.

§. 8.

Sed adhuc clarius auctor demonſtrat, ciuitates ob metum et imminens periculum conditas hoc argumento: Si praeter ſtatum ciuilem vel res publicas nihil ſecuros praeſtare potuit homines, ſequitur vt ſtatum ciuilem vel res publicas introducere coacti ſint: prius eſt verum; ergo et poſterius. Prius eſſe verum auctor ita probat: praeter ciuilem ſtatum tria ſunt, a quibus aliquam ſibi ſecuritatem promittere potuiſſent homines, lex naturae, pacta, conſcientia, et reuerentia numinis: atqui nullum horum ſuffecit; ergo ciuitatibus opus fuit.

Non ſuffecit I. LEX NATVRAE; a) quia iniurias quidem prohibet.

hibet, at mentem hominum prauam non emendat; latro ſe ſcit peccare, et peccat tamen, et qui injuſtum gerit bellum, ſatis nouit, ſe contra legem naturae agere, an vero ideo minus bellum gerit? b) lex naturae iniurias prohibet, ſed poenas ſpeciales et praeſentaneas non repraeſentat; *ſpeciales* inquam; docet quidem lex naturae eum, qui peccat, poenam mereri, ſed non, quae ſequutura ſit, et quando repraeſentanda; homines vero ita comparati ſunt, vt praeſentibus tantum et proxime eminentibus moueantur, non futuris et longe remotis. Sane in ipſis ciuitatibus hodie improbi vix ſpecialibus ſuppliciis et praeſentiſſimis deterrentur a criminibus, quid futurum, ſi nulla ſupplicia ſpecialia imminerent?

2. Alterum, quod aliquam ſecuritatem promittere potuiſſet hominibus, ſunt PACTA AMICITIAE, mutuae defenſionis, cet. at nec haec ſufficiebant; *a*) quia aliquando, ſi pauci foedus inierant, vel impotentiores mutuam ſibi inuicem promiſerant defenſionem, potentiores tamen erant hoſtes, *b*) quia fluxa et lubrica eſt pactorum fides, vbi non eſt ſuperior, qui perfidos coërceat; exemplo eſſe poſſunt tot foedera et pactiones ab initio mundi initae inter gentes, quae plerumque non diutius valuerunt, quam foederatis placuit. Opus ergo erat ſocietate et pacto, a quo reſilire nemini vel fas eſſet, vel facultas: tale vero ſola eſt CIVITAS, vel RES PVBLICA; opus ergo erat ciuitate vel re publica; quod erat demonſtrandum.

§. 9.

3. Aliquam ſecuritatem promittere potuiſſe videtur REVERENTIA NVMINIS et MORSVS CONSCIENTIAE; at ne id quidem ſufficiebat, a) quia ſcelerati conſuetudine peccandi omnem reuerentiam Numinis paullatim mente excutiunt; e. g. Pharao, b) quia dantur etiam athei theoretici et practici; c) quia metus ſemper ſupponit malum imminens, veluti poenas; ea vero, quae non ſtatim repraeſentantur, incerta putare homines, iiſque parum moueri, iam ſupra vidimus. Notus locus ex PLVTARCHO de ſera Numinis vindicta: vltionem maleficio quam proxime adiunctam ſtatim viam intercludere iis, qui quam plurimum malitia bonos habente ſucceſſus vtuntur; nihil enim aliud perinde, atque dilatio iuſtae vindictae iniuria affectorum ſpem eneruat, animoſque eorum deiicit; contra, improbos ferocia et audacia auget. Et hoc ipſo mali ſeſe ad flagitia capeſſenda exhortantur atque excitant, quod malitia fructum ſtatim matu-

maturum et ante oculos ſitum praebeat, poena autem ſero et longe poſt fruitionem ſubſequatur; d) quia numquam de Deo cogitant homines etiam improbi, quin ſibi eum repraeſentant tamquam ens clementiſſimum, hinc ſemper ſperant meliora, nimirum Deum veniam delictorum daturum. e) Conſcientia nonnumquam cauterio velut inuſta eſt, ita vt grauiſſima delicta perpetrantes nullis conſcientiae angoribus excrucientur; f) morſus conſcientiae non praecedunt crimen, ſed ſequuntur, adeoque non ſecuros nos praeſtare poſſunt ab aliorum iniuriis; g) datur conſcientia erronea, vt perſuaſi ſint, qui nobis faciunt iniuriam, ſe iure id facere, vti plerumque et iniuſtiſſima bella gerentes iuſtiſſimas ſibi habere belli cauſſas videantur; hinc male mihi conſultum eſſet, ſi ſecuritatem meam in aliorum conſcientia poſitam haberem. Firmum itaque manet auctoris argumentum, quod §. 8. propoſuit: *Si praeter ſtatum ciuilem*, cet

---

CAPVT VI.

DE INTERNA CIVITATVM STRVCTVRA.

§. 1.

NOn hic agimus de vrbibus condendis; id enim ad architecturam pertineret, ſed de interna rerum publicarum ſtructura; id eſt, quid fieri oporteat, vt multitudo hominum coaleſcat in rem publicam.

Agitur itaque 1. *de conſociatione hominum, qui in rem publicam coaleſcunt*, §. 1-6. 2. *de modo, quo coaleſcunt*, §. 7-9. 3. *de effectu huius conſociationis, ſeu iure, quod inde naſcitur*, §. 10. 4. *de forma ciuitatum*, §. 11-13. 5. *de origine earumdem*, §. 14.

Quod ad *primum* attinet, diſtincte demonſtrat auctor, *neceſſariam eſſe* 1. *coniunctionem vel conſociationem hominum*, §. 1. 2. *coniunctionem multorum*, §. 2. 3. *coniunctionem inter ſe conſentientium*, §. 3. 4. *coniunctionem vinculo quodam inſeparabili connexorum*, §. 4.

I. Debuit eſſe coniunctio hominum; qualis enim finis, talia media; finis fuit ſecuritas, ergo medium debuit eſſe ad hunc finem conſequendum ſufficiens; ſufficiens autem nullum fuit, praeter con-

iunctionem hominum, homines ergo coniungi oportuit. Minorem probat auctor, comparando hoc medium cum aliis, quae ſecuritatem hominibus ſingulis et ſolitariis praeſtare poſſe videbantur. Talia ſunt

1. Loca natura munita, vt in illis habitent; et ſane olim homines excauarunt petras et ſcopulos inacceſſos, vt ibi tuti ab hoſtibus cum rebus ſuis deliteſcerent, qualibus cauernis tota Iudaea plena eſt. Sed a) nullus locus tam munitus, qui vi et fraude capi non poſſit; b) vnus et ibi aduerſus multos ſe defendere nequit; c) ſi hoſtes rem pertinaciter gerant, fame et ſiti ibi erit pereundum; vt taceamus; d) non meliorem eſſe hominis ibi latitantis conditionem, quam captiui.

2. Arma; a) ſed quid arma etiam efficaciſſima, niſi ſint, qui iis vtantur; b) vnius arma aduerſus multos parum efficient; c) quid ſi arma vſu corrumpantur?

3. Belluae et bruta animantia; fuere ſane, qui eorum ope vterentur. Hiſpani canibus vſi aduerſus Americanos; et notum eſt, Orientales et Africanos et olim et hodie elephantos in bellum tamquam commilitones educere; ſed a) bruta regenda ſunt ab hominibus; b) coeco impetu feruntur in hoſtes ſine conſilio et prudentia, ac proinde eorum vis facile eluditur; c) anceps eſt eorum auxilium, vt facile ſuis plus detrimenti inferant, quam ſalutis. Carthaginienſes id ſuo malo experti. LIVIVS, *Hiſtor. XXX*, 18.

§. 2.

II. Deinde coniungi oportet multos, nam 1. ciuitates conſtituuntur aduerſus vim; vim multorum pauci repellere nequeunt, ergo multi coniungi debent; 2. non modo opus eſt communibus viribus, verum etiam neruo rerum gerendarum, adeoque pecunia et commeatu; haec pauci conferre nequeunt, opus eſt ergo coniunctione multorum; 3. fortuna belli et violentae defenſionis lubrica eſt, adeoque et qui iuſtiſſimam cauſſam habet, ſuccumbere poteſt: ſi ergo pauci ſemel ſuccubuerint, nulla ſpes ſalutis eſſet reliqua; ergo multitudine opus eſt, vt re ſemel male geſta, nouus exercitus parari queat.

Iam multitudo quidem illa definiri nequit; at recte tamen PLATO, *de legib. libr. V.* tantam eſſe oportere multitudinem ſcribit, vt vicinos iniuriam facientes repellere poſſit, ergo felix res publica, cu-

ius vires ſingulis vicinis, ſi non ſuperiores, ſaltem pares ſint.

Hinc diximus, aucta vicinorum potentia, augeri ſolere res publicas, ſit tamen aliquando, vt et minores res publicae a vi omni tutae ſint et ſatis potentes, a) ob prouincias; e. g. Heluetia, Belgium: b) ob vicinorum aemulationem; ſic Palmyra vrbs libertatem diutiſſime retinuit ob aemulationem Romanorum et Parthorum. Vid. PLIN. *Hiſtor. nat. V.* 25. Sic et hodie Hamburgum libertatem ſuam tuetur.

§. 3.

III. Facile patet, eos, qui hoc modo coniunguntur, debere conſentire: a) debent enim vnire vires, quod ſperari non poteſt a diſſentientibus; b) potius impedimento ſibi inuicem foret turba multorum ſecum ipſa diſſentiens; c) vbicumque multi reſiſtere volunt multis, debent vnum eumdemque ſibi propoſitum habere finem, iiſdemque vti mediis; hoc dum faciunt, inter eos eſt conſenſus; inter multos ergo, ex quibus conſtat res publica, debet eſſe conſenſus.

Conſenſus ergo debet eſſe in finem, qui non alius eſt, quam ſecuritas communis; conſenſus etiam in medium, quod eſt vnio virium. In haec ſi multitudo quaedam conſentit, vera eſt res publica, vel ciuitas: hinc facile ſoluitur quaeſtio, *an inter apes et formicas ſit ſimulacrum rei publicae*? Edidit Anglus anonymus rem publicam feminam, in quo libello Angliae regnum ſub Eliſabetha Regina comparauit coetui apum.

Et ſane apes habent ducem vel reginam ſuam, quale quid in formicis non deprehenditur; illa viua, ſalua eſt earum res publica; ea pereunte, ſocietas diſſoluitur. Sed tamen ne vmbram quidem rei publicae hic videmus; finis enim, (ſi etiam propter finem conſociari dici poſſent, quod de brutis omnia ex impetu naturali agentibus dici nequit), non eſt mutua ſecuritas, ſed alimentorum per hyemem ſufficientia, nec vires vniunt ad defenſionem, ſed ad communes operas in congerendis alimentis.

Obſeruat quidem VARRO, *de re ruſtica*, *III.* 16. aliquando in vno alueario eſſe regulos trium generum, nigros, rubros, varios, ac inde oriri ſeditiones maxime a nigris, qui ſeditioſi ſunt, et aut fugant reliquos, aut fugantur.

Hic niger eſt, hunc tu, Romane, caueto.

Sed haec quidem vis magis domeſtica eſt, quam ciuilis: vt paucis dicamus, regina haec eſt veluti materfamilias, non regina.

§. 4.

IIII. Iam quaeritur, quomodo conſenſus iſte inter tot homines obtineatur? id eſt, quodnam ſit commune illud vinculum, quod multitudinem tam diuerſorum ingeniorum contineat?

Hic obſeruandum, inter multos conſenſum eſſe poſſe non niſi dupliciter; a) per conſpirationem, vt omnes et ſinguli ex illa multitudine idem velint; per ſubiectionem vel ſubmiſſionem, vt omnes ſe ſubmittant vnius voluntati; eiuſque voluntatem pro voluntate totius coetus agnoſcant. Prius ſperari vix poteſt, 1. ob diuerſitatem ingeniorum, quot enim capita; tot ſenſus; quod vni placet, alteri diſplicet; quumque ſine ſubiectione omnes inter ſe ſint aequales, nemo poterit iure praetendere, vt ſua ſententia praeferatur ſententiis aliorum, adeoque non poterit non gliſcere diſcordia; 2. ob hebetudinem; pauci de mediis eligendis iudicandi facultate inſtructi ſunt; 3. ob pertinaciam in ſententiis etiam abſurdiſſimis defendendis; 4. ob auerſationem naturalem ab iis, quae ad commune commodum pertinent; vitium enim hominis primarium eſt philautia; philautia proprium tantum commodum ob oculos habet. Sane ſi imminente hoſte in ſingulorum ciuium arbitrio poſitum eſſet, an conferenda ſint tributa, an iuuentus delectui nomen dare debeat, quam pauci in id conſenſuri eſſent? Quum itaque prior modus per conſpirationem ſperandus non ſit, eligendus eſt poſterior per ſubiectionem, adeoque non aliter multitudo coaleſcere in ciuitatem vel rem publicam poteſt, quam ſi tota multitudo voluntates ſuas voluntati vnius vel perſonae vel collegii ſubmittat.

Ex quo fluit axioma politicum primarium: *Non eſſe rem publicam, vbi non vnus imperet, reliqui omnes pareant*, alias enim non eſſet coniunctio multorum conſentientium.

§. 5. 6.

Ex eo vero facile patet, quodnam ſit vinculum illud commune, quo tota iſta multitudo continetur: eſt illud triplex.

1. Vna voluntas, eaque per ſubmiſſionem; adeo vt quidquid ſummus imperans agit ac decernit, tota egiſſe res publica videatur; hinc etiam fit, vt imperantium facta toti genti in vulgari ſermone tribuamus.

2. Vnio virium; hinc a) ius indicendi tributa; b) habendi delectus aduerſus hoſtem, dominium eminens in caſu neceſſitatis;

omnia

omnia enim haec neceſſaria ſunt, ſi finis obtineri debet, nempe ſecuritas.

3. Poteſtas puniendi; quum enim a) et vnio voluntatum ſeu ſubiectio minus ad palatum ſit hominibus, et vnio virium pleriſque moleſtiſſima; ea non diuturna futura eſſet, niſi eſſet medium coërcendi et animaduertendi in eos, qui frena mordent; b) ſecuritatem anhelamus non modo externam, ſed internam quoque, interna autem ſecuritas ſine poteſtate puniendi obtineri nequit. Eleganter HORATIVS, *Satir. II.* 7. 73. 74.

tolle periclum
Iam vaga proſiliet fraenis natura remotis.

Eſſe autem haec vincula vnionis inter ciues vnius rei publicae, vel ex eo patet, quod vno ex his ſubiato ſtatim diſſoluitur res publica; e. g. ſi duo eſſent Reges vnius rei publicae inter ſe diſcordantes ac viribus aequales, ita vt neuter alterius partis ſubditos immorigeros coërcere poſſit, non res publica vna amplius eſſet, ſed duae res publicae male temperatae; quod in Polonia futurum eſſet certiſſime, niſi alteruter Rex ſuccumberet.

Itaque ratiocinamur: Quibus ruptis res publica diſſoluitur, illa ſunt vincula, quibus res publica continetur: ruptis his tribus nexibus res publica diſſoluitur; ergo triplex hic nexus eſt vinculum rei publicae.

§. 7.

Iam H. de *modo*, quo homines coaleſcunt primum in rem publicam: auctor ciuitates conſtitutas ait per duo *pacta* et vnum *decretum*. Proponemus itaque eius ſententiam, ac deinde, quid ei alii obuertant, dicemus.

Primum pactum ex auctoris mente in eo conſiſtit, quod multitudo hominum in ſtatu naturali viuens inter ſe conuenit, ſe in ſtatu ciuili victuram, adeoque condituram rem publicam.

Quum enim in ſtatu naturali omnes homines ſint aequales et liberrimi, in eorum voluntate ac arbitrio poſitum fuiſſe oportet, an ſe ſubiicere vellent alterius imperio; opus ergo fuit communi conſenſu; adeoque pacto de conſtituenda re publica: ex quo colligitur 1. pactum hoc eſſe liberrimi arbitrii; adeoque 2. eum, qui non conſentit, extra hunc coetum manere; 3. potuiſſe hoc pactum ab aliis

pure iniri, ab aliis ſub conditione, e. g. ſi talis rei publicae forma, e. g. democratia, conſtituatur.

§. 8.

Poſtea opus eſt DECRETO, quo praeuia matura deliberatione ad liquidum perducant noui ciues, quam rei publicae formam prae reliquis eligere velint; an monarchice, an ariſtocratice, an democratice imperari malint, an aliquas harum formarum commiſcere. Huic decreto 1. ſubiicere ſe debuerunt omnes, ſi maxima pars conſenſerit: quia qui pure conſenſerunt in rem publicam, euentualiter etiam conſenſerunt in formam aliquam rei publicae; 2. quia in deliberationibus huius modi inter pares plurima ſuffragia valent; 3. qui tamen priori pacto tantum ſub conditione acceſſerunt, ſi talis rei publicae forma conſtituatur; ii procul dubio non tenentur, ſi alia forma, quam quae ipſis placuerit, electa ſit.

§. 9.

Denique ſequitur *alterum pactum*; quum enim ſemel conuenit, ſe coituros in vnam ciuitatem, certa etiam placuerit rei publicae forma, ſane et electio fieri debet eorum, quorum ſe ſubiiciant voluntati, id eſt, imperantium, et in monarchia quidem vnius ſiue Regis, ſiue Principis; (nomina enim enim ſunt adiaphora), in ariſtocratia procerum, ſenatorum, optimatium; in democratia ceſſare dixeris hanc electionem, quia totus populus imperet; at hic quoque opus eſt magiſtratibus, qui ſecundum leges praeſint rei publicae, negotia quotidiana expediant, iudicium adminiſtrent, cet. Inter populum vero eligentem et electos intercedit pactum; nam 1. eligentes ſe illorum voluntati ſubmittunt, ſiue pure, ſiue ſub conditione: vnde imperia libera alia, alia adſtricta; 2. iidem promittunt vnionem virium, et imperantibus concedunt facultatem puniendi; 3. electi contra ſe obligant ad id, vt poteſtate ſua ad ſalutem et ſecuritatem rei publicae externam et internam ſeruandam vtantur, quod CICERO eleganter hac lege complectitur: *populi ſalus ſuprema lex eſto.*

His ergo duobus pactis et vno decreto perfectis, perfectam quoque rem publicam eſſe auctor exiſtimat, cui ea in re alii viri doctiſſimi ſuffragantur.

At intercedit hic non modo HOBBESIVS, ſed et TITIVS, qui hanc doctrinam auctoris plane exagitant; nam 1. fabulam ſapere aiunt

hunc

hunc populi liberi conuentum, haecque pacta et decretum, nec ex hiſtoria facti veritatem poſſe demonſtrari; 2. res publicas pleraſque per vim conſtitutas; vbi vis dominatur, rem non redire ad oppreſſorum conſenſum, ſed eos cogi ad ſubiectionem; 3. quotidie rebus publicis nouos accedere ciues, quibuſcum pacta ſeparatim iniri ab imperantibus dici non poſſe.

Sed quod ad 1. attinet, falſum eſt, ex hiſtoria hoc demonſtrari non poſſe, ita enim conſtitutam eſſe Romanam rem publicam, praeclare docuit DIONYS. HALICARN. *libr. II.*: Ad 2. auctor loquitur de rebus publicis, quas populi liberi, non oppreſſi conſtituerunt; ſed poſito per vim pleraſque conſtitutas, et hic pacta eadem et decretum adſunt, quamuis conſenſus vi et metu extortus ſit; e. g. Turcae oppreſſerunt Graecos; hi demum ſe ſubiecerunt, ergo conſenſerunt in eorum imperium, decreuerunt, ſe Turcarum Sultano parituros, pacti ſibi ſunt imperium Turcicum, ipſi fidem et obſequium promiſerunt; nam niſi in haec omnia conſenſiſſent, non poſuiſſent arma, ſed ad extremum vſque halitum libertatem defendiſſent; 3. auctor loquitur de conſtituenda re publica, non de eius conſeruatione; praeterea et qui de nouo accedunt ciues, omnia priora pacta probant, adeoque in illa conſentiunt, alias enim non accederent illi rei publicae. Hinc ſolida eſt haec PVFENDORFFII doctrina, nec quidquam eſt, quod illi cum ratione obuerti poſſit.

§. 10.

III. Conſtitutae hoc modo ciuitatis iura in eo conſiſtunt: 1. quod tota res publica conſideretur tamquam vna perſona moralis; vbi enim vna eſt voluntas, ibi vna perſona, ac proinde tamquam perſona contrahit, adquirit, delinquit, punitur, ſi ſuperiorem habet; 2. quidquid imperans agit, toti imputatur rei publicae; quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui; quod tamen limitandum, ſi tamquam imperans agit; in his enim ſolis voluntatem ſuam ſubmiſerunt eius voluntati; hinc facta ſubditorum ſunt bella, pax, foedera, quae ab imperante inita: at populo non imputantur facta principis priuata, e. g. homicidia, adulteria, cet. 3. quod ciuitas habet ſua iura maieſtatis, regalia, bona communia. Qui enim conſenſerunt in finem, conſenſerunt in media; populus ergo, qui conſenſit in id, vt imperans ſecuritatem internam et externam tueatur, conſenſit etiam, vt habeat ius leges ferendi, iudicandi, bel-

la gerendi, foedera pangendi, legatos mittendi, tributa indicendi. En iura maieſtatis. Item ſi populus conſenſit in vnionem virium, conſenſit etiam, vt res publica habeat bona ac aerarium ſuum.

Iam inde elicere auctor voluit definitionem ciuitatis vel rei publicae, ſed quae admodum male ei ceſſit.

Ciuitas ei eſt perſona moralis compoſita, cuius voluntas ex plurium pactis implicita et vnita pro voluntate omnium habetur, vt ſingulorum viribus et facultatibus ad pacem et ſecuritatem communem vti poſſit.

Sed ſi demis vocabulum vnicum: nempe *moralis*, vere eſt haec definitio non ciuitatis vel rei publicae; ſed imperantis, veluti principis.

Incaute auctor ſequutus eſt HOBBESIVM, cuius tamen principia ipſe reiecerat; is enim imperantem putat eſſe rem publicam, ſolum illum actiue, hanc paſſiue ſe habere; illum eſſe perſonam, hanc veluti equum vel currum, quo perſona illa vehatur. Quod principium quum ſit peſtilentiſſimum, mirum ſane eſt, auctorem retinuiſſe definitionem ex illo profectam.

Rectius ergo definias, *rem publicam* vel *ciuitatem* eſſe ſocietatem multorum hominum, qui omnes voluntatem ſuam ac vires imperanti ſubmiſerunt ad pacem et ſecuritatem communem eo facilius et certius obtinendam.

§. 11.

Hinc facile patet, IIII. Quid ſit *forma rei publicae* vel *ciuitatis?* Diximus, in re publica eſſe debere vnam voluntatem, eamque obtineri tantum per ſubmiſſionem. Submittit autem multitudo voluntatem ſuam vel *vni homini*, vel *pluribus*, vel *omnibus* in eadem re publica; quartum non datur; ſi vni, emergit monarchia, qualem in populis Orientalibus et Africanis plerisque, item in Hiſpania, Gallia, Dania animaduertimus; ſi pluribus, naſcitur ariſtocratia, qualis Venetiis, Genuae; ſin omnibus in ea re publica, tunc prodit democratia, qualis olim Athenis, et hodie in quibuſdam ciuitatibus liberis. Plures dari formae ſimplices non poſſunt, quamuis hae formae ſimplices diuerſimode miſceri poſſint, et tunc variae prodeant formae rerum publicarum mixtae, quas et irregulares vocant.

Sic ſi principi iungitur ſenatus, cuius arbitratu omnia agenda,

res publica ex monarchia et ariſtocratia compoſita eſt, qualem in Germania et Polonia animaduertimus. Sin princeps et ſenatum ex optimatibus, et comitia ex plebe collecta conſulere tenetur, mixta eſt ex omnibus formis, qualis Anglicana, et hodie Suecica.

Penes quoſcumque ergo eſt totius illius magni corporis voluntas, ii, ſiue vnus, ſiue plures, ſiue omnes, vocantur imperantes vel ſuprema poteſtas.

§. 12.

Iam quum vnam eſſe oporteat totius rei publicae voluntatem; illam quidem facile obſeruamus in monarchia, paullo difficilius in ariſtocratia; difficillime in democratia. In ariſtocratia enim totum collegium imperat, in democratia totus populus; tanta multitudo raro conſpirat in vnum, et quum in collegio aut comitiis omnes ſint aequales, vix ſperari poterit conſenſus, adeoque vna voluntas; ſed res publica vtrobique conſenſum obtinet per pluralitatem ſuffragiorum, plurium ſententiae vincunt ſententias pauciorum; neceſſarium hoc eſt; vbicunque enim omnes ſuffragantes ſunt aequales, ibi nemo de alterius ſententia poteſt iudicare, ſitne melior, an deterior; vbi nemo iudicare poteſt, numerandae ſunt ſententiae, non ponderandae.

Hoc etiam vbique obtinet in rebus publicis bene conſtitutis, vbi vel viua voce dantur ſuffragia, e. g. in Germania, Anglia; vel tacite, e. g. Venetiis per globulos aureos et argenteos; ac proinde hoc imperfectionem arguit rei publicae, ſi nihil poteſt concludi ſine omnium conſenſu, veluti in Polonia.

De democratia adhuc obiici poſſet, in ea non eſſe diſcrimen inter imperantes et ſubditos, quia imperantes ſimul ſint ſubditi, ſubditi ſimul imperantes? Sed Reſp. id verum tantum eſſe diuerſo reſpectu, in ſenſu diuiſo, non coniuncto; nam omnes ciues Athenienſes coniunctim ſumti erant imperans; totus enim populus ferebat leges in comitiis, ſed ſinguli Athenienſes erant ciues vel ſubditi, quia ſe ſubiicere iſtis legibus cogebantur.

§. 13.

Reliqui vocantur *ciues*, iique vel *originarii*, qui in hac ciuitate nati, vel *adſcriptitii*, qui illi de nouo acceſſerunt. An vero

velit nouos adſcribere res publica, in eius arbitrio poſitum eſt; Hinc in Polonia ius indigenatus, in Gallia et Britannia ius nationis nemini extraneo competit, niſi illud a re publica impetrarit.

Recte etiam obſeruauit GROTIVS, ciues eſſe vel *perpetuos*, qui ſedem fixam habent in re publica aliqua; vel *temporarios*, qui ſine conſilio domicilium ibi conſtituendi in aliqua re publica ad tempus viuunt; e. g. qui ſtudiorum vel peregrinationis vel mercaturae cauſſa alicubi morantur; hi quidem non fruuntur priuilegiis ciuium, (niſi ſpecialiter conceſſis, e. g. ſtudioſi), ſed ſubiiciuntur tamen legibus, quia dum in aliena re publica viuere non dubitant, illius legibus et inſtitutis ſponte ſe ſubiecisse cenſentur, ac proinde etiam puniuntur ex iis legibus, ſi ibi peccent.

§. 14.

Supereſt V. vltima quaeſtio, *an maieſtas ſit a Deo?* de ea enim maxima ſemper fuit controuerſia ob vſum huius doctrinae; quia nimirum ideo magna fuit nata diſcordia inter imperium et ſacerdotium. Hoc enim inde colligebant: Pontificis Romani, tamquam Dei et Chriſti in his terris vicarii, eſſe, praeficere imperantes, eosdem certis pactis obſtringere, deponere, ſubditos a ſacramento fidelitatis abſoluere.

Hinc in multis regnis publico comitiorum decreto cautum eſt, vt ſtatuatur quidem maieſtas a Deo eſſe, ſed inde concludatur ab omnibus, nemini, praeter Deum, in imperantes quidquam iuris eſſe. Plura eam in rem ex hiſtoria collegit THOMASIVS in libello elegantiſſimo, cuius ſcopum non omnes perſpiciunt, *de hiſtoria contentionum inter ſacerdotium et imperium*, *Halae* 1722.

Res ipſa facilis eſt; in *Scriptura ſacra* vtrumque dicitur; vocantur imperantes ὑπὸ τȣ̃ θεȣ̃ .... *Rom. XIII.* 1. contra ἀνθρωπίνην .... vocat Petrus 1. *Ep. II.* 13. qui in exemplum adducit non modo magiſtratus, verum etiam ipſum imperatorem tunc regnantem.

Vtrumque verum eſt; maieſtas eſt humana ordinatio, ratione primae originis; homines introduxere imperia, pacta ipſa iniere homines, ii et hodienum imperantes eligunt et creant, vbi populo ius creandi et eligendi eſt, adeoque eatenus recte vocatur ordinatio humana.

At idem imperium eſt a Deo; quia Deus hypothetice vult, vt impe-

imperio pareamus, adeoque imperia approbat, conſeruat, ſpeciali prouidentia quoſdam ad ea prouehit, rebelles odio habet, punit. Corruptum enim genus humanum quum ſubſiſtere ſine imperio et rebus publicis non potuiſſet, Deus omnino prouidentia ſua ita diſpoſuit omnia, vt homines oporteret de rebus publicis et ciuitatibus conſtituendis cogitare, et eatenus recte vocatur *diuina*. Vid. FRAVENDORFFII Diſſ. *de diuina maieſtatis origine*, *Lipſ.* 1687. *

* In Comitiis Gallicanis. Grammondus *Lib.* I. In Germania Conſtitut. 1338.

Diuerſae ſententiae. 1. Deum eſſe cauſſam immediatam, quocunque quis titulo regnet. OSIANDER in not. ad Grotium 2. Deum non eſſe cauſſam immediate, ſed antecedenter: eſſe auctorem maieſtatis in genere; quod vero in ſpecie hic vel ille exerceat imperium, id eſſe ab omnibus. 3. GROTIVS. Imperia eſſe introducta ab hominibus. Deum autem probare hoc inſtitutum.

CAPVT VII.

DE PARTIBVS SVMMI IMPERII.

§. 1.

PEr partes hic non intelligimus integrantes, eas enim iam vidimus eſſe imperantes et ſubditos, ſed iura maieſtatis, quibus ſeſe exſerit ſummum imperium vel maieſtas, de quibus ZIEGLERI opus pulcherrimum *de iuribus maieſtatis*. Vulgo etiam vocantur *regalia*, ſed hoc vocabulum magis feudale eſt. Quemadmodum ergo *maieſtas* eſt complexus omnium iurium ſupremae poteſtati in re publica et extra eam competentium: ita iura illa, quae complectitur maieſtas, iura maieſtatis vocantur.

Diuidebant vulgo illa *regalia*, (nam haec promiſcue accipiebant pro iuribus maieſtatis) in *Maiora*, quae ad imperium pertinebant, ac proinde eſſent incommunicabilia, e. g. ius belli, pacis; foederum; et *Minora*, quae tantum ad quaeſtum et fiſci vtilitatem comparata, ac proinde communicabilia eſſent, e. g. ius metallifodinarum, piſcandi, venandi, cet.

Rectius diuiduntur a THOMASIO in *Iuris prud. diuin. III. 6.* 142. in *immanentia* et *tranſeuntia*: illa ſummus imperans exercet erga

ciues, e. g. ius leges ferendi, iudicandi, tributa imponendi; his vtitur erga exteros, e. g. ius legatos mittendi, foederum, belli ac pacis; et hoc ordine etiam tractanda fuiſſet haec materia ab auctore.

Iam vero 1. promiſcue enumerat *iura maieſtatis praecipua* §. 2-8. 2. eadem *inſeparabiliter inter ſe connexa* eſſe demonſtrat §. 9.

Antequam vero videamus illa iura, de principio cogitandum eſt; quod facile e fine ciuitatum vel rerum publicarum eruimus: is eſt ſecuritas interna et externa, ceu ſupra demonſtrauimus; hinc principium: *Sine quibuſcumque iuribus imperantes hunc finem obtinere non poſſunt, ea omnia illis competunt*; qui enim vult finem, vult etiam media. Quemadmodum ergo ſupra ex fine ſocietatum coniugalis, paternae, herilis oſtendimus, quanta ſit parentum, maritorum, dominorum poteſtas: ita et hic quanta ſit imperantium poteſtas, ex fine imperiorum iudicandum eſt.

§. 2.

Iam ergo ad priorem capitis partem, in qua auctor praecipua iura maieſtatis recenſet: in his primum occupat locum

IVS LEGES FERENDI, id eſt, ius ſummi imperantis praeſcribendi ſubditis praecepta generalia, ad quorum normam actiones ſuas componant.

Competere vero hoc ius imperantibus, adeoque vere eſſe ius maieſtatis, et quidem praecipuum, inde demonſtratur

1. Quod in re publica vnam voluntatem eſſe oporteat, et quidem per ſubiectionem: ſi ergo ciuitates ſe ſubiecerunt voluntati imperantium, huius eſt, illam declarare, adeoque leges ferre;

2. Inter affectiones ſummi imperii eſt, quod ciues deſierint in libertate naturali viuere, non tamen vt ſerui et mancipia eſſent, ſed vt hanc ſeruitutem a ſe auerruncarent; ergo intereſt ciuium ſcire, in quantum libertas ſua vel ſalua vel reſtricta ſit; id illos leges docere debent.

Falſum itaque eſſe apparet, quod de priſcis populis narrant TACIT. *Annal. III.* 26. DION. HALIC. *X.* initio illos nullas leges habuiſſe; quo fine prouocant ad Homerum, qui nuſquam legem meminerit: nam 1. ne per momentum quidem ſubſiſtere poſſet res publica ſine legibus; et 2. ludunt terminis. Leges non habebant, quales poſtea habebant Graeci et Romani populi ſuffragiis latas, habebant tamen imperantium edicta, quibus regerentur; quid vero haec aliud quam leges? Eleganter IVSTINVS I. 1. *populus nullis legibus*

gibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant; quibus fere ſimilia ſunt, quae de Romanis memoriae prodidit POMPONIVS *L.* 2. §. 2. *D.*, *de orig. iur.*

Ceterum, quum ſupra viderimus, pactum intercedere inter imperantes et ciues, quouſque omnia vel ſuo arbitrio agere debeat, vel aliorum conſilio: facile animaduertimus, cur non in omnibus rebus publicis imperans leges priuatiue et ſolus ferat, ſed ſuffragiis populi vel ordinum, et cur lex in *L.* 1. et 2. *D. de legib.* dicatur, communis rei publicae ſponſio.

§. 3.

Proximum ius maieſtatis eſt *poteſtas poenas infligendi immorigeris.* Hoc ius 1., ex ſuperiore iure fluit; pars enim legum eſt ſanctio poenalis; 2. ipſa natura hominis id exigit, quippe quae nititur in vetitum, niſi malo quodam imminente cohibeatur. HORATIVS, *Satir. II.* 7. 73. 74.

--- --- ---, *tolle periclum*,

Et vaga proſiliet frenis natura remotis;

3. finis rei publicae eſt ſecuritas interna, quae ſine poenis non obtineretur.

Quid vero *poena*? GROTIVS definiuit, eſſe malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis.

Sed falſa eſt haec definitio: nam ea 1. etiam cadit in vindictam priuatam; quis vero eam poenam dixerit? 2. inde ſequitur, aequalem ab aequali, quin ſuperiorem ab inferioribus puniri poſſe, e. g. Regem malum a ſubditis, id quod abſurdum; addendum ergo definitioni, *poenam* eſſe malum paſſionis, quod *infligitur ob malum actionis a ſuperiore*. Hinc regula: 1. tantam debere eſſe poenam, vt homines abſterreantur a male agendo, adeoque 2. creſcentibus delictis poenas etiam creſcere. Id quod obſeruandum contra eos, qui e. g. poenam furti capitalem iniquam ſtatuunt, quia nec proportio ſit inter delictum et poenam, nec Deus hanc poenam ſanxerit.

§. 4.

Tertium ius maieſtatis eſt *poteſtas iudiciaria*; quae denuo ex ſuperioribus fluit: nam homines quum teneantur actiones ad leges

inſtituere, quaeſtio ſemper incidet, an ciuium actiones legibus ſint conformes, nec ne? id iudiciis inſtitutis definiendum eſt. Hinc VELLEIVS PATERCVLVS. *II.* 80. reges iuſtitiae fruendae cauſſa conſtitutos teſtatur, vt data legibus vi, iudiciis auctoritate, cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa rerum ſuarum poſſeſſio cuique conſtaret. Hinc imperantes Hebraeorum ante reges dicti Iudices, ceu patet ex libro *Iudicum.*

Eſt ergo *iudicium* actus ſuperioris, quo comparata lege et actione ciuium definit, quem effectum actio habere debeat. Quum vero leges ferantur vel de rebus priuatis, e. g. de meo et tuo, vel de publica ſecuritate: conſequens eſt, vt et iudicia ſint vel *priuata*; vel *publica.* In illis tantum agitur de meo et tuo, et effectus eſt reſtituere, dare, facere, vel non reſtituere, non dare, non facere; in his agitur de violata ſecuritate publica, adeoque effectus eſt poena vel abſolutio a poena.

Hinc iudicare olim praecipua fuit ſummorum imperantium occupatio, quum adhuc minora eſſent imperia; creſcentibus his, aliis quidem deleganda fuit iudiciaria poteſtas, ſed ita, vt princeps vel imperans ſibi reſeruaret ſupremam appellationem; hinc alia nata iudiciorum differentia in *primae* et *ſecundae inſtantiae iudicia*; quorum illa coram inferiore iudice, haec coram principe tractantur.

§. 5.

Proximum eſt *ius belli ac foederum*; bellum vel ideo multis viſum eſt iuri naturae repugnare; quod 1. Deus velit pacem, ergo velle non poſſit bellum; 2. quod illud cum clade ac ſtrage humani generis coniunctum ſit; 3. quod Chriſtianae caritati, patientiae, manſuetudini plane repugnet. ERASMVS in *milite Chriſtiano.*

Sed non poſſe non hoc ius maieſtatis principi competere, facile patet, 1. quia hoc requirit finis rei publicae, ſecuritas; ea in ſtatu naturali non poteſt obtineri iudiciis; ergo armis; 2. quia vbi offenſio iniuſta dari poteſt, ibi et concedendum eſt, iuſtam eſſe defenſionem; 3. quia ipſe Deus rem publicam ſuam ſanctiſſimam non carere poſſe bello vidit, ac proinde leges de bello praeſcripſit, bella geri iuſſit, bellantibus auxilio adfuit; 4. Chriſtus nihil mutauit circa politias; Ioannes Baptiſta milites admiſit ad baptiſmum; Chriſtus ipſe laudauit centurionem a fide, quemadmodum

modum et centurio ſub cruce, et Cornelius centurio Chriſto dederunt nomen, nec ideo militiae nuntium mittere iuſſi ſunt; 5. quia primi Chriſtiani, qui ſe ab omni, quod vel ſpeciem improbitatis prae ſe ferret, ſedulo abſtinuerunt, tamen militarunt, adeo, vt legiones paene totae eſſent Chriſtiani. TERTVLL. *Apologet.* et *ad nationes.*

Ad obiectiones reſpondetur. 1. Deum velle pacem abſolute; velle tamen et bellum hypothetice, ſi nempe aliter ſalutem habere non liceat, ita vult et hominum ſalutem, at damnari etiam vult impios; 2. bellum eſt omnino medium imperfectum, vt omnes res humanae, at neceſſarium tamen; quodnam eſt inſtitutum humanum ab eius modi imperfectionibus immune? ipſa ſaepe iudicia cum clade innocentum coniuncta, et quis tamen iudicia reiiceret? 3. Chriſtianae caritati, patientiae, et manſuetudini repugnat, bello iniuſto alios opprimere; ſed non, oppreſſuris aliis armis reſiſtere, quia proximus amandus tamquam nos ipſi.

Iam quum ius belli habeat princeps: ſequitur a) vt poſſit milites cogere, quod vocant *ius delectus habendi*; b) vt poſſit vrbes et loca opportuna munire, quod vocant *ius armantiae* et *praeſidii*; c) vt poſſit militibus aſſignare aeſtiua et hyberna, quod vocant *ius hoſpitandi*; d) vt habeat ius commeatum, arma, aerarium militare, et quaeuis bello neceſſaria parandi.

Ius foederum procul dubio itidem principi competit; *foedus* enim eſt pactum ſummorum imperantium vel ſocietatum liberarum de mutua ſecuritate. Hoc iuſtum eſſe nemo negauerit, 1. quia res publica conſideratur tamquam perſona; perſona poteſt pactis ſibi proſpicere, ergo et res publica; 2. quia hoc requirit ſecuritas publica, tamquam finis rerum publicarum; vires omnium ciuitatum non ſunt aequales, ſupplendum itaque, quod deeſt, per foedera, ſed de his infra ſuo loco plura.

§. 6.

Ius conſtituendi miniſtros et *magiſtratus* quintum eſt ius maieſtatis.

Magiſtratus ſunt proprie, qui ex ipſo imperantium numero negotia publica adminiſtrant, e. g. Romae Conſules, Praetores, cet. Venetiis Dux, Procuratores ſancti Marci, cet. in Monarchiis ipſe princeps ſolus magiſtratus eſt.

Miniſtri ſunt, qui illis conſilio et auxilio ſunt, e. g. Conſiliarii, Syndici, cet.

Tales

Tales eſſe oportere in re publica, facile patet; 1. quia res publica conſtat e ſocietate multorum hominum; tantam multitudinem vnus curare non poteſt, ergo alii in partes curarum venire debent; 2, quia ne amplior quidem oeconomia recte adminiſtrari poteſt, niſi ſingulis ſua officia aſſignentur; quanto minus res publica?

Ceterum in re publica opus eſt trium generum miniſtris; alii enim curant 1. negotia publica, quo pertinet collegium conſilii interioris, et qui apud exteros agunt legati; 2. adminiſtrationem iuſtitiae, quales ſunt Cancellarii; 3. reditus publicos.

Ex eo vero, quod miniſtri imperantium loco adminiſtrant, ſequitur, a) illos conſtituendos eſſe a ſummo imperante; b) ab eo dependere. Hinc res publica in re publica emergit, vbi miniſtri independentiam affectant, e. g. Maiores domus in Francorum regno; c) rationes reddere debere principi; d) ab iiſdem honoribus priuari, puniri, coërceri poſſe, ſi contra fidem, ob quam conſtituti ſunt, agant.

§. 7.

Ius vectigalia et *tributa imperandi* eſt ſextum ius maieſtatis.

Hoc denuo exigit 1. finis rei publicae, ſecuritas; ob hanc vniuerunt non modo animos, ſed et vires; ad vires etiam pertinet pecunia, neruus rerum gerendarum, pecunia ergo conferenda; 2. id et aequitas ſuadet, quod pace fruimur, quod tutus bos rura perambulat, quod ex praediis et aliis honeſtis negotiationibus lucrum facimus, id rei publicae debemus; qui vero commodum et lucrum percipit, qua aequitate onera detrectet? Sunt vero tributa variorum generum: ſi enim imponuntur perſonis, vocantur cenſus capitationis, *Kopf-Steuren*; ſin praediis et facultatibus, *Steuren, Contributionen, Schoſs-Gelder*, *Vermægen-Steuer*, *Guth - Schatzungen*; ſin negotiationibus, *Zoll*, *Geleit*, *Licent*; ſin rebus conſumtibilibus, *Acciſe*, *Tranck-Steuer*, cet.

Ne tamen nimia imperantium cupiditas ad incitas redigeret ſubditos, (veluti apud Romanos, vbi et pro aëre, vento, vmbra vectigal ſoluendum erat; CVIACIVS *Obſeru.* *X*, 7.), pleriſque locis ſibi proſpexit res publica, vt tributa non niſi conſenſu ordinum indicerentur; hinc vocata olim *Gaben*, *Beden*, cet.

Principi vero ad ſuſtinendam aulam adſignatae res fiſcales et domaniales, *Cammer - Guther*, quorum fructibus pro lubitu vtitur; hinc omnino aliud eſt 1. aerarium, quod publicis neceſſitatibus de-

ſtinatum,

ſtinatum, in quo princeps tantum habet adminiſtrationem; 2. aliud fiſcus, principis ſuſtentationi deſtinatus, in quo vſusfructus imperanti competit; alia denique 3. bona patrimonialia principis, quae tamquam priuatus habet, in quo ipſi plenum dominium competit.

§. 8.

Ius circa ſacra et doctrinas eſt ſeptimum ius maieſtatis, idque e praecipuis, de quo agendum paullo adcuratius.

Per ſacra hic non intelligimus ipſas de Deo ſententias, vel principia intellectus; nam in hunc imperanti nullum imperium eſt, partim quod cogitationis poenam in foro humano nemo patitur; *L.* 18. *D. de poen.* partim quod intellectus potentia non minus neceſſaria eſt, quam potentia videndi; neutri vero leges praeſcribi ab vllo mortalium poſſunt: itaque 1. imperans ſubditis praeſcribere nequit, quid credere debeant; 2. religionem cogere non poteſt.

Sed per *ſacra* hic intelligimus externas actiones, quae ad religionem pertinent, e. g. cultum, doctrinas in eccleſiis et ſcholis proponendas; in haec imperanti eſſe poteſtatem probamus, a) quia indigent legibus; leges vero in re publica nemo ferre poteſt praeter imperantem; de clericis dixit Seruator *Matth. XX.* 25. 26. *gentium principes regnant, inter vos vero non ſic agetur*; b) quia principi omnia incumbunt, quae ad ſecuritatem publicam pertinent; atqui vel maxime pertinet religio ob turbas, quae inde naſci poſſunt; c) quia eccleſia eſt collegium in re publica: ſi ergo independens eſſet ab imperante, res publica eſſet in re publica, quod abſurdum.

Hinc principis eſt, a) religionem tueri; b) cultui diuino intendere, vt omnia fiant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην; c) doctrinas prohibere prauas et rei publicae noxias; d) lites plus ſcandali, quam vtilitatis habituras prohibere; e) ſcholas, academias, ſeminaria inſtituere, tueri, eaſque ita temperare legibus, vt vtiles ſint eccleſiae et rei publicae; f) clero inuigilare, vt officio rite fungantur; g) perſequutiones diſſentientium in religione inhibere.

Vti enim initio eius eſt diſpicere, an diſſentientes ferre velit in re publica: ita vbi eos ſemel paſſus eſt eſſe in re publica, tueri debet, et omnem ab iis iniuriam auertere 1. ob pactum tacitum; 2. quia perſequutiones neminem ad veram religionem pertrahunt;

3. quia et diſſentientes bonos ciues agere poſſunt, ceu Batavi experiundo didicerunt. Aliud ſi diſſentientes dant turbas; tunc enim poenas merito ferunt, non quod diſſentiunt, (actus enim intellectus non ſunt obiectum legis, adeoque nec poenae obnoxii), ſed quod turbant rem publicam.

§. 9.

II. Quod connexae ſint omnes illae rei publicae partes, ita probat auctor: quae nec ſeparari poſſunt, nec diuidi, ea connexa ſunt indiſſolubili vinculo: atqui iura maieſtatis nec ſeparari poſſunt, nec diuidi; ſunt ergo indiſſolubiliter connexa. Maior eſt ipſa definitio, *connexa* enim ſunt, quae nec ſeparata, nec diuiſa ſunt; minor probatur, 1, ſeparari non poſſunt, nam vnum ſine altero conſiſtere nequit; quin vno deficiente, plane non amplius eſt imperium. Tolle ius leges ferendi, ceſſabunt poenae, iudicia, adeoque ſecuritas interna; tolle iudicia, fruſtra erunt leges et poenae; tolle ius pacis, bella erunt perpetua; tolle ius belli, ius foederum, ius tributa indicendi, ceſſabit ſecuritas externa; tolle ius circa ſacra, res publica erit in re publica, adeoque non vna voluntas.
Ex quo patet, 2. diuidi etiam non poſſe iura maieſtatis; ſi enim vnus haec, alter illa exerceret iura maieſtatis, non erit vna voluntas, ergo nec res publica.
Obiici poſſet; attamen e. g. in Imperio noſtro, in Anglia, in Polonia diuiſa eſſe iura maieſtatis inter imperantes et ſtatus? Reſp. negando; aliud enim eſt, ſi communicata ſint quaedam iura, vt communiter exerceantur, nec alter ſine altero quid poſſit; tunc enim manet vna voluntas; aliud ſi ſunt diuiſa, vt vnus hoc, alter aliud exerceat, tunc ſunt plures in re publica voluntates; id eſt, monſtrum horrendum, ingens, cui lumen ademtum.

CAPVT VIII.

DE FORMIS RERVM PVBLICARVM.

§. 1.

Delibauimus quaedam huc pertinentia ſupra; iam de iis ex inſtituto, et quidem 1. *de rebus publicis regularibus* §. 1-11. 2. *irregularibus* §. 12.

Regulares itidem ſunt vel *ſanae et rectae* §. 1-4. vel *morbidae et corruptae* §. 5-11.

Forma eſt diſpoſitio de nexu inter imperantes et ſubditos vel ciues; eaque pactis nititur, quae tunc legum fundamentalium nomine veniunt.

Nimirum ratione materiae omnes res publicae ſunt eaedem: conſtant enim ex imperantibus et ciuibus; ita ſe res vbique habet; at videmus non vbique imperantes et ciues iiſdem iuribus vti. In Gallia omnia rex agit pro lubitu; in Anglia conſenſu Parliamenti; in Polonia conſenſu ordinum in pleriſque opus eſt; id eſt, a diuerſa diſpoſitione eſſe nexum inter imperantes et ſubditos, id eſt, a diuerſa forma.

§. 2.

Forma illa rei publicae vel eſt REGVLARIS, vbi nulla eſt communicatio iurium maieſtatis, ſed ea ab vna perſona ſiue moraliter, ſiue phyſice tali exercentur, e. g. in Francia a Rege; Venetiis a Senatu; Athenis a Populo; vel IRREGVLARIS, vbi exercitium iurium maieſtatis communicatum eſt cum ciuibus vel omnibus, vel quibuſdam; e. g. in Anglia, Romae quum adhuc eſſet regnum. Itaque non putandum, contumelia affici rem publicam quae irregularis vocatur, alia enim eſt res publica irregularis, alia vitioſa. Ridiculus ergo fuit SCHARSCHMIDIVS, quod PVFENDORFFIO exprobrauit, iniuriam illum facere imperio Romano-Germanico, quod illud irregulare vocare non dubitarit; quaſi ideo iniuria fieret munimento, ſi irregulare dicatur; quaſi illud ideo non poſſit fortiſſimum et optimum eſſe.

§. 3.

Iam regularium non poſſunt niſi tres eſſe: aut enim omne imperium eſt penes vnum, aut penes plures, aut penes omnes: primo caſu oritur monarchia, altero ariſtocratia, tertio democratia.

Monarchia eſt, quando maieſtas vel imperium vni homini competit; eaque vel *ſucceſſiua* eſt, quando res publica vni cum omnibus poſteris, vel maſculis ſaltem deſcendentibus imperium detulit; vel *electitia*, quando vni tantum perſonae credidit, ita vt ius hoc cum perſona extinguatur, et tunc noua fiat electio; vocari etiam ſolet *regnum*, idque ARISTOTELI, *Politic. III.* 10. 11. eſt vel 1. HEROICVM, quando imperans vnus eſt, qui tamen omnia agit conſilio ciuium; ita vocatur, quia HOMERVS ſic fere deſcribit regna Graecorum, qui Troiam oppugnatum venerant; 2. BARBARICVM, vbi Rex non modo omnia ſuo agit arbitrio, ſed et ſubditis vtitur tamquam mancipiis; tale enim regnum Perſicum, Turcicum, et omnia Orientalia: 3. AESYMNETICVM, vbi Rex vel monarcha eligitur tantum extra ordinem, quoties res trepida maiorem auctoritatem poſtulat; huc praecipue pertinet dictatura Romanorum; 4. LACONICVM, quando Rex tempore pacis tantum eſt primarius ciuis et ſenator; tempore belli autem omnia iura maieſtatis exercet vel ſolus, vel cum ſenatu; tales olim reges Spartanorum, et patrum memoria gubernatores ſupremi Belgii foederati; 5. ΠΑΜΒΑΣΙΛΕΊΑ, regnum perfectum, vbi omnis poteſtas eſt penes regem, ita tamen, vt ciuibus, non mancipiis imperet; veluti olim Macedonicum; hodie pleraque Europae regna, quamuis ea pro diuerſitate imperantium, nunc magis ad barbarica inclinent, nunc intra παμβασιλείας fines conſiſtant.

Ariſtocratia eſt, quando plures imperant, qui in collegio conſident, et in commune conſulunt, vocanturque Senatores, Proceres, Optimates, Ordines, vti in Belgio. Ea quoque, vti recte obſeruat HERTIVS, *Polit. I*, 10, 14. vel eſt *electitia*, quando exſtinctis ſenatoribus per electionem vel cooptationem ſurrogantur alii; vti olim Romae, hodie in quibuſdam Heluetiae ciuitatibus; vel *ſucceſſiua*, quando ſenatores non eliguntur, ſed naſcuntur, et certis tantum familiis ius in ſenatu dicendi ſententiam competit, vti hodie Venetiis, Genuae, et in Germania Norimbergae, (ibi *die Geſchlechter*, *Rathsfæhige Geſchlechter*) hac praerogatiua gaudent.

Democratia eſt, vbi imperium eſt penes totum populum, in comitiis

mitiis congregatum, vnde et πολιτεια vocatur. Vt vero ſuffragia tanta multitudo ſine confuſione ferat, opus eſt diſtributione populi in certa ſyſtemata, veluti Athenis in tribus, Romae in claſſes, curias, tribus; Hamburgi in *Caſpeln* vel *Kirchſpiele*. Duae vltimae formae diuiduntur in *vrbicas*, vbi ariſtocratia vel democratia in vna tantum vrbe conſiſtit, vti Venetiis et Athenis; et *prouinciales*, vbi tota prouincia vel proceres e populo conueniunt, vt in Belgio foederato, Vraniae, Suitzae, Vnterwaldae, apud Griſones, item Valleſios, Glaronenſes, Appenzellenſes, cet.

§. 4.

De his variae naſci ſolent quaeſtiones: 1. *Quaenam ex his formis antiquiſſimae*? Reſp. a) quae vel maxime libertatem conſeruant; non enim eſt veroſimile, homines ſtatim ab vno extremo prolapſos ad alterum, ex libertate naturali in ſeruitutem; b) quae minimum artis habent; antiquiora enim ſemper, quae ſimpliciora; et natura ita comparatum eſt, vt res initio rudes ſint, et paullatim poſtea magis magiſque veluti perpoliantur. Iam et libertatis plurimum habet democratia, et eadem eſt omnium ſimpliciſſima, ergo hanc eſſe antiquiſſimam probabile eſt. Libertatis minimum habet monarchia et ariſtocratia, ergo has poſtea demum inuentas eſſe oportet; et quum denique ariſtocratia plurimum artis habet, ea neceſſario reliquis recentior eſt.

Hinc 1. Democratiae inſtitutae; 2. eae monarchice temperari coeperunt, vnde regna heroica; 3. Monarchiae paullatim ad maiorem potentiam adſpirarunt, vnde nata regna pambaſileia et barbarica; 4. in quibuſdam ciuitatibus ariſtocratice temperatae democratiae; ex iis, oppreſſo populi ſuffragio, natae ariſtocratiae; 5. Hae monarchice temperatae dederunt regna; Aeſymneticum et Laconicum.

2. Quaeri ſolet, *quae ex his ſit optima*? Haec quaeſtio plerumque vana, vti eleganter docuit THOMASIVS in *Notis ad* MELCHIORIS *ab* OSSA *Teſtamentum*. Nam

a) Boni ciuis eſt, non mutatam velle rem publicam, in qua viuit, ſed formam tueri, ornare, et veluti perſonam decore agere in theatro illo, in quo eum collocauit prouidentia diuina.

b) Omnes formae habent et ſua commoda et incommoda, e. g. *Monarchia* habet commoda; 1. quod finis alter, puta ſecuritas

externa facilius obtineatur; 2. quod conſilia et ſecretiora habeantur, et celerius capiantur exſequutionique mandentur; 3. quod virtuti et meritis maior honor habeatur; 4. quod elegantior in monarchia ſit viuendi ratio: ſed habet etiam ſua incommoda, a) periculum a malo principe; b) libertatis iacturam; c) crebras rerum omnium mutationes.

Ariſtocratia habet ſua commoda, a) conſiliorum prudentiam; b) imperium mollius, ac proinde c) ciuium opulentiam: ſed habet etiam incommoda maxima, 1. factiones; 2. conſiliorum tarditatem; 3. plebis ab omni honore excluſionem; 4. ſumtuum magnitudinem, atque hinc onera inſignia.

Democratia commoda ſua habet, nam inſigni libertatis nomine blanditur; ſed incommoda multo maxima; a) conſiliorum temeritatem, tarditatem, diuulgationem; b) factiones et ſeditiones, ſi demagogi accedant, (quales oratores Attici); c) odium non modo nobilitatis et potentiae, ſed et virtutis eminentioris; vnde oſtraciſmus Athenienſium, Epheſiorum, exſilium Hermodori, de quo diximus in *Hiſtoria iuris.*

§. 5.

Hactenus de rebus publicis ſanis et rectis; iam de morbidis et corruptis: vti enim perſona phyſica vel ſana eſt, vel aegrota, ita idem contingit rei publicae, tamquam perſonae morali.

In perſona phyſica morbus adeſſe cenſetur, a) vbi partes corporis corruptae, e. g. viſcera, ſanguis, cet. b) vbi diſpoſitio et modus earum partium turbatus, e. g. ſi ſanguinis circulatio turbata; ſi neutrum obſeruatur, ſaluus et ſanus eſt homo.

Ita et in re publica vel ciuitate modo homines, ex quibus res publica conſtat, corrupti ſunt, modo ipſa forma turbata eſt; et proinde recte auctor morbos rerum publicarum diſtinguit in vitia hominum, ſi vel imperantes, vel ciues male ſatis faciant officio; et in vitia ſtatus, quando ipſa rei publicae forma vel diſpoſitio turbata; e. g. ſub Nerone male ſe habebat res publica Romana; hoc vitium erat hominis; male etiam ſeſe habebat ſub triumuiris, Caeſare, Pompeio, et Craſſo; hoc vitium ſtatus; iam de vtriſque ſeorſim agitur.

§. 6.

§. 6.

Vitia hominum ſunt vel *ſpecialia*, *quae ſingulis rerum publicarum formis competunt*, de quibus §. 6-8. vel *generalia*, *quae omnibus formis communiter competunt*, §. 9.

Inter ſpecialia quaedam vexant monarchiam; 1. ſi imperans regnandi arte deſtituatur; difficillimum eſt imperare animali multicipi, quale eſt ciuitas. Tota ars conſiſtit in temperamento libertatis et imperii; *libertatis*, ne ciues taedium capiant imperii, et obſequium exuant; et *imperii*, ne nimia libertate ferociant.

Temperamentum hoc difficillimum; in alterutram vero partem peccare facillimum; eſt ergo ars, et tamen ea paucis imperantibus traditur.

Socrates apud Xenophontem in *Memorabilibus* eleganter quaerit, an quiſquam auſurus ſit equorum regimen profiteri, qui artem equitandi numquam didicerit?

2. Si imperans nulla rei publicae cura tangatur; tunc enim princeps nihil agendo male agere diſcit, adeoque ſaeuit in ciues, voluptatibus indulget, exhaurit aerarium, amittit ciuium amorem; docet hoc exemplum Neronis.

3. Si miniſtrorum malorum imperio ſe ipſum permittat; hi ſuae vtilitati conſulunt; opes rei publicae in ſuam deriuant arcam; quae omnia deinde ipſi principi imputantur: pertinent eo miniſtri familiares, (*les favoris*) qui Carolum I. Regem Angliae perdiderunt.

4. Crudelitas principis; ita enim animaduertunt ciues, ſe finem rei publicae, ſecuritatem internam non aſſequi, ac proinde frena mordent.

5. Temeritas, (Sebaſtiani, regis Luſitaniae vltimi); voluptas, luxuria, (Neronis): iniuſtitia (Tiberii et Domitiani), quae eo peruenerat, vt maximum crimen eſſet eorum, qui crimine vacabant, modo diuites eſſent.

§. 7.

Ariſtocratiae quam maxime exitium minantur vitia ſequentia: 1. Ambitus; quum enim prudentiores regnare oporteat; per ambitum via patet in ſenatum imprudentiſſimis. Tempore Caeſaris iam incondita turba viam ſibi in ſenatum muniuit, vt iocoſum proponeretur

edi-

edictum; ne quis nouis ſenatoribus viam in curiam oſtendere velit; Exemplum Claudii Imperatoris apud SVETON. Hinc Romae tot leges de crimine ambitus, quum in rebus publicis monarchicis hoc vix crimen habeatur.

2. Factiones; ſic enim non eſt vna voluntas, hae neceſſario euertunt rem publicam; e. g. factio Pompeii et Caeſaris, Mediceorum et Soderinorum Florentiae; altera enim alteram opprimit; vna oppreſſa pars victrix vel monarchiam, vel oligarchiam conſtituet.

3. Immodeſtia optimatium; in ariſtocratia leniter tractandus populus, vt hic aequo animo ferat optimatium imperium. Si in hanc partem peccetur, neceſſario oriuntur ſeditiones, quae non poſſunt non vel euertere, vel mutare ſtatum rei publicae. Hinc Romani aere alieno et foenebri malo preſſi a patribus ſeceſſionem faciebant in montem ſacrum, nec prius redibant, quam impetraſſent tribunos plebis; Ita actum erat de ariſtocratia.

§. 8.

Democratiam euertunt vitia: 1. Plebs imprudens, temeraria et potens tamen; Quum Athenis rei nauticae dabatur opera, plebs nautica abundabat; haec ſuffragia ferebat turbulentā, temeraria, quod exitium accelerabat vrbi pulcherrimae.

2. Odium eminentiorum virtutum, ita enim oculi effodiuntur rei publicae: exſilium Themiſtoclis, Ariſtidis, Alcibiadis, plus Athenis nocuit, quam Perſarum exercitus.

3. Legum frequens mutatio; legum debet eſſe nexus, vt vna alteram adiuuet, ergo ſemel et ſimul ſcribendae a ſapiente viro, qualis Athenis erat Solon: ſi ergo pro libidine mutantur, vacillat ſyſtema vniuerſum; Athenae numquam infeliciores, quam cum litteris implerentur porticus; et prudenter Pythagoras monuerat, coronam non vellicandam; prudenter Charondas legiſlator ſtatuerat, vt qui abrogationem legis ſuaſurus eſſet, laqueo indutus in concionem prodiret.

4. Demagogorum potentia; his enim facile obſequitur plebs aurem popularem captantibus et eloquentia fretis. Tales plerique oratores, Demoſthenes in primis. Ancilla Themiſtoclis gloriabatur, ſibi totam ciuitatem obnoxiam eſſe: aliquando concionatores his partibus funguntur, e. g. Hamburgi Krumholzius, et ſocii.

§. 9.

Generalia omnibuſque formis communia vitia ſunt; 1. Imperantes ad rem publicam adminiſtrandam inepti; imperantes ſunt, ob quos floret et perit res publica; quod nullo luculentiore exemplo probatur, quam Thebarum; quum antea numquam lacertos mouiſſet haec ciuitas, excelſe ſatis florere coepit ſub Epaminonda; eo ſublato, numquam iterum alicuius nominis et famae eſſe coepit. 2. Ciuium vitia, in primis luxus, otium, voluptas. Elegans ratio, cur Scipio Naſica Carthaginis euerſionem prudenter diſſuaſerit; vbi conf. VELLEI. PATERC. II. 1.

§. 10. 11.

Vitia ſtatus totidem ſunt, quot formae rei publicae. Vitium monarchiae eſt *Tyrannis*, quae duplex, 1. titulo talis; ſi quis praeter ius et fas imperium vſurpat in ciuitate libera, e. g. Caeſar, Cromwellus; 2. adminiſtratione; ſi iuſto titulo regnet, ſed crudeliter, e. g. Nero, Domitianus, Commodus.

Vitium Ariſtocratiae eſt *Oligarchia*, ſi excluſis reliquis optimatibus pauci rerum potiuntur; qualis triumuiratus Caeſaris, Pompeii, Craſſi, et poſtea Auguſti, Antonii, et Lepidi; inde non poteſt non vel monarchia, vel tyrannis exſiſtere.

Vitium Democratiae vocatur *Ochlocratia*; ſi loco totius populi factio quaedam, reliquis excluſis, imperat, e. g. turba nautica; inde ſeditio, ac proinde vel mutatio, vel interitus rei publicae.

Vitium ſtatus commune eſt *Anarchia*, ſi res publica nullo amplius communi vinculo connectitur; qualis ſtatus fuit in Anglia, antequam Cromwellus regnaret; nec melior fuit Germanorum ſtatus tempore interregni.

PVFENDORFFIVS equidem ſolidam hanc doctrinam non magni facit, quia ciues ea facile abuti poſſent, ſed abuſus non tollit vſum. Ceterum vitia haec eſſe nemo negauerit: *Tyrannis* titulo et *ochlocratia* conuellit fundamenta rei publicae; tyrannis adminiſtratione fini rei publicae repugnat.

In *oligarchia* non eſt vna voluntas, quia inter triumuiros, e. g. non valent plurima ſuffragia, ſed aut diuiſio territorii inſtituitur, aut omnium requiritur conſpiratio: priore caſu ex vna re publica fiunt tres; poſteriore non poſſunt non bella ciuilia naſci, adeoque ſubuerti res publica.

Attamen et quaedam ſunt vitia ſtatus generalia, et omnibus rerum publicarum formis communia, quorum vnum iam vidimus, nempe *anarchiam*; talia vero etiam ſunt, 1. vbi forma non adtemperata genio populi; e. g. pura democratia non erat conueniens genio populi Anglicani, vnde et conſiſtere non potuiſſet, niſi Cromwellus eam mutaſſet in tyrannidem; 2. vbi leges fundamentales diſponunt ciues ad turbas internas; e. g. lex fundamentalis, vt omnes promiſcue eligant imperantem; vt nihil concludi poſſit per maiora; 3. vbi eaedem odia omnium vicinorum prouocant, e. g. piratica Algirienſium, Tunetanorum, Tripolitanorum; 4. vbi non poſſunt non homines ad voluptates et otia diſponi; ſic Athenis perpetua erant feſta, ludi, epulae, de quo ipſe conqueritur XENOPH. *de Athenienſium re public.* 5. conſiliorum tarditas ob nimias ſollemnitates in conuocandis comitiis, ob libertatem contradicendi et proteſtandi vni vel alteri permiſſam; quod in Polonia videmus permiſſum.

§. 12.

Iam ad alteram partem capitis, *de rebus publicis irregularibus*, vbi communia ſunt iura maieſtatis imperanti et ordinibus, ita vt nec priuatiue ſint penes vnum, nec penes plures, nec penes omnes.

Iam quidem auctor negat earum ſpecies poſſe enumerari, quia aberrationum a rectitudine infiniti ſint modi. Sed nullum eſt dubium, quin ſaltem ad certa ſumma capita poſſint reuocari.

Nos dicimus, res publicas irregulares fieri aut per leges rei publicae fundamentales, aut per vnionem rerum publicarum plurium; poſteriores vocantur *ſyſtemata ciuitatum*, de quibus §. 13. *ſeqq.* In prioribus aut miſcentur omnes formae ſimplices, aut binae tantum.

Si omnes, ab eminentiore parte fit enumeratio, e. g. in Britannia iura maieſtatis exercent Rex, proceres, populus, adeoque mixtura eſt monarchiae, ariſtocratiae, et democratiae, attamen a parte eminentiore vocatur regnum Britanniae; tale etiam fuit regnum Romanorum.

Sin binae formae, aut miſcentur 1. Monarchia et Ariſtocratia, vt Rex ſine ſenatu, et hic ſine Rege nihil poſſit; tale olim regnum Hebraeorum, vbi Regem ſine ſynedrio nihil potuiſſe aiunt; aliquando princeps tantum ordinis et decoris cauſſa conſtituitur, qui vero nihil poteſt conſtituere, ſed omnia ſenatui permittere te-

netur,

netur, tunc manet ariſtocratia pura, e. g. Venetiis et Genuae; 2. Monarchia et Democratia; Talia olim erant omnia regna heroica; hodie eius modi res publica eſt Coſacorum, vbi eſt princeps Hetmann dictus, ſed qui nihil poteſt niſi conuocato populo, qui tunc ſuffragia fert per proiectionem pileorum; 3. Ariſtocratia et Democratia; qualis Laconum tempore pacis; nam ibi Senatus Ephororum, ſed qui in rebus maioris momenti ad comitia omnia referre tenebatur. Habebant quidem etiam Reges, ſed qui tempore pacis tantum ſenatores erant primarii, vti dux Venetorum.

§. 13.

Per vnionem plurium rerum publicarum emergunt res publicae irregulares, quae vocantur *ſyſtemata ciuitatum*, per quae intelligimus rem publicam magnam ex vnione plurium minorum conflatam; e. g. Heluetiorum res publica coaluit ex XIII. ciuitatibus, quarum ſingulae ſingularem conſtituunt rem publicam. Batauorum res publica conſtat VII. prouinciis vnitis, quarum vnaquaeque ſua libertate fruitur; ſunt ergo rerum publicarum ſyſtemata. Auctor ea diuidit in duas claſſes: alia, inquit, vniuntur per communem Regem, e. g. Hungaria, Bohemia, Germania, Sicilia, item Dania et Norwegia; alia per foedus, vti ciuitates Heluetica e et Belgicae.

§. 14.

De priore genere ait, fieri eius modi ſyſtemata 1. *per conuentionem*, e. g. ſi plura regna vnum regem eligant, vti olim Dania et Suecia, Polonia et Hungaria; 2. *per matrimonium* aut *hereditatem*; ita coaluerunt Hungaria, Bohemia, Sicilia; Scotia et Anglia; 3. *per victoriam*, ita coaluerunt Anglia et Hibernia; Ruſſia, Caſanum et Aſtracania.

Sed minus adcurata eſt haec auctoris philoſophia; non enim quadrant hae ſpecies definitioni; nam his caſibus omnibus aut manent plura regna, ita vt alterum cum altero nihil commune habeat, e. g. Hungaria, Bohemia, Sicilia, tunc non eſt vna res publica, ergo nec ſyſtema; aut vnum regnum alteri ita ſubiectum eſt, vt per omnia leges ab eo accipiat, e. g. Norwegia Daniae, tunc itidem non eſt ſyſtema, ſed regnum ſubiectum; aut denique plura regna commune habent conſilium, commune regimen; tunc eſt ſyſtema, e. g. Anglia et Scotia a temporibus Annae reginae.

§. 15.

Alterum ſyſtematis genus per *commune foedus* coaleſcit, et Achaicae quoque rei publicae nomine venit, quia Graecae ciuitates olim tale ſyſtema conſtituerunt.

Hic 1. ſingulae res publicae ſpeciales omnia iura immanentia exercent, e. g. ius leges ferendi, iudicandi, poenarum, tributorum, cet. 2. iura maieſtatis tranſeuntia exercent communiter, e. g. belli, pacis, foederum, legatorum.

Hinc opus eſt 1. Senatu delegatorum vel perpetuo vel ſtatis temporibus conueniente; talis in Heluetia *die Tage-Satzungen der Herren Geſandten*; in Belgio foederato *die General-Staaten*; 2. valere debent plura ſuffragia, quae tamen non ſemper aequaliter ſunt diſtributa inter foederatos; e. g. in Belgio prouinciae, quae plus conferunt, etiam plura habent ſuffragia, e. g. Hollandia, Friſia, Zeelandia; 3. commune debent habere aerarium, communem apparatum, e. g. commeatus, tormentorum, claſſium; quamuis, vbi maior bellorum externorum metus, id non obſeruetur, veluti in Heluetia.

Quaeſtio eſt, *an foederati excedere ex hoc ſyſtemate poſſint?* Reſp. aut foedus in perpetuum coaluit, et tunc quaeſtio negatur; aut ad tempus vel cum facultate diſcedendi, tunc quaeſtio affirmatur. Obiiciunt, ſocietatem eſſe matrem diſcordiarum, ac proinde ſemper liberum eſſe ex illa excedere? Reſp. hoc ex iure ciuili eſſe; ius naturae dicit, pacta eſſe ſeruanda, adeoque et in perpetuum inita. Deinde quaeritur, *ſi inter ipſos foederatos lis oriatur, quis tunc iudex ſit?* Reſp. totum ſyſtema, quod in Belgio expreſſum eſt in foedere. Idem olim in Graecia obſeruatum, vbi ideo conſtitutus erat Amphictionum Senatus; vid. Boecleri *Diſſ. de Concilio Amphictionico.* At vbi facile in factiones abit ſyſtema, e. g. in Heluetia ob diuerſitatem religionum, ibi plerumque armis deciduntur hae controuerſiae: cuius rei exemplum noſtra aetas vidit in bello Tigurinorum et Bernatenſium cum ciuitatibus Catholicis ob turbas Toggenburgenſes.

CAPVT

CAPVT VIIII.

DE ADFECTIONIBVS IMPERII CIVILIS.

§. 1.

PER *adfectiones* intelligimus attributa ſummo imperio competentia; vti enim nulla eſt perſona, quae non inſignia quaedam iura habeat, ita idem verum eſt de perſona morali, qualis eſt imperium vel res publica.

Adfectiones illae vel ſunt *communes*, §. 1-4. vel *propriae* quibuſdam, §. 5. *ad finem.*

Communes ſunt 1. *ſummitas*, §. 1. 2. 2. *immunitas a legibus ciuilibus*, §. 3. 3. *ſanctimonia*, §. 4.

Summitas, quae et ſupremitas (*la Souveraineté*) eſt iſta adfectio imperii, quae neminem agnoſcit ſuperiorem. Adfectionem illam neceſſario adeſſe oportet, quia oppoſita ſunt imperium et ſubiectio, adeoque ſe mutuo tollunt; vbi imperium eſt, ceſſare oportet ſubiectionem, vbi ſubiectio eſt, ceſſare imperium.

Sunt equidem res publicae clientelares, quae alium populum tamquam patronum comiter venerari coguntur, quales res publicae Tartarorum, Raguſina, Coſacorum, et reges Indici ſub Belgis in inſulis Ceylon et reliquis; ſunt res publicae tributariae, quae potentiori populo ad annuum vectigal tenentur, e. g. Moldaui, Wallachi, et Arabes; ſunt res publicae feudales, quae extraneo principi vel populo certo nexu feudali obſtringuntur, veluti regnum Neapolitanum.

Sed vti duo priora proprie non ſunt imperia, ſi ſuperiorem agnoſcunt, ita nexus feudalis non ſemper inuoluit ſubiectionem. Feudi enim eſſentiale eſt fides, adeoque dominus et vaſallus conſiderantur tamquam foederati inaequales, non tamquam ſuperior et ſubditus. Hinc ſaepe contingit, vt ſuperiores et potentiores feuda ab inferioribus recognoſcant; e. g. Rex Daniae terrae quemdam tractum recognoſcit tamquam feudum Brunſwicenſe; Rex Boruſſiae quaedam ab Abbatiſſis Quedlimburgenſi et Gandersheimenſi; ergo ſummitas cum nexu feudali probe conſiſtere poteſt; nam quidquid imperium non impedit in exercitio iurium maieſtatis, id non

impedit ſummitatem imperii, nexus feudalis imperium non ſemper impedit in exercitio iurium maieſtatis, ergo non impedit ſemper maieſtatem imperii.

Quaeritur, *qui regna facta ſint feudalia*? poteſt id quidem factum eſſe per victorias et pacta; ſed plerumque ex donatione, vnde feuda inprimis oblata eccleſiis et epiſcopis. Vid. HERT. et THOMAS. *de feudis oblatis*.

§. 2.

Inde ſequitur altera adfectio, vt imperium ſit ἀνυπεύθυνον, id eſt, vt nemini ad reddendas geſtorum ſuorum rationes teneatur. Hoc fluit ex adfectione prima; rationes reddendae ſunt ſuperiori, imperium non agnoſcit ſuperiorem, ergo imperium non tenetur reddere rationes.

Et tamen videmus 1. rationes exigere alias res publicas, ſi vna quid egit contra ius et aequum; videmus etiam 2. res publicas ipſas rationes reddere actorum ſuorum per manifeſta publice edita. Vid. BOECLERVS *de clarigatione et manifeſtis*.

Sed 1. diſtingue inter actus immanentes et tranſeuntes; 2. inter actus indifferentes et pactis definitos; 3. inter rationes, quas ſponte reddunt, ad improbitatis ſuſpicionem amoliendam, et ad quas reddendas obſtricti ſunt et cogi poſſunt.

Rationes nemo exigere poteſt actuum indifferentium, et immanentium: at poſſunt ii, quorum intereſt, exigere rationes actuum tranſeuntium et pactis definitorum; e. g. ſi quis foedera pacemque violet, rationes exigere ſolent ſponſores pacis; quin et horum reliquorumque actuum rationes ſponte reddere ſolent imperantes, ne exiſtimationis adeant periculum.

§. 3

Praeterea legibus ſuperius eſt imperium ciuile, puta legibus ciuilibus humanis; nam 1. leges ſupponunt ſuperioritatem et ſubiectionem; imperium vero nec ſuperiorem habet, nec alteri ſubiectum eſt; 2. ipſum imperium fert leges, itaque non ſe his legibus obſtringit, ſed ciues; quin 3. poſito, legibus obligari imperantes, iidem etiam diſpenſare poterunt circa leges, adeoque impune eaſdem violare.

Hinc quaeritur, quid ſentiendum de quaeſtione, *an Princeps ſit ſolutus legibus?* Reſp. negando: quia *ſolui* praeſupponit obligatio-

nem;

nem; Princeps vero, quum obligatus non ſit legibus, nec iiſdem ſolui poteſt. Romani ita loquebantur, quia Imperatores initio fingebant, ſe non affectare monarchiam, ſed tantum primarios ciues et principes ſenatus eſſe. Itaque impetrabant a Senatu, vt legibus ſoluerentur; huius modi vero ſimulacris libertatis non indigent veri principes; itaque non de iis dicendum, quod legibus ſoluti ſint, ſed quod immunes ſint a legibus.

Alia quaeſtio eſt, *an prudenter agant principes, ſi legum a ſe latarum obſequium exuant?* quod merito negandum; nam 1. legibus eo ipſo magna conciliatur auctoritas, ſi ipſe princeps illis viuat; 2. ſubditis hoc exemplo et incitamento eſt; 3. ſaepe violatio legum ciuilium poſſet dubium relinquere, an actus ſit validus; e. g. ſi Princeps ſine ſollemnitatibus omnibus duxerit vxorem, an verum ſit matrimonium, an non potius concubinatus, an liberi legitimi?

§. 4.

Sed et *ſanctimonia* attribuitur imperio; per eam vero non intelligimus ſanctitatem, de qua theologi; qualem e. g. tribuimus Deo, angelis, ſacris actionibus, ſed ſanctum eſt inuiolabile, adeoque imperia et imperantes eodem ſenſu ſunt ſacroſancti, quo olim tribuni plebis, hodienum legati, id eſt, ſanctione poenali muniti.

Sanctimonia illa eſt ex pacto primaeuo inter ciues et imperantes; voluntates enim ſuas ſubiecerunt voluntati imperantis, ergo ad obſequium ſeſe obligarunt. Huic vero obſequio quam maxime repugnat, ſi quis imperanti reſiſtere, facta ſua laedere, quin plane ſupplicio capitis eum adficere auderet, id quod auſi aliquando ſunt Angli.

Hinc ſequitur, 1. vt omne bellum ciuile ſit iniuſtum et rectae rationi aduerſum; 2. vt idem dicendum ſit de tumultibus et ſeditionibus; 3. vt imperantes etiam peccantes patienter ferendi ſint, niſi plane induerint hoſtilem animum, adeoque in tyrannos degenerarint; tunc enim ipſi imperantes pacta rumpunt, adeoque nec ſubditos amplius habent obligatos.

Media haec ſententia eſt inter Monarchomachorum et Machiauelliſtarum doctrinam: 1. Hi principem etiam tyrannum non peccare, ſubditiſque et ſic gloriam in obſequio eſſe relictam ſtatuunt; 2. Illi populum principe putant ſuperiorem, et maieſtate reali, (quum principis maieſtas tantum perſonalis ſit), gaudere exiſti-

mant.

mant. Hinc colligunt, Principem poſſe a ſubditis ſupplicio adfici, et ea maxime ratione vtuntur: Qui cui imperium defert, is eſt ſuperior; populus principi imperium detulit, populus ergo principe eſt ſuperior. Sed egregium ſophiſma; eodem modo colligere poſſum: Qui domino poteſtatem dominicam detulit, is eſt dominus et ſuperior: ſeruus, qui ſe ſponte addixit, hero detulit poteſtatem dominicam in ſe, ergo eſt heri dominus, eoque ſuperior. Diſtingue populum in ſtatu naturali et ciuili: in illo non quidem ſuperior quiſquam eſt, ſed omnes aequales; poſteaquam vero in ciuitates receſſerunt homines, omnes voluntates ſuas ſubmiſerunt voluntati imperantis, adeoque facti ſunt inferiores. Hinc inuertimus potius argumentum: Qui alteri detulit imperium, is voluntatem illius voluntati ſubmiſit, adeoque factus eſt ſubditus: atqui populus, cet. ergo, cet. Regnat haec monarchomachornm doctrina in Francisci Hotomani *Franco-Gallia*, Althvsii *Politica*, Steph. Ivnii Brvti *Vindiciis aduerſus tyrannos*, Miltoni *Vindiciis populi Anglicani*, Schel. *de iure imperii.*

§. 5.

Hactenus de adfectionibus communibus: ſequuntur iam quibuſdam rebns publicis propriae; quae quibuſdam tantum propriae ſunt, eae inculcari aliter non poſſunt, quam per diuiſiones vel diſtinctiones. Tales ſunt, quod *imperia* 1. quaedam *abſoluta*, quaedam *limitata*, §. 5, 6. 2. quaedam *patrimonialia*, quaedam *vſufructuaria*, §. 7.

1. *Abſoluta* vocamus, vbi exercitium iurium maieſtatis a nemine alio, quam imperantibus dependet; id eſt, vbi iura maieſtatis nec omnia, nec quaedam cum populo vel ordinibus communicata, e. g. in Gallia, Venetiis, in Ruſſia. Itaque non confundenda 1. cum licentia; ſi princeps, quidquid libet, licere ſibi putat; de his recte Seneca: *ex magno imperio non niſi ſibi magnam licentiam retinent*; nec 2. cum imperio herili vel deſpotico, quando imperans ciuibus tamquam mancipiis vtitur, per eos omnia adquirit, et in vitam, famam, bona eorum imperium ſine reſtrictione exercet.

Differentia ſatis manifeſta eſt; abſolutum enim imperium rectum, ſanum, et legitimum eſſe poteſt; reliqua fini rerum publicarum repugnant, ac proinde vitioſa ac morbida ſunt.

§. 6.

Iam facile patet, quid nobis ſit 2. imperium *limitatum*? vbi nempe ita communicata ſunt iura maieſtatis, vt eorum exercitium non abſolute et priuatiue ab imperante dependeat, ſed ille teneatur populum vel ordines in conſilium adhibere.

Dico: iurium maieſtatis exercitium eſſe limitatum; nam poſſunt alia eſſe limitata, vt tamen maneat imperium abſolutum; e. g. in Gallia, Rex omnia iura maieſtatis liberrime exercet, et tamen limitata eſt ſucceſſio, vt regnum capeſſere nequeat femina; limitata eſt alienatio partium regni, vt. Rex ſemper minorennis habeatur, et nihil alienare de regno poſſit, et tamen imperium abſolutiſſimum eſt.

Limitatio illa fit per pacta inter imperantes et ciues inita, quae improprie vocantur leges fundamentales; ſic e. g. leges fundamentales in imperio Rom. Germanico ſunt *Aurea Bulla*, *capitulatio*, *pax Weſtphalica*, et ea tamen mera pacta ſunt. Vnde abſurda eſt ſententia Hobbesii, negantis exiſtentiam regnorum limitatorum, eaque iniuſta habentis: quaſi vero iniuſta ſint quae pactis definita.

§. 7.

Supereſt altera diuiſio imperii in *patrimoniale* et *vſufructuarium*. Auctor huius diuiſionis eſt Grotius, quem deinde alii ſequuti ſunt.

Patrimoniale eſt, quod ita in imperantium eſt poteſtate, vt illud alienare, diuidere, teſtamento relinquere pro lubitu poſſint. Sic ex teſtamento Romani adquiſiuerunt regnum Aſiae; Notum quoque eſt, Ruſſiae monarcham ita pro lubitu diſpoſuiſſe de imperio Ruſſico, vt ne primogenito quidem praerogatiuam reliquerit.

Vſufructuarium eſt, quod princeps alienare nequit, quamuis alioquin liberrime imperet; e. g. Gallia, vbi Rex ne partem quidem regni, nedum totum alienare poteſt. Ita et in Anglia de ſucceſſione non diſponit vltimus poſſeſſor, ſed populus in comitiis.

Res quidem vera eſt, vſus quoque huius diſtinctionis egregius; quemadmodum vidimus in controuerſia de ſucceſſione Hiſpanica, rem omnem rediiſſe ad hanc diſtinctionem, diſceptatumque eſſe inter Auſtriacos et Burbonios, ſitne Hiſpania regnum patrimoniale, an vſufructuarium.

At iam pridem obſeruatum eſt, periculo non carere hanc diuiſionem ob ſola verba, quibus Grotius vſus eſt; ſi enim in re-

 gnis

gnis vſufructuariis imperans vſumfructum tantum habet; non male ſane colligunt Monarchomachi, proprietatem eſſe penes populum, adeoque populo plus iuris in imperio, quam imperanti eſſe. Quin ſi longius progredi velis, vlterius argumentari poſſes; In imperio uſufructuario ſucceſſionem non poſſe eſſe hereditariam, quia vſus fructus ad heredes non transeat.

Iam reſpondent quidem, ſimile vltra ſuum tertium non eſſe extendendum, nec per omnia eius modi regem aequiparandum eſſe vſufructuario, ſed in hoc tantum, quod alienare regnum non poſſit: ſed eo ipſo fatentur, incommoda eſſe vocabula. Quid vero opus eſt vocabulis incommodioribus et abuſui obnoxiis, quum dentur commodiora? Dicas potius, *regna* eſſe vel *alienabilia*, vel *inalienabilia*, itemque illa ſemper eſſe *ſucceſſiua*; haec vel *electitia*, vel *ſucceſſiua* eſſe poſſe.

Iam ſi quaeras, *quaenam regna ſint patrimonialia, quaenam vſufructuaria, vel rectius alienabilia vel inalienabilia?* Reſp. Patrimonialia ſunt 1. omnia bello adquiſita, niſi ſubſequuta pace aliud placuerit, e. g. regnum Turcicum, Siculum, Neapolitanum; 2. omnia, quae ea lege a populo data ſunt, vt imperantes de iis libere diſponant; ſic Ruſſi, exſtincta vetere imperantium familia hodiernae Imperatricis proauum elegere Imperatorem, et ea quidem lege, vt imperium eo iure haberet ac anteceſſores. Quum ergo anteceſſores illud haberent tamquam alienabile, ipſi quoque ſucceſſores ex noua familia ius alienandi ſibi vindicarunt.

Vſufructuaria ſunt omnia reliqua; et de electitiis indiſtincte dici poteſt, ea eſſe vſufructuaria.

CAPVT

CAPVT X.

DE MODIS ADQVIRENDI IMPERIVM, INPRIMIS MONARCHICVM.

§. 1.

OMne imperium adquiri pacto inter imperantes et ciues inito; iam ſupra vidimus: omne pactum requirit *conſenſum*; ergo omne imperium requirit conſenſum; ſic imperat Rex Suecis, quia Sueci conſenſerunt in eius imperium; Sultanus Graecis, quia Graeci conſenſerunt in eius imperium. Mallent quidem non ſubeſſe, ſed quum videant, id fieri non poſſe, conſentiunt, quod inde patet, quia non rebellant.

Ex eo patet; *conſenſum* illum eſſe vel *vltroneum*, vel *vi extortum*, vel *mixtum*, quod poſtremum recte adiicit TITIVS.

Vltroneus, quando ſine coactione et vi populus alicui defert imperium, e. g. Georgio Regi Britanniae, Friderico Regi Sueciae.

Vi extortus, quando accedit vis et coactio, ſiue iuſta, vti occupauit Imperator Neapolim et Siciliam, quod ex titulo iudicandum; ſiue iniuſta, vti occupauit Turca imperium Conſtantinopolitanum, qui nullum habuit iuſtum titulum.

Mixtus, quando prius imperium vi mutatur, poſterius vltroneo conſenſu conſtituitur; e. g. Iacobi II. Regis Angliae imperium vi euerſum, Guilielmi Arauſionenſis vltro admiſſum. Ea vero diſtinctio non modo locum habet in Monarchia, ſed et in ariſtocratia, vel democratia. Sic ariſtocratia adquiritur *vltroneo conſenſu*, ſi optimates eligantur, iiſque deferatur imperium; *violento*, ſi optimates veteres expellant re publica, et ſibi vi vindicent imperium; *mixto*, ſi populus optimates expellat, nouoſque electione conſtituat.

Democratia adquiritur *conſenſu vltroneo*. ſi monarcha vltimus pereat, vel reſignet imperium, e. g. Codrus rex Athenienſium; *violento*, ſi populus expulſis optimatibus, vel Monarcha imperium ſibi vindicet, e. g. Syracuſae; *mixto*, ſi primum vi expellatur Monarcha vel optimates, et deinde tranſactione populo reſignetur imperium.

Mixti auctor nullam habet rationem, adeoque agit *de modis adquirendi regnum per conſenſum vi extortum*, §. 2. *per conſenſum vltroneum*, §. 3. *ad fin.*

§. 2.

Modus violentus vocatur *occupatio*, quae ab ea, quam ſupra *libr. I. cap.* 12. §. 6. expendimus, plane diuerſa eſt; nam illa eſt rerum nullius, haec imperii, quod iam imperantem habet; illa fit ſine vi, haec cum violentia.

Eſt itaque *occupatio* imperii per vim ſiue iuſtam ſiue iniuſtam adquiſitio; adeoque eſt vel *iuſta*, quando occupationem bellicam praecedit iuſtus titulus, e. g. occupatio Siciliae et Neapolis; vel *iniuſta*, quando quis nullo praeuio iuſto titulo imperia opprimit et ſubiugat, quo nomine Scytharum legatus apud CVRTIVM Alexandrum M. latronem totius orbis adpellitat.

Quaeritur de poſteriore, (de priore enim nulla dubitatio eſt), *an quis imperium ſtatim adquirat, ſimulac illud eius armis ceſſit?* Negamus: nam 1. ſola vis, quamuis ei fortuna faueat, non tribuit iuſtum titulum; 2. infauſtus belli exitus neminis ius exſtinguere poteſt; 3. quum ſemper victo idem ius ſit expellendi victorem, quod hic ſibi arrogauit; non poteſt dici, victorem firmo et indubitato iure habere imperium. Potius argumentamur: In quacumque re alteri ius eſt, illud victor pleno iure non adquiſiuit: in imperio occupato alteri ius eſt; ergo illud victor pleno iure non adquiſiuit.

Itaque in Monarchia et Ariſtocratia victori, qui imperium iniuſto titulo occupauit, ius naſci poteſt: 1. imperantibus, quibus ius erat, exſtinctis, e. g. Turca iniuſte oppreſſit Conſtantinopolitanum imperium; ei demum ius natum, quum Conſtantinus Palaeologus et reliqui ex imperatrice familia bello vel fato perierant; vbi enim nemini ius vindicandi eſt, ibi poſſeſſor rem adquirit; 2. pace facta et victis iuri ſuo renuntiantibus: ita e. g. iam iuſto titulo Ruſſi poſſident Liuoniam, Ingriam, et Finnoniae partem, quia Sueci renuntiarunt iuri ſuo.

In Democratia contra vnus modus eſt; conſenſus populi, vel expreſſus, quando populus pacem facit, vel tacitus, quando in victoris imperio adquieſcit; ita priore modo Lacedaemonii imperium in Athenienſes, poſteriore Philippus et Alexander M. in pleraſque minores Graeciae res publicas adquiſiuerunt.

§. 3.

§. 3.

Modus vltroneo conſenſu populi adquirendi imperium vocatur *electio*, per quam intelligimus conſtitutionem voluntariam imperantis ab ipſo imperio factam. Hic nulla vis eſt, quia et penes populum eſt liberrimum arbitrium, quem velit eligere, et penes electum, velitne ſibi delatum imperium ſuſcipere.

Ea electio eſt duplex: eligitur enim 1. vel perſona regnatrix, tunc regnum eſt electiuum, et toties noua electione opus eſt, quoties imperans deficit, §. 3. 4. 2. Vel familia regnatrix, tunc regnum eſt ſucceſſiuum, et non inſtituitur noua electio, quamdiu quis ſupereſt ex illa familia, §. 5. *ſeqq.*

Electio primi generis requirit, 1. vt eligentes ſint habiles, iiſue ius ſit eligendi; tales in Polonia ſunt totus populus, quamuis nobiles tantum eo nomine veniant; in Germania Electores; hinc ſi in Polonia factio, in Germania reliqui principes imperantem eligerent, illegitima foret haec electio; 2. vt plura ſuffragia tulerit candidatus; ſi enim duo electi ſint vel paribus ſuffragiis, vel a duabus factionibus, nihil eſſet actum, idque vocatur ſchiſma vel diuiſio regni. Tunc armis plerumque res geritur, quum neuter ſit iuſtus imperans; talis ſtatus in Germania fuit ſimul electo Philippo Sueuo et Ottone IIII. 3. vt verum ſit interregnum; hinc iniuſta electio viuo adhuc principe eum in finem facta, vt ei ius quaeſitum auferatur iniuſte; talis electio Rudolphi Sueui et Hermanni Lutzelburg. viuo Henrico IIII; Friderici II. viuo Ottone IIII; Caroli IIII. viuo Ludouico Bauaro; 4. vt electus denunciatam ſibi electionem acceptet; haec ſi concurrant, ex electione ius naſcitur, quod auferri deinde non poteſt, niſi imperans contra conuentiones dolo malo egerit.

§. 4.

Electionem praecedit *interregnum*, quod eſt ſtatus, quo imperium ſine ordinario imperante eſt; dico: *ordinario*, quod enim vulgo dicunt: *ſine legitimo imperante*, id abſonum, 1. quia ſic anarchia eſſet, adeoque nulla res publica, 2. quia tempore interregni vere eſt imperans, ſed extraordinarius, e. g. in Germania Vicarii imperii; in Polonia Primas regni, Romae Interreges.

Ergo fruſtra auctor quaerit, qualis ſit tempore interregni ſtatus rei publicae? fruſtra putat, rem publicam ad imperfectum ſtatum

relabi; fruſtra denique primum tantum pactum inter ciues supereſſe contendit; ſed ſtatus eſt aeque perfectus, ac tempore regni. In eo tantum eſt differentia, quod qui rei publicae praeſunt, ſunt magiſtratus vel imperantes extraordinarii.

Ceterum *interregnum* eſt vel *ſpeciale* ſeu *ordinarium*, quod in regnis electiuis contingit, quoties legitimus imperans deficit, quale eſt in Germania, Polonia; vel *generale* ſeu *extraordinarium*, quod contingit in regnis ſucceſſiuis, quoties familia regnatrix exſtinguitur, et de futura ſucceſſione nihil conſtitutum eſt euentualiter. Tale quid contigit in Gallia exſtincta familia Carolingica; in Ruſſia exſtincta familia Io. Baſilowitz.

Sed poſterioris generis interregna raro contingunt, 1. quia plerumque in antecesſum de rege futuro deliberatur, et certi quid conſtituitur, quod in Anglia factum; 2. quia plerumque ſuperſunt cognati proximi, qui ſibi imperium iure ſucceſſionis vindicant, armiſque rem decidere laborant. Exemplum vidit Luſitania, mortuo Sebaſtiano Rege; 3. quia hic ſtatus eſt miſerrimus ob incertitudinem, qui interrex futurus ſit; quis eligendus, vt praetermittamus factiones, procerum fraudes, candidatorum ambitum, cet.

§. 5.

Hactenus de vltroneo conſenſu, qui ſe exſerit in electione: ſequitur de conſenſu in ſucceſſionem.

Regnum aliquod eſſe ſucceſſiuum, non adeo conuenit principiis rationis; 1. regnum enim ac magiſtratus ſunt officia perſonalia, adeoque non tranſeunt in heredes; 2. eligitur perſonae induſtria, fortitudo, prudentia, quae non erunt ſemper in heredibus.

Quandoque tamen animaduerterunt homines, quam periculoſa ſit electio, quantiſque cum turbis coniuncta, maluerunt pro perſona eligere totam familiam regnatricem, ac inde nata ſunt regna ſucceſſiua.

Hinc factum, vt Reges veteres nomen primi regis adquirentis pro nomine regis vſurparent, et hinc Reges apud Aegyptios dicerentur Pharaones, apud Parthos Arſacidae, apud Edeſſenos Abgari, cet.

Eſt ergo *regnum ſucceſſiuum*, vbi non perſona, ſed tota familia ad imperium euehitur, ita vt, quamdiu illa ſupereſt, nouae electioni non ſit locus. *Ariſtocratia ſucceſſiua*, in qua certae familiae ad imperium euehuntur, et extra illas nemo ad conſilium publicum admittitur,

titur, vti Venetiis. *Democratia ſucceſſiua*, in qua ſoli ciues originarii comitiis intereſſe poſſunt, adſcititii plane excluduntur. Illa ſucceſſio vero dependet vel 1. *ab arbitrio* ipſius *imperantis*, §. 5. 6. 7. vel 2. *ab arbitrio populi*; §. 8. *ſeqq.*

§. 6.

Ab arbitrio ſolius imperantis pendet in regnis patrimonialibus: quum enim haec regna, Rex poſſit pro lubitu alienare, (*cap.* 9. §. *vlt.*) poterit etiam de iis inter viuos et mortis cauſſa diſponere.

Hinc 1. poteſt condere teſtamentum, et heredem regem ſcribere, quemcumque placet; id quod factum nouimus nuper a Petro, Ruſſiae Imperatore; quumque ita, qui teſtatur, ſit ſummus imperans, is vero legibus ciuilibus non teneatur, (*cap.* 9. §. 3.): ſequitur, quod eius modi teſtamentum nullis indigeat ſollemnitatibus, ſed ſufficiat, ſi de voluntate conſtet teſtatoris.

Plerumque tamen aut teſtes quidam adhibentur, aut ordinum ſubſcriptio vel iuſiurandum, ne deinde miniſtri in ſuſpicionem veniant, eorum artibus huius modi teſtamenta elicita eſſe.

2. Poteſt regnum diuidere inter plures liberos, quod olim feciſſe nouimus Maſiniſſam, Numidarum Regem; (vid. SALLVST. *de bello Iugurth.*) Ludouicum Pium imperatorem, Ludouicum Germanicum Regem, Arnulphum Imperatorem.

3. Poteſt et filiam in partem vocare, cuius tamen exempla ſunt rariſſima, ſi filii ſuperfuerunt; Ita in Aegypto Cleopatra cum fratre Ptolemaeo regnare iuſſa eſt.

4. Poteſt et ſucceſſorem adoptare, veluti factum ab Auguſto, Claudio, Nerua, Traiano, Hadriano, Antonino Pio.

5. Poteſt et naturali filio regnum deferre, quod Maſiniſſa fecit, Iugurtham in partem vocans.

6. Poteſt et extraneum regem nominare, veluti Petrus I. Imperator viduam.

Immo vni ex pluribus filiis regnum aſſignare, etiam non primogenito, ſicuti Dauid Rex regem e filiis deſignauit Salomonem, quum ille non eſſet primogenitus.

§. 7.

Quid vero ſi eius modi Rex nihil diſpoſuit? Tunc procul dubio ſeruantur regulae maxime naturales ſucceſſionis ab inteſtato, ita

ita tamen vt quaedam praeſumantur, quae in priuatis non veniunt in cenſum.

Quum enim tota ſucceſſio ab inteſtato nitatur praeſumta voluntate defuncti, vti ſupra demonſtratum *libr. I. cap.* 12. §. 10. etiam hic reſpiciendum ad praeſumtam Regis voluntatem; velle autem praeſumitur Rex, vt ea forma ſeruetur, quam ipſe in ſe probauit.

Hinc 1. non in ariſtocratiam vel democratiam mutandum regnum; monarchicam enim formam ille in ſe probauit.

2. Itaque conſeruandam potius formam monarchicam; adeoque

3. Regnum maneat indiuiſum. Diuiſio enim a) ex regno facit regna, b) vires diſſipat, c) occaſionem dat bellis ciuilibus, quod ſatis experta eſt familia Ludouici Pii.

4. Itaque inter plures, maſculos praeferendos feminis; fini enim rei publicae obtinendo (obtineri enim ſine bellis non poteſt), magis maſculus, quam femina ſufficit naturaliter.

5. Inter ipſos maſculos et feminas obtinere ius primogeniturae; hinc eſt, quod optimi ſcriptores ius primogeniturae iuris gentium eſſe dicunt.

§. 8.

In regnis vſufructuariis vel inalienabilibus ſucceſſio pendet a voluntate populi; hic vero vel imperanti dat arbitrium, ſucceſſorem ſibi ſurrogandi, id quod Suecos feciſſe nouimus, cum Chriſtinae reginae optionem darent ſucceſſorem nominandi; Simile quid factum in Elizabetha regina Angliae; vel ipſe ſibi id ius reſeruat; is, quem regem dicit, rex erit, vt in Francia populus regem dixit Hugonem Capetum; eiuſdem populi tunc eſt, ordinem ſuccedendi praeſcribere; et tunc vel ordinarias leges ſucceſſionis ab inteſtato ſeruat §. 9. vel peculiarem inſtituit §. 10. *ſeqq.*

§. 9.

Quis ſit ordinarius modus ſuccedendi, ſupra oſtendimus *libr. I. cap.* 12. §. 10. amorem nimirum regulariter deſcendere, ſi deſcendere non poſſit, aſcendere; (vti iam exemplum habemus in Hiſpania, vbi Philippus V. Ludouico filio ſucceſſit), ſi nec aſcendere poſſit, in latus diuergere.

At quum tamen ſingularem finem habeant imperia, ſucceſſio haec temperanda quodam modo fuit, ita vt 1. regnum maneat indiuiduum; alias enim finis, defenſio, non obtineretur, viribus per diuiſio-

diuiſionem diminutis; Diuiſio etiam diſcordiarum mater. Ivstin. XXI. 1. Exempla tamen ſunt communionis inter fratres, veluti in Ruſſia.

2. Vt ſuccedant tantum poſteri primi adquirentis; aliis enim agnatis et cognatis nullum ius quaeſitum eſt; ſic e. g. quamuis proximi agnati Regis Angliae ſint Duces Brunſuicenſes Guelpherbytani; his tamen nullum ius ſuccedendi eſt Angliae.

3. Vt legitime nati ſuccedant, quod et decus exigit, et certitudo prolis. Hinc mos eſt aulicus, reginas parere adhibitis e conſilio publico vel ex ordinibus teſtibus; ſingulare exemplum Conſtantiae, matris Friderici II. Imperatoris, quae filium publice peperit, quia quinquagenaria erat, et populus ſuſpicabatur eam ſe grauidam ſimulare; Pandvlph. Collenvt. *Rer. Neapol. Lib. IIII.*

4. Vt mares praeferantur feminis, et hae vel plane excludantur, vel in ſubſidium tantum admittantur; id enim finis exigere videtur. Aliae praerogatiuae non conſiderantur, modo primogenitus non plane ineptus ſit, e. g. furioſus. De Perſis tamen refert Procopivs, *de bello Perſic. I.* 2. luſcum aut alio quodam vitio notatum nefas eſſe Perſis Regem creare.

5. Vt locus ſit iuri primogeniturae.


6. Vt ſucceſſor id ius adgnoſcat tamquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris; vnde eius modi Rex ſucceſſor ſingularis, qui non tenetur praeſtare facta anteceſſoris, et aes alienum regis vltimi priuatum ſoluere.

§. 10.


Iam et de peculiari ſuccedendi ratione in regnis quibuſdam recepta. *Succeſſio* illa diuiditur in lINEALEM et GRADVALEM.

Linealis eſt, quando, quamdiu quis ex vna linea ſuperſtes eſt, ex altera nemo admittitur, quamuis gradu prior ſit: ſic mortuo quarto octauus gradu propior eſt, quam ſeptimus: quia tamen hic ex prima linea praefertur octauo.

Primus adquirens.



Gradvalis, quando non conſiderata linea propior gradu indiſtincte admittitur: ſic e. g. mortuo tertio, linea quidem propior eſſet quartus, ſed quia quintus gradu propior eſt ad hunc deuoluitur ſucceſſio.



Sed gradualis in principatibus quidem quibuſdam Germaniae obtinet, quemadmodum hoc iure in ſucceſſione Altenburgenſi Erneſtus Gothanus excluſit Vinarienſes: ſed in regnis vix extat exemplum. Vnde Cabotivs I. Diſp. 14. hanc ſucceſſionem linealem vocat legitimam.

§. 11.

Succeſſio linealis porro alia agnatica, quae et Francica, vel Salica, vbi feminae, adeoque et cognati ab illis deſcendentes in

per-

perpetuum excluduntur. Quae adeo placuit tot gentibus, ne in extraneos imperium deuoluatur.

Carolo Pulchro Rege Franciae anno 1327. exſtincto praeferebatur Philippus Valeſius Eduardo Anglo, licet propiori; vti ex ſequente ſchediaſmate videri poteſt.

Philippus Audax Rex.

Philippus Pulcher Rex Franciae — Carolus Valeſiae Comes

Ludouicus Hutinus R. Franciae. † a. 1318. — Philippus Longus R. Franciae † a. 1320. — Carolus Pulch. R. Franciae. † a. 1317. — Iſabella Regi Angliae nupta. — Philippus Valeſius Rex Franciae. — Ioannes Rex

Eduardus III. R. Angliae, qui et Franciae titulum aſſumpſit: tertio gradu Carolo cognatus — quarto gradu Carolo cog nati

Cognatica; quae et Castiliana vocatur, vbi maſculi praeferuntur feminis eiuſdem gradus; hae tamen admittuntur deficientibus eiuſdem lineae maſculis.

§. 12.

Quaeſtio ſupereſt, *ſi controuerſia ſuper ſucceſſione oriatur, quis ſit iudex competens?* 1. Nullius eſt ea in re ordinaria iuris dictio, ob ſtatus naturalis indolem; 2. ne vltimi regis quidem, (quia non loquimur de regno patrimoniali), niſi populus ei hanc poteſtatem fecerit. Exempla tamen ſunt apud Ivstinvm, *Hiſtor. XI.* 10. *XVI.* 2. 7. 3. nec populus ipſe, quia non eſt ſuperior illis, qui de regno diſceptant; 4. ſupereſt ergo arbitrium, quod defertur vel ordinibus, vti in Francia, mortuo Carolo Pulchro. Polidor. Vergil. *Hiſt. Angl. libr. XVIIII.* vel ad populum, cuius rei exemplum

 apud

apud DIONYS. HALIC. *libr. 1.* vel alicui ex familia, vti in Luſitania Henrico Cardinali.

Sed plerumque res armis potius, quam iure terminatur, ceu ipſa experientia ſatis ſuperque docet.

CAPVT XI.

DE OFFICIO SVMMORVM IMPERANTIVM.

§. 1.

QVae hactenus explicata ſunt, ad naturam ciuitatis vel rei publicae pertinent; ex ea vero et fine maxime pendent *officia* tum *ſummorum imperantium*, tum *ciuium*; hinc de illis agitur a *cap.* 11. *vſque ad* 17. de his *cap.* 18. Hic de illis agitur 1. *in genere* §. 1. 2. *in ſpecie* §. 2. *ad fin.*

Diximus, ea dependere maxime a fine ciuitatum, qui erat ſecuritas tum externa, tum interna. Quum ergo officia ſeſe habeant tamquam media ad obtinendum hunc finem neceſſaria, inde non poteſt non fluere axioma primum:

Quidquid ad ſecuritatem rei publicae tum externam, tum internam pertinet, id et ad officium ſummi imperantis pertinere cenſetur.

Talia enim oportet eſſe media, qualis eſt finis. At quamuis ad finem praecipue reſpiciendum ſit: non minus tamen et ex reliquis quae hactenus praeſtruximus, principiis ſimilia axiomata fluunt, ex quibus de imperantium officio iudicari poſſit; nam quia audiuimus, ciuitates pactis coaluiſſe, facile patet, verum eſſe axioma ſecundum.

Officium ſummi imperantis eſt, quidquid pactis primaeuis, per quae res publica coaluit, conſentaneum eſt.

Praeterea quum demonſtratum ſit, partes imperii eſſe iura maieſtatis immanentia et tranſeuntia, inde fluit neceſſario axioma tertium.

Officium ſummi imperantis eſt, iura maieſtatis omnia exercere ad ſalutem ciuitatis et rei publicae.

Denique quum affectiones quaſdam rei publicae vel ciuitati huic

vel

vel illi proprias eſſe oſtenderimus, per ſe intelligitur axioma quartum.

Summo imperanti ob oculos eſſe debere leges imperii ſui fundamentales, et contra eaſdem nihil indulgendum.

§. 2.

Primum ergo quod inde fluit officium ſpeciale ſummi imperantis eſt *cognitio eorum, quae ad iſtud officium pertinent;* adeoque principem, eoſque, qui imperio deſtinati ſunt, a iuuentute inſtrui oportet, quomodo officio ſuo fungi debeant; nam 1. officia fluunt ex fine; ergo inculcandum principi, quis finis rei publicae ſit; alias facile ea in re aberrabunt, exiſtimabuntque, populum ſui, non ſe populi cauſſa eſſe.

2. Regenda eſt res publica: quod regere teneor, id cognitum habere debeo, ne equum quidem recte rego, niſi eius indolem compertam habeam; ergo ipſi inculcandum, quomodo in rem publicam coaluerint homines, quibuſque pactis teneantur tum imperantes, tum ciues.

3. Exercere debet partes imperii ſeu iura maieſtatis; in quonam ergo illa conſiſtant, adcurate ſcire debet, ne pro iuribus iniuriam ciuibus faciat.

4. Denique quum ignoti nulla cupido, quomodo poterit princeps leges fundamentales ſeruare velle, quas ipſe ignorat? Obiici ſolet, 1. quae ignorat princeps, ſcire debere miniſtros? Reſp. at miniſtros non omnes conſcientiae habere rationem; male eos ſaepe abuti iuribus maieſtatis, niſi princeps ipſe eorum conſilia regat; 2. principes eruditiſſimos pleroſque male praefuiſſe rei publicae, veluti Alphonſum ſapientem Regem Hiſpaniae, Iacobum I. Regem Angliae? Reſp. eruditionem aliam eſſe principum, aliam priuatorum; Alphonſus ſoli aſtronomiae et aſtrologiae ſtudebat, haec nihil ad rem publicam; Iacobus I. ſtudiis grammaticis delectabatur, adeo vt legatus Galliae Regis eum vocaret potentiſſimum grammaticum; grammatica vero docet quidem, quomodo verbum regat nomen, non autem quomodo imperans regere debeat rem publicam.

Itaque ſtudia principis debent eſſe 1. pietatis, ſine qua nihil recte; quum ſuperiorem non habeat in mundo, ſcire debet, eſſe ſuperiorem Deum, qui omnia videat; 2. notitia generalis principiorum iuris naturae, politices, iuris publici et priuati; 3. ſpecialis notitia rei publicae, cui praeeſt, inprimis vero iurium domus;

quo praecipue facit 4. hiſtoria gentis adcurata, 5. ſtudia militaria. Haec neceſſaria; reliqua vtilia tantum, veluti matheſis, ſtudium linguarum vſitatiorum, exercitationes corporis: &c. Vid. XENOPHONTIS iudicium de educatione Cambyſis.

§. 3.

Officium ſpeciale ſecundum: *Populi ſalus ſuprema lex eſto.* CICERONIS hoc dictum eſt *libr. I. de legib.*

Demonſtratio: Quidquid eſt ſummi imperii finis, id ſuprema eiuſdem lex eſt: populi ſalus, cet. ergo, cet.

Obiicitur ex doctrina politicorum, aliorum imperiorum finem eſſe ſalutem populi, aliorum ſummi imperantis, e. g. in rebus publicis herilibus, deſpoticis, regnis barbaricis?

Reſp. 1. Politica non docet, quid iuſtum ſit, quid deceat, quid honeſtum dicendum, ſed qualia de facto ſoleant eſſe imperia, et quomodo illa prudenter conſeruanda emendandaque ſint.

2. Nihil vere vtile eſſe poteſt principi, quod idem vtile non ſit populo; adparens tantum eſt illa ſalus principis, quae ab vtilitate populi ſeiuncta eſt; quidquid enim princeps habet, habet a populo; fons ille debet eſſe inexhauſtus. Quam miſer futurus eſſet princeps, qui centum myriadibus mendicorum hominumque infeliciſſimorum imperaret? Ergo peſſimi ſunt miniſtri, principique ſuo maxime noxii, qui vtilitatem populi ab vtilitate principis ſeiungunt, illumque opprimere ſtudent, vt huic proſint; quod perinde eſt, ac ſi quis corpus truncaret membris, vt omnia alimenta accreſcant capiti.

§. 4.

Tertium officium eſt *cura diſciplinae*, quae differt ab officio legiſlatoris; leges enim feruntur de iuſto et vtili; diſciplina magis ad ea, quae decora ſunt, pertinet; leges poenis ſeuerioribus muniuntur, cura diſciplinae aliis mediis; legiſlatoria poteſtas Romae erat penes populum, cura diſciplinae penes cenſores. In monarchiis vtrumque ad principem pertinet. Principis ergo eſt, curare 1. vt ciues pie ſancteque viuant, hinc cura religionis, et praxeos maxime; 2. vt otium, luxus, et comeſſationes impediantur; 3. vt ciues artibus honeſtis imbuantur; 4. vt decore viuant; 5. vt commercia floreant, nec fides publica laboret; 6. vt politia in re publica bene ſit ordinata; 7. vt artes et ſtudia floreant; quomodo

haec

haec omnia obtineri poſſint, politica docet. Aliquando id magis principis exemplo, quam legibus obtinetur; permultum quoque huc faciunt praemia, priuilegia, nota infamiae, vel ſaltem exiſtimationis periculum, excitata aemulatio cum exteris.

Experientia docuit, gentem Ruſſorum olim male moratam his tantum mediis ad humaniorem vitam et diſciplinam breue intra tempus traductam; quanto magis ſperare liceret, diſciplinam in gentibus iam probe excultis conſeruatum iri facillime, ſi eius rei curam ſuſcipere vellent imperantes.

§. 5.

Cura leges ferendi quartum eſt principis officium; requirit enim hoc pactum, vt vna ſit in re publica voluntas; leges ergo praeſcribere debent, quid velle ciues oporteat.

Iam illa legiſlatoria poteſtas maximam requirit prudentiam.

Diſtinguendum enim inter facta neceſſaria, quae iure naturae iam ſunt definita, et tantum poenis ciuilibus muniuntur, haec facilis eſt legiſlatio; et inter facta in ſe indifferentia, de his leges prudenter ferre difficillimum; nam in his reſpiciendum 1. ad vtilitatem rei publicae, 2. ad reliquas leges, 3. aliquando etiam ad vicinos. Hinc vna ſaepe vel altera lex imprudenter lata rem publicam plane peſſum dedit; e. g. lex: *Inter patricios et plebem ius connubii ne eſto*, ſatis concinna eſt monarchiae et ariſtocratiae, non vero democratiae.

Ceterum 1. leges oportet eſſe paucas; a) vbi nimis multae, ibi homines incidunt in leges, tamquam in laqueos; b) nimis multae facile ſibi inuicem aduerſantur, c) plura iam lex naturae definit, vbi non legibus, ſed ſanctione opus eſt; hinc leges XII. tabb. libellus breuiſſimus; itemque leges Solonis, Lycurgi, et lex diuina Moſaica.

2. Planas ac perſpicuas; non quaſi caſus omnes exprimi debeant, ſed vt regulae ſint vniuerſales, ex iiſque caſus omnes poſſint explicari.

3. Vt rei publicae ſint conuenientes, id eſt, fini et formae rei publicae et indoli ciuium; hinc ſi finis eſſet commerciorum amplitudo, et leges libertatem negotiandi reſtringerent, commerciis onera imponerent immodica, peregrinis minime fauerent, non obtineretur finis. Si in democratia nobilitati multae ac eximiae praerogatiuae concederentur, deſtrueretur forma rei publicae; ſi vulgus

gus rerum nouarum cupidum in democratia admitteretur ad rem publicam, lex eſſet indoli populi minus conueniens.

§. 6.

Quintum officium, *legum exſequutio*; alias enim 1. leges euileſcerent, quam primum videant homines, eas impune violari; 2. immo fruſtra eſſent.

Hinc in rebus publicis, a) legum cuſtodes eſſe decet, quales apud nos aduocati et procuratores fiſci; ciuiles enim actiones facile inſtituunt homines, quia actorum intereſt; non autem criminales; b) exſequutio debet eſſe facilis et breuis; ſaepe enim breuis iniuria tolerabilior eſt, quam longa iuſtitia, hinc diuturni proceſſus quouis modo coërcendi; c) exſequutio ſit aequalis, ne imperans

Det veniam coruis, vexet cenſura columbas.

Hinc non facile diſpenſandum, nec potentibus aliquid indulgendum contra leges; aut enim aliis nocet imperans, ſi his ius quaeſitum; aut ſibi ipſi, dum legibus ſuis auctoritatem detrahit.

§. 7.

Ex his ſextum officium fluit, vt *poenas prudenter infligat*; hinc

1. Poenae debent eſſe neceſſariae, ne libertas ciuium praeter neceſſitatem reſtringatur; abſurda lex Perſica; vt nemo intra triduum quidquam precetur a Diis et hominibus.

2. Eaedem, ſi vitam non adimunt, ita comparatae ſint, ne hominem reddant plane inutilem; itaque non laudandae poenae infames, quibus homines non emendantur.

3. Poenae delictorum non temere ad mortem extendendae; admiranda omnino Auguſti prudentia, qui grauiſſima delicta pleraque deportatione coërcuit; ita a) reus plurimum calamitatis ferebat; b) bona eius in fiſcum redigebantur; c) nihil ab homine illo metuendum erat, et d) ipſe Auguſtus clementiae laudem ferebat.

4. Creſcentibus tamen delictis poenas creſcere debere, nullum eſt dubium; aliquando enim homines lenioribus mediis ad ſanitatem reduci non poſſunt; ſic deſertio, furta, rapinae vix ceſſarent, niſi

niſi poenae capitales homines coërcerent; et tamen hae quoque homines vix coërcent.

§. 8.

Septimo et *ciuium inter ſe iniurias prohibere* eſt ſummi imperantis, id eſt, non patiatur quemquam ab alio impune laedi, iniuriis contumeliiſque adfici, contemni, cet. nam repugnaret hoc fini rei publicae, ſecuritati internae.

Itaque 1. nulli ſtatui in alterum quidquam indulgere debet, e. g. vt potentiores plebem impune opprimant ſpolientque.

2. Nulli deneget iuſtitiam, etiam viliſſimae ſortis homini a potentiore laeſo.

3. Ordines exiſtimatione et dignitate differant, non iniuriis; hinc in neruum res abiit, quum Romae ius ſibi vindicarent optimates, debitores ex plebe in neruo habendi.

4. Nemini vindicta priuata, ſed defenſio tantum permittatur; nam a) ita vi, non iure res agitur; b) obſequium renunciatur magiſtratui; c) quiſque iniquiſſimus erit iudex in ſua cauſſa.

§. 9.

Octauo et *circa miniſtros et magiſtratus talem ſe gerat, vt nec ſibi, nec rei publicae ſummum adferat detrimentum.* Perquam neceſſarium eſt hoc officium, 1. quia hi miniſtri omnia agunt nomine principis, ac huic proinde omnia ſolent imputari; ſic Tiberio vitio vertebantur, quaecumque egerat Seianus, praefectus praetorio; 2. quia plerumque principis et rei publicae ſalus pendet a miniſtrorum prudentia; Auguſti ſumma felicitas, quod haberet adiutores prudentiſſimos, Agrippam et Maecenatem.

Itaque 1. neminem ad miniſterium vocet, niſi muneri ſuo parem futurum: ſane

Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

2. Viros exploratae fidei non temere muneribus moueat, iniuriiſque aliis adficiat; quia a) hoc in ſe iniuſtum; b) alios deterret a vera laude; c) ſaepe et incitat ad vindictam; exemplum Narſetis.

3. Neminem temere per ſaltum trahat ad honores, quia iuuenes, quantumuis rerum periti, experientia deſtituuntur; elegans veterum ſententia: *laborare iuuenum eſt, conſulere virorum iuſtae aetatis, precari ſenum.*

4. Diligenter eorum acta inſpiciat, et male agentes puniat.

5. Ipſe audiat ciuium querelas, interſit conſiliis, rationes ſuffragantium expendat.

§. 10.

Tributorum cura nonum imperantis eſt officium; qua in re qualem ſe gerere debeat, ex ipſo fine facile patet, qui eſt neceſſitas rei publicae, ſeu conſeruatio ſecuritatis internae et externae; ergo 1. tributa illo fini debent eſſe proportionata, nec plus exigendum, quam opus eſt; 2. non temere mouenda bella libidinis et ambitionis cauſſa, ita enim oneribus minus neceſſariis premuntur ciues; 3. nec ad incitas redigantur ciues; eleganter Aſiatici, quum duplum indiceretur ab Antonio, petierunt vt duas meſſes quotannis efficiat; 4. det operam, ne tributa interuertantur multitudine Quaeſtorum; PRISECIVS, ſcriptor Polonus, conqueritur, in Polonia in collatione tributorum idem fieri, quod ſoleat tempore incendii, vt quam multi conferant, et pauxillum tamen ad ignem exſtinguendum adhibeatur, plurimum effundatur in via; 5. iis adhibeat tributa, quibus deſtinata ſunt.

§. 11.

Decimum officium, *habere curam facultatum priuatarum*, vt gliſcant et augeantur, ita enim et imperanti non deerit neruus rerum gerendarum. Hoc fit, 1. ſi gliſcant commercia, eaque non nimiis oneribus premantur; 2. ſi artificia (*les manufactures*) promoueantur; 3. ſi rei monetariae habeatur ratio, ne pro proba moneta adulterina vel onероſa per rem publicam ambulet; 4. ſi leges ſumtuarias ferat, eaſque ſtricte obſeruandas curet; 5. ſi otium quouis modo prohibeat; quam in rem inſignis vſus ergaſtulorum, aliarumque operarum publicarum; 6. ſi furta, rapinae, mendicorum improborum et vagabundorum audacia prudenter coerceatur; denique 7. praecipuum medium eſt, diſpicere, vt ſemper plus exportetur ad alios, quam importetur.

§. 12.

Vndecimum officium eſt *conſeruatio vnionis ciuium*; vnio conſiſtit in vnitate voluntatum, quae obtinetur per ſubmiſſionem; omnium ergo ciuium voluntas ſubeſſe debet voluntati ſolius imperantis.

tis. Ergo 1. impediendae factiones, vbi enim hae, ibi ſciſſae ſunt voluntates, et quum imperans vtrique factioni fauere nequeat, alterutram ſibi aduerſam habebit; 2. coitiones ciuium, quae et heteriae, conuenticula, prohibeantur; ſunt enim hae medium et cauſſa factionum; qui effectum non vult, nec cauſſam velle debet; Romanorum curae, ne heteriae fiant, Chriſtianorum perſequutiones, PLIN. *Epiſt. X.* 97. 3. ne ſit res publica in re publica, ita enim plane diſſoluitur res publica; vbi quaedam membra a re publica non dependent, ibi non amplius eſt vna res publica: hinc patet ratio, cur licet Dictatores aliquando dixerint Romani in re trepida, non tamen prius adquieuerint, quam et aduerſus hos valeret ius extremae prouocationis ad populum.

§. 13.

Duodecimum officium eſt, *virtutem ciuium armorumque peritiam alere*; Nam

1. Hoc requirit finis rei publicae, ſecuritas externa.

2. Serum nimis eſt, de ea re cogitare, vbi iam Hannibal ante portas.

3. Inſida ſemper pax in ſtatu naturali eſt; ergo in promtu ſemper debent eſſe arma militeſque, qui arma rite gerant; hinc ſequitur, a) vt in promtu eſſe debeat apparatus neceſſarius, munimenta, arma, commeatus, b) vt aerarium bellicum recte ſe habeat; c) vt ſemper iuſtus ſit militum numerus, ſiue lectorum, ſiue mercenariorum, ſiue ſociorum, prout rei publicae forma admittit.

4. Vt vicinorum conſilia et vires diligenter exploret; quod optime fit per legatos ordinarios; Cyri hoc inuentum apud XENOPHONTEM in *Cyropaedia*.

5. Foedera vt contrahat cum iis, quorum eadem eſt vtilitas; alias parum conſtans erit foedus, et diſſipabitur iuſto citius, vel ſine fructu erit ob conuentiones de pace particulares.

CAPVT XII.

DE LEGIBVS CIVILIBVS IN SPECIE.

§. 1.

PRaediximus ſupra, de ſingulis iuribus maieſtatis potioribus actorum ſeorſim auctorem; id iam praeſtat ſequentibus capitibus; et quidem hoc capite *de legibus* et *imperantis circa eas officio* differit, et quidem 1. *quid ſit lex ciuilis* §. 1. 2. *quotuplex* §. 2. 3. *quid principi liceat circa leges naturales*, §. 3-7. 4. *quis legum effectus?* §. 8. 5. *quid iuſſus imperantis, et quomodo a lege differat?* §. 9.

LEX CIVILIS auctori eſt decretum ſummi imperantis ciuilis, per quod ciuibus iniungitur, quid in vita ciuili facere, quidue omittere debeant.

Decretum.) Rectius praeceptum; decretum enim ſubditos non obligat; ſed promulgatio.

Summi imperantis.) Ergo non magiſtratus, quorum decreta valent inter partes, non in re publica vniuerſa; et quamuis aliquando edant magiſtratus etiam decreta communia, *gemeine Beſcheide*, illa tamen non verſantur circa nouum ius, ſed tantum circa formalia proceſſualia.

In vita ciuili.) Haec differentia legis ciuilis ab aliis legibus; nam lex naturae in ſpecie non ſupponit vitam ciuilem, ſed humanam; quum vero lex doceat, quid facere, quid omittere debeant ciues, conſequens eſt, vt *lex* ſit vel *praeceptiua*, quae quid vetat vel prohibet, e. g. vt ruſtici operas praeſtent dominis, vel ne vaſalli inconſulto domino praedia vendant; vel *permiſſiua*, quae libertatem ciuibus integram relinquit, e. g. vt cuique liceat vſuras legitimas accipere. Hae quoque verae ſunt leges, quia obligant conciues, vt conciuem non turbent in exercitio huius legis.

§. 2.

Sed maioris quoque momenti eſt diuiſio altera, quod lex ciuilis ſit vel *reſpectu* AVCTORITATIS, quae quidem alterius ſunt originis, ſed auctoritatem ciuilem ab Imperante acceperunt; hinc multae leges

ges origine ſunt iuris naturae, e. g. de homicidiis, furtis, adulteriis, cet. multae ſunt originis peregrinae, veluti apud nos ius Romanum, ius Wyſbienſe, apud Romanos ius Graecum in XII. tabb. expreſſum, ſed auctoritatem in re publica habent hae leges a ſummo Imperante; vel *ratione originis*, quae originem ſuam ab ipſo ſummo Imperante habent, e. g. ne liceret de alimentis tranſigere; vt quarta Falcidia legatis, Trebellianica fideicommiſſis detrahatur; ne merces quaedam vetita inuehatur in rem publicam.

In illis non praeceptum, ſed ſanctio poenalis ab imperante eſt; in his vtrumque non alium auctorem habet, quam principem; hoc initio ſtatim eſt lex, illud aliquando initio non eſt lex, ſed ſententia priuati, quae tamen auctoritate ſummi imperantis vim legis accipit, e. g. Leges Vlpiani, Papiniani, Paulli, cet.

§. 3.

Iam, quid liceat Imperanti circa leges naturales, diſpiciendum. Multas leges iuris ciuilis eſſe ex iure naturae et gentium, iam VLPIANVS noſter *L. 1. de iuſtit. et iur.* obſeruauit; ius noſtrum tripertitum eſt. Compoſitum enim eſt ex naturalibus praeceptis, gentium et ciuilibus. Ergo ſtatim quaeritur, ad quid opus ſit illa repetitione, vt nempe ius naturae et gentium nouis legibus ciuilibus ab Imperante inculcetur? quidquid enim natura iam cognitum eſt, id non indiget noua promulgatione?

Sed 1. non omnes homines in re publica actu ratiocinantur, quid iuris naturae ſit; multi, quin plurimi conſuetudine peccandi eo perueniunt, vt parum aeſtiment illa praecepta naturalia; ergo Imperans illa repetere et promulgare tenetur, e. g. nefanda crimina quis pro licitis habet, veluti Venerem nefandam.

2. Quamuis quidam generalia iuris naturae praecepta teneant; facile tamen in circumſtantiis ſpecialibus, et adplicatione illorum praeceptorum ad has circumſtantias falluntur; opus ergo eſt explicatione et determinatione eius modi caſuum difficiliorum, e. g. quouſque ſe porrigat moderamen inculpatae tutelae.

3. Quamuis ius naturae nil niſi iuſtum inculcet, illud tamen parum efficaciae et auctoritatis eſſet habiturum, niſi accederet ſanctio poenalis, quae a ſolo principe eſt vel ſummo imperante; poena ergo addenda. SENECA, *de ira*, *II.* 27. *Quam anguſta res eſt, ad legem bonum eſſe? Quanto laxius officiorum patet, quam iuris regula? Quam multa pietas, humanitas, iuſtitia, fides exigunt? quae omnia*

ſunt extra publicas tabulas. Hae vero leges, quibus tantum iuris naturae leges repetuntur, id habent ſingulare, α) quod ſubditi ſint inexcuſabiles, ſi violent, nec ignorantiam iuris praetendere poſſint; β) quod poena remitti, vel princeps diſpenſare nequeat; quamuis γ) poenam, ſi iure diuino non ſtatuta ſit, minuere poſſit.

§. 4.

Hoc vt rectius intelligatur, auctor denuo recenſet legis partes; docetque quod conſtent praecepto et ſanctione poenali; prius docet, quid faciendum omittendumque ſit; poſterior, quid mali immineat, ſi praecepto non pareatur.

Poſterius ſi deficit, lex eſt imperfecta. Iam ius naturae habet quidem ſanctionem poenalem generalem: niſi hoc feceris, Deum offendes, iſque vltor et vindex erit, et eum quidem omniſcium; et eatenus lex eſt perfecta, immo omni humana perfectior, quia humanum legiſlatorem ſe decepturos ſperant improbi, quod de Deo ſperare non poſſunt.

At ius tamen illud ſpecialem poenam non definit, nec eam delicta ſtatim ſequuturam praedicit; potius experientia docet, lentam eſſe Dei vindictam, quia tanta eſt eius bonitas, vt ſpatii plus ſatis ad reſipiſcentiam indulgeat; et eatenus hypothetice imperfectum eſt ius naturae; adeoque ſupplere hunc defectum debet imperans, et addere ſanctionem poenalem ſiue 1. vt poenam determinet, quae tunc vocari ſolet poena ordinaria; ſiue 2. vt eam arbitrio iudicis definiendam relinquat, quae poena arbitraria vocatur; illi locus eſt in negotiis, quae vniformes habent circumſtantias a legiſlatore expreſſas, e. g. qui hominem dolo malo occiderit, gladio percutitor; huic, vbi tam diuerſae ſunt negotii circumſtantiae, vt generale quid ſtatui nequeat, e. g. in crimine falſi.

Abſurda Hobbesii doctrina, *de ciue, cap.* 14. §. 10. omnia eſſe iuris naturae, quae praecipit princeps, et *cap.* 6. §. 16. principum eſſe, crimina pro lubitu definire.

§. 5.

Non ſolum autem poenis ius ciuile munit leges naturales, ſed et actiones iis adcommodat.

Actiones ſunt media perſequendi ius ſuum in iudicio; tales actiones ius naturae nullas prodidit, quia illud et homines extra ciuitatem

uitatem obligat; hinc videmus pacta, quamuis iure naturae ſeruanda ſint, non tamen produxiſſe apud Romanos actionem, quia leges Romanae ciuiles nullam eis adcommodauerant.

Vbi medium non eſt perſequendi ius ſuum in iudicio, ibi nec eſt obligatio perfecta, ergo ius naturae totum, ſi actiones non eſſent proditae, in ciuitatibus eſſet imperfectum. In ciuitatibus dico, nam extra ciuitates alter alterum ſine actione per vim bellicam cogere, et ius ſuum perſequi poſſet.

Imperantis ergo eſt 1. ex negotiis iure naturae inculcatis dare actiones; 2. iis certa dare requiſita; vt, locumne habeant, nec ne, adpareat, e. g. vt hypothecariae in immobilibus non ſit in Saxonia locus, niſi ius pignoris publice et iudicialiter conſtitutum; vt de emto agi non poſſit, niſi pretio ſoluto; 3. vt praeſcribatur, quid ex quouis negotio peti poſſit, e. g. an acceſſiones, an fructus, et quinam? percepti, an percipiendi, exſtantes, an conſumti, an vſurae? et num eae a tempore litis conteſtationis adiudicandae? qua in re ſingularis et admiranda eſt iuris Romani ſapientia.

§. 6.

Praeterea id licet ſummo Imperanti circa leges ciuiles, vt poſſit negotiis iure naturae praeceptis vel permiſſis certum tempus, modum, locum et perſonas adſignare, easque circumſtantias boni ordinis cauſſa definire, quas non definiuit ius naturae; e. g. ius naturae procul dubio praecipit, vt iuſtitia adminiſtretur; at non praecipit, quando, quomodo, a quibus praeciſe perſonis id fieri debeat; itaque has circumſtantias determinat Imperans, praecipitque quibus diebus et horis, a quibus perſonis et magiſtratibus ius dicendum ſit, quo ordine proceſſus inſtituendus, quae media exſequendi adhibenda, cet.

Haec origo ordinationum proceſſus iudiciarii, in quibus duo extrema cauenda, 1. ne nimis anxie omnia formulis, fatalibus, ac minutiis adſtringantur, 2. nè nimis multum relinquatur iudicis et litigantium arbitrio. Vti enim prius proceſſum immortalem reddit: ita poſterius occaſionem dat iuſtitiam pro adfectu adminiſtrandi, lites protrahendi, tumultuarie procedendi.

Noſtro ſaeculo ea de re diſceptatum adcurate, quomodo breuior fieri debeat proceſſus, ſed plerique morbi originem non intellexerunt, num in aduocatis, an in iudicibus, an in iuris incertitudine, an in forma proceſſus quaerenda ſit; quod ante omnia expediendum erat.

§. 7.

Principi porro fas eſt, negotiis iure naturae alias introductis certam formam dare, quam exigere videtur rei publicae ſalus. Ita 1. nuptiae ſunt iuris naturae; quomodo autem et qua forma illae fieri debeant, non praecipit; hinc leges ciuiles addunt formam et ritum; 2. contractus ſunt iuris naturae; at leges ciuiles addunt contrahendi formam, e. g. ſtipulationem, magiſtratus in oppignorationem rerum immobilium conſenſum; 3. ſi ſtatuamus, etiam teſtamenta eſſe iuris naturae, de quo tamen merito dubites, quot ritus teſtatoribus praeſcripſit ius Romanum?

Haec omnia ius ciuile ſuperaddidit iuri naturae. Cur vero? Rident haec nonnulli, ſed ipſi deridendi, nam a) eo ipſo diſcernere voluerunt veteres, ſerione an perluſorie quid actum ſit; e. g. ad promittendum facillime ruunt homines, etiam inter pocula; ſerione id factum, ex ſtipulatione iudicabant; b) occurrendum eo ipſo fuit falſo; quam facile mutarentur, vel plane ſupponerentur teſtamenta, niſi tot opus eſſet ſollemnitatibus; c) ea eſt hominum indoles, vt iis maxime capiantur, quae in ſenſus incurrunt; itaque neſcio quid venerabile ineſſe cenſent ritibus et caerimoniis, adeoque et ſanctiora putant negotia ſollemniter et ex formula contracta, quam quae ſine ſollemnitate ineuntur; e. g. nuptias ſollemnes coram facie eccleſiae initas; 4. ritus eius modi publicum teſtimonium praebent, aliquid rite factum geſtumue eſſe; ſic nemo dubitabit, eos in iuſto matrimonio viuere, quorum nuptiis acceſſit benedictio ſacerdotalis.

Quare facile intelligitur, cur Romani publice priuatimque omnia egerint ex formula et cum certis ritibus; ita enim ſollemniter iurabant, bella indicebant, foedera contrahebant, victos in deditionem accipiebant, iudicabant. Conf. *Syllog. opuſculor. exercit.* X. *de iuris prudentia veterum Romanorum formularia*, *pag.* 431. *ſeqq.*

§. 8.

Iam *de legum effectu*; qui ex earum natura facile intelligitur: quum enim ius ſit legiſlatori praecipere, vi relatorum officium ſubditorum erit obtemperare, adeoque effectus legum eſt *obſequium*, ſine quo etiam fruſtraneae eſſent leges.

Obſequium hoc 1. non modo ex iure naturae fluit, quod magiſtratui obtemperare iubet; verum etiam 2. ex pacto; nam dum conſen-

conſenſere ſubditi in alterius imperium, conſenſiſſe etiam in obſequium cenſentur.

Obiici poſſet, id primos tantum feciſſe ciues, qui in rem publicam coaluerunt? Sed 1. pacta etiam heredes obligant, 2. qui in re publica viuunt, et in ea permanent, tacite ea pacta rata habent.

Iam obſequium iſtud eſt duplex, a) EXTERNVM, quando quis lege praecepta facit, prohibita omittit, quamuis id non faciat libenter, ſed inuitus fortaſſis ex metu et formidine poenae;

Oderunt peccare mali formidine poenae.

b) INTERNVM, quando quis legibus paret ex virtute, vltro, libenter.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Quale ergo exigitur obſequium? Sufficere plerique putant externum, quia 1. imperans de internis iudicare non poteſt, 2. eius parum intereſt, libenter officium faciant ſubditi, an coacti, modo faciant.

Sed id verum eſt, ſi ad Imperantem reſpicias, qui omnino a ſubditis nihil aliud exigere poteſt; quod ſi vero reſpicias ad Deum, 1. is et interiora hominis perſpicit; 2. ſemper in lege ſua exigit obſequium internum; hinc Apoſtolus nos iubet parere magiſtratui conſcientiae cauſſa.

Vtilitas huius quaeſtionis in eo ſe exſerit, vt refellere poſſimus hominum errorem, qui peccando contra leges ciuiles poenae quidem ciuilis reos ſe eſſe fatentur, at conſcientiam eo ipſo ſe laeſiſſe negant, quaſi non ſit contra conſcientiam refragari praecepto iuris naturae, quod iubet, magiſtratui vt pareamus.

§. 9.

Superſunt iuſſa ſummorum imperantium, quae a legibus differunt, quod leges ſint praecepta vniuerſalia, omnes ciues obligantia; iuſſa vero ſpecialia, quae vnum tantum vel alterum, ad quos diriguntur, obſtringunt; leges ſunt praecepta perpetua valitura tam diu, donec a principe ipſo abrogentur, iuſſa vero actum tranſeuntem ſpectant, e. g. iubet princeps carnificem, vt ſententiam exſequatur.

Leges obligant ciues indiſtincte, iuſſa praecipue miniſtros, adparitores, officiales, cet.

Iam quaeritur, *an et principis iuſſibus ſit obediendum?* procul dubio, quia eadem eſt ratio, Imperanti parendum, ſiue omnibus, ſiue vni quid iniungatur.

At de iniquis iuſſibus potiſſimum quaeſtio eſt; an et illis parendum? Diſtinguit auctor, an factum proprium iniungat, an ſui facti exſequutionem: priore caſu non parendum eſſe monet, poſteriore autem obſequium omnino deberi; e. g. non parendum erat obſtetricibus Aegyptiis, quum iuberentur Iſraelitarum infantes occidere; parendum autem eſt carnifici, ſi iubetur ſententiam exſequi.

Enim vero id falſum; ſi enim princeps iubeat exſequi ſententiam, de cuius iniquitate conuictus ſum, 1. magis obediendum Deo, quam hominibus; 2. nec quiſquam agere poteſt contra conſcientiam; immo 3. ne realis quidem eſt illa diſtinctio; quidquid enim iubeat princeps, ſemper exſequitur ſubditus principis ſententiam, ceu exemplo obſtetricum Aegyptiarum patet.

Nos potius reſpondemus, diſtinguendum eſſe inter iuſſa aequa, et iniqua; illa abſolute exſequenda, in his ſubdiſtinguendum, vtrum *manifeſta* ſit iniquitas, an *occulta*: illo caſu plus obſequii debetur Deo, quam homini; hoc recte obſequium praeſtatur, maxime vbi is, qui quid facere iubetur, nec tenetur, nec poteſt de aequitate vel iniquitate iuſſus iudicare. Sic carnificis iudicii res non eſt, an ſententia iuſta ſit; exſequatur ergo illam; militum gregariorum captum ſuperat quaeſtio, bellum iuſtum ſit, nec ne; militet ergo.

At contra conſcientiam dubiam nihil agendum? Reſp. omittat ergo actionem, ſi in eius arbitrio ſit; ſin minus, aut agendum, aut patiendum erit.

CAPVT XIII.

DE IVRE VITAE ET NECIS.

§. 1.

IVs vitae et necis eſt ius maieſtatis, quod ſummus Imperans exigente rei publicae ſalute etiam in vitam ciuium exercet; neque enim hic nobis intelligi promiſcuam occidendi licentiam, aliquoties monuimus.

Poſſet quidem videri, hoc ius imperanti minime adſerendum, quia fini et ſcopo rerum publicarum plane videatur contrarium; finis

finis enim rei publicae eſt ſecuritas interna et externa; nihil vero magis in tuto eſſe cupimus, quam vitam noſtram, qua nihil eſt carius, ergo Imperantis erit, vitam tutam praeſtare, non eam eripere. Sed diſtingue inter finem ſimpliciter, et ſecundum quid talem, qui ſaepe ſibi contrarii eſſe poſſunt, e. g. finis medicinae eſt conſeruatio vitae et ſanitatis, et tamen aliquando membrum labe vel ſphacelo corruptum

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Ita ſimpliciter finis Imperantis eſt ſecuritas ciuium; ſi vero ea aliter obtineri nequeat, etiam quorumdam mors, vt tota conſeruetur.

Probari id facile poteſt: a quo exigitur finis, ei et media concedenda: ab Imperante exigitur finis, ſecuritas interna et externa; ergo eidem etiam concedenda media; non alia vero ſunt, quam poteſtas in vitam ciuium; ergo haec Imperanti concedenda. Poſtremum dubio caret; externa ſecuritas non aliter praeſtatur conſeruaturque, quam per bellum; bellum ſine vitae periculo geri non poteſt, ergo Imperans vitam ciuium poteſt periculo exponere.

Deinde ſecuritas interna non aliter paratur, quam e medio ſublatis iis, qui illam turbant et inemendabiles ſunt; indulgendum ergo principi, vt turbatores rei publicae e medio tollat, ſuppliciisque adficiat.

Ex quo ſimul patet, duplici modo Imperanti competere ius vitae et necis, 1. *indirecte*, vt eos per bellum poſſit periculo mortis exponere; §. 2. 2. *directe*, vt noxios poſſit ſupplicio capitali adficere, §. 3. *ad fin.*

§. 2.

Indirecte exercet princeps ius vitae et necis, dum ciues exponit periculo mortis, quod tempore belli fit; quia enim bellum non geritur ſine milite, praeliis, et violentia; haec omnia autem cum periculo vitae coniuncta ſint, opus eſt potentia ciues armandi, aduerſus hoſtem ducendi, praelia committendi, vrbes oppugnandi, quae omnia ſine periculo non fiunt.

Hinc Imperanti eſt 1. ius delectum habendi vel conſcribendi milites; et quidem, vbi militia lecta eſt, promiſcue ciues omnes, quod Deum ipſum in re publica Hebraeorum probaſſe videmus;

vbi mercenaria, eos, quos militiae aptiores videt, quam aliis officiis; vbi tamen periculi magnitudo id ſuadet, nemini defugiendum eſt officium defendendi communem rem publicam; ſtudioſorum laus in obſidione Groningana, Haffnienſi. 2. militem ſemel lectum recte exponit periculo, veluti in ſtationibus periculoſis collocando, in conflictum ducendo, in cuniculos mittendo; et quidem 3. vt pereant potius, quam ſtationem deſerant; ſic Leonidas cum copiis ſuis apud Thermopylas periit; modo id rei publicae ſalus exigat; 4. ergo et fugam, et timiditatem militum tanto grauius coërcere poteſt, quanto maiore cum periculo rei publicae ea vitia coniuncta ſunt.

Sed aliud eſt periculo exponere militem, ſi id exigat rei publicae ſalus; aliud propricidium mandare; nam 1. priori caſu moritur quis ex officio, quia miles eſt, vi hoſtis; hic moritur extra officium tamquam deſperatus manu propria; 2. ibi prouidentiae diuinae ſe committit, hic de prouidentia diuina deſperat; 3. ibi vere conſulit rei publicae ad extremum halitum pugnando, hic non conſulit, vnius enim hominis vita pluris eſt, quam iactura arcis vel nauis, 4. principi ius eſt in vitam, non in animam hominis. Et valde dubium eſt, immo vix credibile, an ſalua poſſit eſſe anima, quae tale conſilium capit.

§. 3.

Directe ius vitae et necis exercet imperans, quoties ſceleratos inemendabiles ſupplicio capitali adficit; hinc agit auctor 1. *de natura poenarum*, §. 3-5. 2. *earum cauſſa et fine*, §. 6-10. 3. *quaenam delicta in ciuitate punienda*, §. 11-15. 4. *quomodo fieri debeat poenae aeſtimatio*, §. 16-19. 5. *an quis et alieni delicti poenam ferre debeat*, §. 20.

§. 4.

Quid ergo *poena?* Retinuit auctor definitionem GROTII: *poena* eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis; ſed iam ſupra monuimus, addendum eſſe: *a ſuperiore*, aut definitionem eſſe falſiſſimam, quin et multos inde errores naſci; nam 1. inde ſequitur, iuſtam eſſe vindictam propriam, ciuium rebellionem, tumultus; 2. inde GROTIVS ipſe hauſit doctrinam abſurdiſſimam, poenam gentis improbae eſſe cauſſam belli iuſtificam; adeoque populum poſſe alterum bello perſequi, non ob aliam cauſſam, quam

quod

quod delictum admiſerit. Ita licere ſibi putarunt Hiſpani, petere Americanos, qui in ſe nihil admiſerant, quia erant idololatrae, ἀνθρωποφάγοι, barbari, quam belli cauſſam ipſi cordatiores Hiſpani deteſtantur; quis Hiſpanos ſuperiores conſtituit Americanis? Vid. BVDDEI *Diſſ. de expeditionibus cruciatis.*

Eſt ergo *malum*;) adeoque in eo conſiſtere debet poena, quod delinquens pro malo reputet; hinc aeque abſurda eſt poena relegationis furibus inflicta, quam ſuffocatio in aquis cancro a ciuibus, neſcio cuius oppiduli, dictata.

Paſſionis.) Obiicitur, poenam in actione quoque conſiſtere poſſe, e. g. ſi quis damnetur ad operas publicas? Reſp. tunc non actionem eſſe poenam, (eadem enim agunt homines innocentiſſimi pro diurna mercede, quos ideo puniri non dixeris); ſed ſenſionem ingratam, adeoque paſſionem, quae ex eo immodico labore reſultat.

Infligitur.) Inuito itaque poena infligenda, id eſt, talis, quam reus a ſe amoliretur, ſi poſſet; nam alias ſaepe contingere videmus, vt damnati magna animi alacritate ſupplicium ſubeant.

Ob malum actionis.) Ergo correlata ſunt delictum et poena; quae ſe mutuo ponunt et tollunt; ac proinde martyrum cruciatus non fuere poenae, quia nihil deliquerant; multo minus, qui bello occumbunt, poenam ſubiiſſe dicendi ſunt.

A ſuperiore.) Ergo poena non eſt, ſed iniuria, quae infligitur ab iis, quibus ius non eſt puniendi, e. g. vindicta priuata, ſeditio, tumultus.

Itaque facile patet, a poena quam maxime differre reparationem damni; haec enim quidem ex delicto vel mala actione itidem naſcitur, ſed ex alio fundamento. Ad poenam quis obligatur, quia leges violauit, id quod vocamus *reatum*; ad reparationem damni ob detrimentum alteri illatum, quod *laeſionem* vocamus; hinc et vnum alterum non tollit; potius argumentamur: vbi coniunctae ſunt cauſſae, ibi et effectus coniunctim adeſſe oportet: in omni delicto coniunctae ſunt cauſſae, reatus et laeſio; ergo et effectus coniunctim adſint neceſſe eſt, puta poena et damni reparatio.

§. 5.

Ex quo facile patet, poenis tantum locum eſſe in ſtatu ciuili, non in naturali; vbi enim deficit ſuperior, ibi et deficit poena, per definitionem §. 4. datam: in ſtatu naturali deficit ſuperior; ergo et poena deficit, ſcilicet humana, diuinae enim et in ſtatu naturali

locum eſſe nemo dubitarit. Vid. GROT. *de iur. bell. et pac. II*, 2.

Itaque 1. ius poenas infligendi non habet priuatus. Obiiciunt exemplum Zelotarum, cuius exemplum dedit Pineas, *Numer. XX*, 7. *ſeqq.* itemque exemplum vindicis ſanguinis; adde 1. *Maccab. II*, 25. ſed non eſt quaeſtio, an magiſtratus poſſit ius vindicandi priuatis permittere, quod nemo negat; et notum eſt, legibus etiam Romanis furem nocturnum licere occidere; ſed quaeſtio eſt, an priuatus, qua priuatus, ius puniendi habeat? id quod omnino negandum. Conf. BVDDEI *Diſſ. de iure zelotarum in gente Ebraea* §. 34. *ſq.*

2. Poenae non ſubiectus eſt populus liber, nec id ius puniendi ſibi quiſquam vindicare poteſt, niſi populus ſit pars rei publicae. Sic Iſraelitae in poenam adgreſſi ſunt Beniaminitas, quia ob nefandum crimen ſatisfactionem negabant Iudaeis; erant enim Beniaminitae tribus et pars rei publicae Iſraeliticae.

3. Multo minus Rex ſiue a populo, ſiue ab extraneo puniri poteſt; hinc deteſtandum facinus populi Anglicani Carolum I. obtruncantis, multoque magis deteſtandum ſupplicium Conradini Hohenſtaufii a Carolo Andegauenſi inflictum, de quo ſingularia quaedam habent GVNDLINGIANA, in *Diſſ. de Conradino*; iure victoriae vti poteſt victor, non iuris dictione.

Ipſi Romani hac in re abſurdi, qui Reges et duces in triumpho ductos ſecuri percuſſerunt. Atqui Iſraelitae reges deuictos ſuſpenderunt, aliiſque poenis ſatis truculentis adfecerunt? Reſp. id Deus iuſſerat ob idololatriam et immania crimina, quae perpetrarant; quod vero Deo, ſupremo iudici, licet, id non ſtatim hominibus conceditur.

Sic facile intelligitur, cur Cainum ob parricidium nemo puniuerit; vixit enim in ſtatu naturali, adeoque neminem habuit ſuperiorem. Obiici poſſet, vixiſſe adhuc Adamum, eum vero tamquam caput et principem familiae ſuae id crimen iure potuiſſe vindicare? Sed quis credat, Cainum tantae aetatis virum adhuc in patria poteſtate vixiſſe, quae iure naturae ceſſat, ſimulac non amplius opus eſt educatione.

§. 6.

Hactenus de natura poenarum; ſequitur earumdem *cauſſa et finis*, quem auctor conſiderat 1. *negatiue*, qualis non ſit, §. 6. 2. *poſitiue*, quis ſit, §. 7-10.

Finis ergo poenarum non eſt 1. voluptas laeſi, vt is animum

et

et oculos paſcat, quemadmodum occiſo Cicerone Fuluia, Antonii vxor, linguam eius capite, quod in ſinu tenebat, extractam graphiis et acubus pungebat. Princeps ad nihil obſtrictus eſt, quam quod ad ſalutem rei publicae pertinet; illa laeſi voluptas non pertinet ad rei publicae ſalutem; ergo ad eam laeſo excitandam non tenetur; accedit, quod in ſe inhumanum eſt, ex alterius miſeria et dolore voluptatem capere.

2. Nec ſatisfactio diuinae iuſtitiae, qui conceptus eſt theologis frequentiſſimus. Verum equidem eſt, Deum velle, ut iuſtitia adminiſtretur, et noxii puniantur; verum etiam, peccare Imperantes, qui id officium negligunt, quin et voluntati Dei ſatisfacere, qui poenas noxiis pro merito infligunt; at falſum eſt, poenis ſatisfieri iuſtitiae diuinae; Nam a) iuſtitia Dei eſt infinita, ac proinde ſatisfactio etiam infinita requiritur, quae non alia eſt, quam per Chriſtum; b) haec ſatisfactio iam facta eſt, adeoque non requiritur vlterior per mortem vel ſupplicium delinquentis; c) pleraeque poenae ſunt humanae, non a Deo ſancitae; non potuiſſet autem non Deus poenas ſingulis delictis iure vniuerſali ſtatuere, ſi his poenis eius iuſtitiae ſatisfieret; d) ſi hic poenarum finis eſſet, nulla omnino poſſet remitti, quod abſonum; quum et Deus Caino gratiam fecerit poenae parricidii.

Hinc merito hanc ſententiam deſeruit Bvddevs, in *Theol. moral. part. II. cap.* 4. §. 9. cautiuſque loquutus finem poenarum non eſſe ait ſatisfactionem, quae fiat iuſtitiae diuinae, ſed ſatisfactionem iuſtitiae, quam Deus intendat; quamuis et hoc cenſuram mereatur, niſi id ita intelligas, magiſtratum, dum punit, iuſte agere.

§. 7.

Iam ergo ad genuinos poenarum fines progreditur auctor, quorum 1. eſt praecautio laeſionum et iniuriarum; idque iterum fit trifariam: a) quod emendatur delinquens; qui finis praecipue intenditur poenis iuuenum, ab aliis corruptorum, ex praecipitantia, vel vehementiore adfectu peccantium; b) quod alii eius exemplo deterrentur a ſimilibus facinoribus; homines ita comparati ſunt, vt ſenſionibus maxime moueantur: iam ſingulae res ita comparatae ſunt, vt diuerſo reſpectu ſe tamquam bonas et malas repraeſentent; delinquentes plerumque eas ſibi ſiſtunt tamquam bonas, quia vel voluptatem, vel lucrum adferunt; c) malum cum iis coniunctum nec

delin-

delinquentes; nec alii ſibi ob oculos ſiſtunt; ergo eius modi triſti ſpectaculo opus eſt, quo admoneantur alii, quam male ſibi conſulant, qui extra leges viuunt.

Hinc redditur ratio, 1. cur publice infligantur poenae, et non ſine terribili adparatu, 2. cur poena aliquando et in mortuis exſequutioni mandetur, e. g. propricidas publice per plateas trahendo, damnatos, qui poenam morte anteuertunt, mortuos in furcam tollendo, comburendo, cet. 3. immo ipſi delinquentes non amplius oneri ſunt rei publicae; quod inprimis ſpectandum in poenis latronum, furum, ſicariorum, cet.

§. 8.

Primus finis pertinet ad vtilitatem peccantium; quo fine eius modi poenae 1. recte demandantur ipſis parentibus, dominis, maritis; eo nomine et ergaſtula rei publicae proſunt. At aliquando tamen ſi haec ſuſque deque habeantur, ipſe potius magiſtratus eas exſequitur; hinc ſententia: *daſs der Delinquent durch den Stock-Meiſter tapfer mit Ruthen zu zuchtigen*; 2. omnes has poenas carere debere nota infamiae, alias finis non obtinetur; effectus enim eius modi poenarum aut poenitentia eſt, et tunc finis obtinetur; aut deſperatio, tunc eo deteriores fiunt delinquentes; deſperatos autem fieri oportet, quibus ob infamiam nulla ſpes ſupereſt anteactae vitae labem virtute eluendi. Laudanda ergo prudentia militaris, quod poenae pleraeque militares, etiam ſatis aliquando atroces, ſine nota infamiae infliguntur.

§. 9.

Alter finis comparatus ad vtilitatem ipſius laeſi; proſpicitur enim 1. eius futurae ſecuritati, e. g. ſi reus damnetur ad mortem, ſi in ergaſtulis, triremibus, munimentis habeatur, vel ſi vires nocendi ſubtrahantur. Ita olim furibus manus truncabantur, quod tamen itidem crudele; rectius rebelles Vltraiectinos coercuit Fridericus I. Imp. apud GVNTH. in *Ligur. libr. I.* 2. eius ſatisfactioni, ſi damnum poſſit reparari, e. g. ſi res furtiuae apud furem reperiantur, vel ſi iſte fateatur, quem penes latitent, cet.

Ergo abſurdum, quibuſdam locis obtinere paroemiam: *mit dem Tode wettet man dem Richter, und büſſet dem Kläger*; multo iniquius, res furtiuas a iudice retineri pro impenſis in inquiſitionem et exſequutionem factis. Inprimis vero laeſi ſecuritati conſulendum

3. in

3. in delictis, quae ad tempus futurum ſimul pertinent, e. g. in minis, vbi non dimittendus eſt e carcere reus, niſi praeſtita cautione de non offendendo.

§. 10.

At praecipuus finis eſt vtilitas publica, vt 1. vindicetur contemtus legum, qui vitari non poſſet, ſi cuiuis liceret, eas impune violare; 2. exemplo moneantur ciues, non eſſe peccandum in leges; hinc elegans veterum loquutio: exemplum ſtatuere; exempla hic fiunt; facere aliquid inſigne; vnde etiam cadauera non tolluntur furca et rota, potius ea publicae viae vicina eſſe ſolent; quae omnia demum reſoluuntur 3. in hunc generalem finem, vt ſeruetur ſecuritas publica interna, ne ciuis ciuem laedat, ne alter alteri faciat iniuriam; hinc Apoſtolus orandum ait pro magiſtratibus: vt tranquillam quietamque vitam agamus, cum omni pietate ac grauitate, 1. *Timoth. II*, 2. Vid. HOCHSTETTERVS, *de iure poenarum, ſect. V. pag.* 44.

§. 11.

Quaeritur, *quaenam delicta in ciuitate punienda* ſint? Reſpondent nonnulli: omnia, inprimis eo pertinent paradoxa Stoicorum: omnia delicta eſſe paria; ſapientem non ignoſcere. HORAT. *Sermon. I*, 3. 115. *ſeqq.*

Nec vincet ratio hoc: tantumdem vt peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Diuum ſacra legerit: adſit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas;
Ne ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Sed id parum ſolidum; nam 1. multa ſunt delicta, eaque grauiſſima, quae ne quidem ad Imperantis iuris dictionem pertinent; e. g. quaecumque cogitando admittuntur, *L.* 18. *D. de poen.* 2. ſi indiſtincte omnia delicta punienda eſſent, delendum eſſet vniuerſum genus humanum; quis enim non peccat? 3. id non requirit finis, puta rei publicae ſecuritas; ſunt enim quaedam delicta, quae ad eam non pertinent, et hinc regula: *Ea demum delicta in re publica punienda, quae eius ſecuritatem turbant.*

Hinc auctor a poenis merito eximit 1. actus mere internos;

veluti cogitationes prauas, cupiditates, deſtinationes ſine effectu, a) quia latent, et b) ſi vel maxime per confeſſionem pateant, non turbant tamen rem publicam. Id tamen exceptionem patitur, ſi res ad actum proximum peruenerit, e. g. ſi venenum quis infuderit cibo, fores iam perfringere furti cauſſa voluerit, et impeditus ſit.

§. 12.

Merito etiam excipiuntur 2. minutiſſimi lapſus, quos plerumque homines euitare ex naturae conditione nequeunt; tales ſunt omnes a) praui adfectus, ira, inuidia, cet. Hos non punit magiſtratus, niſi in actum externum vitioſum erumpant; α) quia poenae nullum effectum haberent, vtpote quae animum non emendant, β) quia ſecuritas ciuium iis non turbatur; potius itaque tales defectus emendandi virtute, pietate, religione; b) facta ciuilia contra legem admiſſa, quae quidem actionibus ciuilibus emendantur, at non puniuntur; e. g. qui pacta violat, agit contra legem, nec tamen ideo punitur, ſed ad ſeruanda pacta adigitur; c) leuiores exceſſus, qui non turbant rem publicam; e. g. ebrietas, verba ſcurrilia, ſi in nullius iniuriam vergant, otium, cet.

§. 13.

Porro 3. excipiuntur quaedam delicta, quibus impar eſt res publica; talia potius diſſimulanda, quam fruſtra tentanda, ne vel magiſtratus prodat impotentiam, vel ſalus rei publicae periclitetur. Tale Romae fuit foenebre malum, in Germania olim diffidationes, hodie *das Geſundheit-Trincken*, cet. impar autem aliquando eſt res publica, a) ob formam, quia Imperans nimis adſtrictus, vt olim Imperator; b) ob magiſtratus participationem; c) ob ipſius delicti naturam, quod variis nominibus palliatur; e. g. non quis vſuras accipit, ſed reditus emit; poenam conuentionalem ſibi ſtipulatus eſt.

§. 14.

Exemta porro a poena ciuili 4. vitia animi ex communi hominum labe reſultantia, qualia tria illa primaria, AMBITIO, VOLVPTAS, AVARITIA, nam a) et haec interna ſunt, quae ad Imperantis iuris dictionem non pertinent; b) eadem communia ſunt hominibus omnibus, nec vlli mortali parcendum eſſet, ſi omnia ad viuum eſſent reſecanda; c) in ſe non turbant tranquillitatem rei publicae;

blicae, e. g. ſi quis ſe putet primum omnium hominum; ſeque ſuaui illo ſomnio vnice oblectet; ſuperbus quidem eſt, quin ſtolidiſſimus, ſed ſibi deſipit, nec vllo modo haec pertinent ad rem publicam.

Sed quamuis haec non turbent rem publicam in ſe, turbare tamen poſſunt, ſi erumpunt in actus illicitos ciuibus reliquis noxios; e. g. ſi ambitio abeat in iniurias, ſeditiones; voluptates in ſtupra, adulteria; auaritia in furta, rapinas, fraudes, ſtellionatus; tunc omnino puniuntur huiusmodi delicta, ſed non tam punitur cauſſa, quam effectus.

In eo animaduertendum inſigne diſcrimen inter iudicia diuina et humana: in illis magis ad animum tamquam radicem peccatorum, in his ad effectum ſeu actiones earumque effectus reſpicitur, e. g. qui fratri iraſcitur, homicida eſt Deo, *Matth.* *V.* apud homines ſolus occidendi animus homicidam non facit, ſed ipſam ſequutam eſſe oportet hominis necem.

§. 15.

Aliquando contingit, vt, licet poena dignum ſit facinus, princeps tamen gratiam faciat poenae, ſeu delicti det veniam, id quod vocant *ius aggratiandi.* Vbi quaeritur,

1. *An id fieri poſſit ſaluo iure naturae.* Stoici negabant, quia qui ſuum cuique non tribuit, iniuſtus ſit, adeoque et is, qui non puniat poena dignum. Sed prius verum eſt, ſi quis aliquid alteri denegat inuito, quod iure praetendit; poena vero nemini inuito denegatur, eam quoque nemo praetendit.

Potius argumentamur, 1. Qui poenas ſtatuere poteſt, eaſdem poteſt remittere; 2. ſi ſapiens nemini ignoſcit, quod volunt Stoici, plane etiam iniuſta eſſet remiſſio peccatorum, tum diuina, tum humana; atqui poſterius abſurdum; ergo et prius. At hoc ius omnino non exercendum citra grauiſſimas cauſſas, quia nec ſine grauiſſimis cauſſis feruntur leges.

Tales cauſſae ſunt; 1. ſi finis poenarum in certo caſu non ſit neceſſarius, ſed remiſſio vtilior, quam ſeueritas poenarum; e. g. in bello ruſtico; 2. ſi eximia ſint delinquentis in rem publicam merita, e. g. Cicero vere aduerſus leges peccarat, quod coniuratos occidiſſet ſine populi ſuffragiis, *l.* 2. §. 16. *D. de orig. iur.* ſed quia tamen eo ipſo ſeruarat rem publicam, vtilius fuiſſet ei ignoſcere. Hinc mos Romanorum reorum cicatrices oſtentandi populo in ſuffragia ituro; 3. ſi ſpes ſit emendationis, e. g. ſi iuuenis peccarit; 4. ſi

quis ex ignorantia et praecipitantia peccarit, e. g. Ionathan deguſtando mel; 5. ſaepe, ipſa peccantium multitudo veniam extorquet, vti in tumultibus, ſeditionibus, bellis ciuilibus, vbi tamen intereſt rei publicae, ſaltem faces et tubas poenas dare.

At quamuis non denegandum ſit Imperanti ius aggratiandi; non tamen ei locus eſt, ſi poena iuris diuini ſit: hinc quaeritur, *an et poena homicidii poſſit remitti?* Qui praeceptum diuinum eſſe cenſent illud *Geneſ. VIIII. 6. qui hominis ſanguinem fuderit, ipſius inuicem ſanguis per hominem fundatur*, id merito negant; adfirmant vero, qui id pro praedictione habent; nec improbabilis eſt haec ſententia, 1. quia tum nondum erant res publicae; 2. quia non imperatiue dicitur: *eius ſanguis effunditor*; ſed in futuro: *eius ſanguis effundetur*; quia tamen a) ſaltem patres familias tum erant capita et imperantes familiae, qui et poenam capitalem infligere poterant, b) tota fere lex diuina in futuro concepta: *non habebis Deos alienos coram me*, cet. tutior eſt ſententia vulgaris. Vid. tamen THOMASII *Diſſ. de iure aggratiandi principis euangelici in cauſſis homicidii.*

§. 16.

Sequitur quarta pars capitis *de poenarum aeſtimatione*, quae duplicem vſum habet; 1. in prudentia legiſlatoria; ne Imperans acriores poenas ſtatuat, quam iuſtum eſt, etiam in delicta leuiora; 2. in prudentia iudiciali; quoties poena arbitraria ſtatuta eſt; tunc enim iudicantium et de iure reſpondentium eſt, poenam aequam nec iuſto acriorem, nec nimis tamen lenem ſtatuere.

In aeſtimanda ergo poena reſpicitur 1. ad obiectum; quo enim illud nobilius eſt et pretioſius, eo maior poena obtinet; non tamen hoc primarium momentum, nam ſimul ſemper conſiderandum, an nobile illud obiectum vere laeſum ſit, et an laeſio illa coniuncta cum detrimento rei publicae, e. g. blaſphemia, periurium merito grauiter puniuntur, at grauior tamen ſolet eſſe poena laeſae maieſtatis humanae; 2. damnum redundans in rem publicam; ſic homicidium ſimplex capite punitur, furtum laqueo, latrocinium rota, deſertio laqueo; 3. prauitas intentionis, e. g. ſi quis homicidium deliberato animo ſuſcepit, vel proditionis et occultandi delicti cauſſa; 4. ſi acceſſerint circumſtantiae aggrauantes; e. g. quaeritur a) *quis?* filius occidit patrem, mater infantem, coniux con-

iugem; b) *quid?* plures occidit graſſator; tunc adhibentur forcipes candentes, quaſi poenarum ſuperpondium; c) *vbi?* occiſus quis in templo, inter ſacra; d) *quibus auxiliis?* eſt homicidium proditorium; e) *cur?* occidit quis voluptatis, rapinae, occultandi delicti cauſſa; f) *quomodo?* veneno, omni adhibita crudelitate; g) *quando?* ad quam circumſtantiam praecipue reſpicitur in procuratione abortus punienda, an nimirum partus fuerit vitalis, nec ne?

§. 17.

At quaeritur, quomodo intelligendum ſit axioma: *poenam debere eſſe delicto proportionatam?* id non intelligendum 1. de obiecto ſolo delicti; ſi enim ſemper requireretur aequalitas ratione obiecti, ſola poena talionis deberet obtinere; at ea obtinere nequit, a) quia ſaepe talioni locus non eſt, e. g. fur furatus eſt 1000. ipſi ſaepe eripi ne 10. quidem poſſunt; b) quia ſaepe non poteſt in talionis poena obſeruari aequalitas, e. g. ſclopeto quis vulnerauit Titium, ſed ita vt nec de vita, nec de integritate membrorum periclitetur; an ſimile illi vulnus ſclopeto infligi poterit? ſic etiam excuſari non poſſet, grauiorem eſſe poenam laedentis maieſtatem humanam, quam diuinam, furis, quam homicidae; ſed 2. de effectu, quem delictum habet in re publica; quo magis enim delictum turbat rei publicae tranquillitatem, eo ſeuerius puniendum; inde grauiſſima poena ſtatuta erat in ruptores aggerum Nili.

Secundum haec principia 1. poena ſtatuenda a ſummo Imperante vel ordinaria, vel arbitraria; 2. ea exaſperanda, ſi delictum frequentius; abigeatus poena grauius in Iberia vel Hiſpania puniebatur; ſcopeliſmus apud Arabes; 3. iudicis non eſt poenam vel intendere, vel minuere, vel remittere, ſed legum normam eam in rem ſequi.

§. 18.

Quin dici poteſt principem, (non autem iudicem vel magiſtratum) poſſe atrociorem vel leniorem poenam duabus perſonis idem delictum admittentibus ſtatuere. Eſt enim malum paſſionis; id iudicatur ex ſenſu; ſenſus mali non omnibus iidem, ergo nec poena in omnibus eadem eſſe poteſt, e. g. mulcta 10. imperialium poena erit Titio pauperi, non Luctatio Neratio diuiti; fuſtigatio mediocris poena erit homini infami et nullius exiſtimationis, at maxima vi-

ro honeſto vel nobili, vel in dignitate conſtituto; hinc toto *titulo D. de poen.* diuerſae conditionis hominibus diuerſae poenae dictantur; e. g. honeſtioribus deportatio, vilioribus mortis ſupplicium.

Obiici poſſit, hanc eſſe perſonarum acceptionem, quam Deus grauiter prohibeat? Reſp. negando, ea enim eſt 1. quando vnus ex duobus, qui in pari reatu ſunt, abſoluitur, alter condemnatur, ſi iudex

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas;

itemque 2. ſi poena inaequalis diuerſis perſonis infligitur; hic vero neutrum fit; nam et vterque punitur, et aequalis vtriuſque poena eſt quoad ſenſum, quamuis non ſit eadem in ſpecie. Haec vero ratio eſt, cur tam multae in iure noſtro ſint poenae arbitrariae, vel iudicantium religioni et arbitrio relictae, quia nimirum ſine conſideratione perſonarum vix poſſunt definiri.

§. 19.

Ea occaſione auctor progreditur ad delicta vniuerſitatum, quaeritque, *quid iuris ſit, ſi vniuerſitas toto imperio ciuili ſubiecta*, (nam ſi libera ſit, bello, non poenae, locus eſt), *delictum admiſerit?*

1. Poſſe vniuerſitatem peccantem puniri, probatur inde, quod omnia requiſita poenae adſint; nam a) poteſt vniuerſitas admittere malum actionis, e. g. pagos et oppida incendere, pacem publicam frangere, delinquentibus receptum dare, cet. b) poteſt ſentire malum paſſionis, e. g. vt deleatur, vt priuilegiis priuetur, vt pecuniae ſumma mulctetur, cet. c) habet ſuperiorem, cuius contemplatione pro perſona habetur, ergo poteſt puniri.

Quia tamen ita facile contingere poteſt, vt poena vniuerſitatis etiam ſingulos innocentes premat, diſtinguendum 1. an per tumultum pars plebis deliquerit, nam tunc vniuerſitas puniri nequit, ſed tumultuantes; magiſtratus vero eſt, ſeuere id vindicare, niſi ipſe velit ſe delicti participem facere; 2. an ciues quid fecerint iuſſu magiſtratus? tunc magiſtratus eſt cauſſa moralis, et quidem principalis, ac proinde iſte puniendus acrius; Vniuerſitas vero tamquam cauſſa minus principalis leniore poena adficienda; 3. an denique tota vniuerſitas per modum conſpirationis delictum admiſerit, quod fieri ſolet in ciuitatibus democratice adminiſtratis; tunc vna voluntas, vna perſona, adeoque recte vniuerſitas tota punitur, obſidetur, cet.

In

In omnibus tamen his caſibus merito humanitatis eatenus habetur ratio, 1. vt qui duces et faces fuerunt, praecipue puniantur, reliquis ob multitudinem peccantium gratia fiat delicti; 2. vt parcatur feminis, pueris, infantibus, nec ii directe puniantur; 3. vt magis de futura coërcitione, quam de praeteriti delicti poena cogitetur; hinc prudentiſſimi principes tumultuantes ciuitates non exhauſerunt ciuibus, ſed conditis munimentis in officio in poſterum retinere ſtuduerunt, cet. e. g. Carolus V. ita puniuit Gandauum; 4. vt horum delictorum poena non exigatur a poſteris, niſi quatenus et ipſi delictum continuant, vel damni reparationem denegant.

§. 20.

Supereſt vltima pars capitis, *an quis alieni delicti poenam ferre debeat?* Vocamus *alienum delictum*, cuius ipſi nec cauſſa moralis ſumus, nec phyſica: hinc ob delictum non alienum, ſed proprium puniuntur, 1. qui mandant, compellunt, incitant alios ad delinquendum, 2. qui participant de delicto, 3. qui delinquentibus receptum dant. Ad hos ergo et ſimiles haec quaeſtio non pertinet, ſed de iis tantum agitur, qui nullo modo delicti cauſſae fuerunt, nec morales, nec phyſicae; hos ergo directe puniri non poſſe, ex doctrina de imputatione patet; non ſunt auctores actionis, ergo actio non imputatur; *imputare* eſt declarare, aliquem effectum actionis ferre debere, ergo hi non debent ferre effectum actionis; effectus actionis eſt poena, ergo hi non debent puniri, ergo non probanda eſt *lex* illa dura *l. 5. C. ad leg. Iul. maieſt.*

At id verum eſt *directe*: per *indirectum* enim contingere poteſt, vt poena et in innocentes redundet 1. per imperfectionem rerum humanarum, e. g. ſi parentes puniantur, fieri non poteſt, quin incommodum ſimul ſentiant liberi, quamuis id magiſtratus non intendat; 2. propter obligationem ſpontaneam, e. g. ſi quis pro delinquente ad iudicatum ſolui ſe obſtrinxit, (quod fieri poteſt in cauſſis non capitalibus), reo aufugiente ipſe mulctatur, non quia deliquit, ſed quia ſolutionem mulctae in ſe ſuſcepit. Illud triſte eſt, quod vno ex familia punito totius familiae exiſtimatio periclitetur. Sed id neque a lege, neque a magiſtratu eſt, ſed ex vana opinione hominum, quam coërcere deberent Imperantes; fieri enim id poſſe, Angliae docet exemplum, vbi ſalua ſemper eſt illuſtrium familiarum exiſtimatio, ſi vel maxime vnus vel alter ex illa poenas delicti dederit.

CAPVT

CAPVT XIIII.

DE EXISTIMATIONE.

§. 1.

VIdimus hactenus, quid Imperanti iuris ſit in hominum voluntates; quibus leges poteſt praeſcribere, (*cap.* 12.); quid illi liceat in vitam ipſam hominis, (*cap.* 13.) Iam de eiuſdem poteſtate in exiſtimationem, famam, et honorem ciuium, quae cum vita pari paſſu ambulare videntur, hoc capite agitur; et quidem expenditur 1. *quid ſit exiſtimatio?* §. 1. 2. *quotuplex illa?* §. 2. 3. *quid iuris ſit circa aeſtimationem ſimplicem?* §. 3-10. 4. *quid circa intenſiuam?* §. 11-16.

I. *Exiſtimatio* quid ſit, patet ex definitione: eſt ea valor perſonarum in vita communi, ſecundum quem aliis vel pares, vel digniores, vel viliores iudicantur.

Valor.) Quemadmodum enim res, prout reliquis vtiliores, rariores, praeſtantiores ſunt, ita pretium habere dicuntur: ita et perſonae, prout moraliter, vel ciuiliter, vel phyſice aliquid praerogatiuae habent, reliquis exiſtimatione antecellunt, e. g. virtute praediti, viri docti et prudentes, ingenioſi. Quod ergo in rebus eſt pretium, id in hominibus eſt exiſtimatio, vtrumque eſt valor quidam.

In vita communi.) Si enim non in ſocietate viueret homo, nulla eſſet exiſtimatio; quia tunc nec aequiparari aliis, nec anteferri, nec poſtponi poſſet.

Vel pares, vel digniores, vel viliores.) Eſt hic effectus exiſtimationis: quum enim omnis valor requirat menſuram, vel comparationem, quae hic eſt comparatio hominis cum homine, quemadmodum in auro comparatio auri cum pondere, neceſſario ſequitur, vt vel alter altero dignior, vel vilior, vel aequalis habeatur.

Ceterum ſupra habuimus caput ſingulare de agnoſcenda hominum aequalitate; ſi ergo omnes homines ſunt aequales, quomodo alter altero dignior, vel vilior haberi poteſt? Reſp. aut hominem conſidero quoad officia iuris naturae, tunc omnes ſunt aequales, e. g. Titium laedere, occidere, expilare, defraudare non poſſum, qui eſt vir honeſtus; at non magis eam iniuriam facere poſſum Iro, qui eſt mendicus,

dicus, nulliusque exiſtimationis; hinc leno apud TERENTIVM, *Adelph. II.* 1. 34. 35.

Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium:
Periurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt iniuria;

aut hominem conſidero ratione morum et meritorum, tunc omnino alter praeſtantior, vel vilior, e. g. ſi comparemus Catonem et Clodium, Ciceronem et Catilinam.

§. 2.

II. *Exiſtimatio* illa vel eſt *ſimplex*, vel *intenſiua*; illa et *fama*; haec etiam *honor* adpellatur.

Simplex eſt, quando quis ob vitam honeſtam pro idoneo membro humani generis vel ciuitatis habetur; *intenſiua*, quando quis ob bene merita aliis in re publica vel ſocietate humana praefertur.

Differentia manifeſta eſt, nam 1. ſimplicis fundamentum eſt, ſi quis nihil mali fecit; intenſiuae, ſi prae reliquis bene fecit, et bene de re publica meritus eſt; 2. illam habere poſſunt omnes, hanc pauci tantum

quos aequus amauit
Iuppiter, et praeſtans euexit ad aethera virtus,

3. illa opponitur infamiae, haec contemtui vel ſtatui plebeio. Vtraque iterum conſiderari poteſt, quatenus eſt vel in ſtatu naturali, vel quatenus in ſtatu ciuili reperitur; ſic e. g. Imperatori Rom. German. a Regibus praerogatiua conceditur, quum alias in ſtatu naturali omnes ſint aequales; haec intenſiua eſt exiſtimatio. Tartarorum Regis, vt et Algirienſium, Tunetanorum, Tripolitanorum fama vacillat ob latrocinia et piraticam; haec ad exiſtimationem ſimplicem pertinent. Et tamen hi omnes viuunt inter ſe in ſtatu naturali; de ſtatu ciuili ne quidem dubitari poteſt, in eo diuerſam eſſe hominum exiſtimationem.

§. 3.

III. Iam primum de ſimplici agit auctor, et quidem quatenus conſideratur 1. *in ſtatu naturali*, §. 3-6. 2. *in ſtatu ciuili*, §. 7-10.

Quum ſimplex pro fundamento habeat, ſi quis nihil mali fecerit, (§. 2.) male autem faciat, qui contra leges facit; in ſtatu denique naturali nullae ſint leges praeter ius naturae: conſequens

eſt, vt in eo conſiſtat exiſtimatio ſimplex in ſtatu naturali, ſi quis nihil contra ius naturae faciat. Hinc diximus laborare exiſtimationem Tartarorum, Algirienſium, cet. quod latrocinium et piraticam faciant, quae iuri naturae repugnant. Vbi ergo tale nihil populo poteſt exprobrari, ſalua eius eſſe cenſetur exiſtimatio.

Itaque 1. non ſtatim exiſtimatione carere dicitur populus, qui contra conſuetudines gentium facit, ſi illa in iure naturae non habeat fundamentum; ſtolide ergo CICERO in *Orat. pro Flacco* Iudaicam gentem pro infami habet, quod Deos et ſacra reliquarum gentium contemnat. Ita dici non poterat Pontifex Innocentius violaſſe ius gentium, quum legatis concedere nollet ius aſyli, id enim ex iure naturae non deſcendit; 2. non magis exiſtimatio deneganda populis, qui minus elegantiae vitae et doctrinae ſtudent; hinc ſtolidum fuit Graecorum de barbaris iudicium, quaſi ideo natio plane omnis exiſtimationis eſſet expers, quod Graeco more non viuat; quum plures barbari Graecis multo humaniores, caſtiores, frugaliores fuerint; de hac porro exiſtimatione ſimplici in ſtatu naturali quaeritur 1. *quando integra ſit?* §. 4. 2. *quando deminuatur?* §. 5. 3. *quando conſumatur?* §. 6.

§. 4.

Integra eſt, quamdiu quis nullo enormi facinore contra ius naturae et gentium dolo malo admiſſo alios laeſit. Quum enim in ſtatu naturali exiſtimatio ſimplex pro fundamento habeat ius naturae et gentium: ſequitur, vt nullo exſtante contra illud admiſſo facinore ea exiſtimatio ſalua ſit.

Dicimus vero 1. *facinus* eſſe debere *enorme* et apertum; nam lapſus humano generi communes non ſtatim hanc exiſtimationem laedunt; e. g. Auguſtus quoque ſuis vitiis laborabat iuri naturae aduerſis, e. g. ambitione et dominandi libidine, adulteriis, cet. quia tamen nullum eius facinus enorme pateſcebat, ſalua ac integra erat eius exiſtimatio.

2. *Dolo malo admiſſum*; nam ſi quid ex errore vel praecipitantia fiat, non ſtatim exiſtimatio haec perimitur, modo ſequatur poenitentia et ſatisfactio; ſic Abimelech non ideo amittebat exiſtimationem, quod Saram Abrahami vxorem ex ignorantia domum duxerat.

3. *Quo alii laeſi*; ſi ergo eo facto nemo laedatur, non ideo amittit exiſtimationem; e. g. Tiberius tam largiter ſe inuitabat in conuiuiis, vt pro Claudio Tiberio Nerone *Caldius Biberius Mero* dicere-

diceretur; ideo tamen non excidebat exiſtimatione, quia ebrius neminem laedebat. At laborat fama Alexandri M. quod ebrius Clitum occidit, vrbes incendit, veluti Perſepolin. Quum ergo in ſtatu naturali nullo admiſſo facinore enormi ſalua ſit exiſtimatio ſimplex, facile patet origo regulae; *Quilibet praeſumitur bonus, donec probetur contrarium*; contrarium enim non aliter probari poteſt, quam probato facinore aliquo enormi. Sed regula haec aeque in ſtatu ciuili, quam in naturali valet, adeoque ab auctore ad hunc locum non ſatis commode refertur.

§. 5.

Si ſcimus, quamdiu ſalua et integra ſit exiſtimatio, non obſcurum eſſe poteſt, *quomodo deminuatur*? ſi ſcilicet ab eo, qui in ſtatu naturali viuit, vnum vel alterum factum enorme aduerſus ius naturae et gentium admittatur, nam 1. tunc nemo cum eius modi homine tuto in ſocietate viuere poteſt; ſemper erit periculum, ne, qui ſemel malus fuit, ſemper talis ſit; 2. ſequitur id ex regula contrariorum, ſi enim integra eſt exiſtimatio nullo tali facinore admiſſo; deminui eam oportet, admiſſo tali facinore, multoque magis eo frequenter admiſſo.

Poſſet quis exiſtimare, plane conſumi tunc exiſtimationem: ſed non conſumitur ſtatim, ſi ſequatur poenitentia et ſatisfactio; haec enim purgat dolum malum, ſine quo exiſtimatio non laeditur; hinc quum Carthaginienſes pacem cum Romanis abrupiſſent, et Saguntum deleſſent, legatos miſere Romani, qui ſatisfactionem peterent; ea praeſtita et famam ſeruaſſent et rem publicam; ſed denegata illa adeo conſumta exiſtimatio, vt paſſim in prouerbium abierint: *Punica fides, Poeni foedifragi*, cet.

§. 6.

Denique in ſtatu naturali plane conſumitur exiſtimatio 1. vitae genere et inſtituto directe ſpectante ad aliorum detrimentum; quin ſic plane fit, vt nemo cum his pacem colere poſſit. Auctor huc refert in maiore opere *libr. VIII. cap* 4. 5. lenones, fures; ſed hi raro in ſtatu naturali viuunt; potius eo pertinent Arabes, Tartari latrocinantes, Afri piraticam facientes; 2. qui ſatisfactionem offerunt, ſed ita, vt ab illo inſtituto diſcedere nolint; ſic ſaepe quidem naues captas reſtituunt Afri, maxime vbi maiorem vim ti-

ment, ſed piraticam tamen nihilominus facere pergunt; hinc eorum exiſtimatio eo ipſo non reparatur.

Ceterum effectus huius infamiae in ſtatu naturali eſt, 1. quod tempore pacis in aulis et ab extraneis principibus eo honore non perfruuntur, quo aliae res publicae: hinc legatis Tartarorum et Afrorum parum honoris exhibetur; 2. quod in bello iura et leges victoriae mitioris vix aduerſus illos obſeruantur; 3. quod foedera nulla cum iſtis pangantur, niſi in odium tertii; 4. quod fides non habetur, niſi obſides dent, vel alio genere cautionis ſe obſtringant.

§. 7.

Iam de exiſtimatione ſimplice intra ciuitatem; eius fundamentum non eſt tantum ius naturae, ſed et leges ciuiles, quippe quibus ciues aeque obſtringuntur, ac iure naturae; quidquid ergo leges ciuiles prohibent, vel expreſſe, poenam infamiae comminando, vel tacite, ſtatuendo poenam corporis adflictiuam famoſam, id infamia notat; e. g. ſi vidua intra annum luctus nubat; ſi quis ob furtum fuſtibus caeditur.

Itaque recte definitur *exiſtimatio in ſtatu ciuili*, quando quis ita ſecundum mores et leges ciuitatis viuit, vt pro idoneo ciuitatis membro habeatur; differt ergo a ſtatu naturali, 1. quod ibi reſpicitur tantum ad ius naturae; hic tantum ad ius ciuile; 2. quod eius effectus ſit, vt quis pro idoneo membro generis humani habeatur, hic pro idoneo membro ciuitatis; e. g. qui in ſcenam prodibant mercede conducti, ideo non deſinebant eſſe membra idonea generis humani, ſed non erant amplius idonea membra ciuitatis Romanae.

Haec *infamia* recte diuiditur in *iuris* et *facti*: 1. illa contrahitur per factum legi prohibitiuae aduerſum, e. g. per furtum; haec per facta honeſtorum virorum iudicio turpia; e. g. per vitam diſſolutam; 2. illa non reparatur, niſi per reſtitutionem famae a principe factam; haec ſola emendatione; exemplum Themiſtoclis apud CORN. NEPOT. in *eius vit. cap.* 7. De ea quaeritur 1. *quomodo deficiat et conſumatur*? §. 8. 9. 2. *an inuito eripi poſſit haec exiſtimatio*? §. 10.

§. 8.

Deficere exiſtimationem in ſtatu ciuili obſeruat auctor vel *per ſtatum*, vel *per delictum*.

Per

Per ſtatum ſiue natura non turpem, e. g. per ſeruitutem; ſiue natura turpem, e. g. per latrocinium, cet.

Sed quamuis ſeruitus contemtum pariat, pro infamibus tamen haberi nequeunt ſerui; non quidem credebatur eorum teſtimonio niſi tortura confirmato; ſed id duriſſimum.

Nos generaliter teneamus, vitae genus, quod nihil in ſe naturaliter turpe habet, contemtum quidem parere poſſe, non infamiam, ob definitionem exiſtimationis ſimplicis, quam paullo ante dedimus; hinc fruſtra infamibus accenſentur ſpurii, caſtratores ſuum, lictores, cet.

Aliud de ſtatu in ſe turpi, is enim nihil eſt, niſi delictum continuatum, adeoque exiſtimatio cum eo conſiſtere nequit. Neque obſtat, quod inter ſe ſeruent iuſtitiam, quod de furibus et latronibus Aegyptiacis teſtatur HELIODORVS, *libr. V.* Non enim eſt virtus, vbi non aequalis eſt actionum omnium cum lege conuenientia.

Sed quaeritur, *an iſti homines iure communi priuentur?* Reſp. aut leges eos vſu iuris communis excludunt, aut non: ſi prius, ne tolerari quidem in re publica debent; tantum abeſt, vt iuris communis ciuilis fauorabilis ſint participes, poſteriore eius omnino ſunt participes. Hinc ſtulta deciſio Metelli, quam tamen laudat VALER. MAXIM. *VII.* 7. qui Vecilio lenoni bonorum poſſeſſionem negabat, quod leno eſſet, quum tamen lenones publice tolerarent Romani. Stolida deciſio Aemilii Conſulis, qui ideo reſcidit poſſeſſionem Genucio Sacerdoti Bonae Deae datam, quod Eunuchus eſſet, quum tamen alii ſacerdotium hoc non conferrent aliis, quam exſectis.

Contra ſapientius Praetor negauit, ſe actionem iniuriarum daturum ei, qui domum colludentibus aleatoribus praebuerit, *L.* 1. *D. de aleator.* Reprehendunt hoc nonnulli, ſed parum memores, non impunem fuiſſe hanc iniuriam, ſed tantum ſatisfactionem priuatam negatam eſſe huic patrifamilias.

§. 9.

Ob delictum etiam deficit exiſtimatio ſimplex, ſed non tamen ob omne, id enim inhumanum eſſet, et rei publicae noxium, *L.* 1. *C. de mod. mulct.*

Sed diſtinguendum, 1. inter leuia et enormia; ob illa enim fama hominum non iactanda, e. g. ſi quis inuito abſtulerit fruſtum panis; 2. inter ea, quae iuri naturae et communi tranquillitati repugnant; prioris generis infamant, e. g. latrocinia, furta, adulte-

ria, crimen laeſae maieſtatis; 3. inter doloſa, culpoſa, et caſualia; iſta infamant, e. g. homicidium doloſum et proaereticum; illa contemtum pariunt, et leuis notae maculam, e. g. ſi medicus ob homicidium culpoſum damnatus ſit; haec nec cum infamia, nec cum contemtu coniuncta ſunt, e. g. homicidium caſuale, moderamen inculpatae tutelae. Prudentiae tamen legiſlatoriae eſt famae parcere, quantum fieri poteſt, nam 1. ita multa fiunt inidonea rei publicae membra; 2. ita ſpes emendationis praeciditur; 3. ita totae familiae, et maxime innocentes, coniuges liberique per indirectum puniuntur.

§. 10.

Denique quaeritur. *an ſimplex exiſtimatio alicui inuito poſſit eripi?* Id recte negat auctor; nam 1. ea ſemper naſcitur ex factis turpibus, ſiue iure naturae, ſiue legibus ciuilibus prohibitis; deficiente ergo huius modi facto, tamquam cauſſa, ceſſat effectus; 2. ne Princeps quidem poſſet, ſi vel maxime vellet, innocenti et nullius criminis conuicto famam eripere; nam fama eſt benigna aliorum ſententia vel iudicium de noſtris actionibus; in opinionem autem hominum et iudicium nihil licet Principi, quia pertinet ad intellectum.

Hinc quum Praetor ob metum, qui cadit in virum conſtantem, ſe reſtitutionem in integrum daturum promiſerit, excipit tamen caſum, ſi quis iniecerit metum infamiae, *L.* 8. *§.* 2. *D. de his, qui not. infam.* ex ea ratione, quod has minas exſequi non poſſit priuatus, ac ne Princeps quidem, ſi alteri hic murus aheneus eſt,

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Si tamen dicendum quod res eſt, merito haec exceptio non debet attendi: quamuis enim nemo poſſit alterum vere infamem facere, poteſt tamen eum calumniando maxima adficere ignominia; e. g. minatur quis innocentiſſimo, ſe effecturum, vt infamis fiat, quia principis laeſerit maieſtatem; poteſt hic ſane virtuti ſuae ſe inuoluere, et has minas contemnere; ſed vereri tamen debet, ne rapiatur in vincula, ne dirae quaeſtiones de eo habeantur. Quod ſane ignominioſum eſt ex opinione hominum, ſi vel maxime abſoluatur.

§. 11.

Progredimur ad alteram partem de *exiſtimatione intenſiua*, cuius conſideratur 1. *natura*, *§.* 11. 2. *fundamenta*, *§.* 12-14. 3. *effectus a) in ſtatu naturali*, *§.* 15. *b) in ſtatu ciuili*, *§.* 16.

Inten-

Intenſiua exiſtimatio eſt valor perſonae, qui ſecundum merita cuiuſque et virtutes, vel alia eximia, quae habet, vel intenditur, vel remittitur.

Valor perſonae.) Et quidem talis, qui dat praerogatiuam prae aliis; vnde a ſimplice differt, cuius effectus tantum eſt, ne quis pro infami habeatur; ſimplicis ergo effectus eſt negatiuus, intenſiuae poſitiuus, qui ſe exſerit in honore, praecedentia, titulis, cet.

Merita et virtutes.) Haec prima cauſſa; ſic inſigni honore perſequimur homines fortes, prudentes, doctos, maxime ſi bene meriti ſint de re publica, ſpeciminaque virtutis inſignia ediderint.

Alia eximia.) Nam ſaepe et merita, et virtutes deſunt, et tamen aliis quis praefertur, quia eximii quid habet, e. g. ſplendorem natalium, opes vltra ſortem priuati.

Intenditur vel remittitur.) Quamuis enim ſtatum ſuum quis retinere poſſit, decreſcentibus etiam meritis, valori tamen eius multum decedit; hinc Nero, quum exacto quinquennio imperii primo in quaeuis flagitia et opprobria praeceps rueret, exiſtimationem intenſiuam paullatim amiſit.

Quum itaque effectus huius exiſtimationis intenſiuae ſit HONOR: quaeritur, *quid ſit*? Reſp. *honor* eſt benignum de alterius virtute et actionibus iudicium. *Venerationem* enim *habet*, inquit PLINIVS, *quidquid eminet.* Iam vero aut pauci de actionibus noſtris benigne iudicant, aut multi, aut omnes: primo caſu honor ille vocatur LAVS, altero FAMA, vltimo GLORIA.

Hinc vanum fuit Veterum ſomnium de honore immortali; moritur enim gloria quotidie, quoties moritur homo, quia in hominis opinione conſiſtit; vera virtus non quaerit honorem, ſed inuenit, eum non adſectatur, ſed aſſeclam et veluti pediſſequam habet.

§. 12.

Iam de fundamentis exiſtimationis intenſiuae, quae ſunt duorum generum: alia producunt aptitudinem tantum, vel ius imperfectum, alia ius ſtricte dictum perfectum.

Aptitudinem producunt, quaecumque digna ſunt honore, eius tamen poſſeſſionem vel quaſi nobis non tradunt, e. g. vir doctus et prudens dignus eſt, qui conſulatur, vel alia dignitate fungatur, nec tamen illa ſemper actu fruitur; habet ergo ob prudentiam tantum ius imperfectum; 2. ius producit, e. g. electio, in qua quis om-

ne

ne punctum tulit; ſi quis Conſul eligitur, ei erit ius perfectum et ſtricte dictum.

§. 13.

Fundamenta exiſtimationis intenſiuae imperfecta ſunt omnia, quae excellunt, ſiue vera bona ſint, ſiue adparentia.

Quum enim honor conſiſtat in opinione hominum; opinio autem hominum non ſemper rectam rationem, ſed etiam ſaepe adfectus pro norma habeat, poteſt et ea magni facere, quae non ſunt vere bona, immo manifeſto mala.

Hinc 1. genuina fundamenta, ob quae quis dignus honore videri poteſt, ſunt perſpicacia mentis, ingenium, doctrina, prudentia, magnitudo animi, eloquentia maſcula, fortitudo, res geſtae, cet. Haec enim omnia merito venerantur homines, quia praeclara et humano generi vtilia ſunt; 2. ea, quae cum virtute coniuncta proſunt, et venerationem merentur, ſeiuncta potius contemtum pariant. Sic laude digna nobilitas, forma egregia, opum amplitudo, itinera in terras longinquas facta; aſt haec omnia nihili, ſi virtus deſit; et tamen haec pro fundamento honoris et exiſtimationis intenſiuae habentur; immo aliquando honorantur 3. quaedam vitia; tam male aliquando homines ponunt calculum, e. g. Auctor eſt CARPZOV. in *Praxi crimin.* ſua aetate in quibuſdam aulis maximi fieri ſolitos eſſe homines bibaces, quos venerationis cauſſa politicos vocarint; et quis ignoret, fuiſſe tempora, quibus magno honore fruerentur homines pugnaces.

§. 14.

Haec omnia tantum ius imperfectum tribuunt; nam ideo non ſemper quis fruitur honoribus, quia iis dignus eſt prae aliis, ſed ob alias cauſſas, de quibus hic quaeritur.

Dicimus non ideo honoribus aliquem frui, quod iis dignus ſit; nam 1. anceps et difficile eſt iudicium, quis omnibus dignior; Ferunt Alexandrum M. morientem interrogatum, quem ſucceſſorem deſignet? reſpondiſſe, digniſſimum; id ad liquidum numquam perductum, ſed gladio deciſum eſt; 2. quamuis etiam quis vna re emineat, poteſt tamen alteri competitori ineſſe aliud, quod aeque praeclarum, immo praeclarius habetur; e. g. Scipione temporibus belli Punici permulti fuere ſeniores in rebus ciuilibus experientiſſimi, fortes, et doctiores; ſed quia non opus erat ſene rerum ciuilium perito

rito, erudito, ſed forti et magnanimo Imperatore, is competitoribus omnibus a Romanis praeferebatur.

Contra ius perfectum ad honorem, ſeu exiſtimationem intenſiuam tribuunt non niſi tria: 1. Imperium; naturaliter enim ſuperior eſt, qui imperat, inferior, qui paret; 2. Pactum, quo et electio pertinet; hinc ſuperior omnibus Polonis eſt Rex Poloniae, quia electus; ſufficit vero et pactum tacitum, quod ex diuturno vſu et patientia praeſumitur; e. g. Imperator fruitur praerogatiua, quamuis nullum forte pactum proprie dictum vel expreſſum interceſſerit; 3. Lex in ſtatu ciuili: quo pertinent leges de praecedentia latae, quae ſuum cuique locum aſſignant.

Ex his, ſi quis aliquid pro ſe allegare poteſt, ius imperfectum habet honorem quemdam ſibi vindicandi.

§. 15.

Sed iam quoque de effectu exiſtimationis intenſiuae, tum in ſtatu naturali, tam in ſtatu ciuili.

Quod ad naturalem ſtatum attinet, notum eſt, quanta animorum contentione de προεδρεία certent maximi Principes et Res publicae, adeo vt ſaepe res ad vim et iurgia redierit. Notum eſt, quid ea de re inter Hiſpanos et Gallos actum ſit in Anglia, vbi legatus Gallicus locum ante Hiſpanum adfectans ab hoc ita cohibitus eſt, vt lora equorum inciderentur. Conf. ZWANTZIG. in *Theatro praecedentiae*.

Quaeritur ergo, *quae προεδρείας fundamenta pro ſe allegare ſoleant?* Recenſuit illa auctor; ſunt illa 1. Antiquitas regni; ſed a) non ſequitur; id antiquius eſt, ergo praeſtantius; b) plerumque, quae de antiquitate nimia adferuntur, fabulas ſapiunt, veluti quae Hiſtorici Scoti et SAXO GRAMMATICVS de antiquiſſimis Scotiae et Daniae Regibus adferunt;

2. Amplitudo et potentia regni; ſed a) hic quoque deficit conſequentia, hoc amplum, ergo reliquis praeferendum; b) ſaepe et modicum regnum ob rectum regimen ampliſſimo quouis potentius eſt; ſic Macedonicum Perſarum Imperium deſtruxit; c) ita barbari reliquis omnibus praeferendi erunt.

3. Qualitas poteſtatis, e. g. quod quis ſine limitatione et reſtrictione imperat; ſed a) forma rerum publicarum eſt arbitraria; b) ſupra docuimus, nullam alteri praeferendam, quia omnes et commoda ſua et incommoda habeant; c) ita quoque barbari iure

prae reliquis omnibus praerogatiuam ſibi vindicabunt.

4. Splendor titulorum; at ſaepe a) tituli admodum vani, e. g. Coſrois Perſarum Regis, qui ſe fratrem ſolis appellauit; hodie Turcae Sultanum ſalutant dominum mundi, omniumque populorum, cet. b) hi ſunt arbitrarii, et pro imperantium adfectu ſaepe mutantur; e. g. Ruſſi principem ſuum olim vocabant Czaar, id eſt, Regem; nam in bibliis Ruſſicis, et Dauid Rex Iſraelitarum vocatur Czaar Dauid; fuit tempus, quum ab exteris reciperet titulum: *Gros-Fürſt der Reuſſen*; hodie Imperatoris axioma gerunt; quisque Imperans poteſt in regno ſuo quemcumque titulum adſumere, quamuis non ſemper cogere poſſit exteros, vt eumdem illi honorem tribuant.

Quum ergo haec omnia vana ſint, *quaeritur an dentur fundamenta magis ſolida?* Reſp. 1. in ſtatu naturali omnes aeque ſunt liberi, omnes independentes, ergo omnes aequales, ergo nemo alteri praeferendus.

2. Poteſt tamen ex poſt facto contingere, vt cui praerogatiua competat ratione alterius: quum enim praerogatiua vel exiſtimatio intenſiua, ceu ad ſuperiorem paragraphum notauimus, vel naſcatur ex imperio, vel ex lege, vel ex pacto: ſatis patet, duos priores modos huc non quadrare; imperans enim in imperantem nullum habet imperium; nec in ſtatu naturali communis eſt legiſlator, qui ſingulis imperantibus locum adſignare poſſit: ergo ſupereſt.

3. Pactum; ſi ita ergo conuenit inter principes, vt vnus alteri praeferatur, ſtandum eſt iſta conuentione.

Tale pactum poteſt eſſe vel expreſſum, vt vnus loco alteri ceſſurum expreſſis verbis promittat, quamuis haec fortaſſis ſint rariſſima; vel tacita, quae ex diuturno vſu et patientia colliguntur. Ita Imperatori Romano-Germanico per tot ſaecula praerogatiuam nemo dubiam reddidit, adeoque recte colligitur, pacto et conſenſu tacito ei a reliquis conceſſam eſſe προεδρείαν.

§. 16.

In ſtatu ciuili res minus eſt dubia, ibi enim omnia fundamenta exiſtimationis intenſiuae, quae ius perfectum tribuunt, locum habent.

Eſt in re publica 1. Imperium; ergo quicumque alteri quouis modo praeeſt, imperium in eum exercet, ille gaudet προεδρείᾳ; e. g. magiſtratus et miniſtri prae ciuibus reliquis; duces et officiales

bellici

bellici prae militibus; pater prae filio; maritus prae vxore, cet.

2. Lex; Imperans enim poteſt et ſolet cuiuis locum pro lubitu adſignare; vbi quidem a) principis eſt, merita cuiuſque ſtatus conſiderare, et prout vtilis ille eſt rei publicae, ita ei adſignare locum; ſed b) ciuis quoque eſt, adquieſcere in loco ſibi a principe adſignato, eumque prudenter ornare.

3. Pactum; quaeritur vero, *an et pacto quis locum priorem ſibi ſtipulari poſſit in re publica?* diſtingue inter caſus, vbi προεδρία lege certa eſt definita, et vbi lex deficit, vel dubia eſt, et princeps rem decidere nolit; priore caſu pacto ciuium non eſt locus, a) quia contra legem non licet paciſci, et b) res cum magno praeiudicio ſucceſſorum eſſet coniuncta; poſteriore caſu nulla eſt ratio, cur pacto res decidi nequeat, et huius modi exempla paſſim exſtant.

CAPVT XV.

DE POTESTATE SVMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

§. I.

Vidimus, quid ſummo imperanti in VOLVNTATEM, quid in VITAM, ac porro quid in EXISTIMATIONEM ciuium liceat; iam diſpiciendum, quid liceat in eorum BONA.

Ius vero Imperanti in bona ciuitate contenta eſſe, patet 1. ex natura ciuitatis; in re publica debet eſſe vnio virium; ad vires vel maxime pertinent bona ſeu pecunia, rerum gerendarum neruus, ergo ea vnienda, et Imperanti in eam eſt ius; 2. a maiori ad minus argumentando; quum enim et in vitam et famam imperanti ius ſit, ſi id exigat rei publicae ſalus, quidni in opes.

Id quale ſit, oſtenſurus auctor diſtinguit ciuitates, vbi bona abs ſummis imperantibus in ciues profecta ſunt, et vbi ea ciues ſibi propria induſtria quaeſiuerunt; priore caſu ius hoc imperantis abſolutum eſſe putat, poſteriore reſtrictum.

Sed prior 1. caſus fingi nequit. Errat ergo HOBBESIVS, *de ciue, cap.* 6. §. 15. dum ſtatuit, ciuium priuatorum dominium excludere quidem conciues, non autem Imperantes; exemplo filii fa-

milias; 2. proprietatem omnium bonorum penes ſolum imperantem eſſe non requirit rei publicae finis; 3. regna deſpotica, vbi Rex dominus omnium bonorum ciuitate contentorum, vel in calamitate publica exſtiterunt, veluti in Aegypto ſub Ioſepho in ſumma annonae caritate, vel per vim apertam, aut ob ſeruile ſubditorum ingenium nata ſunt. Iure autem gentium Imperanti ſoli rerum omnium dominium tribui nequit.

Itaque dicendum, *bona quaedam eſſe I.) priuata*, et quemque ciuem poſſe rerum ſuarum dominum eſſe; at principi tamen in bona illa, cuiuſcumque in dominio ſint, ius triplex competere: 1. *vt poſſit de vſu bonorum illorum leges praeſcribere ciuibus*, §. 2. 2. *vt illis poſſit tributa et vectigalia imponere*, §. 3. 3. *vt poſſit in caſu neceſſitatis exercere dominium eminens*, §. 4. 4. *quaedam e contrario bona ciuitate contenta eſſe; II.) publica*, de quibus, §. 5. 6.

§. 2.

Primum ius ſummi Imperantis conſiſtit in *poteſtate leges ferendi circa bonorum vſum*; quum enim vnio virium neceſſaria ſit in re publica, vires autem vniri non poſſint, ſi prodigantur turpiter, conſequens eſt, vt Imperantis ſit prohibere, ne prodigantur, quod fit per leges. Hinc Imperator §. 2. *Inſt. de his, qui ſunt ſui vel alien. iur.* dicit: *expedit rei publicae, ne quis re ſua male vtatur.* Huc vero pertinent.

1. Leges, quae prohibent, ne bona ad extraneos perueniant; e. g. prohibita importatio mercium exportatio pecuniae, itemque, rerum, quae manufacturis noſtris inſeruire poſſunt.

2. Leges, quae ad conſeruationem familiarum pertinent; e. g. ne quis de bonis auitis teſtetur, vti Hamburgi, Groningae; vt cognatis ſit ius retractus.

3. Leges ſumtuariae; prohibita mutatio formae veſtium.

4. Leges luſibus oppoſitae.

5. Leges oppoſitae prodigis, iiſque, qui foro cedunt.

6. Leges de reſtricta alienatione, oppignoratione, cet.

7. De modo poſſeſſionum, quibus legibus opus eſt, a) quoties magiſtratus pleraque ad ſe trahunt; Lex Thoria. b) quoties bona eccleſiis donantur immodice; ius amortizationis. Hinc et in Catholicorum prouinciis eius modi leges exſtant, vt eccleſiae et monaſteria non amplius adquirere poſſint bona immobilia.

Sunt

Sunt etiam quaedam leges, quae indirecte faciunt ad bona ciuium conſeruanda amplificandaque, nempe 1. quaecumque ad florem commerciorum et artium opificiorumque aliquid conferunt; 2. quaecumque inhibent res ſumtuoſas et parum neceſſarias, veluti itinera et peregrinationes in terras exteras, 3. quaecumque lites et iurgia ciuium cohibent, cet.

§. 3.

Alterum eſt *ius imponendi vectigalia et tributa*. LIV. XXX. 44. *Tantum ex publicis malis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinet; nec in eis quidquam acrius, quam pecuniae damnum ſtimulat.* Hoc ius 1. in ſe iuſtiſſimum eſt: α) vniendae enim in re publica ſunt vires, β) bonis quiete fruuntur ſubditi beneficio rei publicae et Imperantis; ergo et aliquid ad Imperantium et rei publicae conſeruationem contribuere tenentur.

2. Non abutendum eſt hoc iure; abutitur autem Imperans, ſi α) proportionem non ſeruet in quantitate et qualitate bonorum, e. g. agrorum; β) onera imponat rebus non fructuoſis, vti ſupra habuimus exempla vectigalium vmbrae, aëri, vrinae, et latrinis impoſitorum; γ) oneret res immodice, vt ſubditi nullum fructum ex rebus ſuis capiant.

3. Hinc in pleriſque rebus publicis olim id ius indicendi tributa non abſolute relinquebatur principis arbitrio; ſed de vectigalibus et tributis conſultabatur in Comitiis: hinc vocabantur *Gabeln*, *Beten*, quaſi tamquam dona et precario darentur. Quin ne adminiſtratio quidem aerarii ſoli principi relinquebatur, ſed ea ſimul erat penes Ordines rei publicae; quod et hodienum in multis regnis et principatibus obſeruatur. In Anglia adminiſtratio quidem relinquitur Regi, ſed ita, vt rationes reddat Ordinibus.

§. 4.

Tertium ius eſt *dominium eminens*; inuidioſum vocabulum. Eſt autem ius ſummi Imperantis, quo ei licet bonis priuatorum vti, quoties id exigit rei publicae neceſſitas.

Primus hoc inculcauit GROTIVS, ſed ita, vt ſufficere putarit vtilitatem rei publicae, quamuis neceſſitas non vrgeret; ex eo principio. Zelandi Marchionatum Veram et Vliſſingam ſibi vindicant; quia hoc vtile futurum ſit rei publicae. At BOECLERVS, cuius ea

de re exſtat ſingularis diſſertatio, hoc merito refellit, idque ius eleganter comparat facto Achabi, qui Nabothis vineam concupiſcebat, vt inde ſibi hortum adornaret.

Potius ergo dominium eminens his limitibus circumſcribendum, 1. vt neceſſitas hoc exigat; ea non habet legem; et quum imperanti tunc ius ſit in ipſam ciuium vitam, multo magis ius erit in eorum bona; 2. vt ei, qui inde detrimentum paſſus eſt, ſatisfiat a reliquis ciuibus. Quum enim alter prae altero praegrauari non debeat, facile patet, ei, qui praegrauatur, deberi ſatisfactionem et indemnitatem, niſi omnes eadem neceſſitas ſtringat.

Hinc locus eſt huius dominii eminentis exercitio, 1. ſi fundus occupandus, et caſtra ibi ac munimenta conſtruantur; 2. ſi res ſubditorum deuaſtandae, ne hoſtibus cedant; 3. ſi naues auferuntur, ad milites tranſportandos; 4. ſi pabulatum exeunt milites in agros priuatorum; 5. ſi in obſidionibus priuatorum agri occupantur, arbores caeduntur; 6. ſi vrgente fame granaria priuatorum recluduntur.

§. 5.

II. Iam ad *bona publica*. Res publica eſt perſona moralis; eſt ergo veluti perſona, adeoque poſſidet bona, quae vocantur populi, vel publica, quaſi populica.

Ea diuiduntur ab auctore in *aerarium* et *fiſcum*, rectius in *aerarium*, *fiſcum*, et *patrimonium principis*.

Differunt 1. ratione finis; aerarium deſtinatum eſt vſibus rei publicae; fiſcus ſuſtentationi principis; patrimonium familiae principis, e. g. vt et appanagiati in poſterum aliquid accipiant bonorum immobilium; 2. ratione iurium; in aerario princeps habet adminiſtrationem, non tamen ſemper priuatiue et ſolitarie; in fiſco vſumfructum; in patrimonio dominium. Hinc olim Romae aerario praeerant Praefecti aerarii, fiſco Procuratores Caeſarum, patrimonio Comites rerum priuatarum, quorum ſaepe mentio fit in iure noſtro; 3. ratione attributorum; res immobiles aerarii et fiſci ſunt inalienabiles, patrimonium alienabile. Hinc ſemper damnatae leges agrariae, ſeu de agro publico diuidendo, de quibus celeberrimus BVRMANNVS *in Diſſert. de vectigalibus populi Rom.* Semper viſum, reuocari poſſe domanialia ab anteceſſoribus alienata: ius in ſe non iniuſtum, quamuis in hypotheſi ſaepe accenſeantur bonis domanialibus, quae talia non ſint.

§. 6.

§. 6.

Subiungit auctor quaeſtionem, *an ipſum regnum poſſit alienari?* Diſtinguendum, an regnum ſit patrimoniale, an vſufructuarium: illud alienari poteſt, hoc non poteſt niſi conſenſu populi; 1. quia princeps in eius modi regnis non habet plus iuris, quam ipſi a populo conceſſum; id ius autem ei non conceſſum; 2. electa eſt perſonae vel familiae qualitas; ergo alius imperans inuitis ciuibus non obtrudendus.

Nec intereſt, totum regnum, an eius pars alienetur, nam et tunc onus in reliquos incumbit: ſed poſterius habet exceptionem, ſi ex neceſſitate pacis ineundae cauſſa fiat alienatio partis regni; tunc enim quum finem velint ſubditi, nempe pacem, velle etiam debent media; hinc non iniuſta fuit alienatio Minorcae, Gibraltaris, facta ab Hiſpanis in Anglos; prouinciarum quarumdam et vrbium Suecicarum in Ruſſos, Danos, cet.

Denique vti Imperans alienare nequit regnum vel regni partem: ita nec abrumpere ſe debet pars altera inuita; id enim pro rebellione eſſet habendum, e. g. Corſi ſubducere ſe volebant iniuſtiſſime rei publicae Genuenſium.

Attamen nec hic neceſſitatem habere legem facile patet: hinc ſi hoſtis partem auellit, etiam haec iure praeſtat homagium.

CAPVT XVI.

DE BELLO ET PACE.

§. 1.

INter iura maieſtatis, de quibus adhuc ex inſtituto actum, eſt etiam IVS BELLI ET PACIS, idque adeo magni momenti, vt GROTIVS ideo totum ius gentium publicum vniuerſale ius belli et pacis vocarit, atque ita inſcripſerit opus ſuum incomparabile.

Agitur hoc capite 1. *de iuſtitia belli*, §. 1-4. 2. *de modo bellum gerendi*, §. 5-11. 3. *de adquiſitionibus per bellum*, §. 12-14. 4. *de contrario belli, id eſt, de pace*, §. 15. *ad fin.*

De iuſtitia belli duo quaeri poſſunt: 1. *an in genere bellum gere-*

geri liceat ? §. 1. 2. *quaenam in ſpecie ſint cauſſae belli ſpecificae ?* §. 2 - 4.

1. Quinam in genere bellum pro illicito, aut ſaltim pro indigno Chriſtianis certandi genere habeant, ſupra vidimus *h. l. cap.* 8. §. 5. vbi et ERASMI argumenta profligauimus, quae iam repetere nihil attinet.

At quia hic ita diſſentit HOBBESIVS, vt in alterum extremum ruat; et bellum pro ſtatu hominis maxime naturali venditet, etiam huic ſatisfaciendum erit.

Naturale dicitur, quod aut a Deo inditum eſt creaturis, adeoque ex Dei intentione omnibus ineſt, quo ſenſu viuere, edere, bibere, dormire homini naturale eſſe diximus; aut *naturale* vocamus, quod rationis dictamini congruit, quo ſenſu conſeruationem ſui, procreationem et educationem ſobolis, immo totum ius, quod ratio conſtituit, naturale vocamus.

Neutro ſenſu bellum pro ſtatu maxime naturali hominis haberi poteſt, quia nec ad id nos Deus creauit, vt bella gereremus; nec rationi hoc conſentaneum eſt, vt populus populum laedat, ſed vt pacem colant.

Quemadmodum vero multa in ſe non ſunt naturalia, quae tamen in ſtatu extraordinario neceſſaria et rationi conſentanea ſunt, veluti venae ſectio, reſecatio membri putridi, vſtulatio, cauterium: ita et bellum in ſtatu hominis extraordinario eſt iuſtum. Pax colenda, (hic eſt ſtatus naturalis et ordinarius hominis): at ſi pacem colere non licet per aliorum iniurias, bellum gerendum.

Quid vero eſt *bellum*? eſt ſtatus ſocietatum liberarum de iure controuerſo inter ſe vi certantium, et propoſitum certandi retinentium.

Status.) Non actus; nam ſaepe actu non inter ſe certant belligerantes, e. g. hyeme; vel ſi mari bellum geritur, et claſſes in portum ſubducuntur, et tamen manet bellum.

Societatum liberarum.) Nam quae aliorum imperio ſubſunt, belli gerendi ius non habent, quia habent iudicem ſuum; hinc deteſtanda bella ciuilia, bella priuata, rebelliones ſeu bella inter imperantem et ciues.

De iure controuerſo.) Eſt enim bellum modus litigandi in ſtatu naturali, ergo plus, quam barbarum eſt, bellum honoris et gloriae, aut latrociniorum, aut amplificandi territorii cauſſa gerere; hinc Alexander vocatus latro totius orbis.

Vi.)

Vi.) Nondum ergo eſt bellum, vbi tantum calamis digladiantur inter ſe principes, vel legati inter ſe diſputant.

Propoſitum certandi retinentium.) Pertinet haec clauſula ad tempus induciarum; ſaepe enim ſuſpenditur vis armorum ad tempus, vel breue, vel longum: vbi quaeritur, *vtrum illae induciae ad belli, an ad pacis tempus et ſtatum pertineant?* Reſp. ad bellum, 1. quia adhuc certandi propoſitum remanet; 2. quia ius controuerſum nondum ad liquidum perductum eſt.

§. 2.

At quaenam in ſpecie cauſſae belli iuſtificae? Hic ante omnia diſtinguendum inter cauſſas *iuſtificas*, *politicas*, et *praetextus*: 1. cauſſae iuſtificae ſunt, ob quas bellum dicitur iuſtum, e. g. vim vi repellere; 2. cauſſae politicae, ob quas bellum habetur rei publicae vtile, e. g. Cato decernebat Carthaginem delendam; 3. praetextus ſunt cauſſae iuſtae, ſed in facto falſae; e. g. lupus conquerebatur, ouem ſibi aquam turbidam reddidiſſe.

Nos loquimur de primi generis cauſſis, quarum tres ſtatuit GROTIVS, *de iur. bell. et pac. II.* 1. 2. a) vindicationem iuris ab altero nobis iniuſte interuerſi; talis erat cauſſa, ob quam gerebatur bellum Hiſpanicum; eo etiam pertinet laeſio, ob quam ſatisfactio denegatur; hinc Sagunto exciſo Romani bellum inferebant Carthaginienſibus; b) propulſationem vis iniuſtae; e. g. ſi quis armis nos adgrediatur, quem nulla iniuria laeſimus; c) poenam; ſi gens enormi facinore contra ius naturae admiſſo ſe polluerit; quale bellum ab Iſraëlitis geſtum *Iud. XVIIII.* Sed cauſſam poſtremam falſam eſſe, iam ſupra demonſtrauimus, quia gens gente non eſt ſuperior; poena autem ſemper a ſuperiore infligenda. Vid. quae diximus ſupra *libr. II. cap.* 13. §. 5.

Remanent ergo duae cauſſae priores; ſi ergo vindicamus ius nobis per iniuriam interuerſum, *bellum* erit OFFENSIVVM; ſin propulſamus vim iniuſtam, DEFENSIVVM.

Itaque facile deciditur quaeſtio, *an omne bellum defenſiuum ſit iuſtum?* Negatur, quemadmodum nec omne offenſiuum iniuſtum eſt; culpa non redit in auctorem pugnae, ſed in eum, qui alteri fecit iniuriam, ſiue adgreſſus ſit, ſiue non.

Quaeritur etiam, *an laeſionem, quae bello gerendo ſufficiat, magnam eſſe oporteat, et quantam?* Reſp. quantacumque ſit, vel quantulacumque, perinde eſt; nam 1. laedens etiam nos in re minima

et ſatisfactionem denegans, hoſtilem animum declarat; 2. qui in minimo laeſit, plura et maiora adfectabit, ſimulac fuerit occaſio; 3. quemadmodum in ſtatu ciuili ne minimam quidem iniuriam pati teneor, ſed ſemper mihi integrum eſt, actionem eo nomine inſtituere, ita et de bello idem ſentiendum, quippe quod loco actionis ciuilis eſt in ſtatu naturali.

Alia vero quaeſtio eſt, *an prudenter agat, qui ob cauſſas nullius momenti ad arma ruit?* iuſtum eſt, ob rem minimam actionem inſtituere, ſed non ideo prudenter agit, qui id facit, ſumtibusque duplo maioribus rem minimi pretii vindicat; ita et de bello ſtatuendum.

§. 3

Hinc recte ſuadet auctor, antequam belli aleae res committatur, experiunda eſſe quaeuis, vt de controuerſia amice tranſigatur.

Eleganter CICERO, *de offic. I. 11. Quum duo ſint genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim: quumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet priore.*

Habet hoc iuſtas cauſſas, nam: 1. omne bellum etiam iuſtum cum clade ſubditorum coniunctum eſt; 2. ſumtus immenſi requiruntur; 3. res aleae plena eſt, et tam qui iuſtum bellum geſſit, quam adgreſſor ſuccumbere poteſt.

Hunc in finem prodita 1. colloquia, deductiones, legatorum conuentus; 2. prouocatio ad arbitros, ſponſores; ſic Athenienſes et Megarenſes de Salamine compromiſerunt in Lacedaemonios; 3. addit auctor in maiore opere *libr. VIII. cap.* 6. §. 3. ſortem; Commendant quidem hoc medium CHRYSOSTOMVS, *Orat. de fortuna*, AVGVSTINVS, *de doctrina Chriſtiana, libr. I. c.* 28. GROT. *de iur. bell. et pac. II.* 23. 9. ſed id parum prudens conſilium.

Hinc facile apparet, quid ſentiendum de bello repraeſentatiuo, ſi cauſſa per duellum decidatur; tale quid factum inter Aeneam et Turnum, inter Horatios et Curiatios, de quibus Metius Suffetius apud LIVIVM *libr. III. Ineamus aliquam viam, qua vter vtri imperet, ſine magna clade, ſine multo ſanguine vtriuſque populi decerni poſſit.*

Certamen eius modi ſingulare in ſe non iniuſtum eſt: 1. ſi enim licet in ſtatu naturali integros committere exercitus, quidni

etiam

etiam pauciores? 2. ita res reuera in compendium mittitur, parciturque ſanguini.

Sed conſultum id numquam eſt, quia incertus ſum, an alter ſit fidem habiturus viribus integris; 3. quia ſic nullum supereſt remedium emendandi cladem, quum contra in iuſto bello raro res vno praelio tranſigatur.

§. 4.

Vidimus iuſtas bellorum cauſſas: iam de iniuſtis, quibus plerumque illae iuſtificae praetexuntur; eae vel

1. Apertae, quarum iniquitas et iniuſtitia in oculos veluti occurrit; quales a) auaritia et cupiditas fines proferendi, qua inprimis laborabant Romani, quidquid pro iis diſſerat ALBERICVS GENTILIS in libello *de iuſtitia armorum Romanorum*, b) Gloriae ſtudium, quo laborabat Alexander M. Abſurda ergo ſententia Rabinorum, qui Iſraëlitas exiſtimant bella gerere, et populos ſubiugare potuiſſe ex decreto ſynedrii ſine alia iuſta cauſſa, modo id fecerit ad augmentum gloriae Iſraëlis. Vid. SELDENVS *de iur. natur. et gent. ſecundum diſciplin. Hebraeor. VI. 3. et 12.*

2. Subtiliores, quae facilius pallio iuſtitiae velantur; quales a) metus ex vicini potentia; haec iniuſta cauſſa, niſi potentia illa iniuſte quaeſita; b) metus ex vicini apparatu; haec quoque cauſſa iniuſta, niſi certis argumentis conſtet, alterum arma aduerſus nos parare; c) vtilitas iure deſtituta; e. g. Turca iam ſollicitatur a Gallis ad arma contra Imperatorem, quia commodiſſima ſit occaſio amiſſa recuperandi; d) cupiditas ſedes nouas quaerendi; inde notum bellum Cimbrorum cum Romanis; non poſſunt enim nouae ſedes occupari, vbi non eſt vacua poſſeſſio, aliiſque iam eſt ius quaeſitum.

§. 5.

Haec de prima parte; iam II. *de modo gerendi bella*, vbi primo quaeritur, *vtrum bella vi tantum aperta gerenda ſint, an et dolis et ſtratagematibus vti liceat?*

Adfirmant hoc plerique; Cleandrites apud POLIAEN. *ſtratagemat. libr. II. qua leonina non pertingit, vulpina adſuenda eſt.* Et quidem non male; Nam

1. Hoſti licet nocere; ſi quum et ſtratagematibus fiat, quidni his vtendum?

2. Ita parcitur multo ſanguini, et ſic finis facilius attingitur.

3. Saepe id neceſſarium eſt ob virium inaequalitatem.

4. Ipſe Deus heroibus veteris teſtamenti ſtratagemata praeſcripſit, veluti Ioſuae in capienda vrbe Ai.

Enim vero quum hac in re facile quis poſſit a iuſtitiae regulis deflectere, diſtinctione opus eſt. Aut hoſtis cum hoſte agit, tamquam cum hoſte, aut tamquam cum paciſcente: priore caſu circumuenire poteſt hoſtem; non poſteriore; hinc turpe, hoſti quoque fidem non ſeruare.

Recte Ageſilaus apud PLVTARCH. in eius *vita*: *fidem in foedere fallere nihil aliud eſt, quam Deos contemnere, hoſtium vero circumuentio non modo cum iuſtitia, ſed et cum magna laude et iucundo coniuncta eſt compendio.*

Praeterea etiam cauendum, ne ſtratagemata in ſe ſint contra honeſtum et decorum, qualia ſunt omnia 1. quae dolo malo innocentum cladem intendunt; quamuis enim haec plane caueri non poſſit: tamen etiam non adfectanda eſt ſtudio. Hinc ad ſtratagemata non pertinet infectio aquarum per venena; 2. quae decoro bellico aduerſantur, e. g. vti armis vetitis, percuſſores immittere capiti hoſtis, cet.

§. 6.

Hactenus de dolo: iam 2. de vi, de qua ius naturae et gentium commendat regulam: *Hoſti in hoſtem in infinitum omnia licent.* Haec regula recte intelligenda; ſenſus non eſt, licere omnia in infinitum, quod ad qualitatem, vt poſſit quis omni ſcelerum genere aduerſus hoſtem impune vti, vti VIRGILIVS exiſtimaſſe videtur, dum cecinit *Aen. II.* 390.

— dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?

nec ſenſus eſt, laedendi animum non habere debere finem; potius enim bellum debet geri propter pacem; alias homo brutis ipſis eſſet deterior; ſed ſenſus eſt, poſſe quis aduerſus hoſtem vi vti, non donec reparata ſit iniuria, ſed donec ille ad ſatisfactionem paratus ſit, quamuis inter damna, quae nobis intulit et ipſe paſſus eſt, nulla ſit proportio.

Ratio eſt 1. quia, qui bellum nobiſcum iniuſtum gerit, hoſtili eſt animo, eumque retinet; quamdiu non paratus eſt ad ſatisfactionem, ergo et laedi poteſt tamdiu, donec ſatisfaciat, quamuis plus detrimenti patiatur.

2. Quia

2. Quia ea proportio ſeruari nequit in bello, vt in iudiciis, vbi auctoritas omnia moderatur; quum in bello per hoſtem ipſum ſtet, quamdiu laedi velit.

Sed tamen hunc rigorem temperat merito 1. humanitas, quae et humani generis, innocentum et poſterorum rationem haberi iubet; hinc non probandum a) ſi praeter neceſſitatem omnia ferro flammiſque deuaſtentur; b) arbores et ſiluae exſcindantur; c) victi populi in ſeruitutem perpetuam abripiantur, d) in victis occidendis crudelitate, ſtupris, ſimilibuſque ſceleribus delectentur.

2. Ratio belli: eſt decorum in bellis ex iudicio humaniorum gentium obſeruandum; hinc non probantur a) arma vetita; e. g. falces, ſagittae veneno infectae; b) ſeruitus bello captiuorum; c) ſupplicium deditiorum.

§. 7.

Ad modum bella gerendi pertinet etiam diuiſio belli in SOLLEMNE, et minus SOLLEMNE, quae dupliciter poteſt intelligi; vel 1. de perſonis bellum ſuſcipientibus; tunc ſollemne eſt inter liberas gentes, minus ſollemne inter eas, qui ſuperiorem habent, adeoque eius generis ſunt omnia bella ciuilia, priuata, diffidationes; vel 2. de ritu bellum ſuſcipiendi, tunc bellum ſollemne eſt, quod ſollemniter indictum, minus ſollemne, quod minus ſollemniter. Talis ritus apud Perſas erat poſtulatio terrae et aquae, de qua ſaepe HERODOTVS; apud Romanos indictio per faeciales, ſacerdotes, qui ſagminibus et armis inſtructi in hoſtium fines ibant et res repetebant, non auditi haſtam in fines hoſtium proiiciebant, cum certa imprecationis formula, de qua BRISSON. *de formul. et ſollemnib. popul. Rom. verb.*

Inter Europaeos ſaeculo adhuc XVI. bellum indici ſolebat per cyrices, *Herolde*, qui certo induti veſtium genere litteras diffidationis ipſi hoſtili Regi tradebant; quale exemplum hiſtoria refert de Carolo V. Imperatore, qui hoc ritu Franciſco I. bellum indixit. Hodie id fieri ſolet per clarigationem et manifeſta, de quibus I. H. BOECLERVS, eorumque publicationem ad ſonitum tubarum et tympanorum.

Quaeritur vero, *an hoc diſcrimen agnoſcat ius naturae et gentium?* Reſp. priore ſenſu hanc diuiſionem omnino eſſe realem, nam bellum liberarum gentium eſt iuſtum, ciuile et priuatum iniuſtum.

In illo capti tractantur tamquam hoſtes, in ciuili tamquam ciues: (hinc ſeruituti in bellis hiſce non erat locus), GROTIVS, *de iur. bell. et pac. III.* 3. 23. in priuato tamquam rebelles.

At poſteriore ſenſu res redit ad arbitrium gentium; ritus enim ſunt arbitrarii, hinc et ratione populorum, et ratione temporum variant.

Illud modo obſeruandum, 1. denunciationem belli non debere fieri per ritus impios, et regulis iuſti, honeſti, decori contrarios; ſic Turcae bellum denunciant, legatos illius nationis in diros carceres abripiendo; 2. ritibus his ſemel receptis vtendum eſſe, ne alter deinde conqueratur, bellum iuſtum ſecum geſtum non eſſe; latrocinia et diffidationes in ſe ſunt turpia, ab iis ergo vt diſtinguantur bella iuſta, aliquo ritu opus eſt; 3. non violandos eſſe hoſtes conuitiis et iniuriis ſcurrilibus; nam a) res agitur inter Reges magnoſque principes; b) eo ipſo alteri populo ius damus par pari referendi; c) litterae eius modi ſemel ſcriptae manent etiam pace inita, et perpetuo impediunt amicitiam gentium.

§. 8.

Quum ergo et perſonae bellum gerentes diſcrimen inter bella faciant; quaeſtio eſt, *quis bellum gerere poſſit?* Reſp. gentes liberae; hinc ſtatus imperii habent quidem ius belli et pacis ratione exterorum, non autem inter ſe; fractae pacis rei ſunt, qui arma aduerſus conſtatum accipiunt.

Nam bellum eſt ob defectum iudiciorum; defectus hic tantum eſt in ſtatu naturali, vbi nullus ſuperior, non in ciuili et vbi ſuperior eſt, ergo et in illo bellum iuſtum eſt, in hoc iniuſtum.

Hinc pendet ſolutio quaeſtionis, *an magiſtratus, e. g. praeſes prouinciae poſſit bellum indicere et gerere iniuſſu principis vel populi?* Neg. 1. quia habet ſuperiorem, cuius auſpiciis prouinciae praeeſt; 2. quia res cum periculo totius rei publicae coniuncta eſt. Talia inter ipſos priuatos ſpeciale requirunt mandatum. Legatorum Fabiorum audacia apud LIV. V. 36.

Excipiuntur tamen caſus: 1. ſi hoſtis prouinciam adgrediatur; defenſio enim ſemper commiſſa cenſetur praeſidi prouinciae; 2. ſi prouincia ſit admodum remota, vt non poſſit ſpeciale mandatum exſpectari; hinc Batauorum praeſes Indiae bella cum barbaris prius aliquando conficit, quam de eo illato nuncii aduenerunt.

Sed id fit 1. ex mandato cum libera; 2. quia bella iſta Indica breui

breui tempore confici ſolent, Indis artis bella gerendi et armorum admodum imperitis, et nec terra marique ſatis validis aduerſus tot claſſes et munimenta, quae Bataui ibi habent.

§. 9.

Sed quaeritur; *an et ob facta non ciuitatis, ſed aliena, e. g. priuatorum, bellum iuſte geratur?* Reſp. in ſe hoc fieri non poteſt, quia bellum eſt ſtatus gentium liberarum de iure controuerſo inter ſe certantium: vbi ergo non eſt ius controuerſum, ibi nec bellum eſſe poteſt. Ius vero controuerſum hic non inter duas ciuitates, ſed inter vnam ciuitatem et priuatum, quocum bellum non geritur.

Sed quemadmodum ſupra in doctrina de imputatione demonſtrauimus, multis modis contingere poſſe, vt cui alienum factum imputetur: ita id hoc caſu ita contingit, 1. ſi Imperans vel res publica denegat ſatisfactionem, et potius factum defendit; hinc Galli Romam delebant, quod legati Fabii adiuuerant Cluſinos, eorumque deditio denegaretur, Liv. V. 36. Corinthus funditus exſcindebatur, quia ciues quidam legatos Romanorum violarant; ita Carthaginienſes negabant ſuo iuſſu exciſam Saguntum, et tamen iure bello petebantur, quia hoc Hannibalis factum probabant defendebantque, et Hannibalem poena eximebant; 2. ſi quis hoſti receptum dat, eumque ope et conſilio adiuuat; vtrumque coniungi debet: hinc ob ſolum perfugium bellum non mouetur iure; ſic e. g. ideo numquam iniuriam ſibi fieri dixerunt Angli, quod Papa Iacobum Stuartum, Hiſpani Ducem Ormondiae receperunt. At perpetuum fere bellum erat inter Regem Angliae Guilielmum III. et Ludouicum XIIII. Regem Franciae, quia hic non modo receperat Iacobum II. Regem ex Anglia profugum, verum etiam pecunia, nauibus, militibus iuuabat ad inuadendam Hiberniam.

Quid vero ſi profugi petatur deditio? Ea non ſemper iure petitur, ſi nimirum paratus ſit princeps, ad quem alter profugit, ad iuſtitiam adminiſtrandam, et ſane, ſi innocens eſt, cur dederetur? ſin nocens, cur non aeque puniri poſſet a iudice deprehenſionis, quam in foro delicti?

Enim vero circa huius modi priuatos raro ſolet oriri controuerſia; nam vix vnius priuati cauſſa bellum ſibi arceſſet Princeps, ſi aliae deſint; nec deditionem admodum vrgebit natio, ſi periculum

ſit,

ſit, ne inde bellum naſcatur. GROT. *de iur bell. et pac. II.* 21. 3. *ſeqq.*

Attamen ſi Princeps imperii priuatum proſcriptum ex Imperii decreto recipiat, ipſe quoque in proſcriptionem poteſt incidere. Exemplum Io. Friderici, Ducis Saxoniae, Grumbachium recipientis Gothae notiſſimum eſt.

§. 10.

Quum vero caſu, qui ſuperiore paragrapho explicatus eſt, magis plerumque repreſſaliis vtantur gentes, quam bello: quaeritur; quid ſint repreſſaliae?

Repreſſaliae ſunt ius, quo Imperans vtitur, quum ſibi vel ſubditis iuſtitia denegatur, vt gentis iſtius bona tam diu arreſto conſtringantur, donec ſibi ſuiſque ſatisfactum ſit; e. g. Fridericus Guilielmus fruſtra a Rege Hiſpaniae exegerat aes alienum, ergo armabat nauem, et Hiſpanicam nauem intercipiebat.

Differunt hae ab arreſto; a) arreſto enim conſtringuntur bona debitoris, repreſſaliae etiam ad bona non debitoris pertinent, modo eiuſdem ſit nationis; b) arreſtum forum fundat, non repreſſaliae.

Officia circa repreſſalias ſunt: 1. non vtendum repreſſaliis, niſi iuſſu magiſtratus; contra ſentiunt GROT. *III.* 2. 7. BODIN. *de re publ. I.* 10. a) quia vis prohibita priuatis; b) quia ſaepe ſunt belli praeludium: at ſolide eos refellit ZIEGLERVS;

2. Non plus retinendum ex rebus interceptis, quam ad exſoluendum debitum requiritur; ſic enim non eſſet ſatisfactio, ſed laeſio, ſi e. g. pro debito 10000. imperialium retineretur nauis 100000. imperialium.

3. Is, qui bona amiſit, regreſſum habet aduerſus debitorem; et hinc etiam iure poteſt petere, vt iura ſibi a creditore cedantur, quo ex iure etiam ceſſo aduerſus debitorem agere poſſit.

§. 11.

Denique quum repreſſaliis vi vtamur contra alium, quam qui nobis debet, quaeritur, *an et vis adhiberi poſſit pro aliis*, id eſt, *an pro aliis bellum geri queat?*

Id procul dubio adfirmandum; ſaepe enim non minus ad nos pertinet vicini periculum, quam ad illos ipſos:

Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet.

Sed facile patet, requiri 1. iuſtam cauſſam, ſine qua ne pro nobis quidem bellum iure gerimus, nedum pro aliis.

2. Vinculum aliquod, quale dat a) ſubiectio; ita Mithridati bellum illatum a Romanis, qui ciues Romanos et publicanos in Aſia occiderat; b) foedus; ita Carthaginienſibus bellum indixere Romani, quod Saguntum, ſociam ciuitatem, inuaſerant; c) cognatio; hanc cauſſam hodierno bello praetexere videmus Regem Galliae: adfinitatem cum Staniſlao; d) communis cauſſa; ita ſaepe mouente arma Turcarum Imperatore, reliqui Chriſtiani principes ſocios ſe praebuere ad communem hoſtem coërcendum.

Sed quaeritur, *an tunc, quum bellum pro aliis ſuſcipitur, et lucrari quid ex bello poſſimus?* Adfirm. ideo, 1. quia non ſolum id agitur, vt iniuria vindicetur, ſed et vt in poſterum ſecuriores fiamus; quod obtinetur, ſi ad mediocritatem redigatur nimia potentia; 2. quia multae impenſae impendendae fuerunt ob alterius iniuſtitiam, quae refundantur. Hinc vitio verti non poteſt Anglis quod Gibraltar, Minoricam ſibi retinuerint in pace.

§. 12.

Hac paragrapho agitur *de decoro belli*: ſed hanc materiam iam paullo ante occupauimus; nihil ergo attinet, eam hic repetere.

§. 13.

III. Sequitur tertia pars capitis, *de adquiſitionibus in bello.*

Quemadmodum iuſto titulo habemus, quod nobis adiudicatum a iudice: ita et quod bello, modo legitimo, adquiſiuimus. Prouocat ad hunc titulum ipſe Iacobus moriens, *Geneſ. XXXXVIII.* 23. *Hanc terram gladio et arcu meo comparaui*; id praelegebat Ioſepho.

Titulum hunc vel modum adquirendi veteres vocabant OCCVPATIONEM; quum vero occupatio ſit rerum nullius, fingebant et res hoſtium ratione hoſtium eſſe nullius, adeoque cedere occupanti. Sed hoc iam refutauimus ſupra *libr. I. cap.* 12. *§.* 14. ſi enim eſſet

res nullius ratione hoſtium, eas poſſeſſores ne defendere quidem poſſent; multo minus eas recuperandi ius eſſet hoſti.

Non opus eſt illis ambagibus; ius adquirendi eſt ex ipſo iure belli, quod hoſti in hoſtem omnia in infinitum permittit, adeoque etiam, vt ipſi omnia eripiat, immobilia et mobilia.

Ratione dominii diſtinguitur 1. inter res mobiles, quae ſtatim noſtrae ſunt, ſimul ac eas praeſidiis noſtris intulimus; et 2. immobiles, quae etiam ſtatim noſtrae ſunt ratione tertii, ratione hoſtis tum demum, vbi in pace iuri ſuo cedit: antequam enim id fiat, hoſti victo et ius et animus eſt recuperandi. Quemadmodum vero in ſtatu ciuili noſtrum dicere non poſſumus, in quo alteri eſt ius vindicandi: ita nec in ſtatu naturali, vbi alteri eſt ius et animus recuperandi.

Sed quaeritur, 1. *cui praeda adquiratur?* de immobilibus enim nemo dubitat, quin adquirantur rei publicae; res mobiles vero ſaltim iure communi adquiri putant ſingulis; quod tamen falſum eſſe docet *L. penult. D. ad leg. Iul. pecul.*

Iure naturae et gentium haec quoque adquiruntur rei publicae, 1. quia eius auſpiciis et ſumtibus geritur bellum, 2. quia milites tantum miniſterium praeſtant rei publicae; quidquid vero aliorum miniſterio et operis adquiritur, id nobis adquiritur.

Concedi tamen priuatis poteſt praeda 1. ad acuendam fortitudinem, 2. ſi ſuo ſumtu et periculo aliquis in hoſtes arma paret.

An vero et res incorporales adquiruntur victori? Reſp. aut rebus inhaerent, et tunc tamquam acceſſoria adquiruntur cum ipſis rebus; aut inhaerent perſonae victi principis, ita vt ob perſonae qualitatem competant, et illa in victorem non transſeunt; hinc e. g. occupata prouincia transſeunt tituli, praetenſiones, vectigalia, aliaque iura: non autem victo principe transſeunt ad victorem iura in vxorem, liberos, cet.

§. 14

Hinc facile patet, *quomodo in victorem transſeat ipſum imperium in victos?* Regnum enim eſt vel

PATRIMONIALE, tunc imperium adquirit victor vel per expreſſam ceſſionem, quoties in conditionibus pacis iuri ſuo renunciat,

vel

vel per tacitam, quoties animum recuperandi deponit. Cyrus Croeſi regnum hoc modo adquiſiuit; Quum enim regnum patrimoniale ſit in dominio principis, nullum dubium eſt, quin hic et expreſſe cedere, et tacite derelinquere illud poſſit.

Vsvfrvctvarivm ſeu legitimum, tunc adquirit illud victor, 1. per pactum expreſſum inter gentem victam et victorem; ſi victi ſponte ſe ſubiiciunt, homagium praeſtant; e. g. Iuſtinianus ita adquiſiuit regnum Vandalicum in Africa; 2. per tacitam patientiam, ſi coacti quidem ſe ſubiiciunt, at deinde in victoris imperio adquieſcunt, animum recuperandi deponunt; ſic Romani adquiſiuerunt regnum Macedonicum, Aegyptiacum.

§. 15. 16.

Progredimur ad IIII. partem, vbi agitur de pace, et quidem *de praeparamento pacis, induciis*, §. 15. *de pace ipſa*, §. 16. 17.

Induciae ſunt pactum belligerantium, quo ſaluo ſtatu belli, actus tantum belli in certum tempus ſuſpenduntur.

Pactum.) Ergo ſancte ſeruandum ex eo principio, quod inculcauimus §. 5. Agimus enim cum hoſte tamquam cum paciſcente.

Saluo ſtatu belli.) Ergo induciae pertinent ad bellum, quia ius controuerſum manet.

Actus belli.) Siue omnes, ſiue quidam; vnde ſine ratione Hiſpani abſurdum putabant Hollandorum poſtulatum, vt induciae fierent in Europa, non in India, Grot. *Hiſtor. Belgic. ad annum* 1608. praeterea id intelligitur tantum de actibus belli offenſiuis, non de defenſiuis.

Ad certum tempus ſuſpenduntur.) Siue breue illud ſit, ſiue longum. Ceterum quamuis vtroque caſu induciae pertineant ad bellum, tamen pro ſpatio illo longioris temporis, vel breuioris, induciae diuiduntur 1. in bellicas, quando hoſtes manent in procinctu; 2. pacificas, vbi per plures annos nulla fit expeditio.

Hinc facile deciditur quaeſtio, *an etiam pax detur ad certos annos?* Lacedaemonii pacem inierunt in annos 50. Ivstin. III. 7. Guſtauus itidem ad annos 50. Loccenivs *Hiſtor. Suec. libr. VI. a.* 1541. Reuera eius modi pax non eſt pax, quia propoſitum certandi retinent, ſed induciae tantum.

Induciae porro ſunt 1. vel *expreſſae*, quae expreſſo pacto ineuntur; 2. *tacitae*, quando neceſſitas ipſa inducias facit, e. g. hiems vehementior, maris intemperies.

Differentia in eo conſiſtit, quod ad arma poſteriore caſu redire licet, quandocumque placet; non caſu priore; induciae incipiunt a die ſequente diem pacti, et durant ita, vt vltimus dies adhuc ad inducias pertineat.

§. 17.

Pax eſt pactum omnem hoſtilitatem plane tollens. 1. Non patitur exceptionem metus, niſi iniuſte extorta pax per vim captiuo Principi illatam; exceptio Franciſci I. Regis Franciae. Vid. DANCKELMANNVS *de captiuorum principum pactis*; 2. quaeſtio, an cum rebellibus iniri poſſit? Adfirmat GROT. III. 14. 6. aut enim victi ſunt, aut victores: ſi victi, Princeps ignouit, dum cum iis pactus eſt pacem; ſin vicerunt, tranſegit cum iis.

Officia circa pacem ſunt: 1. *pacis leges ſancte ſeruandae*, pacta enim ſeruanda ſunt, 2. *abſtinendum ab omni cauillatoria interpretatione*, 3. *ſponſores ſuccurrere tenentur parti aduerſus pacis leges laeſae.* Aliud ſi ex noua cauſſa bellum ſit motum.

CAPVT XVII.

DE FOEDERIBVS.

§. 1.

VLtimum ius maieſtatis, quod auctor expendit, in ſpecie eſt *ius foederum*; quorum conſiderantur *definitio et diuiſiones*, §. 1-7. *adiuncta*, §. 8.

Foedus eſt pactum ſocietatum liberarum ad alterutrius aut vtriusque vtilitatem initum; vere ergo natura non differunt foedus et pactum, ſed ſubiecto tantum, quemadmodum ius gentium et ius naturae.

Pactum.) Hinc pax etiam eſt foedus; ab eo tamen diſtinguitur, quia pax eſt conuentio neceſſaria, foedus conuentio voluntaria.

Socie-

Societatum liberarum.) Earumque imperantium; hinc foedera non ſunt, quae ineuntur inter Imperantem et ciues, ſed compacta, capitulationes, cet.

Ad alterius ſeu vtriuſque vtilitatem.) Sunt enim alia foedera, ceu infra docebimus, aequalia, alia inaequalia.

Hinc admodum abſonum eſt, quod ſcribit PLINIVS Theſea inueniſſe foedera: ſunt enim iuris gentium, nec inuentore opus habent, ſed forſitan inuenit aliquos ritus in foederibus adhibitos, quales praecipue apud Orientales ſectio victimae, apud Romanos percuſſio ſuis, addita formula: *Si ſciens fallo, tum me Iupiter ſalua vrbe et re publica eiiciat, quemadmodum ego hunc lapidem*; hinc *Iouem lapidem iurare.*

Ceterum foederum diuiſio prima haec eſt: alia iuri naturae nihil ſuperaddunt, quae vocamus *foedera generalia*; alia quid ſuperaddunt et diſponunt, quod iure naturae non debetur, quae vocamus *ſpecialia*; e. g. foedera de pace inuicem colenda ſunt generalia; foedera de certo ſubſidio ſibi inuicem praeſtando, ſpecialia.

§. 2.

Generalia varia ſunt, veluti 1. Foedera amicitiae inter Abrahamum et Abimelechum, *Geneſ. XXI.* 23. 2. Foedera de hoſpitii iure; hoc ius olim inter priuatos et integras ciuitates obtinebat, vt aduenis praeberentur hoſpitia et lautia, vid. SCHILTER. *Diſſ. de iure hoſpitii*, ſed haec hodie extra vſum. Eodem GROT. *de iur. bell. et pac. II.* 15. refert foedera commerciorum cauſſa inita; ſed hoc ex principio, quod commercia terra marique libera eſſe debeant; quod manifeſto falſum: quum enim quaedam commercia ciuibus et rei publicae noxia eſſe poſſint, quis negat, ea prohiberi poſſe? atqui ſi prohiberi poſſunt, poſſunt etiam permitti, et ſi permittuntur, permittitur quid, quod iure naturae non debetur.

Quaeritur, *an eius modi foedera aliquam vtilitatem habeant?* Dubitari poſſet, quia iam tum iure naturae debentur, quae nobis illis ſtipulamur; ſed 1. poteſt contingere, vt amicitia rupta ſit; 2. poteſt etiam alter ſibi perſuadere, ſe nobis iure denegare officia amicitiae; opus eſt ergo eius modi foederibus; exemplo eſſe poteſt tranſactio Paſſauienſis. Conf. OBRECHT. *de ſponſore pacis, I.* §. 3.

§. 3 §. 3. 4

§. 3. 4.

Foedera ſpecialia ſunt, quae officiis iuris naturae et gentium aliquid ſuperaddunt, e. g. de mutua defenſione.

Ea denuo ſunt vel *aequalia*, vbi vel idem vtrimque onus, vel eadem vtriuſque paciſcentis conditio; e. g. ſe ſibi inuicem ſubmiſſuros 10000. milites; vtrumque foederatum ſui iuris manſurum.

Inaequalia, vbi vel impar onus, e. g. Rex vnus alteri promittit auxilium 20000, hic illi 10000; vel foederatus alteri promittit, ſe eius maieſtatem comiter veneraturum. Ita Tartari, Algirienſes, cet. foedus inierunt cum Turca. Ad aequalia foedera pertinent foedera mutuae defenſionis, mutuorum commerciorum, atque mutuae ſecuritatis cauſſa inita.

§. 5.

Inaequalia iterum ſunt talia vel 1. ratione praeſtandorum; e. g. potentior impotentiori promittit ſubſidium 10000. militum, impotentior vel nihil, vel minus; 2. ratione modi, vbi impotentior aliquatenus ſubiicere ſe potentiori tenetur, eique ſuperioritatem aliquam concedere, e. g. Romani et Carthaginienſes. Hi enim promittere tenebantur, ſe non geſturos bellum iniuſſu Romanorum, non niſi certum numerum nauium habituros, elephantos non alituros.

Quaeritur, *an foedera poſterioris generis minuant imperium*? Reſp. diſtinguendum inter onera perpetua et temporalia, e. g. exercitum foederatum alere per 6. menſes, tributum aliquot millionum ſoluere, cet. ſunt onera temporalia, quae non impediunt, quo minus quis ſummum imperium retineat. Contra ſtipulatio perpetui tributi, perpetuae militiae in alterius rei publicae commodum, omnino cum ſummo imperio conſiſtere nequit.

Deinde diſtinguendum, vtrum foedus inaequale ad pecuniarium onus pertineat, an iura quaedam maieſtatis interuertat, e. g. ne alter bellum gerat, militem alat, foedera pangat: prius imperium non ſtatim minuit, poſterius omnino.

§. 6.

Sequitur noua diuiſio foederum: alia enim ſunt, quod ad finem attinet, BELLI cauſſa inita, alia ad PACEM conſeruandam comparata.

Belli cauſſa foedera ineuntur vel cum hoſte, vel cum amicis et ſociis, foedera ſyſtematica, de quibus iam ſupra actum *libr. II. cap.* 8. §. 10. *ſeqq.*

Dicenda ergo quaedam de foederibus, quibus conuenit, vt populus in certo bello ſit neutrarum partium. Ita hodie neutrarum partium volunt eſſe Hollandi, Veneti, Heluetii; de hoc praecipue quaeritur, *an gens cogi poſſit, vel vt ſit neutrarum partium, vel vt ab iſta impartialitate* (neutralité) *diſcedat?* Vtroque caſu diſtinguendum, vtrum iam foedere nexus ſit populus alteri, tunc nulla coactio locum habet, vt ſit neutrarum partium; contra cogi poteſt, vt arma corripiat. Ita ſuperiore bello Galli cogere non potuerunt Circulos ſuperiores ad neutralitatem, et hodie Imperator iniuriam ſibi ab Hollandis fieri conqueritur, quod neutrarum partium eſſe velint, quum ex foedere teneantur ad auxilium.

Vbi foedus eius modi non adeſt, nec coactioni locus eſt ad arma corripienda, e. g. hodie apud Venetos. Cogi vero quis poteſt, vt ſit neutrarum partium; ſic ſuperiore bello Imperator cogebat Pontificem, vt ſit neutrarum partium.

§. 7.

Foederum tertia diuiſio ab effectu eſt, quod alia ſint REALIA; quae cum re publica ineuntur, et ſucceſſores omnes, vniuerſales et ſingulares obligant: PERSONALIA, quae cum Imperante, non cum re publica ineuntur; e. g. Rex Poloniae foedera poteſt inire, quae ad conſeruationem dignitatis ſuae pertinent, vel ad Electoratum, quae ad rem publicam plane non pertinent, ac proinde ſucceſſores ſingulares plane non obligabunt in Polonia.

Realia praeſumuntur omnia 1. cum liberis populis inita; populus enim ſemper idem cenſetur, licet forma mutetur: hinc fruſtra cauillabantur Latini, ſe non obligari foederibus cum Romanis initis ſub Tarquinio Superbo Rege, quia non amplius Regem haberent; 2. quae intuitu imperii ineuntur pro imperantibus et ſucceſſoribus; hinc pacis tractatus et ſucceſſores obligant etiam ſingulares; 3. quae

cum

cum conſenſu Statuum vel Ordinum inita: e. g. Badenſis pax; Oliuenſis.

§. 8.

Adſinia foederibus ſunt SPONSIONES, per quas intelligimus foedera a magiſtratu vel miniſtro ſine iuſſu et mandato imperantis vel rei publicae inita.

Diſtinguendum tamen, an miniſter generali, an ſpeciali mandato deſtituatur; poſterius enim non nocet, ſi adſit prius: deinde diſtinguendum, vtrum miniſter profiteatur, ſe mandato deſtitui, et hinc tantum aliquid concedat ſub ſpe rati; an vero dolo malo diſſimulet, ſe mandatum non habere: priori caſu nihil ei imputari poteſt, poſteriore poteſt ob dolum.

Iam iure gentium certum eſt, 1. rem publicam non obligari foedere ſuo iniuſſu et ſine mandato a miniſtris inito, quia nemo poteſt obligare tertium, niſi mandantem; 2. miniſtrum, qui in dolo verſatur, populo decepto et laeſo teneri ad ſatisfactionem; hanc ſatisfactionem iure feciali Rom. in eo conſtitiſſe nouimus, vt miniſter nudus reuinctis in tergum manibus per feciales dederetur hoſtibus, eoque pertinent celeberrimae ſponſiones, Caudina apud LIVIVM *VIIII.* 8. *ſeqq.* et Numantina, cuius etiam in iure noſtro fit mentio, *L.* 17. *D. de legation.* Ob priorem Spurius Poſtumius Conſul; ob poſteriorem Hoſtilius Mancinus deditus; neuter vero ab hoſtibus receptus eſt.

Hodie tamen non praeciſe ignominioſa requiritur deditio, ſed ſufficit vel deditio, vel alia ſatisfactio, prout eam ſibi ſtipulatur gens laeſa.

CAPVT.

CAPVT XVIII.

DE OFFICIIS CIVIVM.

§. 1.

Qvae hactenus fuſius dicta ſunt, ad officia imperantium pertinuerunt: ſequuntur vltimo hoc capite *officia ciuium*, vbi quaeritur 1. *quotuplicia illa ſint?* §. 1. 2. *quaenam ſint generalia?* §. 2-5. 3. *quaenam ſpecialia?* §. 6-14. 4. *quandocumque vtraque ceſſent?* §. 15.

• *Ciues* duplicem repraeſentant perſonam; conſiderari enim poſſunt tamquam membra vnius eiuſdemque corporis, vel rei publicae; id eſt, tamquam ciues; et tunc omnes inter ſe ſunt aequales, cuiuſcumque ſint dignitatis; omnes enim ciuium commodis fruuntur, et onera ſubeunt, niſi ſint priuilegio exemtionis muniti.

Deinde etiam conſiderantur tamquam officiales, qui certam dignitatem, certumque officium in re publica adminiſtrant, et hactenus non ſunt aequales, ceu ſupra in *cap. de exiſtimatione* demonſtrauimus.

Secundum hoc duplicem reſpectum officia ciuium diuiduntur in GENERALIA, ad quae omnes indiſtincte tenentur tamquam ciues; SPECIALIA, ad quae quiſque comtemplatione officii vel ſtatus ſui obſtrictus eſt; ſic miles debet rei publicae certa officia, ad quae non tenetur legatus, cet. In illis poſſumus plus praeſtare, quam debemus, in his id in vitio ponitur.

§. 2.

Iam de *generalibus*; quae pertinent vel 1. *ad Imperantem*; v. g. vt eum dignis honoribus perſequamur, §. 3. 2. *ad rem publicam vel patriam*, e. g. vt eam defendamus, §. 4. 3. *ad conciues ſingulos*, e. g. vt cum iis iuſte et ciuiliter viuamus, §. 5.

Addunt aliqui *Deum*, ſed ei non debemus officia tamquam ciues, ſed tamquam homines, eadem debituri, ſi vel maxime extra ciuitatem in ſtatu naturali viueremus; quod exemplo officiorum erga ſe ipſum illuſtrari poteſt, ad quae ciues itidem obſtricti ſunt, ſed non tamquam ciues, ſed tamquam homines.

Poteſt quidem et ciui ſpecialis obligatio naſci ex legibus eccleſiaſticis; ſed hae non verſantur circa ipſum cultum Dei, ſed circa ritus, id eſt, res in ſe indifferentes. Vir prudens tamen et illas obſeruabit, partim quia ciuis eſt, partim ne exemplo aliis noceat: at haec officia proprie non praeſtat Deo, ſed ſuperiori qui hos ritus praeſcripſit.

§. 3.

Imperanti debemus REVERENTIAM, FIDELITATEM, OBSEQVIVM; iſtam, quia eſt ſuperior, et talis quidem, qui pro noſtra et publica ſalute excubat, qui ſalutem noſtram promouet; ei debemus amorem, amor erga ſuperiorem vocatur veneratio vel reuerentia, ceu ſupra demonſtrauimus, ergo imperanti debemus venerationem et reuerentiam. Illam quoque, nempe fidelitatem debemus, quia principi obſtricti ſumus ex pacto; ſi praeſtamus, quod ex pacto debemus, fidem praeſtamus, adeoque ſumus fideles, ergo principi obſtricti ſumus ad fidelitatem. Hoc nempe obſequium debemus, quia rei publicae vna eſt voluntas, et quidem per ſubmiſſionem voluntatum noſtrarum; qui ſubmittit alteri voluntatem, obſequitur, ergo debemus principi obſequium.

REVERENTIA ſe exſerit in eo, vt imperantem quouis modo diſcernamus a reliquis conciuibus; hinc erga illos vtendum a) titulis conſuetis et honoribus, b) geſtibus in re publica receptis; ſic Angli Regi ſeruiunt genu ſubnixi, c) ſermone modeſto, ne de imperante ſcabioſe loquamur.

FIDELITAS a) ne exteris plus deditus ſit, quam Imperanti; hinc ſupplicio quouis dignae coniurationes, proditiones, corruptiones; b) vt imperantis et rei publicae ſalus ſuprema lex ſit, ſalua tamen humanitate erga exteros; ſtolidum ergo conſilium Hippocratis negantis, ſe Perſis peſte laborantibus ſubuenturum; eas epiſtolas edidit THOMASIVS in *Hiſtor. ſapient. et ſtultit.*

OBSEQVIVM tum erga leges, tum erga iuſſa ſpecialia principis.

§. 4.

2. Officia erga patriam in dubium vocauit IO. CLERICVS in *Arte critica*, *II*, 2, 5, 16. exiſtimans, ſi idea patriae reſoluatur, per eam vel intelligi prouinciam, agros, vrbes, pagos, aedificia; vel homines in illa prouincia degentes, qui plerique ſtulti et mali

ſunt;

ſunt; ridet ergo vetus illud dicterium Horatianum: *dulce eſt pro patria mori.*

Sed per patriam intelligimus ipſam rei publicae ſtructuram, quatenus illa per pacta coaluit; ea deſtructa et nos peribimus: quum ergo aliter ſeruari non poſſit, quam ſi illam tueamur et defendamus, patriae debemus hoc officium, vt ſaluam quouis modo praeſtemus; ergo patriae obſtricti ſumus 1. ad CARITATEM, tum ob beneficia, quibus ſalua illa perfruimur, tum ob naturalem inſtinctum; Patriae fumus igne alieno luculentior. Vlyſſes Ithacae ſuae ſcopulos omnibus Calypſo et Antinoi deliciis praetulit: 2. ad FIDELITATEM, quia officia haec naſcuntur ex rei publicae ſtructura; haec autem in pactis conſiſtit; pacta requirunt, vt fides ſeruetur; 3. ad DEFENSIONEM; hoc exigit finis rerum publicarum.

§. 5.

3. Officia generalia erga conciues denuo ex fine et ſtructura rei publicae deriuantur. Finis rei publicae eſt ſecuritas, non modo externa aduerſus hoſtes inſidiantes, verum etiam interna aduerſus conciues. Ex eo ſequitur, 1. vt cum conciuibus pacifice ſit viuendum; adeoque 2. turbae, tumultus non dandi; 3. a factionibus abſtinendum; 4. honori et vtilitati ciuium non inuidendum ſit. —

§. 6.

Officia ſpecialia diuiduntur in LATIORA, quae ſe per totam rem publicam diffundunt, §. 6. STRICTIORA, quae ad cuiuſuis officium pertinent, §. 7-14.

Latius officium eſt vnicum, idque permagni momenti: ne quis adfectet in re publica officium vel ſtatum, cui impar ſit; nam ſi id facit, 1. refragatur vocationi Dei, 2. non adſequetur finem deficientibus mediis, 3. prodit eo ipſo ambitionem et auaritiam.

Ex eo vero fluit, nec artibus vetitis vtendum eſſe ad obtinenda officia; quas artes vetitas Romani vno et communi nomine vocarunt AMBITVM, cui varias ſaepe leges admodum ſeueras, et in his quoque legem Iuliam de ambitu oppoſuerunt. His artibus permiſſis fieri non poteſt, quin vel indigni admoueantur clauo rei publicae, vel nimis potentes libertatem opprimant; quod inprimis in ariſtocratiis et democratiis metuendum.

§. 7.

Strictiora officia CONSILIARIORVM ex fine patent, 1. noſſe rem publicam, eiuſque formam; 2. conſilia adtemperare vtilitati rei publicae: vtilitas autem eſt vel adparens, vbi feiunguntur iuſtum, honeſtum; et vtile verum, vbi ſemper honeſto iungitur vtilitas; 3. nec principi, nec populo adulari; 4. abeſſe a factionibus.

Quaeritur, *an malum conſilium puniri poſſit?* et quidem ob ſolam infelicitatem euentus? Ita facere ſolent Turcae, ita olim Carthaginienſes; ſed abſurdum, nam 1. nihil contra fidem actum; 2. conſilium non eſt obligatorium; 3. euentum nemo praeſtare poteſt; et optima conſilia ſaepe male cedunt; 4. deerunt Conſiliarii cordati, ſi periculoſum fuerit, conſilia dare.

§. 8.

Miniſtrorum eccleſiaſticorum officium partim in DOCENDO, partim in EXEMPLO conſiſtit; quae officia ex fine huius ſtatus eccleſiaſtici fluunt, qui eſt, vt ſe aliosque beatos reddant. Quum tamen hic finis non pertineat ad ciuitatem vel rem publicam: alia hic quaerenda ſunt officia miniſtrorum, quae tamquam boni ciues rei publicae debent. Talia ſunt, 1. nullas proponere doctrinas rei publicae noxias; 2. non agere demagogos, et ciues concionibus ſeditioſis concitare aduerſus rem publicam; 3. non ſubtrahere ſe magiſtratuum imperio, et formare rem publicam in re publica.

§. 9.

DOCENTIVM finis eſt, inuentutem reddere doctiorem melioremque; hinc 1. eorum doctrinae ſint verae et vtiles; hinc Cato cenſuit, vt ſophiſtae vrbe ſubmouerentur; hinc non ferendae artes noxiae, aſtrologia, chiromantia; 2. verae ſint doctrinae; addantur probationes et demonſtrationes; aliud eſt praecipere, aliud docere; Non ſatisfacit illud αὐτὸς ἔφα, 3. auditores ad virtutem perducant, a) quia homo improbus et diſſolutus nihil prodeſt rei publicae, ſi vel Salomone eſſet ſapientior; b) praeterea non poteſt ad veram ſapientiam et eruditionem peruenire, qui vitiis indulget; nam et ſocors erit ad quaeuis bona, et neceſſaria negliget,

get, et perpetuo ideis ſtolidis et prauis mens occupabitur, nec ordinem in ſtudiis obſeruabit.

Quaeritur, *an libertas philoſophandi permittenda ſit docentibus?* Diſtinguendum inter doctrinas indifferentes, et cum rei publicae damno coniunctas: poſteriorum ratione nulla poteſt permitti libertas, e. g. atheiſmus, magiſtratum non eſſe neceſſarium, iudicia eſſe iniuſta, bellum non geri poſſe a Chriſtiano, cet. Hinc Hegeſiae πεισιθανάτῳ libertatem non indulſerunt Reges Aegyptii doctrinas ſuas propagandi. In indifferentibus permittenda libertas, quia 1. veritas in apricum protrahitur; 2. multa noua reperiuntur; 3. ſi falſa ſimul in lucem prodeunt, ea mox profligabuntur a viris doctis. Hinc vidimus eo tempore, quo adhuc ſectaria obtinebat philoſophia, nihil noui inuentum; ſi quid enim inueniretur, ſupprimebantur ingenia. Exemplum Rogerii Baconis.

§. 10.

Ivdicvm; Eorum finis eſt iuſtitiam adminiſtrare, 1. facilem acceſſum praebere; non cuiuis domi. Id enim fruſtraneum eſt, et cum periculo corruptionis coniunctum, niſi periculum vrgeat; ſicuti tribuni plebis noctu quoque ianuas apertas habere tenebantur; ſed in iudicio; 2. non reſpicere perſonas; leges ſunt caecae, iudices autem viuae leges, 3. lites reddere breuiores; corruptiones fugere, ſi vel maxime proficiſcantur ab eo, cuius iuſta cauſſa eſt; nam cur praemiis adduci ſe patitur ad litem pro eo dandam, qui et praemio non dato id iure exigere poterat; 5. iudicare ſecundum acta; quam enim periculoſum ſit, rem committere iudicis conſcientiae, iam ſupra dictum; 6. nihil habere notorium niſi ex actis.

§. 11.

Militvm alii praeſunt, alii parent; illorum fidei eſt, militibus recte vti ad conſeruationem rei publicae; ergo 1. eos exercere debent, vt arma expedire, iuſſibus parere, in aciem diſponi diſcant, vt taceamus, hoc et ad valetudinem facere; 2. diſciplinam ſeueram habere, ne cui vim faciant, ne voluptatibus diffluant, ne frena mordeant; 3. militibus parcere, rem publicam aleae non committere; 4. commeatus curam gerere; parum ardoris in aciem

adferent milites ferias agentes eſuriales ; 5. militibus pro re publica, non contra illam vti ; hinc inſigne facinus admiſere Marius, Sulla, Caeſar, Pompeius, qui rem publicam viribus ſuis euerterunt.

§. 12.

Gregariorum militum finis, vt vi hoſtium opponantur, eamque ſuſtineant ; ergo ab iis iure exigitur a) fortitudo, quae ſane toto caelo differt a temeritate ; b) ſtationes non deſerendae, ergo fuga delictum ; Romani infames habebant, qui vulnus in tergo accepiſſent ; c) obſequium ſtrictum, ſine quo bellum non geritur ; d) officium a IOANNE BAPTISTA praeſcriptum : *Nemini vim inferre, neque facere iniuriam.*

§. 13.

Legatorum finis eſt, principis perſonam repraeſentare apud exteros, et ſic eius vtilitatem promouere, ac ſi ipſe princeps adeſſet ; ergo 1. decet eos eſſe graues, cautos, circumſpectos ; 2. nec ſecuros nimis, nec iuſto ſuſpicaciores ; 3. mandatorum tenaces, 4. aduerſus corruptiones inuictos ; 5. taciturnos.

§. 14.

Quaeſtorum finis, recte diſpenſare opes rei publicae ; ergo 1. exigere debent ſine acerbitate ; Caroli V. iudicium erat de Belgis, nullum populum libentius conferre tributa, ſi humaniter tractetur, nullum eſſe magis pertinacem, ſi vi vtaris ; 2. ad rei publicae neceſſitates expendere pecuniam, non in ſuam rem conuertere ; 3. rationes reddere adcuratas.

§. 15.

Supereſt IV. vltima pars, *quamdiu ciuium officia durent ? et quando ceſſent ?* Specialia, quamdiu durat officium ; generalia, quamdiu quis ciuis eſt.

Ciues eſſe deſinunt 1. per migrationem voluntariam ; ſi requiſita obſeruentur, e. g. ſi homines proprii ſunt, non niſi cum conſenſu domini ; ſi liberi, ſolutis gabellis ; 2. per exſilium, per quod tamen non ius accipiunt aliquid machinandi contra rem publicam ; 3. per occupationem ab hoſte factam, qua imperium in victores tranſit ; 4. aliquando per colonias ; *aliquando* dico ; nam, vt recte obſeruat GELLIVS, coloniae quaedam ſunt *liberae*, veluti Romae Albanorum ; *ſociae*, quae comiter tantum venerantur maiorem patriam, et cum ea perpetuum foedus colunt, e. g. Carthago Tyriorum ; *ſubditae*, quae ita ducuntur, vt conſtanter metropoli ſubiectae maneant, hodie Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum, Batauorum in Indiam et Americam ductae.

Solae ergo liberae coloniae officiis generalibus erga metropolim vel maiorem patriam plane liberantur, non reliquae.

INDEX CAPITVM.

* * * * * * * * * * * * * * * *

LIBER I.

CAP. I. *de actione humana.* pag. 1
II. *de norma actionum humanarum, ſeu de lege in genere.* 24
III. *de lege naturali.* 37
IIII. *de officiis hominis erga Deum ſeu de religione naturali.* 49
V. *de officiis hominis erga ſe ipſum.* 58
VI. *de officio quorumlibet erga quoſlibet, et de non laedendis aliis.* 74
VII. *de agnoſcenda naturali hominum aequalitate.* 83
VIII. *de promiſcuis officiis humanitatis.* 86
VIIII. *de officio paciſcentium.* 92
X. *de officio ſermocinantium.* 108
XI. *de officio iurantium.* 115
XII. *de officio circa adquirendum rerum dominium.* 123
XIII. *de officiis, quae ex dominio rerum per ſe reſultant.* 140

CAP. XIIII.

CAP. XIIII. *de pretio.* pag. 144
XV. *de contractibus, qui pretia rerum ſupponunt, et fluentibus inde officiis.* 151
XVI. *quibus modis ſoluantur obligationes, quae ex pactis oriuntur.* 165
XVII. *de interpretatione.* 170

LIBER II.

CAP. I. *de ſtatu hominum naturali.* pag. 184
II. *de ſtatu coniugali, vel officiis coniugalibus.* 192
III. *de officiis parentum et liberorum.* 205
IIII. *de officiis dominorum et ſeruorum.* 213
V. *de cauſſa impulſiua conſtituendae ciuitatis.* 216
VI. *de interna ciuitatum ſtructura.* 225
VII. *de partibus ſummi imperii.* 235
VIII. *de formis rerum publicarum.* 243
VIIII. *de affectionibus imperii ciuilis.* 253
X. *de modis adquirendi imperium, inprimis monarchicum.* 259
XI. *de officio ſummorum imperantium.* 268
XII. *de legibus ciuilibus in ſpecie.* 276
XIII. *de iure vitae ac necis.* 282
XIIII. *de exiſtimatione.* 296
XV. *de poteſtate ſummi imperii in bona ciuitate contenta.* 307
XVI. *de bello et pace.* 314
XVII. *de foederibus.* 324
XVIII. *de officiis ciuium.* 329

FINIS.

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCII,
POT. PRVSS. REGIS A CONSILIIS AVLAE,
AC IN REG. ACAD. EQUESTRI LIGNIC.
PROF. IVR. PRIMARII

COMMENTARIVS

DE VITA, FATIS ET SCRIPTIS

IO. GOTTLIEB

HEINECCII, IC

POT. PRVSS. REGIS QVONDAM A CONSILIIS SANCTIORIBVS, IVRIS AC PHILOSOPHIAE IN ILLVST. FRIDRICIANA PROF. PVBL. ORDINARII,

DESIDERATISSIMI PATRIS.

DE VITA, FATIS ET SCRIPTIS IO. GOTTLIEB HEINECCII, IC. COMMENTARIVS.

§. *I.*

CELEBRE olim nomen in triga academiarum, Halenſi, Franequerana et Viadrina, jus, philoſophiam et litteras elegantiores docendo, clariſſimamque in republica litteraria famam ſcribendo conſecutus eſt IO. GOTTL. HEINECCIVS, Iureconſultus, Philoſophus et litterator quondam inſignis, deſideratiſſimus pater meus. Huius viri adgredior vitam ſcribere, viri, inquam, quem non minus *libri bene dixiſſe*, quam *diſcipuli bene docuiſſe* teſtantur: *pietate potius*, quam ſingularium et memorabilium fatorum vbertate aut varietate motus, non ab obliuione eum vindicaturus, memoriae enim ſatis ipſe conſuluit tot ingenii monimentis; ſed quod ſacram eſſe debere magnarum animarum memoriam, et ad ingenii humani hiſtoriam noſcendam apprime vtile cenſeo, priuatorum quoque hominum, meritis quibuſcumque eminentium, mores, indolem, animum, ingenium, ſtudia, fata noſſe. Non equidem egeremus mea opera, ſi quod ipſe olim inſtituerat, perfeciſſet. Memini enim Beatum Patrem, donec ſuperſtes erat, aliquando de rebus ad ſe pertinentibus commentarium moliri, idque tum conui-

cio amicorum tum flagitatione in primis CHRISTIANI GODOFREDI et IOANNIS GVILIELMI HOFFMANNORVM, quorum Francoſurti ad Viadrum ſumma et familiari conſuetudine fruebatur. At neque horum expectationem neque noſtrum deſiderium expleuit, taedio, modeſtia, negotiis, an fati invidia impeditus, ignoro, expleturus tamen, vt videtur, ſi monitores vixiſſent diutius. Rem profecto feciſſet gratam, eademque vel maiore forſan voluptate nunc legeremus illa *εἰς ἑαυτὸν*, quam qua legimus veterum aliquot iureconſultorum, veluti SEX. POMPONII, P. IVVENTII CELSI, C. AQVILLII GALLI, SALVII IVLIANI, et recentiorum FRANCISCI BALDVINI, IAC. CVIACII, BARTH. CHESII, GVID. PANCIROLI (*a*) vitas eleganter ab ipſo conſcriptas, in quibus dictionis cultum, praeceptorum vbertatem, iudicii vim, eruditionem variam, obſeruationum copiam facile vnuſquiſque agnoſcet. Magis certe accurata eſt inſpectio, et maturior pleniorque meditatio, facilior quoque narratio eorum, quae in vita experimur ipſi, quam quae ex relatione aliorum ſiue audimus ſiue legimus. Magna certe praerogatiua, maximaque fides debetur hiſtoricis, qui aut ea, quae ipſi geſſerunt, aut quibus interfuerunt, memoriae produnt. Sed ſpe illa, a Beato Patre olim facta, exciſi, hoc interea Catone contenti ſimus. Sequar ego, paſſibus licet non aequis, exemplum et pietatem *Merici Caſauboni*, cuius elegans exſtat vitae paternae hiſtoria, narraturus ea, quae tam ex ſermonibus, quos Pater mecum ſaepe familiariter de fatis ſuis habuit, quam quae mihi aliunde conſtant. Recenſebo at breui, quae in vita fortuniſque eius fuere notabilia, plura forte et certiora allaturus iis, quae in *variis Ephemeridibus* (*b*) de vita paterna leguntur.

§. *II.*

(a) Variae illae ICtorum vitae Tomo II. et III. et vltimo Operum paternorum inſertae ſunt.

(*b*) Veluti in *der Potz-damichen Quint-Eſſentz de a.* 1742. In *den aller-neueſten Nachrichten von Iuriſtiſchen Buchern*, Parte XVI. Dans *la nouvelle Bibliothéque Germanique*, quae Amſtelodami prodit, Tomo II. Art. V. p. 51. et forte aliis.

§. *II.*

Natus dignae memoriae Pater eſt EISENBERGAE, Principatus Altenburgenſis municipio, in Thuringiae oppidis et ſitus amoenitate conſpicuo, et tum CHRISTIANI, ex Gothana ſtirpe Saxoniae Ducis ſede, anno erae Chriſtianae MDCLXXXI. ad d. III. Idus Septembres. Pater illi fuit IOANNES MICHAEL HEINECKE, ſiue vt a filiis poſtea Latine redditum eſt gentilitium nomen, HEINECCIVS, Lycaei patrii Collega, vir ad formanda ingenia, inſtituendamque iuuentutem non doctus, ſed a natura veluti factus. Iſtud certe obſtetricium munus, quemadmodum Socrates apud Platonem in *Theaeteto* lepide vocat, & quo omnium maxime gloriari ſolebat mortalium ſapientiſſimus, et hanc vmbraticam vitam, quam multi moleſtiſſimam et deſpicabilem ducunt, ita ſemper amauit, vt non contemnenda ſacerdotia, ipſi ſubinde oblata, cum illa permutare nollet. Neque deſeruit vmquam ſtationem, in qua et Optimi Principis, cuius munificentia ſchola alebatur, gratiam, et ciuium ſuorum laudem doctrina, moribus, diligentia, integritate meruerat. In maioribus numeramus MARTINVM HAYNECCIVM, Theologum, ſcriptis quibuſdam et maxime *Soteria aeterna*, quae Lipſiae an. 1603. prodiit, non ignotum. Matrem habuit DOROTHEAM, MATTHAEI PRVFERI, honeſti in patria civis, ſenatoris et mercatoris filiam, quae eum poſt ſororem unicam, IOANNAM DOROTHEAM, adhuc ſuperſtitem, et duos fratres, Io. MICHAELEM, *olim S. Theologiae Doctorem, ſacri in Ducatu Magdeburgico Tribunalis Conſiliarium, ſuperintendentem generalem Vicarium, Inſpectorem Eccleſiarum in Tractu Salano, Paſtorem Halenſium primarium et Gymnaſii Scholarcham*, iam anno 1722. vita functum, et Io. ANDREAM, *rerum Silveſtrium in Tractu quodam*

dam Ducatus Brunſuicenſis quondam Praefectum, eodem quo noſter anno defunctum, poſtremo partu enixa eſt. Et ita quidem enixa eſt, vt infantulum pro mortuo haberent parentes, jamque nulla vitae indicia dantis corpuſculum terrae mandandum praepararent. Conſilio tamen et ope cuiuſdam, quae forte aderat, matronae, probe perfricatis pedum plantis, excitatus quidem infantulus, ſed tam infirma per aliquot annos vſus eſt valetudine, vt vix ſpiritum duceret, ipſique parentes illi non longam vitae vſuram ominarentur. Omen tamen avertit Deus O. M. Ex quo enim infantiae annos tranſgreſſus eſt, firma ſemper et ſtabili per omnem vitam valetudine vſus eſt.

§. *III.*

Primam aetatem ſub fauſtis penetralibus patris, oculatiſſimi morum ſpectatoris, egregiique ingeniorum indagatoris egit. Is, ſimul ac in puero primus ingenii vigor, emicuit, iis doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, erudiuit. Neque ſine fructu fuit haec patris tam ſolliciti cura, vt pote qui vſu in aliis diſcipulis decernere didicerat, quo tendendum et qua, cuiue tamquam perito alicui explorata erant omnia, in quae procedendum. Magnopere patrem, vti deinde ceteros praeceptores, iuuit ſumma diſcendi cupiditas, ingenii docilitas, & naturalis quaedam ſollertia. Haec tanta in puero fuit, vt condiſcipuli animum illius, bonarum rerum auidiſſime adpetentem, et a rebus ludicris auerſum aequo animo non ferrent, ſed tamquam moroſum et difficilem traducerent. Certe iam tum immoderatius in ſtudia ferebatur, quam aetas patiebatur. Pater autem hoc impenſius amauit filium, filiique amorem, indeque ſpem concepit non vanam, fore vt aliquando in rei publicae et litterariae bonum adoleſcat. At ille matu-

mature deceſſit, filio vix vndecim annos nato. Triſtis hoc caſu in familia conuerſio, mater vidua, liberi orbi, non lauta res domi. Nihil niſi deſiderium ſui et bona omina liberis, matri tamen amicos reliquit. In Deo et matre liberis maximum praeſidium. Neque hoc defuit illis. Mater enim et pietate Deo et moribus amicis cara facile inuenit, qui opera, conſilio, re iuuarent. Hoc itaque praeſidio amicorum ſuffulta in primis operam dedit, vt filii probe inſtituerentur. Permiſit itaque illos fidei ac diſciplinae DITERICI, PEZOLDI et GSCHWENDII, qui ad litteras docendas in patria publice conſtituti erant. Numquam ſine voluptate meminit illius temporis, quod in ſchola patria tranſegit, quin recordaretur Conrectoris, cuius diſciplinae traditus erat, cuiuſque nomen tacere praeſtat, quam dicere, Orbilium per omnia referentis, imaginarii, vehementis, plagoſi, ſordidi & ridiculi, vt ſunt haud pauci, qui in ſcholae vmbra ſeneſcunt, litteris tamen inquinati, et in Graecis verſatiſſimi. Is enim non tulit praecox diſcipuli in illa aetate ingenium, et quo laetiora illius indicia dabat, hoc magis illum tamquam ſciolum et ante pilos ſapientiae inhiantem increpauit. Oderunt alii puerulos praecoci ſapientia, exemplo veteris poetae apud Apuleium, ſed non eo, vt in adoleſcentibus improbarint haud vulgarem diligentiam, et ſciendi curioſitatem. Adeo verum eſt, quod ait ille, *Virtus non habet oſores, niſi ignorantes*, et: *numquam eminentia inuidia carere.* Certe inſanum aut necromantam illum credidiſſes, ſi quod elogium HEINECCIO collegae darent, aut hic concinnius aliquid vel promtius reliquis condiſcipulis elaboratum traderet. Saepe ſcripturam in cathedra pedibus conculcare ac geſticulatione plus quam pantomimica conſpuere, non quod eſſet male concinnata, ſed quod opinionem illius ſuperaret. Tali cum eſſet ingenio magiſter, eo ſiue inuidia, ſiue animi impotentia ſe abripi paſſus eſt, vt apud FRANC-

KIVM,

KIVM, Superintendentem et Lycaei tum ſcholarcham inſiſtere non intermitteret, vt ex ſuo ordine in ſuperiorem transſlocaretur. Qui cum interrogaret, quidnam eſſet, quod HEINECCIVM, de quo nemo collegarum vmquam queſtus eſſet, pati nollet? reſpondit: *me miſerum, de rebus quaerit, quas ipſe non intelligo, et ludibrio ideo apud diſcipulos ſum. Certe Spiritus ſanctus in puero eſt.* Haec ipſa verba magiſtri ſunt, quae referre non piguit, quod honori cedant patris, in bona quaeuis tum adoleſcentis. Interea Rector illius ſcholae, GSCHWENDIVS, cuius diſciplinae tradebatur, vir doctus et aequior ingenii aeſtimator, nihil intermiſit, quo diſcipulus ad optimarum rerum cultum formari poſſet.

§. *IIII.*

Vſus autem eſt horum praeceptorum inſtitutione ad annum vſque 1698. in quo temporis interuallo aſſidua lectione veteres auctores Graecos et Latinos verſando fundamenta poſuit ſcientiae elegantiorum litterarum et eloquentiae Latinae, in qua poſtea excelluit maxime. Frater interea natu maior, Io. MICHAEL, in libera Imperii ciuitate Goſlarienſi muneri eccleſiaſtico admotus, multos et magnos ſibi doctrina, morum cultu et eloquentia ſacra, qua in primis pollebat, conciliauerat patronos. Qui cum eſſet fratris amantiſſimus, et profectuum, quos in vtraque tam Graeca quam Latina, quin et Hebraica lingua ceteriſque ſtudiis humanioribus fecerat, gnarus, illum ad ſe vocavit. Patria itaque exiit, et Goſlariam venit anno 1698. ibique breui tempore adeo ſe bonis quibuſque probauit, vt commendatione fratris adiutus in domum et familiam Illuſtris SEIDENSTIKERI, Iudicii Imperialis aulici Conſiliarii receptus benigniſſime haberetur. Multum haec commoratio vtrique fratrum profuit. Nam cum patruus meus

meus illo potiſſimum tempore praeclara illa opera, alterum *de Antiquitatibus Goſlarienſibus*, alterum *de Sigillis veterum Germanorum*, aliaque ſcripta moliretur, illaque ex chartis membranisque veteribus inſtrueret, multa fratri deſcribenda dedit, alia excerpenda permiſit. Magnopere haec opera patruum ſubleuauit, patri vero idemtidem non infructuoſa fuit. Praeterquam enim, quod ille ſuperſedere poterat operoſo librorum euoluendorum et vetuſtos caracteres in chartis medii aeui obuios expediendi et deſcribendi labore, obſeruationes quandoque patri natae ſunt, de quibus non cogitauerat auctor, quaſue in rem ſuam vertere adeo non dubitauit patruus, ut memor ſemper fuerit nauatae operae fraternae. Pater vero hoc ipſo variarum rerum cognitione imbuebatur, et laborioſae inquiſitioni et meditationi rerum a vulgi notitia abſtruſarum paullatim adſuefiebat. Scriptorum etiam meliorum, medii antiquiorisue aeui inſtituta et mores illuſtrantium, tum ſe primum adquiſiuiſſe notitiam, grate ſaepe profeſſus eſt.

§. *V.*

Etſi vero multum apud Patrem fraterna conſuetudo et exempli vis valeret, bonarumque rerum cognitio maiora indies incrementa meliorum lectione librorum, quos diurna nocturnaque manu verſabat, caperet, non tamen hanc ſtudendi viam rectam et ſatis commodam aut ſufficientem arbitrabatur. Accedere oportebat inſtitutio viuae vocis, quae iudicio doctiſſimorum hominum maiorem lectione vim et efficaciam habere ſolet. Firmius certe haerere in animo et memoria ſolent, quae audiuntur, quam quae leguntur, et compendium diſcendi facimus audiendo viros doctos, de pulpito dicentes. *Vno enim momento temporis*, vt verbis vtar ALEX. FICHETI, (*) *effundunt in ſinum noſtrum, quod longiſ-*

b *ſimo*

(*) *In arcana ſtudiorum methodo Cap.* 10.

ſimo plurium annorum labore coaceruarunt, atque hoc nullo noſtro labore, magnaque cum animi noſtri voluptate contingit. Fratri inde expoſuit deſiderium, Academiam aliquam adeundi, ibique ſeuerioribus litteris operam dandi. Fratri non abnuit frater, qui ne feruorem illum diſcendi reſtinguere videretur, illum ex amplexibus ſuis aegre tandem dimiſit. Anno itaque 1700. almam Lipſiam adiit, beneficiis Illuſtris SEIDENSTICKERI potiſſimum et commendatione fratris ſubleuatus, eoque animo adiit, vt ſacris litteris operam ſedulo nauaret, muneríque eccleſiaſtico, cui tum a matre deſtinabatur, ſeſe praepararet. Lipſiae in contubernio vixit SEIDENSTICKERI iunioris, cui ab illuſtri parente tamquam ſtudiorum ſocius et moderator additus erat. Iam ibi erat, vbi ingenii neruos intendere, illudque tamquam in palaeſtra aliqua ſapientiae et virtutis iuuare, ornare, roborare et in maius meliuſque promouere poſſet. Academia illi obtigerat elegantiarum omnium ſedes, ſapientiae bonaeque mentis domicilium, muſarum ac gratiarum auguſtiſſimum ſacrarium. Docebant ibi tunc temporis IO. SCHMIDIVS, ADAMVS RECHENBERGIVS et THOMAS ITTIGIVS, magna in Theologia, Philologia ſacra et Hiſtoria eccleſiaſtica nomina. His aliiſque claris viris operam ſedulo dedit. Neque ſatis illi fuit, tantos Doctores audire. Expendere enim ſingula ſolebat, et quam firmis probationibus quaeque niterentur diſpiciebat, perque bibliothecas exquirebat, quid conſignatum ab antiquiſſimis atque fide digniſſimis auctoribus exſtaret. Magno autem vſui illi tum fuit continua conſuetudo ADAMI RECHENBERGII, in cuius aedibus ſibi ſocioque muſeum conduxerat, cuiuſque ex ore et diſciplina maxime pependit. Hic vir paterno diſcipulum amore complexus eſt, atque vt aſſiduae diligentiae ſubueniret, bibliothecam ſuam, quam inſtructiſſimam habebat, illi vtendam fruendam benigne con-

conceſſit. Omnium autem maxime tum Pater delectabatur hiſtoriae eccleſiaſticae et ſacrarum Antiquitatum ſtudio. Hanc ſitim expleturus BARONII *Annales* diligentiſſime legit, atque ex optimis rariſſimiſque libris grandia aliquot aduerſariorum volumina excerptis obſeruationibuſque repleuit, iis aliquando vſurus ad nouam et pleniſſimam Eccleſiae hiſtoriam, cuius ſibi iam tum ideam impreſſerat, concinnandam. Sed mutata paullo poſt vitae ſtudiorumque ratione in ſpongiam tandem incubuit hic Aiax, ipſaque Aduerſaria magno diſpendio pridem, fraude an caſu, non dicam, perierunt. Ex vngue tamen, vt dicitur, iudicare leonem poterit, quiſquis illius diſſertationem, *de habitu et inſignibus Apoſtolorum ſacerdotibus*, anno 1701. ſub praeſidio Io. SCHMIDII publice defenſam, legerit. Primus hic ingenii foetus fuit, et cum auctor ipſe huius ſcriptionis hiſtoriam texat, (*) ipſum audire iuuabit. *Vt vero*, inquit, *de ſingulis nonnulla, quae ſcire te, tua intereſſe videtur, moneam, primum locum occupat Diſſertatio paullo diffuſior, de habitu et inſignibus Apoſtolorum ſacerdotalibus, quam vndeuiginti annorum adoleſcens Lipſiae, vbi tum prima ſtudiorum academicorum tirocinia faciebam, ſub praeſidio* V. C. Io. SCHMIDII, *e cathedra philoſophica defendi. Deſtinatus tunc a matre veneranda ſtudio theologico, facile animaduertebam, me vix operae pretium facturum, niſi cum illo et elegantiores litteras et philologiam ſacram, et quod tum in iſta Academia quam maxime florebat, antiquitatum eccleſiaſticarum ſtudium coniungerem. Cum itaque ea diligentia mihi viri ſumme reuerendi* D. ADAMI RECHENBERGII, *cuius in aedibus mihi muſeum conduxeram, amorem ac beneuolentiam conciliaſſem, vir iſte doctiſſimus, qua erat humanitate, mihi bibliothecae ſuae vſum liberaliter obtulit, eaque re factum, vt dum virorum doctiſſimorum*, RECHENBERGII *et* THO.

(*) *in Praef. Opuſculorum variorum* συλλογῇ *praemiſſa. Tomo II. Opp.*

ITTIGII praelectiones aſſidue audio, dieſque ac noctes antiquae eccleſiae monimenta voluo, notitiam non mediocrem hiſtoriae eccleſiaſticae mihi compararem, quam deinde non parum locupletaui, cum relicta academia Lipſienſi in fratris τοῦ μακαρίτου contubernio aliquamdiu viuere, eiuſque et conſiliis, et inſtitutione et bibliotheca frui contingeret. Cum ergo profectuum ſpecimen a me exigerent patroni, a quorum arbitrio tum pendebam, et legens inter alia BARONII Annales animaduertiſſem Cardinalem illum Apoſtolis habitum atque inſignia ſacerdotalia, qualibus hodie Clerus Romanae Eccleſiae inter ſacra ſuperbit, paſſim tribuere non dubitare: miratus ſum eam viri purpurati audaciam, et audire mihi viſus ſum clamantem Melicertam,

Periſſe
Frontem de rebus.

Itaque iuuenili feruore arripui calamum, illaque BARONII aliorumque Pontificiorum argumenta excuſſi, et diſſertationem ea de re conſcriptam obtuli venerabili SCHMIDIO, qui illam vnice probauit, ſuumque mihi obtulit praeſidium. Quamuis vero iuuenile hoc ſit opuſculum, et multa ſint, quae ipſe iam vel in dictione vel in elaboratione deſiderem: eo tamen magnopere me delectari fateor, tum quod hae ſint ſtudiorum meorum primitiae, tum quod mihi poſtea viam ad beneuolentiam Reuerendiſſimi VRSINI DE BAEHR, ſummi in aula Regia ſacrorum Antiſtitis, muniuit, cui perlecta diſſertatio ita placuit, vt mihi auctor eſſet, ne illam auctiorem edere dubitarem. Ita prodiit altera editio in forma minore, quam octauam vocant, eaque ita locupletata, vt iuſſi molem libelli ferret, qui ita ad palatum fuit viro reuerendiſſimo, cui dicatus fuerat, vt eius commendatione paullo poſt publicum docendi munus mihi in Academia Halenſi longe clementiſſime demandaretur.

VI.

§. *VI.*

Edito illo ingenii ſpecimine, non indignus a praeceptoribus habitus eſt primo honorum Academicorum gradu, qui tamquam praemium vigiliarum et in vicem ſtimuli ad conandum maiora olim tribuebatur, iam vero, vt ſunt tempora, petentibus potius, quam merentibus dari mos eſt. Hortantibus itaque amicis et conſilio fratris, quo inſalutato adhuc nihil agere audebat, ordini ſeſe philoſophico ad examen magiſteriale obeundum obtulit. In hoc cum plauſu inter ceteros magiſterii candidatos ſtetit, et anno 1703. a. d. VIII. Februarii magiſterii philoſophici honoribus ornatus eſt, lauream tribuente CHRISTOPHORO PFAVZIO, Matheſeos profeſſore publico. Hoc quoque doctore in mathematicis et chronologico in primis ſtudio, in quo prae aliis excelluit, aliquamdiu uſus eſt. Praelectionibus enim chronologicis, quibus AEGIDII STRAVCHII *Breuiarium chronologicum* explicabat, aſſidue interfuit, non ſine interiore temporum notitia hiſtoriam ſiue profanam ſiue eccleſiaſticam, quam in deliciis habebat, addiſci poſſe ratus. Decurſo hoc modo ſtudiorum academicorum ſtadio, deſiderium in illo naſcitur reuiſendi fratrem, cuius idemtidem litteris inuitabatur. Eodem ergo anno Goſlariam redit, aut ſacerdotium, ſi quod vacaret, aut aliud munus data copia ambiturus; ſin minus, Lipſiam rediturus. Deo aliter viſum. Nihil enim horum accidit. Apud fratrem interea otio obtorpere non paſſus eſt ingenium, omni exercitationum genere in academia, legendo, ſcribendo, dicendo docendove excultum. Multum iuuit fratris inſtructa ſatis ſupellex libraria, neque minorem illi vſum praeſtitit eiuſdem fratris et inſtitutio et exemplum ad perficiendum oratorem ſacrum. Ipſe enim, vt dixi, ſacro muneri erat dicatus,

et frater in eloquentiſſimis ſui temporis oratoribus numerabatur, nec facile in alio maior erat oris atque orationis commendatio. Pater itaque meus nihil fecit reliqui, vt in dicendo ad perfectionem aliquam perueniret. Iam Lipſiae aliquoties non ſine plauſu e ſacro ſuggeſtu verba fecerat. Idem ſaepe fecit Goſlariae, quoties erant, qui vicaria eius opera egere profiterentur. Hic vero praeter omnem ſpem et opinionem conſilium cepit, gradum mutandi. En rationes. Primo quidem obſequii magis lege, quam ex animi ſententia Theologico ſtudio mentem adplicuit. Deinde ſemper animum geſſit auerſum a muniis quibuſdam Eccleſiaſticorum, quae ſunt cum officio aegrotos et moribundos viſendi coniuncta. Tanta enim illi nauſea erat, vt natura quaſi abhorreret ab huiuſmodi commercio. Accedebat poſtremo anhelatio et dyſpnoea, quacum iuueni colluctandum erat, cuius tamen poſtmodum non magnopere incommoda ſenſit. Illo tamen tempore verebatur, ne, ſi vocem, quam a natura ſonoram et plenam acceperat, in ſuggeſtu iuſto plus intenderet, grauius pectori malum arceſſeret. His aliiſque rationibus motus ſerio de nouo ſtadio ingrediendo cogitare coepit, non diſſimulans apud matrem fratremque conſilium. Vterque equidem initio reluctabatur, ſed a propoſito ſe deterreri non paſſus eſt contrariarum rationum momentis. Neque profecto illi male ceſſit priſtini ſtudii deſertio, quae et in aliis doctiſſimis viris in magnum rei publicae et litterariae commodum vertit. Quot et quanti viri e Theologorum in Themidos caſtra tranſierunt, et tantum abeſt, vt ſacratam Themidem poenituerit transfugarum, vt potius ad ſummos et ampliſſimos honores euexerit, illaque non inhoneſta defectione neque litteris neque ſibi ipſis defuerint.

§. *VII.*

§. *VII.*

Lipſiam procul dubio rediiſſet, ibique rerum ſuarum ſategiſſet Pater meus, niſi Deus praeter opinionem aliam eamque percommodam occaſionem obtuliſſet, conſilium iuriſprudentiam addiſcendi, exſequendi. Dum enim has animo volvit curas, ampliſſima fratri ſaepius laudato munera ſacra in vrbe Halenſi ſub lautis admodum conditionibus offeruntur. Recuſandi nulla cauſſa erat, et tum maxime florens Fridriciana, ac doctiſſimorum hominum copia tanto magis inuitabat virum et doctrinae laude florentem et litteras amantem. Itaque breui quantumuis aegre dimiſſus a Goſlarienſibus, Halam acceſſit, non ſine fratre, quem ſibi comitem itineris et fortunae adiunxerat. Huic iam non perdendum aut inaniter conſumendum tempus videbatur, vt qui ſerio ad iuriſprudentiae ſtudium animum adiicere ſtatuerat. Neque ad illam rem deerat copia. Sam. Strykii enim et Christiani Thomasii aliorumque, quos ſibi moribus et diligentia conciliauerat, patronorum opera et commendatione continuo in Gollōukinorum, ex praecipua Ruſſorum nobilitate iuuenum, Halenſem Academiam tum ornantium, contubernium adſociatus eſt, tum vt priuatim illos inſtitueret, tum vt in acroaſibus Sam. Strykii audita domi repeteret, praeceptaque percepta redderet. Inter haec non intermiſit philoſophiae et litteris elegantioribus, in quibus a puero non mediocriter verſatus erat, porro operam dare. Et cum docendo plurimum diſci ſciret, ſibi vna aliiſque profuturus hanc excolendi ingenii viam ſtatim ex quo Halam acceſſit ingreſſus eſt. Saepe in memoriam reuocare ſolebat primos hos publice docendi conatus. Proſcriptis enim in albo Academico acroaſibus in Io. Franc. Byddei *Elementa philoſophiae* habendis, tanta frequentia confluxit

fluxit ſtudioſa iuuentus, vt ipſe miratus ſit adplauſum, veterani autem doctores inuiderent. Fuerunt ſane inter auditores, et forte plerique, qui explorandi tantum cauſſa, quale principium aduenieus ſit daturus, concurrerant. Quod cum facile praeuideret, tanta diligentia ſeſe ad lectiores praeparauit, vt omnia memoriter ediſceret, quae tradere vellet. Quod inſtitutum diu poſtea ſollicite retentum multum illi profuit, ad luculentam et diſtinctam docendi rationem, qua poſtea plurimum polluit. Auditoribus autem iis, qui initio animi nouitatiſque tantum cauſſa aduenerant, vt viderunt, nouellum magiſtrum facundia, ſolida rerum tractatione, libero et ſaepe iocoſo dicendi genere praeſtare, ſubſellia illa adeo placuerunt, vt nuſquam frequentiores irent. Veterani contra doctores aequo animo non tulerunt illam gloriolam. Rara profecto docendi dona ſunt, doctiſſimis ſaepe viris negata. Sed figulus figulum, et faber fabrum. Certe iam tum ſuo exemplo didicit, academiis obiici poſſe, quod Megaricorum ſcholae olim obiecit Diogenes: ού χολὴν ἀλλὰ χολὴν, *non ſcholam ſed meram bilem eſſe.* At pater inuidiam, tamquam virtutis comitem, eo tempore non magnopere moratus, hoc egit, quod officium et ratio poſtulabat, et ſic ſe geſſit, vt dexteritate, eruditione, et diligentia ſe non paucis patronis probaret, quin illos identidem ad ſe ornandum prouocaret.

§. *VIII.*

In primis autem ſpem potiundi loci inter publicos Academiae Doctores tum fecit ſupra laudatus Vrsinvs de Baehr, vir magnae in aula regia auctoritatis, Epiſcopi dignitate fulgens, patri amiciſſimus. Huic viro, vt multa alia, ita hoc etiam debuit, vt anno 1708. ordini philoſophico adiungeretur. Auſpicatus eſt nouum illud munus more maiorum exercitatione

citatione ad diſputandum propoſita: *de genuina natiuitatis Chriſti era, e numis et inſcriptionibus illuſtrata.* Quo animo, inſtituto et adparatu illam ſcripſerit, ipſe nos docet in praefatione, opuſculis Academicis praemiſſa. Nimirum iam a prima aetate ardere coepit in rei antiquariae, lapidariae et numariae ſtudium. In ſchedis adhuc habemus excerpta numorum, marmorum, gemmarum, ipſius manu delineatarum, ex codicibus et libris rariſſimis, quin et ipſis archetypis congeſta; ex quibus colligere licet, quanta diligentia olim hoc ſit ſtudium ſectatus. Et niſi poſtea ſeuerioribus ſtudiis, et multis ſaepe quam magnis negotiis diſtrictus eſſet, plura eius ſpecimina non poenitenda dediſſet. Sed vti numquam antiquitatibus pretium ſtatuit, quam quatenus lucem ſeuerioribus diſciplinis accendunt, ita lapidarias et numarias muſas non aliter amauit, quam generatim antiquitates. Itaque illud ſtudium primo ad hiſtoriam tam ſacram quam profanam, deinde ad iuriſprudentiam tranſtulit, ceu ſcripta iuridica, poſtea edita, pluribus teſtantur. Sed de vero et recto vſu antiquitatum in omni eruditionis genere, et ſpeciatim in iuris ſcientia ipſe ſatis in ſcriptis et operibus ſuis paſſim dixit.

§. VIIII.

In medio ſtudiorum curſu praeripiebatur illi, anno ſcilicet 1710. praeceptor et patronus inſignis, SAM. STRYCKIVS, iuris conſultorum ſui ſaeculi facile princeps. Qui caſus non poterat non et Fridericianae, in quam immortalia, et patri, in quem multa magnaque eiuſdem merita exſtabant, luctuoſus et feralis eſſe. Magno tum animorum motu de extremo officio tanto viro rite praeſtando certatum eſt. Diſcipulus autem praeceptori pietatis, venerationis et grati animi monimentum poſiturus, ſempiternae eius memoriae conſecrauit panegyricum, qui adhuc omnium manibus teritur.

Quam-

(*) Quamuis autem hoc modo pietas ſimul et eloquentia HEINECCII illuſtraretur, hanc tamen laudem non ſine inuidia inuenit. Quidam enim patri, vt lenius dicam, aemulus, atque inſuper Io. SAMVELIS STRYCKII, SAM. FILII, patri neſcio cur infenſi, amicitia abutens in fraudem patris, honorificum illud pietatis officium illi variis machinationibus extorquere conatus eſt. Neque ſatis ſcio, an publice dicere integrum illi fuerit.

§. X.

Nondum illo tempore adeo candidi patri fulſere ſoles, vt non de meliore et ſtabiliore fortuna, ſi non ipſe, amici tamen, ſubinde eſſent ſolliciti. Fratrem in primis amicoſque angebat illa patris aequanimitas, qua iuxta Plautum, *virtute ambire oportere, non fautoribus*, arbitrabatur, cum ſine his perraro aliquid effici probe intelligerent. Erat certe eo animo a natura factus, vt litterarum ſtudiis et ornandae ſpartae vnice intentus, diſſimilis ſemper fuerit iis, qui vt aliquid aucupentur, ardelionum more trepide concurſant, potentiorum limina ſine fine modoque exoſculantur, amicos anxie quaeritant, minutum et puſillum animum quauis occaſione prodentes, Graeculis eſurientibus ſimillimi. Longe his aliter animum induxit pater meus, qui nullo quidem officiorum genere defuit patronis, ſed vt non facile neque niſi parciſſime ab iis ſibi emendicaretur gratiam aliquam. Saepe haec negligentia, ſi ita adpellare fas eſt, qua ſibi ſuiſque magnopere defuit, vitio illi ab amicis non immerito data eſt. Magnis tamem vſque ad exitum patronis probatus fuit, qui eius cauſſa omnia voluerunt, effeceruntque. Vtcumque ſit, illa animi ſententia ei tum non male ceſſit, praeter ſpem et opinionem eorum,

(*) Iunxit auctor illum *Fundamentis ſtili cultioris. Tomo I. Operum.*

eorum, qui bene maleque illi cupiebant. Leui enim opera conſecutus eſt, vt ſibi munus philoſophiam publice docendi auguſtali codicillo anno 1713. demandaretur. Non placuit nouum illud dignitatis augmentum obtrectatoribus, et ſtimulus ita factus eſt aduerſariis, inque iis difficili tum Theologorum Halenſium nationi, quorum odium non tam ſua quam fratris, vt putabatur culpa, incurrerat. Hic nimirum ab illis multum diuerſus, non probabat ſimulatam et adfectatam quorumdam pietatem, ac peruerſam et prorſus fanaticam, qua tamquam Circeo poculo inebriati erant, opinionem; non decere homines, diuinarum maxime rerum ſtudioſos, philoſophiam et profanas litteras. Et quo magis iis vterque frater dediti erant, hoc magis illis obtrectabatur ſcrupuloſiſſimum et irritabile illud hominum genus. Quibus calumniis ſub idem fere tempus concuſſus et paene proſtratus fuerit philoſophorum huius ſaeculi princeps, Illuſtris CHRIST. L. B. de WOLF, et ii ſciunt, qui aliud nihil. Interea cum fratre ſenſit frater, illiuſque partibus addictus erat, et ſic fieri potuit, vt per occaſionem illi, cui difficile erat, ſatyram non ſcribere, exciderint ſcommata, iis, qui nihil ferre ſolent, intoleranda et tantum non cruce digna viſa. Rem itaque inuidia plenam deferunt ad Regem, qui tandem vtrumque fratrem clementiſſimo reſcripto admonuit, ne turbas darent, abſtinerentque ſe porro a litibus. Crabrones etiam, vt coniicio, irritauerat edito ſub auſpiciis noui muneris, programmate, *de verae falſaeque ſapientiae characteribus*, quo cum ciuibus academicis communicabat, quibus potiſſimum partibus illos iuuare animus eſſet. Legenti certe cuiuis iudicandi poteſtas eſt, in quale hominum genus faba cudatur. Mox ſequebatur illa *de inceſſu animi indice* elegans diſſertatio, qua illud phyſiognomoniae genus, hominum mores et indolem ex variis ſignis externis, vultu et maxime inceſſu coniectandi egregie illuſ-

trat. Occaſionem huic diſquiſitioni procul dubio dedit ridiculus eorum, qui ficto ſimulabant pia pectora vultu, quibus tum Hala ſcatebat, inceſſus. Qui cum ſuos haberent fautores, non facile cuiquam impune licebat hanc mouere camarinam.

§. XI.

Viam, quam ſemel ingreſſus erat, indefeſſo pede perrexit, neque a coepto vitae genere, quod erat in docendo ſcribendoque poſitum, curſum deflexit. Huius induſtriae ſpecimen ſequente anno vulgauit, edita Commentatione *de philoſophis ſemichriſtianis*. Non eſt, quod hic de ratione instituti quidquam dicamus, cum id ipſe iam praeſtiterit auctor, tum in ipſo libello, tum in praefatione Opuſculis praemiſſa. (*) Quidquid autem hactenus publici iuris fecit, materia erat, aut ex hiſtoria eccleſiaſtica, aut philoſophia, aut illius hiſtoria, hanc enim numquam neque a Theologia, neque philoſophia, neque adeo a iure ſeiunxit, depromta. Tantum tamen abeſt, vt ſubinde amorem, quo in iuris legumque peritiam ferebatur, depoſuerit, vt potius ſerio ac ſumma ope niteretur, illam eruditionis partem, cui ſe ſtatim vt Halam conceſſit, dedit, animo complecti. Non tamen auſus eſt quidquam in illa ſcientia moliri aut ſcribere ante annum 1716. quo ſe iureconſultorum ordini, ſummis in iure honoribus ornandum, obtulit. Auſpicalem enim tum, more in Academiis recepto, diſſertationem publico eruditorum examini propoſuit: *de origine atque indole jurisdictionis patrimonialis. Quandoquidem vero*, inquit Auctor, *ea tum erat rerum mearum ratio, vt intra quatuordecim dierum ſpatium et capiendum eſſet conſilium et exſequendum: temporis excluſus anguſtiis, omnia, quam*

(*) *Tomo II. Operum.*

quam fieri poterat, breuiſſime propoſui, eaſque theſes ſine alterius praeſidio defendi. Dicam vero, ne quid intactum relinquam, quid ſit, cur tam cito et tamquam in arena capiendum eſſet conſilium. Varie quippe ſollicitatus de coniugio contrahendo, adhuc tamen non adpetiit, donec non contemnendae demum rationes offerrentur, quas repudiare et adſpernari religioni ſibi ducebat. Intra breue temporis ſpatium cum actum tranſactumque eſſet, legi etiam ſponſo a ſponſa dictae ſatisfacere non detrectauit; vt nimirum Doctoris iuris gradum ante nuptias, quibus iam dies conſtitutus erat, ſuſciperet. Hinc nulla mora nectenda, indeque cauſſa breuiſſimi intervalli ad hoc negotium conceſſi.

§. XII.

Venio nunc ad id tempus, quo domi ſatis clarus exteris quoque innoteſcere coepit. Priuatus enim iuris Doctor cupidae legum iuuentuti docendo apprime ſeruiit. Iam vero iuris et antiquitatum ſingularem ſcientiam publicis monimentis teſtatam ſaeculo fieri, reliquum erat. Factum id eſt autem inſigni illo *Antiquitatum ius Romanum illuſtrantium ſyntagmate*, quod primum Halae 1717. prodiit. Dici non poteſt, quam auide exceptum ſit venuſtiſſimum illud opus. Toties certe repetitae editiones, inueniſſe emtores, ſatis teſtantur. Recuſus enim liber iſte emendatior auctiorque eſt primum Argentorati, deinde Venetiis, Baſileae, Traiecti ad Rhenum et poſtremo Geneuae inter Opera omnia. Hoc certe ſpecimine, tamquam eſca aliqua allecti Bataui, illum poſt aliquot annos ad ſe vocarunt. Eodem libro et hanc laudem promeruit, vt inter iuriſprudentiae humanioris, in Germania fere euileſcentis, reſtauratores haberetur. Incubuerat nempe vitio practicorum, ſi Diis placet, vſum et praeſtantiam elegan-

tiorum litterarum ignorantium, Academiis Germaniae quaedam barbaries, quam a iuriſprudentia depellere elegantioribus litteris, antiquitatibuſque et hiſtoria cum illa coniunctis exemplo doctiſſimorum hominum ſumma ſemper ope niſus eſt Beatus Parens. Licet tamen hoc opere doctiſſimum quemque domi foriſque in admirationem traxiſſet, non tamen, vt ſuum cuique iudicium eſt, omnia in illo placuerunt omnibus, vt non ſubinde cenſores et aduerſarios inuenerit. Notarunt certe eum viri clariſſimi B. BRANCHV *in Obſeruationibus*; GOTTL. CORTIVS, *in Vindiciis Praetoris juriſque honorarii*, quibus quid repoſuerit pater contrauindicans, legere eſt in *Hiſt. Edictorum Edictique perpetui. Lib. I. Cap. 6. §. 19. ſequ.* nec non in *Hiſtoria iuris Lib. I. Cap. 3. §. 70.* IAC. VOORDA *in Commentario ad L. Falcidiam*, IO. AVG. ERNESTI, *in Indice Ciceroniano*, aliique maiorum minorumque gentium litterati. Nemo tamen maiore animi motu adparatuque contra auctorem huius operis inſurrexit, quam laudatus CORTIVS. Hic enim initio amicus, mox aemulus, poſtremo infeſtum animum non alia de cauſſa geſſit, quam quod ſpe potiundae profeſſurae alicuius excidit, ex quo Patri illa demandaretur. Ex quo tempore non aliud fere ſibi negotium credidit datum eſſe, quam vt tam in praelectionibus, quas Lipſiae in hoc ſyntagma inſtituit, quam ſcriptis, doctis ceterum et laborioſis, patrem cenſeret, notaret. Sunt et alii, qui in hoc muſtaceo laureolam quaeſiuerunt. Inuenerintne, non dixerim? Non equidem mihi harum litium arbitrium ſumo, cum meo auxilio nec me defenſore pater egeat, et bella eiuſmodi ſemper putarim nullos habitura triumphos, neque ita vmquam in Patris verba iurauerim, vt credam, numquam illum aliquid humani paſſum. Rem potius iudicio eorum relinquo, quibus iudicandi vis eſt et poteſtas et otium. Hoc tamen diſſimulare nequeo, fuiſſe in aduerſariis, qui magnum putarunt, in re

in re illiquida et dubia, qualia ſunt multa in Antiquitatibus capita, probabilem ſententiam contra aeque probabilem vel etiam probabiliorem ſumma contentione defendere. Sed miſſis his ad alia tranſeamus. Eodem fere tempore, quo iuriſprudentiam antiquitatibus illuſtrare adgreſſus erat, hiſtoriam etiam iuris Romani et Germanici, ad quod, ab hoc lumine deſtituti, non poſſunt non caligare, meditabatur. Sed tum quidem in aliud tempus differre propoſitum coactus, CHRISTIANI THOMASII *delineationem hiſtoriae iuris*, breuem illam quidem, ſed inſtituto ſatis aptam, in vſum auditorum recudi curauit, eamque praefatione commendatitia ornauit.

§. *XIII.*

Eloquentiae famam ſibi pridem parauerat Pater, et cum NIC. HIER. GVNDLINGIO in facundiſſimis ſui aeui oratoribus numerabatur. Stili ſane Latini omnes elegantias callebat, et ſiue ſcriberet, ſiue diceret, facile intelligebatur, illum fere quod ſummum eſt in dicendi arte attigiſſe. Eminuit certe in Parentis mei dictione Latinae linguae puritas, rerum copia et pronunciandi grauitas. Neque haec dicendi facultas et fructus, qui ex eius inſtitutionibus oratoriis in ſtudioſam iuuentutem manabant, Fridericianae curatores, neque per hos ipſum Principem latebant. *Cum itaque*, (inquit ipſe *in Praef. Fundamentorum ſtili*) *beatiſſimus et immortalis gloriae princeps*, FRIDERICVS, *rex Pruſſiae, publicum docendi munus in illuſtri hac Academia mihi decreuiſſet, eo potiſſimum conſilio id ſe facere profeſſus eſt rex ſapientiſſimus, vt iis, qui ſe politioribus litteris conſecraſſent, viam, qua ad pulcherrimam iſtam laudatiſſimamque doctrinam poſſent peruenire, commonſtrarem. Quam bene de ſtudioſa iuuentute merendi occaſionem tametſi mihi tunc neſcio quae praeriperet inuidia: tamen ex quo potentiſſimus*

tiſſimus rex, FRIDERICVS GVILIELMVS, *publice docendi prouinciam mihi impoſuit, dandam mihi operam exiſtimaui, ne nullum ex illa beatiſſimi principis voluntate fructum caperetis.* Et ſic nata ſunt *fundamenta ſtili cultioris*, Halae primum 1717. excuſa et poſtea vndecies et amplius recuſa. Gratus in primis hic labor docentibus, commoduſque diſcentibus fuit, adeo vt claſſicam fere auctoritatem conſecutus, ac in pleriſque Germaniae ſcholis introductus ſit libellus, ab eo profectus, qui ad alia plane quam vmbratica et ſcholaſtica ſtudia natus videbatur. Fuerunt, qui imtempeſtiue ſeduli neque rogati obſeruationes ſuas, a mente auctoris non raro alienas, huic libro interſeruerunt, cum quibus aliquoties recuſus exſtat. Non ſine indignatione alienam illam operam tulit, tametſi honorificum illud officium grate agnouerit, quod in commentando illo libro praeſtare haud grauatus eſt, Vir celeberrimus muſiſque Heineccianis amiciſſimus IO. MATTH. GESNERVS. Adhuc non ſine vberrimo fructu inſignique gratia priuatus iurium Doctor ius ciuile auditoribus legum cupidis enarrauerat, cum in dies magis magiſque effloreſceret B. Parentis nomen. Itaque triennio poſt commendatione eorum, quorum curae Fridericiana et res Palladia in orbe Pruſſico erat, in primis illuſtriſſimi MARQVARDI LVDOVICI A PRINZEN dignitas ab auguſto Rege illi profeſſoris iuris extraordinarii decreta eſt. Huic iungebatur aſſeſſura facultatis iuridicae, Profeſſoribus iuris, qui extra ordinem ſunt, non facile concedi ſolita. Inde publico diſputantium examini propoſuit diſſertationem *de leuis notae macula, ad l. 27. Cod. de inoffic. teſt.* in qua enucleata illa lege, et querelae inofficioſi hiſtoria, cur Conſtantinus M. fratribus praeteritis aduerſus heredes, probro aliquo diffamatos, ſuccurrendum putarit, deinde quae ſit illa leuis notae macula, quam in animo habuerit Imperator, et denique num tota illa de hac macula doctrina ICtorum vllum in iſta lege

lege praeſidium inueniat, eum cura diſquiſiuit. Dubia quaedam contra nouam ſententiam, in diſſertatione illa propugnatam, mouit Collega olim coniunctiſſimus, Vir Illuſtris Ivstvs Henningivs Boehmervs in diſſertatione *de querela inofficioſi fratrum conſanguineorum*, quibus in praefatione Opuſculorum variorum συλλογῇ praemiſſa occurrendum putauit.

§. *XIIII.*

Nec defuit porro amicorum et patronorum in ornando patre gratia, auctoritas et voluntas, neque Optimi Principis clementia. Sequente itaque anno, 1721. Anteceſſor ordina-[redacted], illique dignitati etiam honorificus aulae Regiae Conſiliarii titulus additus. Et ſane nouum hoc dignitatis ac fortunae augmentum nouos etiam ſtimulos addidit patri, dignum ſe expectatione iudicioue patronorum probandi. Itaque non curam aliam priorem habuit, quam vt ſtudioſae iuuentuti docendo, reique litterariae ſcribendo prodeſſet. Neque intermiſit publicum diſputandi exercitium. Specimina huius induſtriae edidit binis diſſertationibus, altera *de collegiis et corporibus opificum*, altera *de nauibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis*, quam calculo ſuo probauit Illuſtris Bynkershoekivs *Obſeru. iur. publici Lib. I cap.* 14. licet in quibuſdam a patre diſſentiat. Et alienis hoc tempore aliquot egregiis ſcriptis hanc operam nauauit, vt recuderentur, quo in plurium manus venirent. Hinc Triadem diſſertationum Iacobi Perizonii, *ad Legem Voconiam*, *de conſtitutione diuina ſuper ducenda defuncti fratris vxore*, *et de variis antiquorum numis*, et elegantiſſimos Corn. van Bynkershoek *obſeruationum libros priores*, recudi fecit, illiſque luculentas praefationes *de antiquitatum et artis criticae vſu in iuriſprudentia* praemiſit. Aliquot annos Bibliothecae Marianae Ha-

lenſi

lenſi praefectus erat, ex quo munere non vnum ipſe et res litteraria fructum retulit.

§. XV.

Quae adhuc vulgauerat B. Pater ingenii monimenta, aliaque in Academiam Halenſem et iuriſprudentiam merita non latere eum ſinebant. Famae quidem non admodum ſtudioſus, ac propemodum, ceu ipſe fatetur, (*) illud λάθε βιώσας à puero adfectans, eam tamen nominis celebritatem ſatis mature conſecutus eſt, vt iam expeti ab exteris coeperit. Magnus certe ille in Aula Regia adminiſter et Academiarum Curator MARQV. LVDOVICVS A PRINZEN non deſtitit illum enixe commendare REGI. Quo factum eſt, vt anno 1723. in Viadrinam anteceſſor deſignaretur. Conditiones oblatas repudiandi nulla cauſſa erat, mox tamen conſilium mutandi noua nata eſt. Eodem enim tempore ab Illuſtriſſimis Friſiae ordinibus Franequeram, in locum ORTVINI WESTENBERGII ſufficiendus, euocatus, voluntati tam prolixae non prorſus abnuendum duxit. Dubius tamen adhuc et anceps animi, et quo ſe verteret neſcius. Quemadmodum enim ea indole erat, vt quieto et tranquillo vitae genere, ſtabilique ſede nihil prius nihilque antiquius haberet; ita vix à ſe impetrauit, vt mutatis ſedibus coeloque in tam diſſitas regiones migraret. Mox tamen verum expertus eſt illud Senecae ſapienter dictum: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Quod poſtea adeo animo infixit, vt ſymboli loco haberet, ac philothetis amicorum et commilitonum memoriae cauſſa inſcriberet. Quid tamen fuerit, quod poſthabitis Viadrinis conditionibus, Franequeranas acceperit, dicam. Primo quidem morte ereptus illi fuerat frater amantiſſimus, IO. MICHAEL, qui illo ipſo anno diem obie-

(*) *in Epiſt. Amoeb. D. 19. T. III. Oper.*

obierat ſupremum. Tali praeſidio orbato iactura videbatur irreparabilis, ipſaque Fridericiana ingrata ſedes, a qua iam abeſſe quam longiſſime non admodum dolebat. Neque minus momentum lautiores Friſiorum conditiones. Et hoc denique multum apud patrem valuit, quod ſciret, nullibi quam in Belgicis academiis largius et honeſtius otium, muſis amiciſſimum, concedi, quo in Germania non facile fruantur Anteceſſores, moleſto ſatis et ingrato reſpondendarum cauſſarum labore diſtenti, ac prope ciuilibus vndis merſi. His itaque aliiſque rationibus motus, impetrata prius a Rege honeſta miſſione ſub hiemem anni 1723. cum familia Franequeram migrat, amicis et diſcipulis ingenti ſui deſiderio relicto.

§. *XVI.*

Confecto ſatis moleſto itinere, ingruebat enim hiems, vrbem ingreditur, tanto concurſu et adplauſu a ciuibus collegis et ſtudioſa iuuentute exceptus, vt facile adpareret, quanta fuerit illius exſpectatio. Florebant tum in illa Academia, multis olim magniſque nominibus illuſtri, viri clariſſimi Rvardvs Andala, Albertvs Schvltens, Venema, Melchioris Theologi, Zacharias Hvbervs, Dom. Balck Iureconſulti, Mvys et Regws Medici, Tiberivs Hemsterhvis, Petrvs Wesselingivs Philologi et litteratores clariſſimi, cum quibus collegis adeo amice vixit, vt numquam ſe cum his in gratiam rediiſſe meminerit. Anteceſſoris autem munus non ita multo poſt auſpicatus eſt oratione ſollemni: *de iuriſprudentia veterum Romanorum formularia, ritibuſque quibus negotia ciuilia explicabantur ſollemnibus.* Deinde ſummo auditorum plauſu cathedram iuridicam adperuit. Ante quam Franequeram concederet, Leouardiam digreſſus innotuit celſiſſimo Arauſionenſium Principi, Magnae Britanniae Regis nunc

 gene-

genero, totiuſque foederati Belgii cum maxime gubernatori hereditario, vti et Sereniſſimae eius matri, quorum gratiam continuo adeo ſibi propriam fecit, vt non multo poſt Princeps hic iuuentutis, Franequeram ſtudiorum cauſſa accedens ſuae inſtitutioni committeretur. Eadem ſimul vſi ſunt plurimi ex praecipua Angliae nobilitate iuuenes, praeſentia Principis, futuri regis ſui generi, illuc allecti. Quamdiu Franequerae docuit, ſequentia in lucem miſit: *Elementa iuris ciuilis ſecundum ordinem Inſtitutionum et Pandectarum*, quibus luculentiſſimis iuris compendiis ſatis docuit, iuris ciuilis non ſolum vſum ſed et artem in eo fuiſſe. Nouam quidem ſed commodiſſimam auditoribus et diſcentibus viam et rationem ſecutus eſt auctor, et quiſquis cogitauerit, quibus inſtructus praeſidiis huic operi manus admouerit, ab eo non ſine ſummo iudicio hanc methodum electam eſſe, libens fatebitur. Auctor ſane, qui iam inde ab ineunte aetate ita percoluerat ingenium, vt omnem doctrinae elegantioris adparatum referret ad iuriſprudentiam, ex illa ſola arti in ſe abſtruſae et interpretum plerorumque inſcitia mirae inuolutae caligini lucem accendi poſſe arbitrabatur. Ea opinione imbutus in omnem antiquitatem litteraſque et Graecas et Romanas ita ſe penetrauerat, vt ſibi eorum nihil, quae ad eruendas legum rationes pertinent, praetermittendum putaret. Quumque ſatis animaduerteret, veteres iuriſconſultos certa artis ſuae praecepta ac veluti principia ante oculos habuiſſe, ex quibus omnes deciſiones ſuas foecundo ingenio deriuarent, omni ope incubuit, vt puros iſtos et limpidiſſimos fontes recluderet. Quo id demum conſecutus eſt, vt omnes iuris ciuilis doctrinas non male cohaerentes nec tamquam ſparſa Hippoliti membra diſtractas disiectaſque, ſed nexu arctiſſimo copulatas iſtis libellis ſiſteret, incredibilique fructu e cathedra explanaret. Dici non poteſt, quantam initio inuidiam ſibi conciuerit noua

illa

illa ac politiore ſcribendi docendique ratione, mox tamen calculum vel inuitis extorſit. Sed de lite illa methodo paternae a quibuſdam intentata infra pluribus erit diſſerendi locus. Et *Commentarius ad Legem Iuliam et Papiam Poppaeam*, Halae quidem conceptus, Franequerae natus edituſque eſt. Diſſertationem quoque *de vitiis negotiationis collybiſticae* ibidem, vt et aliam de *origine teſtamentifactionis et ritu teſtandi*, quae tamen maximam partem Reſpondenti debetur, edidit. Repetitis Vinniani *Commentarii in Inſtitutiones iuris ciuilis*, Bockelmannianique *iuris Compendii* editionibus praefationes addidit, quae Tomo III. Operum, iunctim editorum, leguntur. *Grotius et Pufendorfius illuſtratus*, opera poſtuma a V. C. Io. Lvd. Vhlio, Anteceſſore Viadrino edita, praelectiones ſunt, quibus auctores iſtos Franequerae explicauit. Anno 1725. vacationum tempore animi cauſſa iter Amſtelodamum inſtituit, cuius hunc praecipue fructum retulit, vt Ampliſſimum tum curiae ſupremae, quae Hagae vice ſacra iudicat, Senatorem, mox Praeſidem, iureconſultorum noſtrae aetatis facile principem, Cornelivm van Bynkershoek, qui tum forte eamdem vrbem inuiſerat, coram ſalutare et venerari liceret. Tanto viro patris adeo placuerunt ſtudia, vt amicitiae illum ſuae ac iuriſprudentiae honorem adpellare non dubitarit. Iam diu vnus alterius propius noſcendi deſiderio flagrabat, et iam forte fortuna vtrique copia inſperato data. Nihil hoc congreſſu iucundius aut amicius, neque, vt ipſe pater in Dedicatione Commentarii ad Legem Iuliam meminit, retuliſſe piget. Pater nimirum apud Waesbergivm, ni fallor, Bibliopolam, virum honeſtiſſimum integerrimumque diuertens, ab hoſpite ad coenam cum aliis quibuſdam viris litteratis vocatur. Vt Bynkershoekius vna eſſet curatum, ignarus vterque conuiuarum, quibuſcum coenandum eſſet. Coenae pater, ſuauibus vt erat moribus, rem ſic con-

ſulto et dedita opera inſtituerat, vt vtrique ſuauiſſima captio eſſet. Itaque varios ſermones, qui forte ſerebantur, eo tandem inflectere, vt cum patre de Bynkershoekio colloqueretur. Pater, ignarus fraudis, tanto viro iuſtas debitaſque laudes plena manu admetiri, votumque addere propius venerandi. Tum idem ad Bynkershoekium conuerſus nunciare, ſe breui Heineccium hoſpitio excepturum. Hic vero non minus neque ſine elogio optare ſibi illius ſalutandi copiam. Vtrimque admiratio, de ſe tam honorifice dici, et ſciſcitatio ex hoſpite. Hic tandem animi impatientiam in vtroque animaduertens, non poſſum, inquit, quin innocentem vobis fraudem meam palam faciam, ſuauiſſimumque errorem demam. Amore et cultu vnus alterius tenemini; En ergo tibi, Ampliſſime Bynkershoeki, Heineccium, tibique Bynkershoekium. Quanta tum laetitia, quantaque voluntatis mutuaeque amicitiae ſignificatione ſe inuicem amplexi ſint, facile eſt ad intelligendum. Praeter Bynkershoekium quam maxime etiam coluit SICCONEM A GOSLINGA, Virum togae artibus illuſtrem, Friſiorum Academiae curatorem, qui certe patrem vnice patriſque ſtudia probauit, neque vllam ornandi augendique occaſionem elabi paſſus eſt.

§. *XVII.*

Non diuturna tamen apud Belgas commoratio fuit, tametſi ſuo res acta ſi arbitrio eſſet, numquam has terras dulciaque arua, vbi nihil fere triſte expertus eſt, praeter obitum ſuauiſſimae coniugis, quam primo poſt aduentum anno, florentiſſima aetate, puerperam amiſerat, liquiſſet. Fautorum enim copia, amicorum conſuetudo, ſplendidae conditiones, altero anno auctae munificentia Ordinum, et quae primo loco nominanda erat, libertatis, qua Belgae fruuntur, dulce-

do,

do, vſuraque amplioris honeſtioriſque otii, ac vitae veluti deſultoriae taedium, ſpes etiam fulgentioris in Belgio fortunae, facile eum dimouiſſent a conſilio in Germaniam, ſi qua occaſio naſceretur, reuertendi. Sed valetudinis et corporis, continuis febribus attriti, magis habenda ratio erat, quod non aliter, quam hauſtu aurae ſiccioris, nam marina iſta et paluſtris corpori non omnino amica erat, refici poſſe videbatur. Animo haec voluenti offeruntur binae Profeſſurae in Academia Viadrina morte Bernardi Henrici Reinoldi et Arnoldi Wesenfeldii vacantes, ad ius ciuile et philoſophiam in ea Academia docendam, cui iam ante quadriennium deſtinatus erat. Oblatae conditiones acceptandae videbantur. Rem itaque, venia ſimul diſcedendi rogata, ad Illuſtriſſimos Ordines nec non Arauſionenſem Principem defert. Propoſitis quibuſcumque melioris ſortis conditionibus a conſilio auertere ſtudent. Sed praeualuit, neque iniuria, corporis ratio. Miſſione itaque impetrata, nam haec quidem in Belgio nemini denegatur, conclamatis vaſis, iter adgreditur non ſine dolore votiſque acclamationibus amicorum. In his V. C. Petrvs Wesselingivs elegante proſphonemate diſcedentem proſequitur.

O, qui flos hominum es venuſtiorum,
Heinecci, et Themidos decus ſacratae,
Id, quod nunc agitur, iter vorabis
Aptis ſarcinulis et expeditis:
Non vmquam metues graues ruinas,
Nec caſus alios periculorum,
Saluus peruenies, domumque figes,
Qua muſae Viadri colunt fluenta.
Quin ſemper Tibi erit bene ac beate,
Si c[illegible] modo me, et meos ſodales,
Qui te plus oculis ſuis amarunt.

Haud

Haud vmquam ex animo tuo repelles.
Hinc me, ſi ſapis, et meos ſodales
Inſcribes penitus tuis medullis,
Heinecci, Aonidum decus ſororum.

Sub autumni ingreſſum Francofurtum adpellitur, ab amico in primis vetere, cuius deſiderium vix ferebat, quoque illi nemo coniunctior alter, V. Ill. Christ. Godofredo Hoffmanno, cuius opera plurimum illi apud Regem regiosque adminiſtros valuit, amiciſſime exceptus. Compoſitis ſarcinis, feſſoque ab itinere corpore, necdum a febre libero, paullisper refecto, auſpicium noui muneris fecit ſollemni oratione: *de iureconſultis ſemidoctis, cauſſiſque cur tam pauci hodie ad veram iuriſprudentiae laudem perueniant.* Hanc autem publico programmate indixit: *de* P. Ivventio Celso, *ſaeculi ſui ornamento.* Varia poſtmodum ſcripta edidit, quorum rationem auctor in praefationibus, quantum ſatis eſt, dixit. Actum itaque non acturi, ſummam tantum exhibemus. *Elementa philoſophiae rationalis et moralis*, quibus praemiſit *hiſtoriam philoſophicam.* Haec aliquoties ſummo auditorum plauſu e cathedra explicauit, et hinc natae ſunt adnotationes Germanico idiomate ſcriptae in Hiſtoriam philoſophicam, quas poſt fata Viri edidit diligentiſſimus patris diſcipulus, V. cl. Io. Lvd. Vhlivs, *Marchioni Brand. Onoldino a Conſil. aulae, et in Viadrina Profeſſor iuris publ.* Huc pertinent variae Diſſertationes Academicae: *de vſufructu materno iuris Germanici, maxime Hamburgenſis*; *de mercatorum, qui foro ceſſerunt, rationibus et codicibus*; *de lubricitate iurisiurandi ſuppletorii*; *de religione iudicantium circa reorum confeſſiones*; *de ſuprema principum magiſtratuumque tutela; de eminentioribus ducatus Lotharingiae praerogatiuis.* Poſtrema honori maieſtatique tranſeuntis tum Francofurtum, Celſiſſimi Principis Francisci Stephani, Auguſtiſſimi iam Imperatoris dicata ab auctore et

Reſpondente, iam Tribunalis Eccleſiaſtici Meclenburgici Conſiliario ENGELKENIO eſt. Programmata variis occaſionibus publicauit *de Vlpiani Hebraiſmis*, *de iuriſconſultis reformationi praeludentibus*, *de variis Saturninis iureconſultis.* Alterum adornauit anno 1730. quo ſaecularia ſacra ob exhibitam Carolo V. Imp. confeſſionem Auguſtanam celebranda eſſent. Anno, qui ſequebatur, munus Rectoris Academici ſuſcepit, eaque occaſione publice dixit orationem: de C. AQVILLIO GALLO, *Iureconſultorum ſua aetate Coryphaeo.* Sed et de alienis ſcriptis quibuſdam bene meritus eſt. Non enim ſolum recudi curauit BALTH. GRACIANI *Aulicum*, IO. SELDENI opus *de Synedriis et praefecturis iuridicis Hebraeorum*, nec non EZECH. SPANHEMII *orbem Romanum*; ſed elegantiſſimas etiam illis praefationes praeſcripſit, et tamquam hederam ſuſpendit. Illa *de vtilitate litterarum orientalium in iuriſprudentia* quantiuis pretii eſt, alteraque, qua perperam dicta quaedam ab Ez. Spanhemio emendantur, doctiſſima.

§. *XVIII.*

Francofurtum illi gratiſſima et optata ſedes, nec vſpiam ſibi magis placuit. Hinc inter muſas Viadrinas ſeneſcendi perpetuumque ibi et immotum, ſi fata vellent, domicilium figendi, firma ſedet animo ſententia. Itaque aedes ſibi comparare, Bibliothecam inſtruere, quaſi de ſtabili manſione certus. Vndique iam confluere ad virum audiendum, cuius fama late vagauerat per orbem. Et certe nimium non tribuo patri, ſi dixero, numquam illam Academiam neque florentiorem neque frequentiorem exterorum ſtudioſorum concurſu fuiſſe, neque ſtatum, quo nunc eſt, vlla ex parte comparandum eſſe cum illo tempore, quo ibi docuit HEINECCIVS. Cum illo fere natum eſſe florem, et interiiſſe dixeris, neque ibi

ibi ciuium eſt quiſquam, in quo non viuat gratiſſima HEINECCII memoria, quiue non florentiſſima illa tempora cum deſiderio reminiſcatur. Quanti propterea apud illuſtriſſimos Academiae curatores fuerit, et quantum momentum in hoc vno Doctore ſitum exiſtimarit ipſe Princeps, ex eo apparet, quod poſt aliquot annos eumdem in Fridericianam, cuius ſingularem et praecipuam curam geſſit, inuitum paene et reluctantem migrare iuſſerit, perſuaſus, neminem illi maius HEINECCIO adlaturum incrementum. Eadem aliis quoque Regibus, Germaniae ordinibus, et foederati Belgii ordinibus de hoc viro ſtat ſententia. In Academias enim Hafnienſem, Marburgenſem, Gieſſenſem, Ienenſem, Lugdunenſem, Traiectenſem, honeſtiſſimis et ſplendidis conditionibus euocatus eſt, quae neſcio an vlli facile euenerit gloria. Quod cum intellexiſſet Potentiſſimus Pruſſiae Rex, noua clementiae ſingularis erga illum documenta editurus, operamque illius ſibi tanto magis addicturus, anno 1731. contulit ſplendidiſſimum *Conſiliarii Intimi* honorem, addita inſigni gratiae teſtificatione. Ex quo tempore rogatus a Principe ſententiam in magnis et momentoſis negotiis publicis conſilia edidit. Nihil autem in Francofurtana commoratione illi ſuauius fuit conſuetudine CHRIST. GODOFREDI HOFFMANNI, ordinis iuridici Praeſidis, fratriſque Io. GVIL. HOFFMANNI, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimi, quibuſcum tam indiuulſam amicitiam coluit, vt nulla paene dies praeterierit, quin aliquot horas vna conſumerent. Locupletiſſima HOFFMANNO ſeniori bibliotheca erat, in qua tamquam communi aliquo amicorum nido, plurima de communibus ſtudiis, ſcriptiſque, quae moliebantur, conferre ſolebant conſilia.

§. *XIX.*

Ex voto et animi ſententia apud Francofurtanos iam ſextum, et quod excurrit, annum egerat, cum de ſe Fridericianae reddendo Clementiſſimi Regis voluntatem cognoſceret. Deſtinabatur tertius in ordine iuridico locus poſt Cancellarium IC. PETRVM DE LVDEWIG et Directorem IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM, ſeruato Francofurtano ſtipendio amplissimo M. Ioachimicorum. Deprecatus, quibus rationibus poſſet, mutationem ipſe, deprecati ciues, memores, quam aduentus illius res Francofurtanas prouexiſſet, nihil haec tamen tenacem propoſiti Principem, non ſine ſumma ratione quidquam decernentem, mente quatiunt ſolida. In obſequio ergo gloria relicta. Quare iuſſui Principis obtemperaturus, ſine mora itineri Halenſi ſeſe accingit. Ex quo Lipſiam, veterem alumnam et formatricem excurrens, doctiſſimos, quos ſinu ſuo fouebat, viros ſalutauit. Fridericianae poſtliminio reſtitutus, factum id eſt autem anno 1733. Maio exeunte, eo anni tempore, quo iuris ceterarumque diſciplinarum Profeſſores acroaſium, quas ibi ſtato tempore ſingulis ſemeſtribus exordiri ſolent, initium iam fecerant, praelectiones ordinarias differre coactus eſt. Otium itaque aliquot menſium in aedibus comparandis, bibliotheca inſtruenda, adornandaque *hiſtoria iuris Romani et Germanici*, idque ſatis feſtinante calamo, conſumſit. Vix primae huius libelli plagellae typis exſcriptae erant, cum praelectiones, quibus illum publice interpretaretur auditoribus, indiceret programmate: *de* SALVIO IVLIANO, *Iureconſulto*, *Edicti perpetui conditore.* Ingenti numero et plauſu auditores habuit. Ex quo tempore omnes fere iurium partes, ciuile Romanum, Germanicum, feudale, publicum, cambiale, tum et philoſophia moralis, ciuilis, ius naturae et gentium, Hiſtoria et Antiquitates iuris, notitia optimorum

iuris ſcriptorum diſputandi artificium, argumentum praelectionum fuerunt. Quod temporis reliquum erat, libris ſcribendis aut de iure quaerentibus tribuit. Creſcit fama, et cum illa fortuna, et Hala iam non ingrata ſedes, ſtatioque, occupatiſſima licet, non honorifica minus quam lucroſa. Plurima identidem ſcripta prodeunt in lucem. Nam praeter *hiſtoriam iuris*, quae auctior ſubinde emendatiorque Traiecti recuſa eſt, edidit *Elementa iuris Germanici tum veteris, tum hodierni*; *Elementa iuris naturae et gentium*, quae in Anglia etiam, in Anglicanam linguam verſa, prodiiſſe ſcimus. Tum quoque Diſſertationes: *de marito tutore et curatore vxoris legitimo; de teſtamentifactione, iure Germanico arctis limitibus circumſcripta; de praeſcriptione iuris Lubecenſis a iure communi diuerſa; de pecunia in caſum, ſi cauſſa ceciderint, ab adpellantibus alioue remedio vtentibus, deponenda; de reductione monetae ad iuſtum pretium; de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam; de iure principis circa ciuium ſtudia; de cauſſa ſeruitutum perpetua; de locatione conductione iuriſdictionis; de venditione illicita fructuum in herbis; de dominis ſubditos ſuos in iudicio ſuo conuenientibus.* Illa *de tutela pactitia Diſſertatio* alieno nomine a patre concinnata eſt, nec vmquam antehac typis expreſſa. Praefatus eſt libris ſequentibus:

1) Opuſculis quibuſdam hiſtoriam iuris et maxime Pomponii Enchiridion illuſtrantibus. Praefatio eſt *de Sex. Pomponio iuriſconſulto, eiuſue Enchiridio*, Halae 1735. 4.

2) Io. Iac. Wiſenbachii Emblematibus Triboniani, et Io. Wybo Triboniano ab Emblematibus Wiſſenbachii liberato, Halae 1735. 8.

3) Corpori Iuris ciuilis. In praefatione *defendit Iuſtinianum Imperatorem, Tribonianum, et compilationem Iuris Romani*, Lipſiae 1735. 4.

4) Sam. Stryckii Cautelis contractuum. *Praefatio eſt de iuriſprudentia cauente*, Berolini 1736. 4.

5) Faſciculo ſcriptorum iuris nautici et maritimi, Io. Fr. Stypmanni ius maritimum, Rein. Kuricke de adſecurationibus diatriben, et Io. Loccenii ius maritimum complexo. Praefationem praemiſit *de iuriſprudentia, diuinarum humanarumque rerum notitia*, Halae 1740. 4.

6) Nic. Hier. Gundlingii Exercitationibus academicis, cum praef. *de vſu et praeſtantia numiſmatum in iuriſprudentia*, Halae 1735. 4.

7) Pet. Georgiſch Corpori iuris Germanici veteris. Praef. *de Lege Salica, eiuſque origine et vſu*. Halae 1738. 4. mai.

8) Iac. Cuiacii Obſeruationibus iuris Romani. Praef. *de obtrectatoribus et aduerſariis Cuiacii*, Halae.

9) Iuriſprudentiae Romanae et Atticae, quae Lugduni Batauorum tribus Tomis prodiit. Praefationes primo et altero praemiſit de *vita, fatis et ſcriptis*. Franc. Balduini, Gvid. Panciroli *et* Barth. Chesii, *horumque interpretandi genere*. Tertius Tomus Samuelis Petiti Comm. ad Leges Atticas complectens poſt fata demum Patris prelo exiit, illique praefatus eſt vetus Collega Petrus Weſſelingius.

10) Io. Ge. Sulpicii (hoc eſt Culpiſii) libello de ſtudio iuris publici recte inſtituendo. In praefatione comparauit Ser. Svlpicivm Rvfvm cum Io. Ge. Cvlpisio. Halae 1738. 4.

11) Io. Chriſt. Fiſcheri Selectis et rarioribus purioris Latii monimentis, Ienae 1737. 4.

Schediaſma illud *de eo, quod admirandum eſt in arte typographica* anno 1741. ſcripſit, quo ſaecularia feſta inuentae tertio abhinc ſaeculo diuinae iſtius artis celebrabant Typographi Halenſes.

§. XX.

Quam vtiliter tempus ſuum Halae triuerit Venerandus Parens, ex tot tantiſque ingenii monimentis, operaque indefeſſà, diſcipulis nauata, ſatis adparet. Sed hic non ſubſtitit indefeſſa animi cura, aſſiduuſque labor viri, non ad ſpeciem docti, ſed ad vſum et vitae commoda traducentis late patentem ſcientiam. Taceo enim innumeras fere quaeſtiones iuris, quae ad collegium iuridicum, tamquam commune totius orbis oraculum, ſiue ab aduocatis, ſiue a litigantibus rerum ſuarum dubiis, ſiue a iudicibus deferri ſolent, quibus illi cum collegis reſpondendum fuit. Adhuc priuatim ipſe conſultus in arduis et maximi momenti cauſſis ſententiam dicere non detrectauit. Specimina aliquot poſt fata optimi Parentis editi in *Volumine Conſiliorum, Deciſionum et Reſponſorum iuris, cauſſas illuſtres complectente, ex iure Imp. Germ. publico, feudali et matrimoniali tractatus*, quod Vratiſlauiae 1744. in forma maiore prodiit, pluraque adhuc volumina ſelectorum iuris ciuilis Reſponſorum edi poſſent. Fuerunt extraordinaria quoque munia ſubeunda, illiſque temporis aliqua pars tribuenda. Magiſtratum academicum ſemel Halae geſſit, ſaepius Decani tam iuridici quam philoſophici ordinis prouincia ad illum rediit, quae omnia labore non vacant. Societati litterariae vni alterique nomen dedit. Cum enim prae ceteris Halae amicos coleret, virum ſumme reuerendum IAC. SIGISM. BAVMGARTEN, SS. Theologiae Doctorem, Fridericianae et litterarum inſigne ornamentum, fratremque ALEX. GOTTL. BAVMGARTEN, V.C. iam Prof. Viadrinum, nec non V. C. Io. HENR. SCHVLZIVM, Medicinae, Eloquentiae et Antiquitatum Profeſſorem, iam fatis functum, aliquot ante obitum annos cum his litterarium commercium iniit, eo conſilio, vt ſtato ſingulis hebdomadibus die conuenirent, et circa hiſtoriam ſacram et

pro-

profanam, litteras elegantiores Graecas et Romanas, et maxime rem numariam SCHVLZII in primis delicias, conſilia conferrent. Sed et Societati Latinae, quae Ienae floret, ceu ſocius honorarius adſcriptus eſt. Poſtremus labor fuit ſplendida accuratiſſimaque Lexici Briſſoniani editio, quae poſt obitum Halae 1743. lucem vidit. Abſoluit autem ipſe XIII. priores libros, partemque Libri XIIII. reliquos iuſſu et mandato moribundi tum patris eadem cura et induſtria ipſe exigere conatus ſum. Poſtremum hunc laborem dixi. Et poſtremum quidem, nam huic immortuus eſt. Et vere labor fuit, integrum hoc opus ampliſſimum deſcribere, omnes et ſingulas leges ex Corpore Iuris ciuilis excitatas, omniaque loca auctorum veterum euoluere, numeroſque, paragraphos et capita ſigillatim notare, articulos omnes rectius diſponere, diuerſas vnius verbi ſignificationes accuratius eruere, ſuoque loco inſerere, nouis denique obſeruationibus locupletare. Animus auctori erat, luculentam ex prolixam *de vſu artis Grammaticae et criticae in iuriſprudentia* praefationem addere, ſed morte praeuentus eſt. Praefandi tamen officio functus eſt Vir Illuſtris. Ducatus Magdeburgici Cancellarius, et Fridericianae Director, IVST. HENNING. BOEHMERVS, amiciſſimus quondam patris collega.

§. *XXI.*

Multa, vt vidimus, ſcripſit diligentiſſimus auctor, plura editurus, niſi aut mutatum toties domicilium, et vitae genus, et cum hoc ſtudia, negotia item multa magnaque, vitae denique ſumma breuis vetaſſent ſpes inchoare longas. Liceat mihi Catalogum breui texere ſcriptorum, quae viuus olim meditatus eſt, vti ſi forte alios inuitare queam, ſiue ad telam coeptorum pertexendam, ſiue ad idem conandum. Equidem memini, me iam ſupra referre, ſtatuiſſe illum

aliquando

aliquando *hiſtoriae Eccleſiaſticae Syntagma* adornare, noua autem ſtudia illum auocaſſe a priſtinis amoribus. Alte tamen infixum menti haeſit hoc propoſitum. Sub extremum enim vitae tempus, cuius non minimam partem contemplationi diuinarum rerum, Annaliumque Eccleſiae inueſtigationi impendit, iterum repetiit, diuerſo licet conſilio. Conſtituerat enim hiſtoriam eccleſiaſticam condere, quatenus iuriſprudentiae lucem accendit. Sed nihil tamen, aliis diſtrictus negotiis perfecit. Cum apud Friſios ageret, tria opera meditatus eſt. Edere enim illi animus erat *Edictum perpetuum*, a Saluio Iuliano Hadriani Imp. auſpiciis conditum; cuius reſtitutionem iam ante tentarunt Viri doctiſſimi, Iac. Gothofredvs, Hvb. Giphanivs, Gvl. Ranchinvs et forte alii, deinde Sex. Pompeivm Festvm *de verborum ſignificatione*, poſtremo Iac. Cviacii *opera omnia*. Certe ſi otium ſuppetiiſſet, quo Franequerae certis anni interuallis fruebatur, non dubium eſt, quin perfecerit Edictum perpetuum, opus iureconſulto et votis eruditorum dignum. Conſilium autem illius in hoc verſabatur, primo vt pleniorem Edictorum Edictique perpetui hiſtoriam conderet. Quidquid illius perfecit, *Opuſculis poſtumis* a me editis inſerui. Deinde Edictum ipſum priſtino ordini ſuaeque integritati, quantum fieri poſſet, reſtituere, ſimulque probationes, ac poſtremo Commentarium pleniorem adiicere animus erat. Sub calcem ordinem reſtituiſſet librorum, quo varii apud Romanos iureconſulti commentati ſunt in Edictum perpetuum. Sed praeter primas reſtituti Edicti partes cum probationibus nihil in ſchedis paternis inueni. Feſti quoque noua editio in ſpongiam abiit. Iam ſchema operum omnium Cuiacii a ſe edendorum publicauerat ὁ μακαρίτης. Enimvero iuſto minor ſubſcribentium, vt vocant, numerus a propoſito deterruit Bibliopolam Io. van der Linden. Priuſquam in Friſiorum Academiam tenderet,

de

de *Antiquitatibus iuris Germanici* eodem inſtituto, quo illud Antiquitatum Rom. ſyntagma, edendis non cogitauit ſolam, ſed etiam ad finem perduxit. Egerat autem cum Dulſeckero, Bibliopola Argentinenſi, de illis nitide accurateque imprimendis, ſimulque de honorario. Conuenerat res per litteras. Hic autem, rogato Auctore, vt expectaret, donec Lipſia, quo ad nundinas autumnales ire ſtatuerat, Halam ipſe excurreret, conuentioniſque legibus coram ſatisfaceret, expectari a patre tum non potuit. Nam itineri in Friſios intentus, Franequeram feſtinabat. Itaque cum Io. Christ. Franckio, cui totum negotium commiſerat perficiendum, conuenit, vt honorarii a Dulſeckero promiſſi partem aliquam ab illo praeciperet, autographo in pignoris vicem tradito, ea lege, vt nomine expuncto Dulſeckero redhiberet pignus. Tum Auctor in Friſios tendit, ignarus fatorum, quae habiturus ſit libellus. Triſtis tamen illorum nuncius continuo perfertur. Franckius enim foro cedens fuga ſalutem petierat, ceſſo creditoribus, quidquid bonorum ſupereſſet. In his cum libraria ſupellex eſſet; illam illuſtris quandam Cancellarius Io. Petrus de Ludewig, cui plurimum debebat, ad ſe deriuat. Inter libros latebant quoque. Antiquitates illae Germanicae. Equidem Pater non minus quam Dulſeckerus nihil fecerunt reliqui, vt redimerent pignus. Sed irrito conatu. Diſſimulauit enim poſſeſſor vſque hanc praedam, donec totam rem palam fecerunt illuſtris viri heredes, inſerto Catalogo Bibliothecae Ludewigianae illo manuſcripto. In manibus adhuc illorum deliteſcit elegans illud opus, quod luce dignius eſſet, niſi poſtea hanc iacturam aliquo modo reparaſſet Auctor, editis Elementis iuris Germanici. Sed et alia minatus eſt diligentiſſimus ſcriptor, veluti Lexicon iuris Germanici, ſyllogen parœmiarum iuris Germ. Hiſtoriam Ludouici Germanici,

nici, Hiſtoriam genealogicam Ser. Domus Haſſiacae, Elementa prudentiae ciuilis, vti et iuris publici Imp. Germ. Et Gellii aliquando nouam editionem procurandi mens erat. Faſciculos quoſdam Diſſertationum iuris rariorum edendi conſilium ſubſtitit in Triade Diſſertationum Perizonianarum.

§. XXII.

De amicis, quos ſibi iudicio quodam delegit, et patronis ex nobilitate et optimatibus, ſuarum virtutum aeſtimatoribus, nec non de obtrectatoribus et aduerſariis, ſi quos habuit praeter eos, apud quos inuidiae fama erat, nonnihil dicendum reſtat. Quos in primis coluerit amicos, paſſim me referre memini, noloque repetere. Patronos autem veneratus eſt maximos in Aula Regia adminiſtros, viros illuſtriſſimos, MARQV. LVDOV. L. B. DE PRINZEN, FRIDERICVM ERNESTVM S. R. I. BAR. IN CNYPHAVSEN, LVDOV. OTTONEM NOB. DOM. DE PLOTHO, CHRIST. DE BRAND, FRID. DE REICHENBACH, et qui primo loco nominandus erat, virum illuſtriſſimum, quouis elogio maiorem, SAMVELEM LIB. BARON. DE COCCEII, magnum orbis Boruſſici Cancellarium, iuſtitiae ſtatorem, litterarum decus et praeſidium. Taceremne ego patronum, cui Pater innumera, ego vero aliquando per integrum biennium in domo familiaque benigniſſime habitus, munereque ac dignitate, qua nunc fruor, ab illo ornatus, omnia debeo? Magnopere etiam probatus fuit Illuſtriſſimis Friſiae ordinibus, et in his SICCONI A GOSLINGA, Academiae Franequeranae Curatori quondam ſplendidiſſimo. Sua etiam gratia dignum exiſtimarunt Germaniae heros ſagatus et togatus, FRID. HENRICVS S. R. I. COMES DE SECKENDORF, nec non alter eiuſdem nominis et gentis, vir il-

luſtriſſimus

luſtriſſimus CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LIB. BARO DE SECKENDORF, ſenatus ſanctioris Onoldini princeps. In magnis quoque patronis cenſendus etiam Illuſtriſſimus HENRICVS VI. IVN. STIRPIS COMES RVTHENVS, Regis Daniae et Norvagiae Cubicularius; nec non in aula Hanouerana Adminiſter ſtatus, Illuſtriſſimus GERL. ADOLPHVS DE MVNCHHAVSEN, conditor Academiae Goettingenſis. Hos inter innumeros memorare ſufficiat. Nam quis non probauit Patrem, ingenio, ſcriptis et meritis illuſtrem?

§. XXIII.

De amicis hactenus. De obtrectatoribus et aduerſariis horumque in patrem iris adhuc pauca. Non vnius ſeculi fuit ea labes et macula, virtuti inuidere. Et pater aut ſine merito, aut ſolus inter mortales inuidiae non obnoxius fuiſſet. Hoc vitium et famae ſtudium plerarumque inter eruditos aemulationum et contentionum cauſſa, ſed non omnium. Et amor veritatis, laudandus quidem, ſed temere plerumque praetenſus, non iniuſta quandoque bella mouet. Huic forte adſignanda eſt amica diſceptatio, a V. C. E. A. O. C. PAGENSTECHERO, Anteceſſore Herbornenſi Patri meo de ſenſu *l.* I. *D. de curat. furioſ.* illata, quam ſine pulueris iactu agitatam videmus in *Epiſtolis Amoebaeis*, Tomo III. Operum iunctim editorum inſertis. Vnum tamen, et inſigne illud quidem maleuolentiae ſpecimen, memorare non dubito, quod in Patrem quondam edidit collega quondam IO. WOLFGANG TRIERVS, non modo nulla a collega iniuria prouocatus, ſed non vno etiam officio deuinctus. Vir ille, non nullius doctrinae aut ingenii, impotentis tamen animi, ingenio feruido, ambitioſus, vt qui neminem nec ſuperiorem nec aequalem ferebat,

f 2

rebat, vaniſſimus ore et geſtu, Patri, luminibus forte ſuis officienti, occaſionem nocendi, exemplo lupi in fabula, diu anquiſiuerat. Inuenit tandem, vel rapuit potius, cum non nemo patrem aduerſus CHRIST. MATTH. PFAFFII iniquum de methodo axiomatica, qua interpretatus erat ius Romanum, iudicium defendiſſet.

Sic nocet innocuo nocuus, cauſſamque nocendi
Inuenit. Heu regnant qualibet arte lupi.

Originem litis ab ouo, vt dicitur, repetam. Claſſicum cecinit Vir ſumme reuerendus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, Tubingenſis Academiae Cancellarius et ornamentum, edita oratione, de *Chirographo Apoſtoli Paulli*, in qua refutatis eorum ſententiam, qui illud negotium, quod inter D. Paullum et Philemonem interceſſit, *pro expromiſſione* cum ZACH. HVBERO et qui hunc ſequitur Ven. Patre habent, ὡς ἐν παρόδῳ in methodum axiomaticam, qua in Elementis iuris ciuilis vſus eſt Parens, calamum ſtrinxit. Vix in lucem prodiit magni huius Theologi de iuriſprudentia eiuſque docendae ratione iudicium, cum addictiſſimus quidam diſcipulorum, edito *Examine orationis Pfaffianae* defenſorem methodi Heineccianae agens, nimio in praeceptorem amore abreptus, aſperiore, quam par erat, (cur enim diffitear,) ſtilo in celeberrimum aduerſarium inueheretur. Non omnino probauit nimium in ſe ſtudium Pater, a litium feruore et tantis iris alienus. Et certe ſi rem tanti exiſtimaſſet, ſatis ipſe in ſe praeſidii inueniſſet. Interea IO. WOLFG. TRIERVS occaſionem ſibi opportunam natam ratus, aliquid contra optimum Patrem, cuius ſemper aemulus fuerat, moliendi, ſub perſona GOTHOFREDI IAC. SCHVTZII *Examen methodi axiomaticae, qua in Elementis iuris ciuilis vſus eſt Heineccius*, protrudit.

Prae-

Praetendebatur cauſſa, intolerandus Examinatoris orationis Pfaffianae comtemtus Compendii Lauterbachiani, et immodica eiuſdem methodi Heineccianae aeſtimatio. Nihil ipſe, tametſi male habitus, initio repoſuit, ven. Pater. Vindicem tamen breui inuenit virum celeberrimum GODOFREDVM SELLIVM, qui in *Vindiciis methodi, qua in Elem. iur. ciu. vſus eſt* Io. GOTTL. HEINECCIVS, Traiecti ad Rhenum 1734. in forma octaua editis depexum dedit TRIERVM, nihilque quod ad vſum et praeſtantiam methodi axiomaticae pertinere videbatur, intactum reliquit. Ipſe etiam Pater vexatus denuo, neſcio quibus vindiciis examinis, a TRIERO oppoſitis Selliano ſcripto ſtilum acuit, ſed quaſi aliud agens, in *praefatione Corporis iuris ciuilis nouae editioni praemiſſa*, Tomo III. *Operum p.* 166. *ſequ.* vti et altera, *Opuſculis Pomponii Enchiridion illuſtrantibus, praefixa, p.* 104. *ſequ. T. III. opp.* Obmutuit tandem maleuolentiſſimus ille obtrectator, et Principis reſcripto monitus, et auctoritate Illuſtriſſimi COCCEII interpoſita.

§. XXIIII.

Vitam venerandi Parentis praeclare actam, fata memorabilia, ſtudiorum rationem, ſcripta, dignitates, honores, praemia, et quidquid ad eum pertinere videbatur, deſcribendi dulci officio functus ſum. Iuuabit adhuc imaginem compendio expreſſam ſiſtere, vt indolem, animumque et mores priuatos cognoſcas. Corpus illi robuſtum et decorum, ſtatura mediocris, inſignis oris atque orationis commendatio. Equidem ab ineunte aetate parce ac frugaliter, non tamen ſordide vixit. Genium defraudare, auaritiam, pecuniam in tempore negligere, lucrum reputauit. Firma inde ſtabiliſque

biliſque valetudo, ingenium ad omnia promtum. Labores multiplices, quos ſibi vel ipſe imperabat, vel imperabantur, ſuſtinere facile et perferre. Adeo negotioſus, vt cathedra, libri, reſpondendi munus omne tempus abſumerent. Parum temporis amicis, animo fere nihil, dediſſe, vitio datum eſt. Rei familiaris et domeſticae, vitium doctiſſimis hominibus proprium, admodum incurius. Vix ſenas horas, etiam ad ſenectutem vergens, ſomno dedit, muſeo adeo adfixus, vt ne hortulum quidem, quem aedibus proximum eumque peramoenum habebat, vix ſemel iterumque per annum inuiſeret. In concinnandis ſcriptis tam expeditus, vt calamus vix cogitationes ſequeretur, et autographa nitide ſcripta, et fere ſine litura. In litteris ſcribendis parcus et talibus officiis prope mancus, multum temporis his inaniter abſumi ratus. Non defuerunt tamen in doctiſſimis clariſſimiſue aeui ſui viris, qui litterarum commercium exoptarunt, tam in Germania, quam Belgio et Italia. Exſtant adhuc apud me Hoffmannorum, Eu. Ottonis, Io. Matth. Geſneri, Io. Pet. de Ludewig, Petri et Caſp. Burmannorum, Corn. van Bynckershoek, Tib. Hemſterhuſii, Alb. Schultens, Io. And. Duckeri, God. Sellii, Io. Barbeyracii, Toullieu, Matthaeuccii IC. Lucenſis, Curſi de Riccis Florentini, Iſelini, Iac. et Godofredi Maſcouiorum, Ab. Wielingii, Pet. Weſſelingi cet. epiſtolae ad illum exaratae, quarum pleraeque de rebus litterariis agunt. Cetera hilaris, iucundus, facilis medius inter omne genus occupationum. Numquam difficilis, moroſus aut grauis, ſiue amici, ſiue peregrini, ſiue liberi aut domeſtici turbarent circulos. Abrumpere ſaepe filum in ſcribendo, et confabulationi ſe totum dare. Vt erat ſuauibus moribus et affabilis, iocari non inſcite et ſalibus ſermones miſcere, ſiue in cathedra, ſiue inter amicos haberet. Hiſtorias nemo

melius recitare, nihilque narrationibus eius facetius aut ſuauius. Inter amicos et familiares ſine adfectatione et exſerto animo riſit, atque alios ridere fecit, nihil inſulſius ducens, quam in amicorum concione de rebus agere ſeriis aut eruditis, quamuis cum eruditis non inerudite iocaretur. Nemini grauis, niſi quod ne in amicis quidem, nedum familiaribus, ridiculum ferret. Difficile tum illi erat, ſatyram non dicere. Si verum eſt, vti profecto eſt, acerrima quaeuis ingenia maxime ſatyrica eſſe, neſcio an quiſquam illum ingenio ſuperauerit. Certe ironicum illud ingenium ſic in mores abiit, vt ſi vel minimum, in liberis maxime et familiaribus, animaduerteret, quod abſonum eſſet, continuo ſale et ſcommate aliquo perfricaret, illis autem minime omnium parceret, qui ſenſu abundare et altius ſapere viderentur. Si cui illudere vellet, vocem, vultum, geſtus, actionem ita imitabatur, vt coram videre putares. In hac ſane arte Roſcius. Idem tamen ingenium ad ſatyram pronius negotium aliquoties faceſſiuit. Hinc ſimultas illa cum Theologis quibuſdam Halenſibus, de qua ſupra. Et poſtea ſi quod eo adhuc iuuene in lucem prodiret dicacius ſcriptum, ii qui naſum habere credebant, continuo ad illum referre. Nic. Hier. Gvndlingivs, coniunctiſſimus quondam collega, ediderat Syſtema Logicum, ſub titulo: *Via ad veritatem.* Mox cenſor prodibat, editoque libello, qui inſcriptus erat: *Salebrae in via ad veritatem*, Gundlingium durius habuit; Gundlingius aequo animo non tulit iſtum conatum, et ſollertius inquirens in auctorem, Patri tandem adſignauit. Res in ſimultatem erupiſſet, niſi hic mature, vt facile erat, diluiſſet ſuſpicionem. In adfectibus vehemens, et in iniuriis ad animum reuocandis ardentior, ita tamen vt temperaret impetum rationis vſu. In adiuuandis amicis ſtrenuus ac diligens, in commendandis ſuis paullo negligentior vel, vt lenius

nius dicam, cautior, probe memor illius dicti Horatiani:

Qualem commendes; etiam atque etiam aſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Futilitatis, inconſtantiae et leuitatis oſor acerrimus. Nihil temere, omnia ſerio et velle et agere, ita vt quidquid volebat, agebat, valde vellet, ageret. Summus et religioſus Dei cultor, rerumque diuinarum ſtudium, ſumma voluptas. Cum vxore, quam anno 1716. duxit, anno vero 1724. Franequerae puerperam, praematura morte anno aetatis viceſimo octauo ereptam, amiſit, ſuauiſſime vixit. Duxerat autem virginem omnibus animi corporiſque dotibus ornatiſſimam HENRICAM CLARAM IOANNAM, Viri ampliſſimi IACOBI HEIRINGII, hereditarii domini in Gros-Winnigſtadt, tractibus ditionis Brunſuicenſis Heſſumenſi, Lerkheimenſi et Vogtsdalenſi Praefecti ſupremi, filiam natu minorem. Ex quo auſpicatiſſimo matrimonio ſuſcepit praeter me, FRIDERICVM ANTONIVM, in copiis olim Danorum, nunc Caeſarianis militantem, et HENRICAM LVDOVICAM, Viro clariſſimo CHRISTOPHORO ANDREAE MEYCKIO, Iurium Doctori, nec non iuris et hiſtoriarum in Regio Altonaenſi Gymnaſio Profeſſori ante decennium nuptam. Vxore amantiſſima amiſſa, ſepulta autem eſt Leouardiae in Templo Lutherano, viduus reliquam aetatem tranſegit.

§. XXV.

Venio nunc ad ſummum, ad triſtia illa et exceſſum viri incomparabilis, deſideratiſſimi Patris. Quam vellem acerbum illud et luctuoſum parentandi officium longius dilatum. Sed vixit eheu! Optimus Parens, ſublatumque ex oculis quaerimus

mus fruſtra. Diuturnior illius vſura bonis omnibus optanda erat; ſed noluit ſummus rerum humanarum votorumque arbiter Devs o. m. illum diutius inter mortales ſuperſtitem. Ita voluiſſe Numen, cuius decreta nobis pro ratione merito ſunt, ſufficiat. Vitam tranſegit dignam Deo, a quo creditam accepit, dignam coelo, quo rediit, neque nimio funera fletu facere fas eſt; nam ipſa morte praemium virtutis et laborum conſecutus eſt immortalitatem. Exiit autem ex vita, tamquam virtutum ſuarum theatro, anno ſeculi huius quadrageſimo primo, pridie Calendas ſextiles, aetatis ſexageſimo. Eo quidem tempore, quo alium plane, quam ex vita, diſceſſum, (corpore enim ad votum valebat,) meditabatur. Cum enim Pot. Suecorum Rex, Landgrauius Haſſiae paullo ante Fridericianae redonaſſet ſplendidum illud, quo nunc fulget, lumen, Illuſtrem Cancellarium Christ. L. B. de Wolf; vacuum in Marburgenſi Academia locum claro aliquo viro ſupplere ſummo ſtudio nitebatur. Itaque egit cum Patre, oblataque ſplendidiſſima Procancellarii, et Conciliarii Regiminis dignitate, primariaque iuris Cathedra, illum ſacro diplomate euocauit, ab ipſo Pot. Pruſſiae Rege, veniam, quam ipſe iam enixe rogauerat, impetraturus, ni fata interceſſiſſent. Dum haec aguntur, ſolita haemorrhoidum incommoda acrioraque mala ſenſit, quibus pediluuio aliquo ſalino conſulturus, vlcus in altero pede natum, cuius non rationem habuerat, adeo excitat et irritat, vt dolores illum diutius extra lectum non ſinerent. Medici, quibus curandi negotium permiſſum erat, in arte medica & chirurgica peritiſſimi, Hoffmannvs, Ivnckervs et Bassivs initio nihil minus quam vitae diſcrimen ab vlcere metuebant. At inuſitata virium defectio, quam ſimul ac decubuit aeger, ſenſit, ſpem recuperandae valetudinis valde minuit. Quippe natura ipſa in expellenda noxa ſe-

gnior, mox deficere videbatur. Inde vlcus tam profunde et pertinaciter haeſit, vt ad vicinas partes decurreret. Abſcindi digitum, vlceris ſedem, paſſus eſſet, ſi ſuaſum maturius eſſet a medicis. Succedentibus deinde ſpaſmis veſicae, vrinam acribus et eroſiuis humoribus repletam non ſine ſummo dolore propellentibus, gangraena ad has partes ſubnata eſt, et iam omnis ſpes euanuit. Tantae labis origo non poteſt non ad inſueti coeli, ſub quo aliquot annos vixit, rationes, vitamque ſedentariam et nocturnas vigilias, ne ingraueſcente quidem aetate intermiſſas referri. Ita ergo diem obiit ſupremum, animamque Deo reddidit, in quo per omnem vitam vnicam fiduciam, omnemque ſalutis ſpem collocauit. Poſtremis vitae annis, quibus ſolus ego ex liberis iucundiſſima Patris conſuetudine vſus ſum, ſacrae doctrinae ſtudiis ſe totum dedit, et tamquam praeſaga mente proximae migrationis, piis cogitationibus pectus impleuit. Cum morbum ingraueſcere, horamque decretoriam appropinquare animaduerteret, arceſſi iuſſit Senem venerandum, Virum S. R. Franckivm, fratris quondam in miniſterio ſucceſſorem, coram quo, poſt confeſſionem, venia peccatorum a Deo ſuppliciter rogata, et ſacrae ſynaxeos ſymbolis rite vſurpatis, tam graues mortis meditationes habuit, vt diſcedens Franckivs mihi confiteretur, ſe, qui conſolaturus aegrum acceſſiſſet, multo fortius ab aegro ſolatium reportare. Eodem mane grauiſſima et conſilii plena oratione, cuius non ſine lacrimis memini, adfectu plane paterno fauſta mihi omina adprecatus, vltimum vale dixit. Reliquis vitae diebus placide et fere ſine ſenſu dolorum, quibus ante vexatus eſt, ſine vlla alienatione mentis obdormiuit. Sepultus autem eſt in hereditario monumento Illuſtris quondam Lvdewigii, in quo iam ipſius, et patris et Sam. Stryckii et doctiſſimi quondam iuuenis Io. Phil. Barateríi

oſſa

oſſa quieſcunt. Tu vero ter quaterque beate Pater, ſalue, et inter coelites coram DEO ſorte tua laetare.

Memoriae beati viri epitaphium, quod in calce praefationis ad Briſſonii Lexicon iuris legitur, conſecrauit illuſtris Cancellarius, quondam Collega, IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS.

LVGE

QVI HAEC ATTONITVS LEGIS

ET ACCEDIS AD HOC MONIMENTVM

SVB QVO NON CINERES CLAVDVNTVR

SED IN QVO PVBLICA LVGENDI CAVSSA PANDITVR

EXSTINCTVM MOESTISSIMO FVNERE FLEMVS DOCTOREM

OCCASVM SIDERIS GERMANIAE MICANTIS

QVOD LVXIT SPLENDVITQVE PER ERVDITVM ORBEM

LVGEMVS OBITVM

VIRI ILLVSTRIS OMNIQVE ELOGIO MAIORIS

IOANNIS GOTTLIEB HEINECCII

IVRISCONSVLTI CONSVMMATISSIMI

POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS INTIMIS IVRIVM ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS PVBLICI

IN REGIA FRIDERICIANA

VEL HOC SOLVM NOMEN SVFFICIT
AD COMMVNEM PLANCTVM ET LVCTVM EXCI-
TANDVM
QVIS ENIM AEQVO ANIMO FERRE POTEST
VIRI DOCTISSIMI EXITVM EX HAC VITA
LVGET ACADEMIA REGIA
MOERET ORDO IVRECONSVLTORVM INCLITVS
SQVALENT CIVES ACADEMICI ET HVIVS CIVITATIS
ADFLICTANTVR EXTERI
TOTVS ORBIS LITTERATVS TAM SALVTAREM CIVEM
DESIDERAT
PLVRIMAE VBIQVE FLENDI CAVSSAE GRAVISSIMAE
QVIS ENIM NON DOLVIT CASVM VIRI
QVEM REX POTENTISSIMVS BORVSSIAE COLVIT
ORBIS LITTERATVS OBSERVAVIT
ACADEMIA NOSTRA DILEXIT
SINGVLI STVDIORVM CVLTORES IN OCVLIS TVLE-
RVNT
QVOD MENTIS CVIVSVIS OCVLOS SVA DOCTRINA
ILLVSTRAVERIT
PLVS VIDENS QVAM TOT ALIORVM OCVLI
SED EHEV IAM OCVLOS CLAVSIT

QVO

QVORVM ACIES OMNIA PENETRAVIT
IN RE LITTERARIA ABSCONDITA RESERAVIT
TOT INGENII FOETVS FELICISSIMOS EDIDIT
IN RE LITTERARIA IVRIDICA PHILOSOPHICA
QVIBVS ALIARVM GENTIVM ERVDITIS PALMAM
PRAERIPVIT OSTENDENS
GERMANIAM ETIAM DECORA PLVRIMA ET INGENIA
MAGNA ALERE.
NEC ERVDITIONEM SOLIDAM SOLIS EXTERIS GENTIBVS PROPRIAM
DOCVIT ELEGANTISSIMO ELOQVIO
CIVES IN TRIBVS ACADEMIIS DEGENTES
SED SCRIPTIS SVIS ETIAM REMOTISSIMAS GENTES
DOCVIT
EOSQVE IN VIAM DEDVXIT VERITATIS
QVIBVS EIVS AVDITORIVM ADIRE NON LICVIT
IMMO
EFFICACIVS ET PLENIVS DOCVIT IN SCRIPTIS
QVAM VIVA VOCE ET LINGVA
ILLA MORTE EIVS PRAEMATVRA OBMVTVIT
HAEC LOQVI DESIIT
DIE XXXI. AVG. ANNI MDCCXLI.

SED SCRIPTA EIVSDEM ADHVC SEMPER LOQVVNTVR
PER OMNE AEVVM DOCEBVNT
ET ITA DOCTOR PERPETVVS ERIT
QVI VIX AD SEXAGINTA ANNOS VIXIT
VIXIT EHEV
SED ITA SEMPER VIXIT
VT POST MORTEM OMNIBVS PERPETVO PRODESSET
QVI IN LITTERIS VIVVNT
SINGVLIS EXEMPLVM PRAEBENS
ITA VIVENDVM ESSE
QVO VIVENTES GENERI HVMANO SINT IN DELICIIS
MORTVI COMMVNIBVS HOMINVM COMMODIS INSERVIANT ET ITA
OMNIVM SECVLORVM VIVANT PROSINT CONSVLANT POSTERITATI.

00078445

Digitized with financial assistance from
Government of Maharashtra
on 30 January, 2020

00078445